Univ. of
Toronto
Library

BINDING LIST AUG 1 5 1923

I

LL
C 3697 B.2

Valerius Catullus

CATULLI VERONENSIS

LIBER.

RECENSUIT ET INTERPRETATUS EST

AEMILIUS BAEHRENS.

VOLUMEN PRIUS.

NOVA EDITIO A **K. P. SCHULZE** CURATA.

LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLXXXXIII.

CATULLI VERONENSIS LIBER.

RECENSUIT

AEMILIUS BAEHRENS.

NOVA EDITIO A **K. P. SCHULZE** CURATA.

173637
7/9/22

LIPSIAE
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.
MDCCCLXXXXIII.

PA
6274
A2
1893a

LIPSIAE, TYPIS B. G. TEUBNERI.

PRAEFATIO.

Munus nouae huius libelli editionis post praematuram Aemilii Baehrensii mortem curandae ita suscepi, ut quoad fieri posset quam plurima eorum, quae ille ad Catulli carmina et recensenda et emendanda contulisset, retinerem ac seruarem; quo melius quantum ei deberemus intellegeretur. ac profecto, tam bene de poeta suo, quem praeter ceteros dilexerat, meruit, ut dignus sit, cuius memoria pie colatur. non ita pauca tamen immutanda erant. errauerat enim nonnumquam in lectionibus codicum describendis; quorum ipse complures, sunt autem libri **OMDL**, denuo contuli. multa autem uiri docti qui his studiis operam dant per hos septendecim annos invenerunt vel melius perspexerunt, quae respici et addi par erat. nemo quidem hodie omnes praeter codices Oxoniensem et Germanensem ut inutiles reiciendos esse arbitrabitur. quam ob rem selectas deteriorum quos uocant librorum lectiones atque omnes scripturas codicis Veneti (**M**), quem insignem inter illos locum obtinere puto, addidi. neque minus quaedam recidenda erant. Baehrensius enim ubertate quadam ingenii et iuuenili ardore raptus multis locis verba Catulli ipsius coniecturarum abundantia obruerat; quarum partem ipse postea iam maturior et aetate et doctrina, cum commentarium edidit libri Catulliani, spreuit. quibus eiectis sincera poetae uerba reuocaui. Cirin denique carmen, quod Baehrensius, cum haud raro ad Catulli uerba restituenda non sine fructu adhiberi vidisset, in fine libelli adiecerat, omisi, quod interim ab eodem Baehrensio alio loco in editione poetarum Latinorum minorum emissum erat.

K. P. Schulze.

PROLEGOMENA.

Ad cognoscenda fata, quae libellus Catullianus per antiquum mediumque aeuum subiit, proficiscendum est ab accurata indagatione eius codicis uetusti, ex quo qui hodie supersunt libri mss. nouicii originem traxerunt.

Primum Ratherium, episcopum Veronensem, certo constat Catulli carmina post Isidorum Hispalensem, qui postremus inter antiquitatis scriptores Catulli mentionem fecit, per medium aeuum legisse; id quod Maffeus in Veronae illustratae uol. II p. 7 ed. a. 1731 indicauit. Ratherius enim in sermonis de Maria et Martha habiti capite IV [Opp. ed. Ballerini p. 639; Mignii Patrolog. Latin. t. CXXXVI p. 752 Ratherii Veronensis episcopi opera, a. 1853] haec dixit: *quid de me dicere, quid ualeo cogitare (et ut turpia subsidens* [l. *subsilens*], *honesta solum, prohibita licet, depromam), si in lege Dei, ut debitorem me fore non nescio, die non* (add. Ballerini) *meditor ac nocte; Catullum nunquam antea lectum, Plautum quando iam olim lego neclectum* [al. *neglectum;* Hauptius: *lego lectum*]; *musicam quando saepe rogatus expono?* — habitum esse sermonem istum Veronae a. 965 recte monuerunt A. Vogelius in libro de Ratherio Ienae a. 1854 edito (uol. I 318 sq. et II 88 sq.) et E. de Leutschius in nunt. erud. Gotting. a. 1855 p. 1975. erat autem Ratherius uir ut illis temporibus eruditissimus; ex poetis Latinis eum Plautum Terentium Horatium Phaedrum Persium Iuuenalem bene nosse exemplis ex eius scriptis adlatis comprobauit R. Ellisius [proleg. ad Cat.² p. VIII not.]. ille igitur Catullum antea non lectum eo fere tempore quo sermo quem supra commemorauimus est institutus legisse se testatur; cuius lectionis uestigia sat

tenuia idem Ellisius l. l. p. VIII sq. diligenter congessit. neque potest dubitari quin Ratherius Catulli librum Veronae, et in ipsa quidem ecclesiae cathedralis bibliotheca celeberrima, reppererit; quod ut ipsa illius uerba quam accuratissime perpensa, tum uero Beneuenuti epigramma, de quo dicendi mox dabitur locus, ueri reddunt simillimum. neque recte statuunt Hauptius, qui ipse probabilius esse Ratherium Catulli librum, non lectum a se antea, Veronae inuenisse docet, [quaest. Cat. p. 4; op. I 2 sq.] Ellisiusque, potuisse Ratherium ex Gallia uel aliqua Italiae urbe Catulli librum secum Veronam portasse. nam si codicem illum aliunde secum in patriam rettulisset, a. 965, cum iam quadriennium Veronae commorabatur, se Catullum numquam antea a se lectum primum legisse dicere non potuit (cf. Vogel. l. l.). post Ratherium autem usque ad saeculi XIIII initium nemo Catulli librum ipse legisse uidetur. incertissima quidem sunt, quae viri docti uestigia lectionis Catullianae ex illorum temporum scriptoribus diligenter collegerunt. atque ipsi illi, qui hic illic singula uerba uel totos locos ex Catullo depromptos indagasse sibi uisi sunt, ea non tam aperte ad Catullum pertinere, quin aliunde deriuari potuerint, facile concedunt (cf. Ellis. edit. alterius p. IX sq.). contulerunt autem Guilelmi Malmesburiensis, qui circiter a. 1140 floruit, uerba (II § 159) 'uirginem sane nec inelegantem nec illepidam' cum Catulli c. X 3 et 4; Gualteri Alexandreid. VIII uersum 385 'sic quoque multa cupis quae non capis' cum Catulli c. LXI 197 'quod cupis capis (codd. deteriores)'. Ioannes Sarisberiensis († a. 1182) in metalogiae l. I 24 uersum Catulli 'munus dat tibi Sulla literator' (c. XIIII 9) laudat, quem ex Martiano Capella depromere potuit. certe Nicolaus Triuetus († a. 1328), qui in commentario ad Boethii consol. III 4 ad Catulli c. LII 2 alludit, ex ipso Boethio sua petiit. Neque satis constat, unde scriba codicis Coloniensis 202 (olim Darmstadiensis) Prisciani saec. XI *Cuniculosae* illud (Cat. XXXVII 18) correxerit; nam cum ceteri Prisciani codices VII 22 'Celtiberosae Celtiberiae fili' tradant, unus c. Coloniensis uerum 'Cuniculosae C. f.' habet, quam lectionem scribam ex Catulli codice quodam desumpsisse Schwabius

suspicatus est.*) Ieremias uero iudex de Montagnone, ciuis Paduanus, qui anno fere 1300 mortuus est, in magno illo compendio moralium notabilium locis septem Catullum commemorauit:

Partis I lib. 3.**)

Catulus c. 5 (c. XXII 18 sq.):

omnes fallimur: neque est quisquam quem non in aliqua re uidere suffonum (suffectū) possis: suus cuique attributus est error.

Partis II lib. 1 rubr. 5.

Catulus c. 9 (c. LXVIII[b] 97):

Ne nimium simus stultorum more molesti.

Partis III lib. 4.

Catulus c. 5 (c. LI 15 sq.):

Ocium et reges et beata per odit urbes ('prius et beatas' mss. Brit. Mus.).

Partis IV lib. 4.

Catulus c. 5 (c. XXXVIIII 16):

Risu inepto res ineptior nulla est.

Partis IV lib. 5 rubr. 11.

Catulus c. 8 (c. LXIIII 143 sq.):

Nulla uiro iuranti femina credat
Nulla uiri speret sermones esse fideles
Quis [uel 'qui'] dum aliquid cupiens animus pregessit aspici [uel 'adipisci']
Nil metuunt iurare nil promittere parcunt.
Sed simul ac cupide mentis saciata libido est
Dicta nichil metuere, nichil periuria curant.

ibidemque mox:

c. 12 et pult' (c. LXXVI 13):

Difficile est longum subito deponere amorem.

---

*) Quod Ellisius in Philologi a. 1892 p. 146 sq. dicit uerba quaedam 'obiurgationis amatoris puerorum', quod carmen codice Turicensi saec. XII traditum est, ut 'non inpune feres', 'scabra rubigine' (cf. Verg. georg. I extr.), similia probabiliter ad Catullum redire, ego contra minime probabiliter ea ex Catullo profluxisse contenderim.

**) Cf. Ellisii edit. alter. p. IX sq.

Partis IV libr. 6 rubr. 3.

Catulus poeta c. 9 (c. LXVI 15 sq.):

Estne nouis nuptis [uel 'nuptiis'] odio uenus atque parentum
Frustrantur falsis gaudia lacrimulis [uel 'lachrymulis'].

Quibus de excerptis Baehrensius recte statuit ipsum Ieremiam codice aliquo Catulliano usum admodum inprobabile esse. id demonstrari aperte numeris capitum uerbis Catullianis adiectis. quem enim bene sanum statuere posse fuisse olim Catulli codicem in capita diuisum? cui opinioni ipsam illam diuisionis inaequalitatem miram obstare. recte igitur Baehrensius suspicatus est Ieremiam Catulliana sua sumpsisse e poetarum Latinorum florilegio quodam secundum materias in capita distributo. eodem fere tempore compositum est nobilissimum illud epigramma, quod in fine codicis antiquissimi Sangermanensis a. 1375 scripti legitur:

Versus domini Beneuenuti de Campexanis de Vicencia de resurectione Catulli poete Veronensis.

Ad patriam uenio longis a finibus exul:
Causa mei reditus compatriota fuit,
Scilicet a calamis tribuit cui Francia nomen,
Quique notat turbe pretereuntis iter.
Quo licet ingenio uestrum celebrate Catullum,
Cuius sub modio clausa papirus erat.

Beneuenutus de Campexanis igitur Vicentinus huius epigrammatis est auctor. neque enim audiendi codices aliquot recentissimi, qui Guarino illud tribuunt (cf. Ellis. ed. alt. proleg. p. XIV; Schwab. ed. a. 1886 p. XX sq.). primus autem I. G. Meinertus [annal. Vindob. 1831 append. p. 1—17] quinam Beneuenutus ille fuerit nos edocuit. idem est enim quem Guilelmus Pastrengicus amicus uocat poetam et scribam mirabilem quemque anno 1323 e uiuis excessisse Meinertus l. l. ex Ferreti [Muratori rer. Ital. scr. IX. p. 1185] carminum de morte illius compositorum quarto concludit. certe a. 1329 iam non inter uiuos fuit. eo enim anno mortuus est Albertinus Mussatus Patauinus, ad quem carmina illa de Beneue-

nuti obitu scripta dedit Ferretus. sed ipse ille Mussatus cum a. 1316 in elegia quadam [p. 39 ed. Pignorii] Catullum commemoret, hinc Meinertus ante annum illum Catulli librum iterum ex tenebris in lucem reductum esse statuit. contra quem recte monuisse uidetur Hauptius [quaest. Catull. p. 4 sq.; op. I 3], ita a Mussato commemorari Catullum ut huius notitia facile ex Martialis carminibus VII 14; XIIII 77 potuerit hauriri. quamquam unum certe locum fortasse non sine Catulli recordatione scriptum in Mussati carminibus indagauit Ellisius [proleg. p. XIII]; quod enim apud Mussatum [p. 30 ed. Pignor.] extat *Nemo tam fortis ualet esse quo non fortior assit,* id nescio quo modo adludit ad Catullianum illud [LXVI 28] in Veronensi sic deprauatum *quod non fortior aut sit* [*ausit* codd. deteriores] *alis.* sed hoc incertum; certum iam illud, non potuisse multo post a. 1323 scribi id a quo degressi sumus epigramma. quod nunc accuratius contemplandum est. et de uersuum 3 et 4 sententia cum diu multumque disceptatum sit, etiamnunc ualet quod Hauptius [quaest. Cat. p. 7 sq.; op. I 5] scripsit: 'optabile sane esset ut Benuenutus . . . narrationem suam minus obscurasset uerborum quasi inuolucris atque integumentis. nunc aenigma carminis, postquam plurimi neque hebetis ingenii homines omnia scrutati sunt, nihilo minus latitat ac diutius ludificat. nam fatendum est nihil certi atque explorati adhuc esse indagatum, nisi modium sub quo Catulli papyrus clausa fuisse dicitur translatum esse de Lucae uerbis eu. 11, 33.'*) missis igitur uu. 3 et 4 de prioribus uideamus. in quibus plerique Catulli librum haec dicentem faciunt: 'longis a finibus, id

*) nam quae in codice Bononiensi teste Detlefseno [in actis conuent. philol. Kilon. p. 90] extat ad u. 3 adnotatio: *franciscus a calamis uel a breuibus,* ea Francisci Barbari, Veneti patricii, cuius liber Bon. olim fuit, temeraria coniectura potius quam certa aenigmatis λύσις putanda est. Chatelanius quidem fidem habuit Barbaro, cum diceret (collection de reproductions de manuscrits publiée par L. Clédat. Classiques latins. I. Catulle. Paris, 1890; p. III): 'on peut donc admettre que le personnage auquel Benvenuto attribue le mérite du retour de Catulle à Vérone est un certain Francesco, secrétaire de la chancellerie, chargé de viser les passeports des voyageurs'.

est ex tenebris et quasi ab inferis, ubi degebam in exilio, en redeo ad patriam Veronam; compatriota autem, id est ciuis Veronensis, ex tenebris istis me eruit'. et in hac quidem interpretatione etiam nunc adquiescendum erit. neque Ellisio (proleg. edit. alter. p. XV) assentior docenti uerba illa aliter non posse intellegi nisi ita: 'longinquis e terris, ubi exul agebam, in patriam redeo'. cui Baehrensius cupidius ita adstipulatus est, ut Ratherium a. 968 secum in Belgiam in exilium absportasse codicem Catullianum coniceret, unde a ciue Veronensi in patriam Veronam reductus esset. utut autem haec se habent, magna Veronae exorta est laetitia, cum thesaurum nobilissimum ciuis quidam Veronensis repperisset repertumque patriae restituisset. nondum scilicet obliterata erat fama, qua eius poetae opuscula, quo filio Verona merito gloriabatur, in patria urbe olim adseruata esse dicebantur. publicae igitur laetitiae composito illo epigrammate Beneuenutus egit interpretem.

Igitur circiter a. 1323 ex latebris in lucem protractus est Catulli libellus. ex quo a. 1329 Veronensis quidam, cum flores moralium auctoritatum ex uariis auctoribus in patria bibliotheca componeret, Catulli quoque uersus tres (c. XXII 19 sq.) excripsit; cf. Detlefsenus in Iahnii annal. LXXXVII (a. 1863) p. 552 et L. Schwabius in ind. lection. Dorp. a. 1864 p. 3 sq. ex eodem codice Veronensi deinde suam Catulli notitiam hausit Guilelmus qui ab oppidulo prope Veronam sito ubi natus erat audiit Pastrengicus uixitque ab anno fere 1295 usque ad a. 1360. hic in libro de Originibus rerum conscripto, cum quattuor locis Catullum commemoret, duobus ita adfert ut ipsum codicem non euoluisse non possit. locos ex rarissima Michaelis Angeli Blondi editione Venetiis a. 1547 emissa excripsit Hauptius [quaest. Cat. p. 5 sq.; op. I 4]. sunt autem haec: p. 16ᵃ *Bencius Longobardus gente, patria Alexandrinus, Canis grandis primi, inde nepotum cancellarius, magnae litteraturae uir, omnium historiographorum scripta complectens et a mundi constructione exordium sumens cunctarum gentium nationum regum populorumque omnium simul gesta contexuit, opus grande, uolumen immensum, quod in tres dimensus est partes, ut de illo dici possit quod scribit*

Veronensis poeta dicens Ausus quidem unus Italorum omne aeuum tribus explicare chartis. i. uoluminibus Iupiter doctis et laboriosis. uersus sunt carminis primi 5 sq. a nullo auctore antiquo adlati. deinde p. 18[b]: *Catullus, Veronensis poeta, Ciceronis coetaneus, librum uario metrorum genere exaratum, multa iocosa et placita continentem, scolasticis legendum tradidit Protholomaei Alexandri temporibus.* talia Pastrengicum scribere nequisse nisi ipso inspecto codice ultro apparet. mirum quidem in modum conspirant cum glossa quadam codicis Veronensis Catulli (ad c. II): 'completo prohemio opus suum inchoat quod *uario metrorum genere* prosequitur; materia tamen fere omnis est comica, ut inferius demonstratur'. etiam illud 'Catullus, Veronensis poeta' ex libri ipsius titulo desumpsisse uidetur; cf. Hermae t. XIII 57. sed quae praeterea de Catullo habet, haec non ex codice Veronensi fluxerunt. p. 85[a]: *Mamutram, Romanum aequitem, Formiis natum, Romae primum marmoreis crustis totius domus suae parietes in Coelio monte operiisse Cornelius Nepos et Plinius referunt. Addiditque Catullus eum primum totis aedibus nullam nisi e marmore Caristeo columnam solidam habuisse.* haec Pastrengicus memoriae quodam lapsu dicit; petita sunt autem ista ex Plinii nat. hist. 36, 48. denique p. 88[b] haec scribit: *Siculi libros primi circumcidere coeperunt cum ante pumicarentur, de quo Catullus Qui dono lepidum nouum libellum arrida modo Punicae expolitum. Idem* (id est, Isidorus). haec uerba, sicut ipse Pastrengicus disertis uerbis testatur, petita sunt ex Isidori orig. VI 12, 3, ubi haec leguntur: 'circumcidi libros Siciliae primum increbuit. nam primo pumicabantur. unde et Catullus ait *Cui dono lepidum nouum libellum arido modo pumice expolitum?*' sed unde 'arida' illud peruenit in Pastrengici Origines? nam cum apud Isidorum omnes codices 'arido' habeant uno excepto Monacensi, qui 'arido ═' praebet, apud Pastrengicum in edit. Veneta 'arrida' et in codice aut Pastrengici ipsius aut ei aequalis Veneto 'arida' extat. uix autem credendum eum haec ex Seruii commentario ad Verg. Aen. XII 587 mutuatum esse, qui idem Catullum 'arida' scripsisse docet. multo quidem uerisimilius est Pastrengicum 'arida' ex codice quodam Catulli sumpsisse,

quocum locum Isidori contulit. nunc 'arrida' in codice Datano Catulli traditum est; accedit quod in eodem codice 'punice' ut apud Pastrengicum, nisi quod hic 'Punicae' in editione Veneta habet, legitur. quamobrem equidem non dubito, quin Hauptius Pastrengicum illa in suo codice Catulli inuenisse recte statuerit (quaest. Cat. 6; op. I 4).

Cum Pastrengico amicitiae uinculis coniunctus erat uir immortalis nominis Franciscus Petrarca. is cum a. 1347 ad Colam di Rienzi (ep. uar. 38 uol. 3 p. 402 ed. Fracassetti) haec scribat: *Vidi haesitantes an res tuas an uerba potissime mirarentur nec abnuentes, quin libertatis beneficio Brutum, eloquio Ciceronem dicerent, ad quem Catullus Veronensis ait: Disertissime Romuli nepotum* (Cat. XXXXVIIII 1), ipsum poetam legisse se ostendit; nullus quippe antiquitatis scriptor uerba illa commemorat. et constat Petrarcam a. 1345 Veronae Ciceronis ad Atticum libros repperisse. eodem igitur tempore eum Catullianum quoque codicem a Pastrengico monstratum peruolutasse et quaedam ex eo excerpsisse obuia est suspicio; cf. L. Schwabius in actis conuentus philol. Misniensis p. 115. idem Petrarca a. 1348 (ep. fam. 24, 5) memor Catulli (c. LXV 5): 'si modo uel libros uel librorum memoriam lethaei gurgitis unda non obruit' et a. 1356 recordatus c. III Catulli in epistula quadam (ep. uar. 32, p. 390 Fracass.) haec uerba scripsit: 'apud Catullum Lesbia meretricio amore saucia passerem suum fleuit extinctum, ita tamen ut oculorum aciem perderet, non ut animam exhalaret'. conuertit porro in suam linguam uersus Catulli c. LXXVI 23 sq. (sonnetti 1, 49): 'Non prego già, nè puote aver più luoco, Che misuratamente il mio cuor arda, Ma che sua parte abbia costei del fuoco'. laudat uersus Catulli c. XXXVIIII 16 (praef. II de remediis utr. fort.): 'stultorum risus quo *inepto res ineptior nulla est*, ut Catullus ait'; Cat. I 4 (senilium 11, 3) 'solet enim, ut Catulli Veronensis uerbo utar, *meas esse aliquid putare nugas*'. saepius denique nomen Catulli commemorat (cf. Ellis. edit. alt. p. XVII sq. et Philol. a. 1892 p. 150). neque minus Catulli mentionem fecit aequalis fere Petrarcae, Ioannes Boccatius († a. 1375), qui in libello de genealogiis deorum gentilium 14, 16 leuitatis suae aetatis

homines accusans Catulli carmina iam lectitata esse testatur, cum dicat: 'hinc Catulli, Propertii et Nasonis uolumina euoluunt'. sed post id tempus altum per aliquot decennia de Catullo silentium. anno demum 1374 Colucius Salutatus, diligentissimus illo tempore ueterum codicum inuestigator, in epistula ad Casparum de Broaspinis Veronensem missa (edidit autem hanc et sequentes a Mommseno indagatas Hauptius in nunt. societ. litt. Saxon. a. 1849 p. 257 sq.; op. I 277 sq.) haec scribit: *Benuenutus de Imola, a quo primum de te grata accepi, suggessit, imo promisit a te impetraturum ut Propertium et Catullum haberem. Nescio si de hoc scripsit: scio quod interprete non indigeo tecum. Illos, si potes, fac ut uideam. Vale mei memor. Fl. XIII Kl. Sext.* eodemque anno ad ipsum illum Benuenutum de Imola inter alia haec dedit: *Tua epistola nil aliud fuit quam amor et caritas, inprimis quod uotorum meorum diligentissimus executor dyomianes Propertium Catullumque procuras quorum mihi nil paene nisi nomen innotuit. Quod ut perficere coneris exoro. Ingens enim cupido mihi diu fuit poetas aspicere. VIII Kal. Sextilis.* qui loci eo maxime sunt memorabiles quod inde Catulli exemplaria tum temporis nondum diuulgata fuisse comperimus. tertiam denique epistulam Colucius iterum ad Casparum de Broaspinis mittit hanc: *Lepidissimas atque ornatissimas epistolas tuas pridie auida manu, sed auidiore mente, tuo uiso nomine, laetus accepi . . . Si prece uel pretio Propertium de bibliotheca illius celeberrimi uiri, Petrarcae inquam (quem nobis subtractum esse [† a. 1374], gloriae tamen, tam certum quantum potest humano iudicio deprehendi, moleste fero et metrico opusculo, quod absoluere cito, ut uellem, impedior, lamentor et fleo), haberi posse confidis, uel ut meus sit uel ut exemplari queat, deprecor ut procures. Catullum, quem credo paruum libellum, aut exemplatum aut exemplandum rogo transmitte . . . Florentiae XXI Kl. Decembris.* unde in Petrarcae bibliotheca nullum extitisse Catulli exemplar, sed tantum Propertii, recte conclusit Schwabius [act. conuent. phil. Misn. p. 117; aliter de eadem re Hauptius iudicauit l. l.]. haec omnia sicui leuia esse putidaque doctrina congesta uidentur, is haec reputato. ex eis quae adhuc disseruimus ante a. 1374 Ca-

tulli codicem uetustum Veronensem non fuisse descriptum elucet. neque id mirum. tum enim paucissimi uiri docti eo ueteres scriptores inquirendi cognoscendique studio exarserant quo inflammatos insequentis saeculi Italos plerosque ad inuestigandos codices uel longinquas terras appetere uidemus. porro a. 1374 Colucius Salutatus a Casparo de Broaspinis Veronensi ut Catulli carmina describantur petit. antiquissimi autem quos nos nunc habemus Catulli codices, Oxoniensis scilicet et Sangermanensis, hic a. 1375, ille eodem fere tempore, exarati sunt.

Iam disputationis nostrae serie atque ordine peruenimus eo, ut de Catulli codicibus qui nunc supersunt accuratius dicendum sit. nam ipse ille liber Veronensis cum inde ab illo tempore iam non apparuerit*), memoria eius reconcinnanda est ex apographis nouiciis. sed de tali uetusti alicuius codicis deperditi ex exemplaribus recentibus reconstructione pauca in uniuersum praemonenda sunt. quod in omnibus fere scriptorum Graecorum Romanorumque codicibus plerumque obseruare licet, quo quis liber mss. uetustior sit, hoc eum purius fideliusque exhibere uerba antiquitus tradita, id multo magis optinet in codicibus tempore renascentium ut aiunt litterarum scriptis. nam saeculo XIIII, qua sincera

*) Confidentius nuper ex epistula quadam Ferrariae VII Kal. Augusti a. 1456 scripta codicem Veronensem etiam medio saeculo XV Veronae in bibliotheca capitulari fuisse collegerunt. nam cum in fine epistulae eius haec essent uerba: 'Catullum ubi meliorem fecero, ad proprios lares remeare compellam', his uerbis cum Catulli c. XXXI 9 'uenimus larem ad nostrum' collatis codicem antiquum Catulli Verona exemplandum transmissum cum ea epistula domum i. e. Veronam remissam esse coniecerunt. at neque a quo epistula illa scripta sit — suspicati autem sunt Baptistam Guarinum (a. 1425—1513) eam scripsisse — neque ad quem data sit pro certo dici potest; cf. Abel. in annal. gymn. Austriac. 34, 161 sq.; Schwabii edit. a. 1886 p. XVIIII sq.; Schmidt. Cat. p. C. etiam minus certa sunt, quae Alexander Guarinus Ferrariensis, filius Baptistae, in editione carminum Catulli Venetiis a. 1521 emissa de 'antiquo' uel 'antiquissimo' (cf. quae uerissime de ea re Heysius in conuers. Cat. Germ.[1] p. 289 sq. exposuit) codice hariolatur; ex cuius libro Schwabius edit. a. 1886 p. XXI sq. quae huc pertinent diligentissime excerpsit (cf. ind. schol. Dorpat. a. 1865 p. 9 sq.).

antiquitatis ueneratione paucorum etiam tunc doctorum flagrabant animi, religioni fere erat ueterum auctorum recens inuentorum coniectura inmutare uerba; unde apographa tum temporis facta plerumque cum castitate quadam atque uerecundia sunt instituta. sed enim saeculo XV, cum antiquitatis amor atque studium in dies magis increbuisset cumque sermonis antiqui siue uincti siue soluti imaginem quandam certam sibi formassent homines simulque rerum ad antiquitatem pertinentium notitiam hausissent, iam non uerecundia quasi muti steterunt, sed scientiae confidentia simulque ingenium experturi maculas, quibus ueterum dicta diuina deformata intellexerunt, abstergebant atque purgabant. itaque si in noua exemplaria antiquos codices transcribebant, iam non illud tum curabant Itali ut ea quae in illis legerant fideliter redderent, sed ut pro suis quisque uiribus emendationi studerent. atque hoc emendandi studium eo usque paulatim processit ut non solum corrupta sanarent, sed etiam sana corrumperent pro suo iudicio suoque arbitrio inmutantes; ut illud secure possis adfirmare nullum illius temporis codicem plane carere Italorum interpolationibus. quodsi aliquando libros saeculo XV exaratos inuenimus bonos probosque, a peregrinis hominibus eos scriptos esse accuratior contemplatio plerumque docet. ueluti in panegyricis Latinis, quorum non habemus nisi saeculi XV codices, libri integri et ab interpolatione inmunes, Upsaliensis et Harleianus [de quo cf. mus. Rhen. XXX p. 464], a Germanis procul dubio sunt scripti, cum contra codices Italici omnes interpolationibus scateant saepe foedissimis. nimirum Germanorum antiquitatis studiis tum recens inbutorum eadem in describendis codicibus castitas uerecundiaque erat ac saeculi XIIII Italorum. — itaque si scriptoris alicuius antiqui haec est condicio, ut eius emendatio libris mss. nouiciis ex uno codice uetusto nunc deperdito profectis innitatur, ea editori prima debet esse lex ut quinam librorum illorum antiquissimi et ab Italorum fucatis licet interdum blandis lectionibus quam maxime sint liberi sollerti eruat indagatione. nam ex huiusmodi demum apographis uulnera nullo inposito emplastro cruda exhibentibus uetusti codicis lectiones

recuperare eisque recuperatis artem criticam uia et ratione exercere possumus.

Sed ad Catullum ut redeamus, eo nomine praedicare licet Fortunae fauorem quod, cum ipsum librum Veronensem nobis negaverit, tamen duo eius apographa fine saeculi XIIII facta nobis indulsit. de quibus iam accuratius dicendum. quorum prius est

> G: codex Sangermanensis 1165, nunc inter bibliothecae nationalis Parisinae libros 14137, membranaceus, forma quaternaria minore; solum Catullum continet foliis XXXV uersuum XXXIII, nisi quod in folii XXXV parte auersa uersus XXXIIII extant. folio XXXVI Benuenuti epigramma et subscriptio a nobis in calce huius editionis exhibita leguntur; ex qua subscriptione docemur die XVIIII mensis Octobris anni 1375, quo die Casignorius, princeps Veronensis (Can Signorio), laborabat in extremis, G Veronae ad finem descriptum esse ex codice 'salebroso'. 'non enim quodpiam aliud [exemplar] extabat, unde posset libelli huius habere copiam exemplandi'. quibus uerbis scribae confisi cod. Sangermanensem ex ipso illo libro Veronensi, quem circiter annum 1323 ex latebris in lucem protractum esse supra commemorauimus, fluxisse adhuc pro certo adfirmare solebant; neque iniuria. nam quod Chatelanius in palaeographiae classicorum Latinorum tab. XV (Paris. a. 1884) p. 4 nuper illam subscriptionem non ad cod. G, sed ad apographon libri Veronensis a. 1375 factum referendam esse contendit, nemo eum secutus est. suspicionem autem uiro doctissimo mouerant uerba in fine subscriptionis addita 'et cetera', ex quibus colligendum esse putabat plura in exemplari, unde cod. G fluxisset, olim extitisse, quorum partem scriba transcripsisset*). at tu

*) 'Les mots 'et cetera' qui la (transcription) terminent, les fautes (suggeret par exemple) et les variétés d'orthographie qu'on y trouve, peuvent faire penser que notre manuscrit est postérieur, le copiste ayant abrégé la souscription plus longue et de l'an 1375 qu'il avait sous les yeux.'

re uera hominem sanum uerba illa ex codice anni 1375 partim stultissima, ut 'ualebis si ei imprecatus non fueris', 'Lesbia damnose bibens interpretatur' (de quibus uerbis Chatelanius haec dicit Class. Lat. I p. IV: 'c'est peut-être simplement une phrase vide de sens'), partim mendosa (scripsit 'coruptus', 'alliquo', 'corigere', 'suggeret' pro 'suggereret') summa religione transcripturum fuisse putas? immo, scriba codicis anni 1375 ipse, qua erat loquacitate, eam subscriptionem in fine addidit. ceterum Chatelanius ipse postea a. 1890 (l. l. 'Catulle, manuscrit de St. Germain-des-Prés) dubitationem suam multo cautius protulit. neque multum interest, utrum cod. **G** ex ipso cod. **V** an ex apographo eius profluxerit: hoc constat, codicem illum si non a. 1375, at certe paullo post (Chatelanius l. l. a. 1884: 'néanmoins l'écriture [cursive romaine] accuse bien la fin du XIV[e] siècle et ne peut être de beaucoup postérieure à 1375; c'est une des copies du manuscrit perdu de Vérone; et si ce n'est une copie directe, c'est au moins la copie la moins mauvaise qui nous reste de l'œuvre complète de Catulle'), si non ipsa Verona, at certe prope Veronam (uide Chatel. Class. Lat. I p. III) scriptum esse et quam proxime ad **V** accedere; id quod collatis optimis libris mss., quos omnes ex eodem fonte, codice Veronensi, fluxisse consentaneum est, pro certo statuere licet. in libri tegumento manus saeculi XV *bonifattii peruttii* et *Bonifattius perutius ꝑth. ap. in Roma* (h. e. prothonotarius apostolicus, de quo u. Chatel. Class. Lat. p. V), paulo recentior *Cassignorius 1375*, denique recentissima *Catulle de uerone a Cornelius auteur de ce Liure 1375* adnotauit. de huius libri fatis nihil praeterea expiscari potuimus; nisi quod Achillem Statium, clarissimum Catulli editorem, illo usum fuisse Baehrensius inde collegit, quod adnotatum ab eo ad LXII 8, extare in uno codice post uerba *Sic certe* rasuram, in nullum alium codicem quam Sangermanensem quadrat. huius codicis Lachmanno ignoti notitiam primus dedit

Silligius in Iahnii ann. XIII 262; cuius collationem sat neglegentem neglegenter edidit Rossbachius in program. uniu. Vratisl. a. 1859 p. 25. Schwabio, qui primus librum egregium, prout meruit, in usum uocauit, diligenter G contulerunt Frid. Duebnerus et Max. Bonnetus (cf. quae hic vir doct. de cod. G exposuit in revue critique d'histoire et de littérature a. 1877, I 58 sq.), denique ipse Schwabius codicem a. 1877 examinauit; praeterea Ellisius, Baehrensius, Benoistius, Thomasius codicem inspexerunt. Chatelanius, postquam duo folia codicis in palaeographia Classicorum Latinorum tab. XV (Parisiis 1884) arte heliographica repraesentauit, totum librum eadem ratione nuper imitatus est in libro qui inscribitur 'Collection de reproductions de manuscrits publiée par. L. Clédat. Classiques Latins. I. Catulle. Paris 1890'. — Inueniuntur autem in codice G multae correctiones et uariae lectiones partim inter lineas partim in margine adscriptae. in quibus mutationibus Frid. Duebnerus, Schwabius, Bonnetus, qui optime de tota illa quaestione meruit (cf. revue critique a. 1877 l. l.), alii complurium correctorum manus dignoscere sibi uisi sunt, cum Baehrensius omnes correctiones ab eadem manu, quae ipsum G exarauisset, factas esse contenderet. 'nulli', inquit, 'obnoxium est dubitationi, quin correcturae istae unius eius qui G exarauit ingenio debeantur plerumque peruerso. ut enim iam per se quam maxime est improbabile istius modi correcturas prauas ex alio codice uetusto esse petitas, ita diserto scribae testimonio quominus talem amplexemur sententiam prohibemur. huic enim, ut subscriptio in G docet, praeter V alter codex non aderat.' hanc opinionem falsam esse uel propterea ueri simillimum est, quod scriba codicis G in subscriptione de mala exemplaris sui condicione questus decreuisse se 'potius coruptum habere' dicit, 'quam omnino carere' sperans fore ut postea 'ab alliquo alio' codice 'fortuite emergente' suum corrigere possit; quae uerba egregiam

fidem atque continentiam uiri optime probant. sunt autem etiam alia argumenta, quibus correcturas illas non ingenio librarii cod G deberi demonstretur. nam si correctiones codicis G accuratius perlustraueris, longe plurimas earum sine dubio ueras esse inuenies, ut peruersum iudicium, quo correctorem fuisse Baehrensius contendit, non satis mirari possimus. atque corriguntur multis locis uitia aperta libri G ita, ut correcturae cum lectionibus codicis Oxoniensis, quo nullus similior est codici G, consentiant, uelut c. LXIIII 353 G 'praeterriens', OG corr. 'praecernens'; c. LXVI 24 G 'nunc', OG corr. 'tunc'; u. 54 G 'asineos', OG corr. 'arsinoes'; u. 56 G 'aduolat', OG corr. 'collocat'; u. 57 G 'legerat', OG corr. 'legarat' al. multo igitur ueri similius erit correctorem libri G ex eodem fonte hausisse, ex quo cod. Oxoniensis fluxit, quam ut eum ex suo ingenio correxisse sumamus. nonnumquam etiam uerba a scriba libri G omissa addidit, quae ne potuit quidem inuenire, ut c. XVII 7 'maximi' a correctore in margine additum; c. XXI 5 'nam'. aliis locis, quibus corrector libri G uerum praeter meros scribendi errores restituit, sane concedendum est fieri potuisse, ut ipse ueram scripturam inueniret, si modo tantum ingenio correctoris uel correctorum tribuere possumus. nam ueris illis correcturis numerus haud multo minor correctionum aperte falsarum oppositus est; in quibus nonnullae sunt, quarum origo explicari omnino non potest, nisi correctorem sermonis Latini paene rudem et ignarum eorum quae diligenter transcriberet, ex alio codice scripturas in cod. G transtulisse ponemus. quae mutationes adeo omni sensu carent, ut de docto homine, qui inuenerit, cogitare omnino non possimus. nam quid de correctore dicamus, qui c. XIIII 16 haec uerba 'non non hec tibi salse sit abibit' restituit uel c. XXXXIII 8 ueram lectionem codicis G 'o saeclum insapiens et infacetum' pro 'et' 'atque' scribens plane corrupit? idem c. LXIIII 355 'prosternet', quod uerum est, in 'proster-

nens' mutauit. conferas, quaeso, has docti uiri correctiones: I 6 'eum'; II 3 'parenti'; XXXXIIII 11 'petitorum'; XXXXV 10 'ad hanc me'; LXI 187 'uultu'; 197 'cupis capis'; LXII 8 'certe'; LXIII 31 'anima gens'; LXIIII 309 'uicte'; LXVIII[b] 75 'terretur', alia. an tu nobis persuadebis, ut eundem librarium, cuius sagacitatem modo admirati sumus, inuenisse uerba Latina quamuis peruersa satis habuisse credamus? quid? quod non semel quae modo immutauerat correctione restituit; ut c. XXIII 19 'cuius', quod in V fuerat, a correctore in 'culus' optime mutatum est; idem corrector postea 'cuius' illud sensu cassum suprascripsit; X 1 'mens', 'meus', 'mens'; XXV 5 'aries', 'aues', 'aries'; XXVIII 14 'nobis', 'uobis', 'nobis'; LXI 187 'uult', 'uultu', 'uult'. his exemplis, quorum numerus facile augeri potest, satis demonstratur correctorem saepe falsas correcturas atque errores neglegentia librarii ortos ex corrupto codice summa religione in G transtulisse. putabimusne igitur eundem scribam, quem apertas corruptelas aliunde sumere uidemus, ueras correctiones, quales supra commemorauimus, suo ingenio inuenisse? immo, utrasque correcturas, et ueras et falsas, ex alio codice collato in G translatas esse pro certo statuendum est.

Idem tituli libri G accurate considerati docent. nam correctorem, qui idem titulos carminibus addidit, hos quoque ex alio codice sumpsisse inscriptione c. XXXII 'ad Ipsicillam' demonstratur, cuius tituli origo, cum u. 1 carminis ipsius 'Ipsi thila' in G traditum sit, nisi scriba ex alio codice transtulit, explicari non potest. neque minus stulte titulus c. LXV inuentus esset a librario cod. G 'ad Ortalem', cum u. 2 uocatiuus 'Ortale' uerum docere posset. atque hic non de mero scribendi errore agi inde apparet, quod in aliis codicibus idem titulus traditur. idem denique, ut hoc iam nunc addamus, ex consideratione uariarum lectionum, quae permultae in G extant, colligi potest; de quibus suo loco agemus.

Nos igitur cum Bonneto, Schwabio, Sydouio, qui in libello 'de recensendis Catulli carminibus' edito de hac re egit, facimus, qui complures deinceps codicem G ex alio libro correxisse arbitrati duas maxime correctorum manus dignouerunt: quarum una partem variarum lectionum inter lineas positarum et correctionum ex libro V addidit; eadem autem manus quae codicem ipsum exarauit uidetur esse; altera correctoris paullo recentioris est, qui titulos, partem uariarum lectionum, multas correcturas intulit (quem abhinc g significabimus). unde autem g correcturas, uarias lectiones, titulos descripserit, utrum ex V ipso, an, id quod propter titulos a manu recentiore additos, quos in V non fuisse alii libri docent, multo ueri similius, ex apographo libri V ab homine docto correcti, incertum est: hoc certum est codicem illum, ex quo g sua hauserit, si non V ipsum ab homine docto correcturis affectum, at certe apographon libri V fuisse; minime quidem nouis lectionibus a correctore g adiuuamur.

alterum Veronensis apographon est hoc:

O: Oxoniensis siue inter Canonici Veneti libros eos qui saeculi huius initio iure emptionis in Bodleianam inlati sunt numero 30 signatus; est membranaceus, forma quaternaria minore, foliis constans XXXVII uersuum XXXI, nisi quod fol. XIIII[b] uersus XXVI habet, cum ante c. LXI spatium V uersuum uacuum sit relictum; solum habet Catullum. subscriptione licet careat, tamen sine dubio exaratus est circiter a. 1400, uel in fine saeculi XIIII, id quod non solum H. O. Coxe, cuius uiri in aestimandis codicibus iudicium plurimi est, in bibliothecae Canonicianae catalogo (3, 124) statuit, sed etiam Ellisius, Baehrensius, Schwabius, qui codicem inspexerunt, uerissimum esse iudicauerunt. ac tanta inter hunc codicem et G uel in externo habitu intercedit similitudo (idem est membranarum genus, eadem fere scriptura), ut hoc con-

cedendum sit, non posse illos nisi uno temporis tractu, immo uno eodemque fere anno eodemque loco (Chatelanius l. l. a. 1884: 'originaire comme G du nord d'Italie; écriture italienne de la fin du XIV^{e} siècle') exaratos esse. sed ad scripturam quod attinet, lectu multo difficilior est O, quippe qui hac quoque in re archetypum anxia imitetur sedulitate; uelut litterae quae sunt *ri* et *n*, *im* et *un*, *ui* et *iu* similiaque saepe distingui paene non queunt. praeterea O compendia habet plurima eaque interdum inusitatiora, quae tamen difficultates non parant ei qui in librarii consuetudines diligenter sese quasi insinuauit. — hic est codex ille Venetus cuius collationem a Morellio se expectare dicit Santenius in fine praefationis carminis LXVIII editioni praemissae. et extat etiam hodie in O carta, in qua codicem in Santenii gratiam conlatum quidem, sed nihil huic missum esse adnotatum est. prima libri O notitia Robinsoni Ellisio debetur, qui in Catulli editione Oxoniensi a. 1867 eius lectiones attulit, quamquam summum codicis pretium primo parum perspexit. post eum Baehrensius, postquam in Analectis Catullianis primus inter omnes Catulli codices O facile principem optinere locum contendit, cum uere anni 1875 Oxoniae commoraretur, librum bis totum atque locis nonnullis ter contulit. cuius collatio suppleta ac partim correcta est in Hermae t. XIII p. 50—58. ceterum et G et O interdum glossas, maxime in initio libri et ad. c. LXIIII, habent; uelut III 14 *quae omnia bella deuoratis* in utroque uoci *bella* superscriptum est *i. pulcra;* ut ad XXXXVII 4 *uerpus* haec in G extat glossa: *Verpus. pa. dicitur impudicus digitus quo iudei dicuntur sabbato anum purgare; unde iudei uerpi dicuntur;* cf. Ellisii ed. alt. p. L. haec monachorum sapientiam aperte redolentia hic commemorasse satis habemus. pars codicis O (c. LXIIII 336—366) ab Ellisio in altera eius editione inter pp. 146 et 147 et in eiusdem libello 'XII facsimiles from Latin mss. in the Bodleian Library' a. 1885 tab.

X et XI, et a Chatelanio a. 1884 in palaeographiae classicorum Latin. tab. XV descripta est.

Oritur hic quaestio uter ex his apographis utri praestet bonitate. et in uniuersum si rem spectamus, dubitatio potest esse nulla quin pluribus uirtutibus instructus sit **O**. hic enim depinxit magis quam descripsit quae in Veronensi (**V**) reppererat; cuius rei exemplo est, quod litterulae *r* et *s* in scriptura Langobardica inter se simillimae saepe in **O** confusae sunt; cf. LXI 42 *citaries*, ib. 70 *compararies*, LXIII 27 *mulies*, alia. quodsi quis quaerat: 'unde tu **O** ex ipso **V** fluxisse compertum habes', non pauca sunt, quae hanc suspicionem corfirment. nam primum **O**, ut **G**, in Italia scriptus est; non extabat autem ibi eo tempore, quo **O** exaratum esse constat, alter Catulli codex uetustus, ex quo **O** describi poterat. deinde tanta est in uniuersum inter primam codicis **G** manum et **O** similitudo, quanta inter alios Catulli codicis nullos. tum **O** demum in partes uocato locis haud paucis causae errorum in **G** obuiorum patefiunt. huius rei inlustrissimum exemplum habes LXXXXVII 3, ubi **G** *Nilommundius hoc nobisq; ī mūdius illud**), **O** autem *Nil omundius hoc nihiloq; īmundius illud* tradunt. numquam hercle tam mira differentia *(nobisque* et *nihiloque)* explicari posset, nisi **O** libri **V** ductus quam accuratissime expressisset. ut igitur in **O** *nihil* abreuiatum est plerumque *nł*, sic hoc loco *nihiloque* scriptum est *n*$\overset{\text{ł}}{o}$*q;* ita ut $\overset{\text{ł}}{o}$ fere distingui nequeat a *ƀ* littera. intellegis autem, si in **V** idem atque in **O** legebatur, quam facile inde oriri potuerit id quod alterum apographon praebet *nobisq;* . alterum exemplum suppeditat CXVI 2, ubi **G** ceterique omnes praeter cod. Venetum (**M**) *batriade* praebent, **O** autem et **M** uitii originem demonstrant exhibentes *ba*$\overset{i}{\text{ꞇ}}$*ade*, id est aut *batriade* (cf. LXII 21 *ama*$\overset{i}{\text{ꞇ}}$*s;* LXIII 9 *ma*$\overset{i}{\text{ꞇ}}$) aut *batiade*. plura afferre omitto, cum uel hinc non posse nisi ex ipso **V** ducere **O** originem appareat. denique

---

*) cum **G** conspirant deteriores, nisi quod Santenianus et alii pauci in margine *nihiloque*, Datanus *nihilo*, codex musei Britannici (*a* Ellisii) *nihloque* in textu habent.

cum eis locis plurimis, quibus in G corrector grassatus sit, solus O id quod ille a prima manu habuit nobis seruauerit, nonne hinc quoque colligitur eum e V descendisse? uelut XXXXIIII 11 G tradit *Orationē minantium petitorum* ita ut uirgula postea addita uideatur, littera autem *u* in *petitorum* uoce a correctore sit restituta. quid autem O? hic *Oratione minantium petitorem* legit plane egregie: diuide litteras et Catulli manum genuinam habebis. solus autem O hic ueri uestigium seruauit. nam ceteri Catulli codices omnes correcturam in G obuiam receperunt. et his quidem satis superque libri O ex V originem adseruisse nobis uidemur. nullus autem codex in re orthographica ea quae V habuisse certum est tam fideliter quam O tradidit, cum contra G locis haud paucis suae aetatis in uocabulis scribendis consuetudinem (cf. LV 19 *proiicies* idemque LXIIII 370; *eiiciunt* CV 2; *millia* ubique; *negligere,* alia) secutus sit formasque antiquas eis quae tum in usu erant commutauerit (cf. LXIIII 35 *linquunt;* ibid. 151 *deessem*; LXVIII[b] 101 *equum;* LXXXXVII 10 *pistrino*). quid autem de eis libri O scripturis dicam, quibus hic solus fideliter V reddidit, cum in G scribae neglegentia ac corrigendi temeritate praua legantur? quorum locorum cum infra recensum daturus sim, hic duos saltim praesumam. itaque LXVII 42 O habet *sola cum concillis,* unde, cum *co* et *a* aliquotiens in V locum mutauerint, facillime id quod uerum est *ancillis* enascitur. sed ipsum illud *concillis,* cum nihili sit, in V lectum fuisse paene certum est; nam quod in G extat *conciliis* prodit ridiculum eius qui uocem restituere uoluerit Latinam tentamen. neglegentiae autem tribuendum est quod XXIIII 4 *diuitias mi dedisses* in G legitur pro eo quod V tradidisse ex O docemur *diuitias mi dededisses,* unde litterulis diremptis suum redditur Catullo hoc *diuitias mide dedisses.* denique omnes libri O lectiones percense: ubique fere tibi formabis Veronensis deperditi imaginem, quam uel ipsa illius menda reddunt. nam quae in O deprehenduntur librarii errata, haec fere omnia, id quod iam supra indicauimus, ex exemplaris Veronensis lectu difficillimi natura atque indole explicantur. ut autem locos haud paucos qui librarii Latine parum docti culpa lenissime sint deprauata (quamquam, ut

nunc res est, quis spondeat G talibus locis Veronensis scilicet menda non interdum tacite correxisse?), ita nullas omnino interpolationes O prae se fert. nam pauca illa, quae Schwabius, in actis litter. Ienensibus a. 1875 p. 513 et Sydouius l. l. p. 36—46 inuenisse sibi uidentur, partim errores inscientia scribae orti, partim eis locis adnumeranda sunt, quibus O meliora quam G praebeat. quod enim c. XXXII 1 'ipsi illa' pro 'Ipsithilla' tradit, hoc minime interpolatoris sapientiam, sed temeritatem pueri sermonis Latini paene rudis, qui se verba Latina inuenisse gaudeat, redolet. idem fere iudicandum de aliis locis, quibus interpolationes in O repperisse sibi visi sunt, ut c. L 5, ubi 'illos' pro 'illoc' extat; LXVI 50 'ferris fingere' pro 'ferri stringere'; LXIIII 270 'procliuiṭ^{s}' pro 'procliuas'; quibus locis pro inusitatis uerbis usitata restituit: qualem tandem correctorem fuisse eum putas, cuius correcturae omni sensu careant? tum c. LXIIII 15 'monstrum al' monstrorum' diligenter considerantis est, utrum 'monstrū' an 'monstroȝ' legendum sit; cf. IIỊI 27 'castrum ał castorum'. similiter O LXVIII^{b} 21 cotidiano scribendị errore 'uiatorum' pro 'uiatori' exhibet; cf. XXXVIIII 21 'lotus' pro 'loti'; LXIIII 179 'pontum' pro 'ponti'. atque quod LXIIII 11 'illa rudem cursu proram imbuit Amphitrite' praebet, monendum est 'proram' illud non in ipso textu traditum esse in O, sed in margine. — uera autem, vel certe quae propius a uero absint quam quae in G extant, his locis habet O: LXVI 83 'colitis', de quo loco egi in Hermae t. XXIII p. 578; XXXXII 14 'potes' (cf. progr. gymn. Fr. Werder. Berol. a. 1893 p. 10); LXIIII 353 'messor' (u. Herm. l. l. p. 578). LXI 102 'lenta sed' recte; 'lenta quin' quidem, quod alii praeferunt, coniectura Italorum inuentum uidetur, quae nulla codicum meliorum, qui omnes 'lentaque' praebent, fide nititur. hic quoque diligentissime O s; archetypi depinxit, cum ceteri, utpote qui sed particulam postponi posse ignorarent, illud s; in q; mutarent. de c. LXIIII 139 sq. 'blanda promissa dedisti uoce mihi' optime egit Schmidtius in edit. p. CXXI. illud 'nobis' autem ceterorum codicum, ut saepe in V pronomina loci explicandi causa addita fuisse constat, inter lineas adscriptum

erat (u. Herm. t. XXIII 579); unde in textum ipsum irrepsit. nam non raro factum est, ut adnotationes illae librariorum interlineares, quas uocamus, a scribis pro ueris lectionibus reciperentur, ut XXXVI 10 'se' in textum peruenit. eadem uia LXVIII^{b} 27 'clausum' codicis O ex 'cl$\overset{a}{\text{u}}$sum' (G 'classum') ortum uidetur. contra nonnumquam pronomina et interiectiones a scribis tanquam superuacua omissa sunt (XXX 7 'me' om.; XXXVIIII 9 'te' om., al.). quo pertinet CIII 2 'est quamvis' cod. O pro 'est oquamvis' libri G; saepe enim interiectio o, quam hic scriba codicis O qua erat inscientia cognoscere sibi uisus est, omissa est (cf. LXI 114). atque, ut ad c. LXIIII 139 reuertamur, 'blanda' cod. O non commentum librarii, sed iam in V fuisse, uel inde apparet, quod etiam in aliis codicibus traditum est. — LXIIII 273 'leuiterque sonant', si interpolatoris est, certe non ab O interpolatum est, cum idem in aliis codicibus extet. — neque credo c. LVII 7 'uno in lecticulo erudituli ambo' illud 'lecticulo' metri sanandi causa a scriba libri O inuentum esse. nam si uera est lectio, ac non potius 'lectulo' legendum, illis locis adnumerandus sit hic, quibus deminutiua et simplices uerborum formae inter se commutata sunt, ut LVIIII 1 'rufum' pro 'rufulum' traditum est. hic scribendi error, si modo error est, insequenti uerbo 'erudituli' excusationem habet. — LXIIII 102, quod in O extat 'aut mortem appeteret Theseus aut praemia laudis' (bene explicauit Bonnetus: Thésée désirait ou la mort ou la gloire; revue crit. a. 1890 p. 332 sq.), praefero uerbo 'oppeteret', quod G et plerique codices exhibent inuentum a scriba, cui 'mortem oppetere' ex cotidiano sermone notum erat. — LXV 1 libri O 'defectum', scil. uiribus, uerum esse puto; nam pro inusitato uerbo in ceteris codicibus usitatius 'confectum' positum est. — LXIIII 174 'in Creta', quod in O et in codice Datano extat, multo praeferendum esse puto eis, quae in G et in reliquis codicibus traduntur: 'perfidus in Cretam religasset nauita funem'; nam quod explicant, 'religare funem in Cretam' idem esse ac 'proficisci Cretam', loco allato LXIII 84 'religatque iuga manu' minime confirmatur; interest enim inter 'religare funem' i. e. 'resoluere funem' et 'religare funem aliquo'. sed, utut est, de interpolatione ne

hic quidem cogitandum est, propterea quod 'in Creta' etiam in cod. Datano traditum est. — alia denique, quae interpolatoris esse putabant, leuitati scribae libri O adscribenda sunt, ut si uersus intercalares LXI 143, 148 sq. omisit; de qua re infra agemus.

Vidimus igitur librum O doctis certe interpolationibus omnino carere, quippe cuius librarius Latini sermonis paene ignarus esset. hac re sine dubio libro G praestat, cuius scriba paullo doctior nonnumquam cod. V correxisse uidetur (cf. quos locos infra, ubi O et Gς i. e. codices deteriores inter se comparantur, collegi; Sydov. l. l. p. 9 sq.). quamquam etiam in eo codice recensendo cauendum est, ne scribae codicis G attribuamus, quae iam in V fuerant. nam quod 'colitis' c. LXVI 83 non simplici scribendi errore, sed a correctore profectum uideri contenderunt, certe non a scriba libri G inuenta est interpolatio, quam dicunt, cum etiam in O 'colitis' traditum sit. unde colligendum est, iam in V interpolationem illam, quam esse putant, extitisse. idem pertinet ad 'potes' c. XXXXII 14. multo melius autem, quantum liber O codici G praestet, cognoscere licebit, ubi ceteris libris adhibitis O G g accuratius inter se comparauerimus.

Nam cum praeter G et O non extet Catulli codex saec. XIIII exaratus (codex Vicetinus, quem F. Blumius [biblioth. libr. mss. Ital. p. 234] a. 1360 scriptum dixerat, centum annis recentior est; cf. Detlefsenus in actis conu. philol. Kilon. p. 91), ingens est numerus librorum Catullianorum saeculo XV scriptorum; quorum plus quam septuaginta adhuc innotuerunt (cf. Heysii conuers. Germ. Cat.[1] p. 278). agmen eorum ducit Bononiensis (B) a. 1412 scriptus testibus Detlefseno in actis conu. phil. Kil. p. 90 et Chatelanio (Catulle p. II); contulit Ellisius. ceteri omnes aetate longe inferiores sunt coniunguntque plerumque cum Catullo Tibullum Propertiumque. quo ex numero hos attulisse satis habeo:

A: Ambrosianus M 38; collatus est ab Ellisio. Schwabius (ed. a. 1886 p. V) saeculo XIIII exeunti attribuit (cf. Heysius l. l. p. 283).

C: Parisiensis 8234, olim Colbertinus; contulerunt Duebnerus et C. D. Cobham.

D: Berolinensis, olim C. Dati (ms. Diez. B. Santen. 37), a. 1463 scriptus; contulerunt Lachmannus, Froehnerus (qui specimen scripturae dedit in Philol. XIIII), Schwabius.

H: Hamburgensis L 139; contulit Schwabius.

L: Berolinensis, olim Laurentii Santenii (ms. Diez. B. Sant. 36); contulerunt Lachmannus et Schwabius.

Λ (apud Ellisium La[1]): Laurentianus pl. 33, 13; collatus est ab Ellisio et a Schwabio, qui saec. XIIII exeunti attribuit.

M: Venetus Bibliothecae S. Marci; cl. 12, 80. cf. Hermae tom. XXIII 567 sq. totum codicem heliotypica arte exprimendum curauit Constantinus Nigra (Venetiis a. 1893).

P: Parisiensis 7989, scriptus a. 1423 (cf. Buecheleri ed. Petron. maior p. XVI). contulit Silligius.

His codicibus, quos omnes ς significabo, quamvis lubrica fallaxque librorum recentissimorum omnium esset fides, quamdiu G et O ignoti erant, utcumque utendum erat editoribus; nam miro quodam fortunae casu accidit, ut illi ipsi codices, quos nunc fere uiri docti optimos iudicant, postremo innotescerent. atque Lachmannus cum suam Catulli recensionem superstrueret maxime duobus illorum, Datano et Santeniano (hos enim ceteris aliquantum meliores putauit), optime tamen de Catullo meruit. nobis autem, qui meliore apparatu critico instructi simus, postquam in uniuersum de libris O et G disseruimus, iam quaerendum erit, quae ratio inter recentiores Catulli codices et priores illos intercedat, et quemnam fructum ex eis in carminibus poetae Veronensis recensendis capere possimus.

Ac primum quidem hoc etiam atque etiam monendum est, omnes Catulli codices, quotquot innotuerunt, ex uno codice Veronensi (V) tamquam ex fonte communi deriuatos esse. componam locos, quibus ea quae dixi uera esse demonstretur:

I 5 *est* pro *es* codd. omnes sinceri.

VIII 9 *noli* omittunt codd. omnes.

XXV 11 *insula* codd. paene omnes.

XXX 7 *me* omittunt codd. omnes.

XXXIIII 3 om. codd. omnes.

„ 8 *deposuit* codd. omnes.

XXXVI 5 *dedissemque* codd. omnes pro *desissemque.*

„ 10 *se* additum est in omnibus fere codicibus.

„ 14 *altos* (*alios* D) codd. omnes pro *Golgos.*

„ 19 *turis* uel *thuris* uel *turris* (*titris* D) codd. pro *ruris.*

XXXVIIII 3 *cum excitat* (*recitat* AL) *orator* codd. omnes pro *cum orator excitat* (correxit scriba codicis Alani).

„ 9 *te* om. codd. omnes.

„ 17 *es* om. codd. omnes.

„ 21 *lotus* codd. omnes duobus exceptis, qui *lotum* praebent, pro uero *loti.*

XXXX 5 *perueniamus* (uno excepto, qui *perueniam* praebet) codd. pro *peruenias* (ortum ex $\overset{ut\ s}{\textit{perueniam}}$).

XXXXII 8 *mirmice* (*mirinice* OL) codd. pro *mimice.*

XXXXIIII 7 *aliamque* codd. omnes sinceri pro *malamque;* eidem *expulsus sim* (*sum* D) pro *expuli tussim.*

„ 8 *mens uertur* codd. omn. sinceri pro *meus uenter.*

„ 11 *minantium* codd. pro (*oratione*) *—m in Antium.*

„ 19 *sestire cepso* omnes libri sinc. pro *Sesti recepso.*

XXXXV 9 *approbatione* codd. omnes pro *approbationem.*

XXXXVIII 4 *inde corsater* codd. omnes pro *uidear satur.*

L 12 *uersaretur* codd. paene omnes pro *uersarer* (ortum ex $\overset{utr}{\textit{uersaret}}$).

„ 18 *caueris* (*caneris* AL) codd. pro *caue sis.*

„ 19 *ocello* codd. pro *ocelle* (*ocellos* H).

„ 21 *uehemens* codd. omnes pro *uemens.*

LII 2 *nouius* (*neuius* D, *nouus* AL) codd. pro *Nonius.*

LIIII 1 post hunc uersum sequuntur in omnibus codd. duo uersus 'hoc iocunde tibi poema feci, ex quo perspiceres meum dolorem' ex L 16 et 17 repetiti.

LIIII 5 *Sufficio* (*offitio* H) codd. pro *Fufficio.*

LXI 91 om. omnes codd.

„ 99 *procatur pia* codd. pro *probra turpia.*

„ 114 *o* om. codd.

„ 118 *io* addunt codd. in fine uersus. ordo uersuum 116—118 in omn. codd. turbatus.

Decem illi uersus 'Non custos si fingar ille Cretum' usque ad 'amice, quaeritando' in omnibus codd. sinceris post LVIII 5 collocantur.

LXII 14 uersus 'nec mirum, penitus quae tota mente laborant' solo cod. Thuaneo traditur.

„ 45 *tum cara* omnes paene codd. pro *dum cara.*

LXIII 78 *agitet* omnes codd. om.

LXIIII 119 in fine uersus omnes codd. *leta* uel *laeta* habent.

„ 122 in omnibus codd. spurius est.

„ 384 initio *Nereus* in omnibus codd. sinceris traditum est.

Post LXIIII 385 in omnibus codd. sequitur uersus 'languidior tenera cui pedens sicula beta' ex LXVII 21 repetitus.

LXIIII 388 *currus* (*curuis* H) omn. codd. pro *tauros.*

LXVIII[b] 7 deest in omn. codd. exceptis **AD** aliis, qui uersum 'omnibus et triuiis uulgetur fabula passim' Senecae cuidam adscriptum habent (cf. Hauptii qu. Cat. 42).

LXVIII[b] post u. 9 inseritur u. LXVIII[a] 16 'iocundum cometas florida ut ageret.'

„ 21 *leuamus* omn. codd. sinceri pro *leuamen.*

„ 61 *simul* omn. codd. om.

LXXXXV 4 om. omnes codd.

„ 9 in omnibus codd. bonis post *monumenta* deest uerbum; D, alii interpolati *laboris* add.

CIIII 3 *amare* (*amore* H) omnes codd. boni pro *amarem,* quod traditum est in D.

Tum carmina haec in omnibus codd. sinceris nullo interstitio, nullo titulo cum praecedentibus cohaerent: III, X, XXVI, XIIII, XXXIII, XXXVIII (at in OD signum // in

margine), XXXVIIII, XXXXI—XXXXVIII, LIII, LV, LVII, LVIII, LX, LXVI, LXVII, LXX, LXXI, LXXIII—LXXVI, LXXVIII, LXXVIIII, LXXXI—LXXXVIII, LXXXXIII—LXXXXVIIII, CII—CXVI. reliqua carmina interstitio unius uersus, uel titulo, uel signis (§, //, ʃ) adpositis ita ab antecedentibus seiunguntur, ut inde quoque mirum inter omnes codd. consensum cognoscas; uelut LIII a u. 5 'dii magni, salaputium disertum' codices plerique nouum carmen incipiunt adscripto uel interposito titulo 'de Othonis (octonis) capite'; in **O** // signum noui carminis adpositum est. item LIIII 5 titulus legitur in plerisque codd. 'in Camerium'.

Ea, quae modo congessimus, satis superque omnes Catulli codices ex uno fonte, quem cod. **V** fuisse constat, deriuatos esse docent. sed in tanto consensu in tam diuersas tamen partes codices Catulli discedunt, ut quater minimum codicem **V** descriptum esse sumendum sit. quorum optimum fuisse apographon codicem **O** puto.

Hoc ut probem eos locos componam, quibus **O** solus (**O***) uel paene solus uerum ipsum aut ueri certe uestigium seruauit, cum **G** et ceteri codd. falsa atque adeo nonnumquam interpolata praebeant. habet igitur:

I 10 *peremne*] *perimne* **O*** (*perĩe* pro *perie̅*), *peremne* D: *perenne* **G ς**

II 6 *lubet*] *iubet* **O** marg. (i. e. *lubet*; cf. *ioco* (*at loco*) XII 2 **GB**): *libet* **G ς**

III 12 *illuc* **O** marg., B*A* in rasura: *illud* **G ς**

IIII 6 *h'* (i. e. *haec*) **O*** fortasse recte (cf. XXVIIII 5; CI 7): *hoc* **G ς**

„ 17 *tuo* **O***: *tuas* **G ς**

X 3 *tūc* **O ς** pauci: *tū* **G ς** plerique

XI 5 *arabasue* **O***: *arabaes q*; **G**, *arabesque* **ς**

XII 3 *neglegenciorum* **O***: *negligentiorum* **G ς**

„ 9 *dissertus* **O***: *disertus* **G ς**

XIIII 5 *male*] *mal'* (i. e. *male*) **O**: *malis* **G ς**

XVII 25 *derelinquere* **O***: *delinquere* **G ς**

XXIIII 4 *Midae dedisses*] *mi dededisses* **O***: *mi dedisses* **G ς**

„ 7 *quid* **O***: *qui* **G ς**

XXV 2 *medullula* **O**ς unus: *medulla* **G**ς plerique
„ 13 *deprensa* **O***: *deprehensa* **G**ς
XXVI 1 *ur̃a* (i. e. *uostra*) **O***: *nostra* **G**ς
XXVIII 9 *O Memmi*] *O mē mi* **OA**: *O mnē mi* **G**ς
„ 12 *uerpa* **DM**] *urpa* **O**: *uerba* **G**ς
XXVIIII 19 *scit* **O***: *sit* **G**ς
XXX 9 *idem* **O**ς pauci: *inde* **G**ς
XXXIIII 12 *amniumque*] *omniumque* **O***: *omnium* **G**ς
XXXV 18 *incohata* **OD**: *inchoata* **G**ς
XXXVIII 1 // signum in marg. adscriptum **OD**, quo noui carminis initium significatur: in **G**ς deest.
XXXVIIII 2 *sei* **O**ς unus: *seu* **G**ς
XXXXII 7 *illa* **O**ς pauci: *illam* **G**ς
XXXXV 1 *Septumius*] *septimios* **O**ς unus: *septimos* **G**ς
LII 3 *Vatinius* **O**ς pauci: *Vacinius* **G**ς plerique
LIII 2 *Vatiniana* **O**ς pauci: *uaciniana* **G**ς plerique
LV 7 *prendi* **O***: *prehendi* **G**ς
„ 11 *quaedam*] *quedam* **O**ς unus: *quendam* **G**ς
LVII 7 *lecticulo**) **O***, fortasse recte: *lectulo* **G**ς
LVIII 5 *magnanimi Remi*] *magna amiremini* **O***: *magna admiremini* **G**ς; erat, ni fallor, in archetypo *magnamiremi* (*ni* supra scriptum).
LVIIII 1 *fellat* **O**ς unus: *fallat* **G**ς
LXI 1 *o heliconiei*] *obellicon iei* **O***: *o Eliconei* **G**ς
„ 82 sq. *Aurunculeia* **O***: *Arunculeia* **G**ς
„ 102 *lenta s;* **O***: *lentaq;* **G**ς
„ 176 *adeat* **O**ς unus: *adeant* **G**ς
„ 187 *uelut* (*ul't*) **O***: *uult* **G** *uultu* **g**ς
LXII 3 *pinguis* **O**ς unus (cod. Thuaneus): *pingues* **G**ς
„ 63 *tertia pars patri est* **O**: *tertia pars patri data* **G**ς

---

*) plane non intellegitur, quomodo Schwabius [act. litt. Ien. a. 1875 p. 513 sq.] contendere potuerit, per leges sermonis Latini non licere formari deminutiuum *lecticulus*. nimirum ut a *pannus* factum est et *pannulus* et *panniculus* [Iuuen. VI 260 teste Prisciano], ita a *lectus* et *lectulus* et *lecticulus*. praeterea Catullus hic Caesaris Mamurraeque poetantium falsam in deminutiuis inusitatioribus formandis eruditionem lepide uidetur perstringere.

LXIII 31 *animam agens*] *animagēs* **O**: *anima gēs* **G ς** plerique
„ 38 *abit* **O***: *abiit* **G ς**
„ 46 *sine queis*] *sineq; is* **O ς** pauci: *sineque his* **G ς** plerique
„ 52 *tetuli* **O***: *retuli* **G ς**
„ 81 *terga* **O***: *tergo* **G ς**
LXIIII 10 *texta* **O ς** pauci: *testa* **G ς** plerique
„ 25 *taedis*] tedis **O***: thetis **G ς**
„ 66 *delapsa e* **ς** pauci] *delapse* **O**: *delapso* **G**, itaque uel sim. **ς**
„ 102 *appeteret* **O***: *oppeteret* **G ς**
„ 138 *miserescere*] *mirescere* **O***: *miteseere* **G ς**
„ 139 *blanda* **O ς** pauci (LD in marg.): *nobis* **G ς**
„ 165 *externata* **O*** *exte^r^nuata* **D**: *extenuata* **G ς**
„ 174 *in creta* **O ς** pauci: *in cretam* **G ς**
„ 179 *ponti* **O ς** unus: *pontum* **G ς**
„ 183 *quine* **O***: *quiue* **G ς**
lentos **O*** (L in marg.): *uentos* **G ς**
„ 231 *tū* **O ς** pauci: *tu* **G ς** plerique
„ 273 *leuiterque* **O ς** pauci: *leuiter* **G ς** plerique
„ 291 *flammati* **ς** pauci] *flamati* **O ς** unus: *flamanti* **G ς** plerique
„ 319 *custodibant* **O ς** pauci: *custodiebant* **G ς** plerique
„ 353 *messor* **O** (**LD** in marg.): *cultor* **G ς** plerique
„ 377 *hesterno* **ς** pauci] *esterno* **O***: *externo* **G ς** plerique
LXV 1 *defectum* **M ς** pauci] *defectu* **O**: *confectum* **G ς** plerique
LXVI 5 *sub Latmia*] *sublamina* **OM**: *sublimia* **G ς** (*sublamia* **B** al.)
„ 22 *discidium* **O***: *dissidium* **G ς**
„ 45 *cumque* **O ς** pauci: *atque* **G ς** plerique
„ 55 *auocat* **O***: *aduolat* **G ς**
„ 71 *Rhamnusia*] *ramnusia* **OBL**: *ranusia* **G ς** plerique
„ 72 *ullo* **O ς** pauci: *nullo* **G ς** plerique
LXVII 8 *ueterem* **O ς** pauci: *uenerem* **G ς** plerique

LXVII 31 *non solum hoc dicit se* **O**: *non solum se dicit* **G**, *non solum se dicit hoc* ς
„ 42 *ancillis*] *concillis* **O***: *conciliis* **G** ς
LXVIII[a] 2 *mittis* **O** ς pauci: *mittit* **G** ς plerique
LXVIII[b] 6 *carta* ς pauci] *$\overset{s}{c}$ata* **O*** (ortum ex *c$\overset{a}{e}$rta*): *certa* **G** ς plerique
„ 10 *alli* **O*** (*alii* **M**): *ali* **G** ς
26 *allius* **O***: *manlius* **G** ς
„ 27 *clausum* **O** ς unus (fortasse recte): *classum* **G** ς plerique
„ 37 *rāmusia* **O*** (*rānusia* **D**): *ranusia* **G** ς
„ 79 *nec tā* **O** ς pauci: *nec causa* (*cã*) **G** ς plerique
„ 90 *es flauo* ς pauci] *efflauo* **O**: *eflauo* **G** ς plerique
LXXI 1 *sacer alarum*] *sacratorum* **O***: *sacrorum* **G** ς
„ 2 *secat*] *secūt* **O***: *secum* **G** ς
LXXIII 6 *amicum habuit* **O** (*habuit amicum* ς unus): *amicum habet* **G** ς plerique
LXXV 3 *optuma* **O***: *optima* **G** ς
LXXVI 5 *manent tum*] *manentum* **O***: *manenti* **G** ς
„ 11 *istinc teque*] *instincteque* **O***: *instinctoque* **G** ς
LXXVII 1 *amice* **O***: *amico* **G** ς
LXXVIII[b] 2 *conminxit*] *connuxit* (i. e. *conmixit*, fortasse recte) **O***: *cõiunxit* **G** ς, *conuinxit* ς pauci
„ 3 *uerum id non* **O** ς pauci: *uerum non id* **G**, *id uerum non* ς plerique
„ 4 *fama loquetur anus*] *famuloque tanus* **O** ς pauci: *famuloque canus* **G**, *famuloque tenus* ς
LXXVIIII 4 *notorum* **O***: *natorum* **G** ς
reppererit **O***: *repererit* **G** ς
LXXX 6 *tenta* **DM**] *tñta* **O**: *tanta* **G** ς
LXXXVIII 2 *prurit* **D**] *ꝓrurit* (i. e. *prorurit*, ortum ex *pr$\overset{ru}{o}$rit*) **O***: *proruit* **G** ς
LXXXXII 2 *amat* **O** ς pauci, Gellius: *amo* **G** ς plerique
„ 3 et 4 **O** ς pauci, Gellius: om. **G** ς plerique
LXXXXVII 3 *nihiloque* **O** ς pauci: *nobisque* **G** ς plerique
„ 7 *diffissus*] *deffessus* **O** ς pauci: *defessus* **G** ς plerique

LXXXXVII 10 *pristrino* O* (cf. Ritschel. m. Rhen. a. 1850 p. 555): *pistrino* Gς
LXXXXVIIII 8 *abstersti* O*: *astersi* Gς
CI 7 *interea haec* Oς pauci: *interea hoc* Gς plerique
CVII 7 *hac res*] *hac est* Oς pauci: *me est* Gς
CVIII 4 *execta*] *exercta* (ortum ex *exe^c^rta*) O*: exerta Gς
CXIIII 6 *saltum* O*: *saltem* Gς
CXVI 2 *Battiadae*] *ba^i^rade* (i. e. *batiadae;* cf. XXXVIIII 20 *expoli^i^ror* = *expolitior* G): *batriade* Gς

Videmus igitur O non solum uerborum formas multis locis sincerius quam ceteros codices tradere (quo referenda sunt *perimne, lubet, Arabasue, neglegentiorum, dissertus, incohata, sei, Septimios, queis, tetuli, custodibant, optuma, reppererit, pristrino*), sed etiam duos illos uersus LXXXXII 3 et 4 optime seruare, compendia archetypi diligentius quam ceteros codd. reddere (XIIII 5; XXVIII 9; LXI 187; LXXI 1; LXXXXVII 3; CXVI 2), saepissime ueram lectionem solum praebere. sed ne nimium tribuamus codici O, multa contra monent. nam sane concedendum est codicem O uariis scribendi erroribus infectum esse: omisit singulas syllabas (LXII 12 *aspice* pro *aspicite;* LXVI 65 *uirgis* pro *uirginis*; CIII 2 *est* pro *esto*), omisit singula uerba (VIIII 1 *e;* XXIII 16 *abest;* XXXVI 11 *o;* LXIIII 16 *atque;* 69 *te;* 121 *ut;* 133 *in;* 176 *nostris;* LXVI 34 *taurino*), omisit totos uersus (XXVI 2; LXII 43 sq.; LXIIII 330; 378 sq.; LXVIII[a] 16); idem falso addidit singulas syllabas (XXXVII 3 *mentualas;* LXIIII 329 *Hespereus*), singula uerba (VI 15 *bonique malique* pro *boni malique*); compendia uerborum male intellexit [LXI 125 *domini* pro *diu;* LXII 13 *hūc* (*habent*); LXIIII 372 *an̄* = *ante* (*animi*); LXVI 21 *uō* = *uero* (*non*); 22 *fc̄ris* = *factis* (*fratris*)]; multis locis, ubi sensum uerborum non intellexerat, uerba Latina inuenisse satis habebat (IIII 7 *insula uegeladas* pro *insulasue Cycladas*; XII 13 *uerum nemo est sinum* pro *uerum est mnemosynum*; LXIII 49 *magestatem* pro *maestast*). idem, qua erat leuitate, cum orthographiam (LXIII 50; LXIIII 260; 396; LXV 5 al.), tum consonantium geminationem saepius immutauit; habet igitur V 4 *ocidere*; VI 1 *catulo*; VII 10 *catulo*; VIII 1; X 26; XI 5;

XIII 8; XIIII 18; 23; XV 1; 18; XVII 12; 16 al., quibus non minor numerus locorum oppositus est, ubi consonantes nulla certa ratione geminauit (cf. Hermae tom. XIII 52 sq.). haec omnia librarium codicis **O** hominem omni doctrina carentem et linguae Latinae paene ignarum fuisse docent; certe ab eo, quem nos doctum interpolatorem appellamus, quam longissime afuit. qua re ut fides libri **O** non infringitur, ita neglegentia scribae factum est, ut, si solum codicem **O** haberemus, saepe numero uerba Catulli ne coniectura quidem efficere possemus. fortunae igitur gratia habenda est, quae nobis alterum codicem **G** ex eodem fonte deriuatum seruauit, quo adiuti saepe facile, ubi ille neglegentia quaedem omisit, quae desunt restituere, quae inscientia librarii corrupta sunt, corrigere possumus.

Eis igitur locis, quibus **O** optima tradidit, magnus numerus locorum opponendus est, ubi **G** solus (**G***) uel consensus librorum **G**ς meliores praebet scripturas:

VIII 16 *adibit* **G**ς: *adhibit* **O***
„ 18 *cui* **G**ς: *cum* **O***
X 26 *Sarapim* **GD** (*serapim* gς): *Serapini* **O***
„ 33 *tu insulsa*] *tu insula* **G**ς: *tulsa* **O***
XII 2 *in ioco* **G**ς: *in loco* **O**
„ 8 *uelit* **G**ς: *uoluit* **O***
„ 13 *uerum est mnemosynum*] *uerum est nemo sinum* **G**ς: *uerum nemo est sinum* **O***
„ 15 *muneri* **G** sscr., ς: *numeri* **O**ς complures
XIII 9 *meros* **G**ς: *meos* **O**
XXV 2 *oricilla*] *moricilla* **GDB**: *moricula* **O**
„ 5 *oscitantes* **G***: *ossistantes* **O***
„ 7 *saethabum* **G*** *sethabum* ς unus: *sathabum* **ODL**
XXVIIII 19 *hibera* **G**ς: *libera* **O***
XXXVI 18 *interea* **G**ς: *intereo* **O***
XXXVII 1 *uosque* **G**ς: *uoxque* **O***
XXXVIIII 5 *orba cum* **G**ς: *orbicum* **O***
„ 20 *uester* **G**ς: *noster* **O***
LIIII 1 *oppido* **G**ς: *apido* **O***
LXI 161 *rassilemque* **G*** (*rasilemque* gς): *nassilemque* **O***
LXII 13 *hn̄t* (h. e. *habent*) **G**ς: *hūc* **O**

LXII 43 sq. **G**ς plerique: om. **O** Thuaneus
LXIII 17 *euirastis* **GD**: *euitastis* **O**ς plerique
LXIIII 2 *Neptumni* **GM** *neptunni* **D**: *Neptuni* **O**
„ 15 *aequoreae* **G**ς: *equore* **O**
„ 77 *Androgeoneae*] *Androgeanee* **G**ς: *Androgeane* **O***
„ 270 *procliuas* **G**ς: *procliuit* (s superscr.) **O***
„ 301 *Pelea* **G**ς pauci: *Palea* **O**ς plerique
„ 332 *leuia* **G**ς: *uenia* **O***
„ 344 *Teucro manabunt* **G**ς: *teucto manebunt* **O***
LXV 3 *dulcis musarum*] *dulcissimus harum* **GDB**: *dulcissimus hauum* **O**
LXVI 50 *ferri stringere*] *ferris fringere* **G**ς: *ferris fingere* **O***
LXVII 5 *maligno* **G**ς: *maligne* **O***
„ 37 *dixerit* **G**ς: *dixit* **O***
„ 44 *speret* **G**ς: *sperent* **O***
LXVIII[a] 37 *nolim* **G**ς: *noli* **O***
LXVIII[b] 21 *uiatori* **G**ς: *uiatorum* **O**, unus ς
„ 27 *clussum* uel *claussum*] *classum* **G**ς (cf. *rassilis* LXI 161, *essuritio* al.): *clausum* **O***
LXXXX 6 *omentum*] *omne tum* **GB**: *Quintum* **O***
CIII 2 *esto*] *est o* **G**ς (*es o* **D**): *est* **O***

Utroque igitur libro, et **O** et **G**, ei, qui ueram codicis **V** imaginem suscitare uolet, utendum erit; quorum suam uterque habet uirtutem et alter alteri ut ita dicam succurrit.

Eandem librorum **OG** praestantiam magnus numerus locorum ostendit, quibus soli ueram lectionem aut certe meliorem quam ceteri omnes codices praebent:

I 9 *quod* **OG**ς plerique: *quidem* ς complures
VIIII 8 *tuus* **OG**ς pauci: *tuis* uel *tuum* ceteri ς
X 13 *nec faceret* **OG**ς pauci: *non* ς cett.
XI 3 *ut* **OG**: *ubi* ς
„ 10 *uisens* **OG**: *uidens* ς
„ 11 *horribilesque* **OG**ς pauci: *horribiles* uel *horribiles in, horribilesque et, horribiles et* ς plerique
XII 4 *salsum* **OG**: falsum ς
„ 17 *et* **OG**ς plerique: *ut* ς complures

XVII 19 *suppernata*] *superata* **OGς** plerique: *separata* uel sim. ς complures
XXII 4 *esse ego* **OGς** pauci: *ego esse* ς cett.
XXVIII 11 sq. *pari — casu* **OGς** pauci: *parum — casum* uel *casus* ς
XXXVII 9 *atqui* **OGς** pauci: *atque* ς cett.
XXXVIII 2 *malest*] *male si* **OGD**: *male est si* ς
XXXVIIII 12 *Lanuuinus* **C**] *lamiuinus* **OGς** pauci: *lanuinus* uel sim. ς
XXXXII 14 *potes* **OGς** unus: *potest* ς
" 15 *tamen hoc satis* **OGD**: *tamen satis hoc* ς plerique (*satis tamen hoc* ς duo)
" 22 *nobis* **OGς** plerique: *uobis* ς pauci
XXXXIIII 8 *meus uenter*] *mens uertur* **OGς** pauci: *mens uertetur* simil. ς
XXXXV 1, 2, 23 *Acme* uel *Acmen* **OGς** pauci: *agme* (*agmen*) ς
L 20 *reposcat* **GD** *resposcat* **O**: *reponat* ς
LII 2 *Nonius*] *nouius* **OGς** pauci: *nouus* uel *neuius* ς cett.
LIIII 1 *Otonis* **OGM**: *Octonis* uel *Othonis* ς
" 5 *seni recocto*] *seniore cocto* **OGς** pauci: *seniore copto* ς plerique
LXI 100 *uolet* **OGς** plerique: *nolet* **D**, *nollet* **AL**
" 159 *omine* **OGς** pauci: *omne* ς plerique
LXII 58 *uiro* **OGD** cum Thuaneo: *uirgo* ς
LXIII 42, 88 *Attin* **OGς** unus: *Athin* uel *Actin*, *Actim*, *Athim* ς
" 73 *iam iamque* **OGς** pauci: *iam iam quod* uel simil. ς
" 76 *iuncta* **OGς** pauci: *uincta* ς plerique
LXIIII 334—337 **OGς** pauci: om. ς plerique
LXVI 24 *tunc* **OGς** duo: *nunc* ς
" 83 *colitis* **OG**: *petitis* uel *queritis* ς
LXVIII[b] 41 *noui* uel *nouei*] *nouit* **OGς** pauci: *uouit* ς plerique
LXXIII 4 *obestque* **OG**: *stetque* ς
LXXVI 11 *offirmas* **OG**: *affirmas* ς
LXXXI 3 *ab sede* **OG**: *a sede* ς

LXXXXI 3 *constantemue* **OG**: *constanterque* uel *constanterue* ς

CVI 1 *esse* **OG**: *ipse* ς

Ex his quoque locis cum ex eodem fonte fluxisse libros **OG**, tum ceteris praestare codicibus satis apparet (idem uitia quaedam docent, ut VII 11 *euriosi* **OG**: *curiosi* ς). sed adhuc eos solos locos respeximus, quibus **G** non correctus unam lectionem habet. iam etiam ei loci non ita pauci considerandi sunt, quibus **G** a correctore immutatus (g) duas scripturas exhibet. hic quoque **O** et **G** meliorem lectionem praebent quam **g** et ς:

II 6 *Karum* **OG**: *carum* **g**ς

IIII 1, 10, 15 *phasellus* **OG**ς pauci: *phaselus* **g**ς

V 8 *Dein mille altera, dein*] *deinde mille altera, deinde* **OG**: *deinde mi altera da* **g**ς

XIIII 18 *scrinia* **OG**: *scrineā* g, *scrinea* ς

XXV 5 *mulierarios*] *mulier aries* **OG**: *mulier aues* **g**ς

XXXXIII 8 *et* **OG**: *atque* **g**ς

XXXXIIII 11 *orationem in Antium petitorem*] *oratione minantium petitorem* **OG**: *orationem minantium petitorum* **g**ς

XXXXV 10 *at Acme*] *ad hac me* **OG**: *ad hanc me* **g**ς

LV 22 *uostri*] *uestri* **G** *ūri* **O**: *nostri* **g**ς

LXI 16 *uinia* **OG**ς pauci: *iunia* g, *iunia* uel *iulia* ς

„ 120 *iocatio*] *locacio* **O** *lotatio* **G**: *locutio* **g**ς plerique

„ 161 *rassilemque* **G** *nassilemque* **O**: *rasilemque* **g**ς

„ 187 *uelut*] *ul't* **O** (= *uelut*), *uult* **G**: *uultu* **g**ς

„ 197 *cupis cupis* **OG**: *cupis capis* **g**ς

LXII 8 *sic certest*] *sic certe si* **OG**: *sic certe* **g**ς

„ 40 *conuolsus*] *conclusus* **OG**: *contusus* **g**ς

LXIIII 35 *linqunt* **OG**: *linquunt* **g**ς

„ 240 in **OG** nullum interstitium: **g** lineola curuata initium noui carminis indicat, ς plerique in interstitio inscriptionem *Fletus Egei* praebent.

„ 249 *prospectans* **OG**: *aspectans* **g**ς

„ 355 *prosternet* **OG**: *prosternens* **g**ς.

Omnibus his locis **g** i. e. correctorem libri Sangermanensis cum codicibus deterioribus quos uocant consentire uide-

mus. sunt autem omnes fere correctiones, quas modo congessimus, eiusmodi, ut librarium Latini sermonis non ignarum, nonnumquam etiam metrum corrigere conantem prodant. itaque cum scribae librorum O et G, quos codices etiam ibi in uniuersum conspirare uidemus, ubi uerba exemplaris, ex quo sua descripserunt, dignoscere non poterant, uerba Latina elicuisse uel ductus litterarum depinxisse satis habeant, librarii codicum g et ς, qui non minus inter se consentiunt, saepe excogitasse, quibus corrupta emendarent, apparet; uelut *conclusus* illud librorum OG LXII 40 aperte uitiosum, *contusus* librorum gς̄ optime sententiae satis facit. cauendum igitur, ne falsa specie decepti inuenta librorum deteriorum gς sinceris codicum OG lectionibus praeferamus. neque infringit seuerum iudicium, quod de gς ferimus, numerus locorum, quibus ita inter se conspirant, ut bonas scripturas praebeant. nam non numerus solus bonarum lectionum respiciendus est, sed genus; multas autem scriptiones codicum gς a correctore inuentas esse aut facile inueniri potuisse manifestum est. huc referendi sunt hi loci, quibus gς uera, OG falsa praebent:

II 4 *et* gς recte: *ea* OG praue
VI 17 *uersu* gς: *uersum* OG
XIIII 15 *optimo* g sscr., ς: *opimo* G *oppinio* O
„ 16 *sic abibit* ς plerique *sit abibit* gς nonnulli: *fit adhibit* O *fit adbibit* G
XVI 3 *me* gς: *mi* OG
XXXII 1 *mea* gς: *meas* O *mead* G
XXXV 4 *menia* gς: *ueniā* O *meniam* G
XXXVII 2 *pileatis* gς: *pilleatis* OG
XXXVIIII 20 *expolitior* gς: *expolitor* OG
XXXX 3 *deus* gς: *dens* OG
aduocatus gς: *auocatus* OGς nonnulli
XXXXI 4 *formiani* gς plerique: *forniani* OG
XXXXII 17 *ferreo canis* gς: *ferre ocanis* OG
XXXXIII 8 *seclum* gς plerique: *sedum* OG
XXXXVIII 6 *sit* gς: *sint* OG
LIIII 2 *heri* gς: *eri* OG
LXI 88 *ortulo* g, ita uel *hortulo* ς: *ortullo* OG
LXIIII 3 *phasidos* gς: *fasidicos* O *fascidicos* G

LXIIII 7 *uerrentes* gς: *uerentes* OGς pauci
„ 26 *Thessalie* gς: *Thesalie* OGς pauci
„ 33 *Tessalia* g *Thessalia* ς plerique: *Thesalia* O *Tesalia* G
„ 61 *saxea* gς: *saxa* OG
„ 106 *sudanti* gς: *fundanti* OG
„ 121 *uecta* gς: *necta* OG
„ 126 *ac tum* gς: *actum* O *attum* G
„ 132 *auectam* gς: *auertam* OG
„ 136 *crudelis—mentis* gς: *crudeles—mentes* OG
„ 145 *apisci* gς: *adipisci* OG
„ 164 *sed quid* gς: *si quid* OG
auris gς: *aures* OG
„ 178 *Idomeneos*] *Idmoneos* gς: *i(y)doncos* OG
„ 180 *an patris* gς: *im (n) patris* OG
„ 234 *antenne* gς: *anteñenene* OG
„ 239 *ceu* gς: *seu* OG
„ 253 *te querens* gς: *et querens* O *et querenus* G
„ 290 *nutanti* gς: *mutanti* OG
„ 293 *uelatum* gς: *uellatum* OG
„ 295 *poenae*] *pene* gς: *pena* OG
„ 324 *tu tamen opis* gς: *tutum opus* OG
„ 328 *optata* gς: *aptata* OG
„ 392 *laeti* gς: *lacti* OG
LXV 7 *troya* gς: *tidia* O *lydia* G
„ 14 *Daulias* D] *baiulas* gς plerique: *bauilla* O, *bauila* G
LXVI 35 *si* g sscr., ς: *sed* OG
„ 45 *cum* gς: *tum* OG
LXVII initium noui carminis a g significatur, ς interstitium habent: nullum interstitium OG
„ 44 *speret* gς: *sperent* OG
LXXXXVI 6 *Quintilie* gς: *Quintile* OG.

Neque solum in ueris uitiorum correcturis congruunt inter se gς, sed etiam, id quod multo grauius est, ubi aperte falsae sunt correctiones, conspirant, ut XIIII 16 *false*; LXIIII 309 *uicte*; LXVIII[b] 75 *terretur*, al. eundem consensum librorum gς inde cognoscere licet, quod eadem fere interstitia singulorum uersuum et easdem inscriptiones carminum

habent, uelut c. XXVII titulus additus est *ad pincernam suum*; ad c. LIII 4 g in margine hunc titulum adscripsit *de octonis capite*, quem eundem paene (*de otonis* uel *othonis capite*) in ς plerisque inuenimus; c. LXXX gς titulum praeponunt *ad Gellium*; ad initium c. LXXXXII g stultissime inscriptionem *in Cesarem* in margine addidit, qui in plerisque quoque ς praefixus est; ad c. C *in Celium et Quintium* gς adscribunt; ad CI *fletus de morte fratris.* cum in OG inter XXXVII 16 et 17 interstitium nullum sit, g ad u. 17 in margine adscripsit *ad Egnatium*, quem titulum ς in interstitio habent. uitiose c. LXV titulus appositus est *ad Ortalem* in gς, c. XXXVI *ad Lusicacatam*, c. XXXII *ad Ipsicillam*.

Multa igitur sunt, quae et OG et gς inter se consentire doceant. uel hac re eorum opinio refutatur, qui, ut Baehrensius et qui eum secuti sunt, omnes ς ex G fluxisse opinentur. nam cum codd. ς saepe cum G facere supra uideremus, qua re illi ut ς ex G descriptos esse putarent inducti sunt, hic non minorem numerum locorum congessimus, quibus ς cum g consentiunt. quodsi correcturae et tituli ex alio codice in G transcripta sunt, id quod supra demonstrauimus, manifestum est fieri potuisse ut etiam ς non ex G, sed ex eodem illo codice correcto fluerent. atque adeo gς inter se conspirant, ut ex eodem codice interpolato descripti esse uideantur. contra sane concedendum est codices Gς multa habere communia, ut uersus LXXXXII 3 et 4 omiserunt; LXVII 21 et LXVIII[a] 16 bis, et in sua sede et in aliena, praebent. neque mirum; minime enim dubitandum est, quin etiam exemplar codicum gς, quamuis saepe coniecturis ineptissimis et foedissimis interpolationibus deprauatum, ad codicem V referendum sit: tanta librorum OGgς similitudo est, ut omnes ex V deriuatos esse nemo negare possit. facile igitur intellegitur, si ς nonnunquam cum OG contra g, aut si ςg cum O contra G conspirare uidemus. ac primum OGς contra g faciunt his locis:

XVI 4 *quod* OGς recte: *quot* g praue

XVII 22 *qui* OGς recte: *quid* gD praue

XXIII 7 *ne mirum* male Oς: *nec mirum* G corr., *nimirum* D

XXXI 5 *bithinios* **OGς** plerique male: *bithinos* **gς** pauci
XXXXII 21 *nichil* (*nihil*) *proficimus nichil* (*nihil*) **OGς** plerique male: *nihil pr. nil* **gD** bene
XXXXIII 8 *insapiens et* **OGς** recte: *ins. atque* **g**
LI 1 *mihi impar* **OGς** plerique: *mi impar* **gD**
„ 4 *te spectat* **OGς** plerique: *spectat* **gς** pauci recte
„ 5 *miseroque* **OG** pars **ς**: *misero quod* **g** pars **ς** recte
LXI 61 *nichil* **OG** *nihil* pars **ς**: *nil* **g** pars **ς** recte
LXIIII 309 *uitte* **OG ς** recte: *uicte* **gD**
LXVIIII 5 *fabulaque* **OGς** plerique: *fabula qua* **gς** pauci recte
LXXI 3 *uostrum*] *uestrum* **OGς**: *nostrum* **g** praue.

Deinde **Ogς** saepius contra **G** facere uidemus:

LXIIII 353 *praecernens* **Ogς**: *praeterriens* **G**
LXVI 24 *tunc* **Ogς** pauci: *nunc* **Gς**
„ 54 *arsinoes* **OgL**: *asineos* **Gς** pauci
„ 56 *collocat* **OgDL**: *aduolat* **Gς** ceteri
„ 57 *legarat* **Ogς** pars: *legerat* **Gς** pars.

Tum **ς** nonnunquam relictis libri **G** lectionibus cum **O** congruunt; uelut

XXIIII 9 *hoc* (*nec* **D**) *tu quamlubet* **ODς**: *hec tu qualubet* **G***
LXIII 64 *fui* **Oς**: *sui* **GD**
LXIIII 301 *Palea* **Oς**: *Pelea* **G**
„ 380 *currite fusi* **Oς**: *ducite fusi* **G** praue
LXVII 35 *narrat amore* **Oς**: *amat amore* **G***
LXVIII[a] 12 *neu* **ODς**: *seu* **G***
LXVIII[b] 61 *tum* **Oς**: *tuum* **G***
„ 65 *tum* **Oς**: *cum* **G***
LXXXIIII 11 *isset* **Oς**: *esset* **G***
LXXXVII 1 *potest* **Oς**: *pone* **G***.

porro XV 16 *ut nostrorum* **Oς**: *ut nostrum* **GD** recte
XXIII 9 *minas* **Oς**: *ruinas* **GL**
LXIII 17 *euitastis* **Oς** plerique: *euirastis* **GD**
LXIIII 308 *intinxerat* **Oς**: *incinxerat* **GD**
C 2 *treronensum* **Oς** plerique: *ueronensum* **GDς** pauci
CXIII 2 *Mecilia* **ODς**: *Meciliā* **G***.

Accedunt praeter XXIIII 9, LXVIII^{a} 12, CXIII 2, quos locos iam supra commemorauimus, hi loci, quibus **OD** contra **G** faciunt:

XXXV 18 *incohata* **OD**: *inchoata* **G**
LXI 193 *remorare* **OD**: *rememorare* **G**
LXIIII 291 *flammati* **D** *flamati* **O**: *flamanti* **G**
„ 326 *secuntur* **OD**: *sequuntur* **G**
„ 377 *esterno* (*hest.*) **OD**: *externo* **G**
LXVI 45 *cumque* **OD**: *atque* **G**
LXVIII^{a} 2 *mittis* **OD**: *mittit* **G**
„ 40 *deferrem*] *differrem* **OD**: *differem* **G**
LXVIII^{b} 37 *rānusia* **D** *rāmusia* **O**: *ranusia* **G**
„ 79 *nec tam* **OD**: *nec causa* **G**
LXXVI 26 *propietate* **OD**: *proprietate* **G**
LXXX 6 *tenta* **D** *tn̄ta* **O**: *tanta* **G**
LXXXVIII 2 *prurit* **D** *ꝓrurit* **O**: *proruit* **G**
LXXXXII 2 *amat* **OD**: *amo* **G**.

In his scripturis multae ueram poetae lectionem tradunt; quarum si pars a librario docto coniectura inueniri poterat, ut LXIIII 377 *hesterno*, aliae certe eiusmodi sunt, ut a scriba excogitari omnino non potuerint. quodsi tot locis **g** et **ς** cum **O** contra **G** facere uidemus, hoc minime neglegentiae aut ingenio correctoris tribuendum est, sed hac quoque re opinio eorum refutatur, qui **ς** ex **G** depromptos et correctiones libri **G** a scriba profectos esse putent. aliae autem et grauissimae causae accedunt, quibus **G** librorum **ς** fontem fuisse redarguitur.

Inueniuntur enim in **G** multi scribendi errores, cum in ceteris omnibus libris uera scriptura sit:

LXIIII 134 *discendens* **G**: *discedens* **Oς**
LXVI 24 *ut ibi* **G**: *ut tibi* **Oς**
„ 32 *adesse* **G**: *abesse* **Oς**
„ 74 *candita* **G**: *condita* **Oς**
„ 85 *inita* **G**: *irrita* **Oς**
LXVII 35 *amat* **G**: *narrat* **Oς**
LXVIII^{b} 61 *tuum* **G**: *tum* **Oς**
LXXI 2 et 6 *podraga* **G**: *podagra* **Oς**
LXXXIIII 11 *esset* **G**: *isset* **Oς**

LXXXVII 1 *pone* G: *potest* O ς
LXXXXVIIII 7 *ad* G: *id* O ς
CXIIII 3 *aura* G: *arua* O ς.

Qua in re ut sane concedendum est facile fuisse librariis uitia illa corrigere, ita mirum est, quamvis sescenties in transcribendis corruptelis scribas summa religione uti uideamus, illas a *cunctis* felicissime esse correctas.

Aliis locis ς lectionem exhibent, quae ante correctionem in G fuit; ea saepe legi omnino non potest, sed collato demum libro O coniectura elicienda est, ut XXXVIIII 11 *et truscus* O, *etruscus* G (*e* in rasura; fuerat fortasse *et truscus*), *ettruscus* ς complures; XXXXIII 8 *o seclum*; LI 3 sq.; 5 *misero quod*; LXIIII 253 *te quaerens*, alia; unde autem uera lectio in ς peruenit, si ex G fluxerunt? qui codices si nonnullis locis eadem uitia exhibent quae O (XV 16; XXIII 9; LXIII 17; LXIIII 308; C 2; CXIII 2), etiam miro illo consensu duae res efficiuntur: et ς ex G non fluxisse, quippe qui uerum praebeat, et uitia illa iam in V extitisse atque inde cum in O tum in ς manasse.

Denique non desunt loci, quibus O et G et ς plane inter se dissentiant; uelut

XXVIIII 14 *comesset* ς recte: *comerset* O, *comeset* G
LXVII 31 *non solum hoc dicit se* O recte: *non solum se dicit* G, *non solum se dicit hoc* ς
LXXII 2 *prae me* ς recte: *prime* O, *per me* G
LXXVIII[b] 3 *uerum id non* O recte: *uerum non id* G, *id uerum non* ς.

Iniuria igitur Baehrensius omnes Catulli codices praeter O ex G descriptos esse contenderat. nos uerius et g et ς ex alio codice fluxisse dicemus. sed ex eodem exemplari ς g deriuatos esse ponendum est, quod et ipsum apographon libri Veronensis a librario correctum fuisse mirus consensus tot locorum docet. itaque praeter duo illa apographa codicis V, G et O, tertium sumendum est, ex quo deriuati sunt g ς, uel potius, cum inter hos quoque D quidem et qui cum eo consentiunt et M insignem obtinere locum uideamus, quartum. tantum autem abest, ut omnes praeter O et G codices ut interpolationibus infectos abiciendos esse censeamus, ut etiam ς

in recensendis Catulli carminibus suam habere uim ac uirtutem arbitremur. Multis certe locis aut singuli aut uniuersi meliorem exhibent scripturam quam O et G, quorum potissimos hosce esse puto:

I 1 *quoi* **D**ς nonnulli: *qui* **OG**
VII 11 *curiosi* ς: *euriosi* **OG**
XI 6 *Sacas*] *sagas* **D**ς: *sagax* **OG**
XXV 5 *mulierarios* **L**: *ml'r arics* **O**, *mulier alios* **G**
XXVIIII 14 *comesset* ς: *comerset* **O**, *comeset* **G**
XXX 1 *false* ς: *salse* **OG**
XXXVI 10 *se* om. ς nonnulli: est in **OG**ς plerisque
XXXVII 5 *confutuere* ς pauci: *confutere* **OG**
XXXVIIII 3 *subselium* **H**: *subsellum* **G**ς plerique, *subscellum* **O**
XXXXI 5 *puella cure* **M**ς pauci: *puelle cure* **OG**
XXXXIIII 4 *pignore* ς: *pignoris* **OG**
XXXXV 13 *Septimulle* **ACL**, *Septimielle* **M**, *Septimille* **BD**: *septinulle* **OG**
„ 22 *Syrias* **AC**: *Si(y)riasque* **OG**ς plerique
XXXXVIII 1 *iuuenti* ς pauci: *inuenti* **OG**ς plerique
L 12 *uersarer* ς pars: *uersaretur* **OG**ς pars
LXI 176 *ac tibi* ς: *hac tibi* **OG**
LXII 45 *dum cara suis* (*sui*) Quintilianus, **B**ς pauci: *tum cara sui* **OG**ς plerique
LXIII 1 *athis* **D**ς: *actis* **OG**
„ 10 *quatiensque* ς: *quatiens quod* **OG**
„ 18 *ere* uel *here* uel *aere citatis* ς pars: *erocitatis* **O**, *crocitatis* **G**
„ 27 *athis* **LD**: *atris* **OG**ς plerique
LXIIII 120 *p̄optaret* **L**: *portaret* **OG**ς plerique
„ 140 *non* **H**: *nec* **OG**ς
„ 151 *dessem* **H**: *deessem* **OG**ς
„ 213 *aegeus* ς: *egens* **OG**
„ 344 *campi* **DL**: *teuen, tenen* **OG**
„ 368 *madefient* ς nonnulli: *madescent* **OG**ς ceteri
LXV 16 *Battiadae*] *bactiade* **B**ς pauci: *actiade* **O**, *acciade* **G**
LXVI 5 *sub Latmia*] *sublamia* **B**: *sublamina* **O**, *sublimia* **G**ς plerique

LXVI 71 *pace* **M**ς: *parce* **OG**
LXVIII[b] 3 *saeclis* **L**: *sedis* **OG**ς
„ 40 *uiro* ς: *uirgo* **OG**
„ 51 *fratri* ς: *frater* **OG**
„ 53 *ademptum* ς: *adeptum* **OG**
„ 115 *uita* **M**ς: *uite* **OG**
LXVIIII 2 (et LXXVII 1) *rufe* **M**ς pars: *ruffe* **OG**ς cett.
„ 8 *quicum* **B**ς pars: *cui cum* **OG**ς cett.
LXXII 2 *prae me* ς: *prime* **O**, *per me* **G**
LXXVI 11 *quin tu* ς pars: *qui tui* **OG**
„ 15 *hoc est tibi* **M**ς: *haec e. t.* **OG**
„ 18 *extrema* ς: *extremo* **OG**
LXXX 3 *exis et* **D**ς pauci: *exisset* **OG**ς plerique
LXXXVII 3 *nullo* **D**ς pauci: *ullo* **OG**ς plerique
LXXXXVI 5 *dolori est* **D**ς pauci, *dolore est* ς alii: *dolor est* **OG**ς pauci
LXXXXVII 8 *meientis* ς unus: *megentis* **OG**ς
LXXXXVIII 1 *in quenquam* **L**: *inquam quam* **OG**ς
„ 4 *carpatinas* ς: *carpātiās* **O** *carpatians* **G**
CII 1 *ab amico* ς: *ab antiquo* **OG**
CV 1 *pipleum* uel *pipleium* ς: *pipileium* **OG**
CXII 1 *homo est qui*] *homoque* uel *homo sed* ς: *homo* **OG**.

Accedunt praeterea ei loci, quibus **g**ς meliorem habent scripturam quam **OG**. haec in **OG** uitiose scripta quam facile plerumque potuerint in communi librorum ς fonte ab Italo quodam emendari ultro apparet; neque desunt scribendi errores et interpolationes apertae. nonnulla autem ea habent expressae sinceritatis signa, ut facere non possimus, quin eis fidem habeamus. qua in re non omittendum est correcturas, quales sescentas in ς inuenimus, maximam partem imbecillas atque ineptissimas esse; nemo quidem credet, eundem correctorem, quem aliis locis hominem indoctum cognouimus, hic illic mira sagacitate optimas correcturas suo ingenio inuenisse, uelut XI 6 *sagas*; XXV 5 *mulierarios*; LXII 45 *dum*; LXIII 1 *athis*; 18 *ere* (i. e. *aere*) *citatis*; 27 *athis*; LXIIII 120 *praeoptaret*; 151 *dessem*; LXV 16 *bactiade* (i. e. *battiadae*); LXVI 5 *sublamia* (i. e. *sub Latmia*); LXXVI 11 *quin tu*; LXXXXVIII 4 *carpatinas*; CV 1 *pipleium*.

Quae res etiam magis apparebit, si bonas lectiones, quae in **D** et **M** reperiuntur, congesserimus. ac **D** ceteris codicibus hisce praestat locis: I 2 *a^r^ida* **D***; IIII 27 *castor*; XIIII 9 *Sylla*; XV 11 *ut lubet*; XXV 2 *inula moricilla* (*ex in^m^ula or.* natum docet, quo modo error ceterorum codicum ortus sit); 11 *insuta* (propius a uero quam *insula* libri **V**); XXVII 5 *lubet*; XXVIII 12 *uerpa*; XXVIIII 13 *uostra diffututa*; 20 *hunc gallie timēt et brithañia*; XXX 11 *at*; XXXVII 5 *confut^e^ure*; XXXXV per totum carmen *agme* uel *agmen* (cf. u. 21 *agmen* **V**); LIII 5 *salaputium*; LXII 12 *meditata requaerunt*; LXIIII 28 *neptunninc*; LXV 14 *Daulias*; LXVI 54 *ales equos*; LXVII 12 *istis*; LXVIII[a] 11 et 30 *manli*; LXVIII[b] 78 *qui tunc te indomitum*; LXXXIIII 12 *hionios*; LXXXXVII 3 *nihilo inmundior.* accedunt loci, quibus **D** cum **O** aut **OG** optima tradidit: XXXXII 15 *tamen hoc satis*; L 20 *reposcat*; LXII 59 *uiro*; LXIIII 139 *blanda*; 145 *apisci*; LXXX 6 *tenta*; LXXXVIII 2 *prurit.* aliis rursus locis una cum ς optimam scripturam seruauit: LXIII 1 et 27 *athis*; LXIIII 249 *quae tum prospectans*; 344 *campi*; LXV 12 *canam*; LXXX 3 *exis et*; LXXXVII 3 *nullo*; LXXXXVI 5 *dolori est*; LXXXXVII 5 *dentis hos* (*os*) *sexquipedalis.* deinde saepe priscae uerborum formae in **D** inueniuntur: I 1 *quoi*; 10 *peremne*; VI 10 *cassa*; VII 4 *lasarpiciferis*; VIII 1 *inaptire*; X 26 *Sarapim*; XI 23 (LXIIII 303; LXXXIIII 11) *posquam*; XVII 6 *Salisubsali*; XXII 14 (XXXXIII 8) *infaceto* (*infacetum*); XXIII 8 *conquoquitis*; 14 *exuritione* (i. e. *essuritione*); XXXI 3 (LXIIII 2) *neptunnus*; XXXV 18 *incohata*; XXXVIIII 18 *minsit*; XXXXIII 8 *insapiens*; LV 2 *demostres*; LXI 120 *fascennina*; 127 *Talasio*; LXII 60 *equo* (i. e. *aequom*); LXIII 92 *tuo* (i. e. *tuos*); LXIIII 35 *pthyotica*; 326 *secuntur* (**OB** alii; cf. LXIII 34 *secuntur* **OB** *sequntur* **G**); 332 *bracchia*; LXVIII[b] 11 *anatunsia* (cf. *ranūsia* LXVI 71 **O**); LXXII 4 *set* (saepius); LXXXIIII 8 *audibant.* XXXI 13 *lydie* iam in **D** glossa suprascripta *thusce* recte explicatur. uersum denique LXV 9 paene solus tradidit.

Quae si omnia in solo **D** inuenirentur, diceres librarium doctiorem quam ceterorum codicum ea ipsum excogitasse, ut codici speciem antiquitatis appingeret. at multa eorum eisdem locis etiam in aliis Catulli codicibus reperiuntur

(u. ann. Fleckeis. 1880 p. 133), uelut uersus ille LXV 9 etiam in A, codice Ricardiano, aliis extat; *meditata* LXII 12 simul in optimo codice Thuaneo traditum est; *posquam* in codice M, *quoi* in compluribus libris scriptum est; quae res etiam eis lectionibus, quae in solo D extant, fidem addit (u. Sydou. l. l. p. 52 sq.). statuendum igitur genuinas illas scripturas ex V ipso in D transisse et D ex aliquo libro derecta uia a V profecto descriptum nonnunquam archetypi lectiones melius seruasse quam ceteros codices.

At idem codex tanta neglegentia socordiaque scriptus est, ac tam aperta interpolationis signa in fronte gerit, ut quam maxime in eo adhibendo ne nimiam fidem ei habeamus cauendum sit. omisit totos uersus (XXXVIIII 4 et 5; XXXXII 12; LXII 54 et 55; LXIIII 258; 334—337; 362 et 363; LXXXXVIII 2—5); omisit totum carmen LXVIIII; idem, id quod multo peius est, uersum addidit. intercidit enim in V post LXVIII[b] 6 unus uersiculus; quem defectum cum iam is qui G exarauit agnouisset et spatio in textu relicto in margine adnotasset *defit*, hinc quasi signo dato certatim Itali in ς librorum nonnullis explebant. et in Datano quidem hic in textu legitur uersus *Omnibus et triuiis uulgetur fabula passim*; quem eundem qui itidem praebet Parisinus 7989 saec. XV, is a manu antiqua adscriptum habet *Seneca expleuit.* dicitur autem, ut uidit iam Hauptius [quaest. Catull. p. 42; op. I 30 sq.], Thomas Seneca, qui uixit Anconae circa annum 1420. alibi quoque inepta in Datano supplementa agnoscere licet; uelut cum LXXXXV 9, ubi V habet *Parua mei mihi sint cordi monumenta*, Datanus exhibeat *monumenta laboris*, quis non ridet uanum insulsi cuiusdam interpolatoris conamen? expleuit uersus spurios LI 8; LXV 8. multis locis summa audacia uerba poetae, quae non intellegeret, interpolauit, cum falsa pro ueris substitueret, ut I 9 *quidem* pro *quod* et CXV 4 *altasque paludes* pro *saltusque paludesque* et XXIIII 4 *mihi dedisses* (G *mi dedisses*), ut metro satisfaceret; XXX 4 *improba* pro *impia*; XII 14 *Thessala* pro *Saetaba*; LXIIII 279 *celestia* pro *siluestria*; 314 *librabat uertice* pro *uersabat turbine*; 391 *bacchantis* pro *euantis*; LXV 24 *pudor* pro *rubor*; LXVIII[b] 36 *conciliasset* pro *pacificasset*; 62 *deos* pro *focos*. XXXXVI 1 *uer*

en gelidos correxit ex *uere gelidos*; LXIII 31 *animo gemens* ex *anima gens*; CIIII 4 *tu cuncta potes* ex *tu cum Tappone.* immutauit uerborum ordinem hiatus euitandi causa LXXVI 10. uindicauit Catullo Quinti praenomen, quod Itali scilicet ex Plinii (nat. hist. 37, 6) codicibus recentibus prauisque imprudenter finxerunt; nam probi fideque digni auctores Gai praenomen exhibent (cf. Schmidt. V). ceterum, ne nimium correctori attribuamus, *ubi* illud XI 3 pro *ut* substitutum mihi quidem ex adnotatione, quales saepe in Catulli codicibus inter lineas esse uidemus, in textum lapsum esse uidetur; idem de VI 8 *sertisque assyrioque* pro *sertis assyrio* in **V** —*que*—*que* asyndeti explicandi causa suprascriptis iudicandum erit, nisi forte putabis librarium, quem aliis locis hominem non indoctum cognouimus, eundem uersus grauissimis erroribus rei metricae corrupisse. fortasse etiam *bacchantis* LXIIII 391 pro *euantis* positum et alia quaedam eadem ratione explicanda sunt.

Neque minus insignem locum inter ς codex **M** tenere mihi uidetur, qui et ipse magnum numerum bonarum lectionum praebet (u. Hermae tom. XXIII 588 sq.). huc pertinent:

II 13 *ligatam* **M**ς plerique: *negatam* **OG**
XI 11 *ulti—mosque* **M**g: *uitimosque* **O** *ultimosque* **G**
XII 16 *amem* **M**ς: *ameni* **OG**
XVII 23 *nunc eum* **M**: *nunc uolo* **O** *nunc cum* **G**
XXI 13 *ne* **M**: *nec* **OG**ς
XXII 17 *tamque* **M**ς pars: *tamquam* **OGD**ς plerique
XXIII 2 deest glossa *animal* **M**: est in **OG** in ipso textu.
XXV 5 *oscitantes* **MG**: *ossistantes* **O**
XXVIII 11 *fuistis* **M**ς pars: *fuisti* **OG**ς pars
„ 12 *uerpa* **MD**: *urpa* **O** *uerba* **G**ς
XXVIIII 8 *idoneus* **M**ς plerique: *ydoneus* **OG**
XXXI 1 *Sirmio* **M**g: *Sirinio* **OG**
XXXII 1 *mea* **M**gς: *meas* **O** *mead* **G**
XXXV 4 *menia* **M**gς: *ueniam* **O** *meniam* **G**
„ 12 *amore* **M**g Plinius, Charisius: *amorem* **OG**
XXXXI 5 *puella* **M**ς pauci: *puelle* **OG**ς plerique
XXXXIIII 20 *sestio* **M**: *sectio* **OG** *sectio* uel *septio* ς

XXXXV 13 *Septumille*] *septimielle* **M**: *septinulle* **OG**, *septimulle* ς

L 14 *at* **M**ς: *ad* **OG**

LIII 5 *salapputium* **M** *salaputium* **D**: *salapantium* **OG**

LVIII 1 *nostra*] *uostra* **M**: *uestra* **OG**

LXI 11 *hilari* **M**: *hylari* **OG**

„ 22 *myrtus* **M**: *mirtus* **OG**

„ 24 *ludicrum* **M**: *ludricum* **OG**

„ 38 *modum* **MD**ς pauci: *nodum* **OG**ς plerique

„ 169 *ac* **M**ς: *hac* **OG**

„ 223 *penelopeo* **M**: *pene lopeo* **O** *penolopeo* **G**

LXII 37 *quid tum* **M** *quittum* cod. Thuaneus: *quod tamen* **OG**

„ 58 *cara* **M**ς plerique: *cura* **OG** Thuan.

LXIII 28 *thiasus*] *th asus* **M**: *thiasis* **O** *thy^a siis* **G**

LXIIII 20 *tũ* **M**: *cum* **OG**

„ 22 *seclorum* **M**: *seculorum* **OG**

„ 28 *Neptunine*] *neutūne* **M**: *nectine* **OG**

„ 80 *menia* **M**: *icenia* **O** *inoenia* **G**

„ 127 *protenderet* **M**: *pretenderet* **OG**

„ 176 *requiesset*] *reqiisset* **M**: *requisisset* **OG**

„ 213 *egeus* **M**ς: *egens* **OG**

„ 277 *ad se* **M**: *at se* **OG**

„ 298 *diuum* **M**: *diui* **OG**

„ 390 *thiadas y* **M**: *thiadas* **O** *thyadas* **G**

LXV 1 *defectum* **M**ς pauci: *defectu* **O** *confectum* **G**ς plerique

LXVI 5 *sub Latmia*] *sublamia* **M**ς pauci: *sublamina* **O** *sublimia* **G**

„ 63 *uuidulam*] *uuidulum* **M**: *uindulum* **OG**

„ 71 *pace* **M**ς: *parce* **OG**

„ 74 *quin* **M**: *qui* **OG**

„ 79 *quas*] *quam* **M**: *quem* **OG**

„ 86 *indignis* **M**: *indignatis* **O** *indigetis* **G**

LXVII 37 *istec* **M**: *iste* **OG**

LXVIII[a] 29 *tepefactet*] *tepefactat* **M**ς: *tepefacit* **OG**

LXVIII[b] 6 *carta* **M**ς pauci: *cerata* **O** *certa* **G**

„ 10 *Alli*] *alii* **M**: *alli* **O** *ali* **G**

LXVIII[b] 115 *uita* **M**: *uite* **OG**
LXVIIII 2 *rufe* **M**: *ruffe* **OG**; item LXXVII 1.
LXXII *pre me* **M**: prime **O** *per me* **G**
LXXVI 11 *tu* **M**: *tui* **OG**
„ 15 et 16 *hoc* **M**: *hec* **OG**
„ 18 *extrema* **M**: *extremo* **OG**
„ 23 *contra ut me* **M**: *contra me ut me* **OG**
„ 26 *mi* **M**: *michi* **OG**
propietate **M**: *proprietate* **OG**
LXXVIII[b] 2 *sauia* **M**: *sania* **OG**
LXXX 6 *tenta* **M**: *tñta* **O** *tanta* **G**
„ 8 *ilia*] *illa* **M**: *ille* **OG**
LXXXIII 4 *sana* **ML**: *sanna* **O** *samia* **G**
LXXXIIII 2 *hinsidias* **M**: *insidias he* (*hee*) **OG**
LXXXVIIII 4 *macer* **M**: *mater* **OG**
LXXXX 6 *omentum* **M**: *Quintum* **O** *omnetum* **G**
LXXXXV 1, 5, 6 *Zmĩna* **M**: *Zinirna* **OG**
LXXXXVI 6 *Quintilie* **M**: *Quintile* **OG**
LXXXXVII 8 *meientis* **M**: *megentis* **OG**
CII 1 *ab amico* **M**: *ab antiquo* **OG**
CV 1 *pipleum* **M**: *pipileum* **OG**
„ 2 *furcillis* **M**: *furcilis* **OG**
CXII 1 *homost qui*] *hõq*; **M**: *homo* **OG**
CXV 8 *mentula* **M**: *mencula* **O** *mentulla* **G**.

Accedunt priscae formae (u. Hermae l. l. p. 586 sq.): III 18 *turgidoli* (cf. schol. ad Iuven. 6, 8); VI 8 *asyrio* (*asirio* **OG**); X 7 *bithynia* (*bithinia* **OG**); XV 11 *qualubet*; XXIII 1 *seruos*; XXVIII 2 *sarcinolis* (**MBC** alii); XXXI 3 *Neptumnus* (*neptunnus* **D**); 5 *thuniam*; *bithynos* (*bithinios* **OG**); XXXVIIII 2 *sei*; XXXXII 14 *potes* (**OG**); XXXXVI 4 *phrygii* (**OG** *frigii*; item LXI 18; LXIII 2; 71); 9 *coetus* **Mg** (*cetus* **OG**); L 5 *ledebat* (i. e. *loedebat*); 10 *sompnos*; 14 *posquam* (item XI 23; LXIIII 202; 267; 303; 396; LXVII 6; LXXXIIII 11); LXIII 34 *sequt͂* (**G**; **O** *secuntur*; cf. LXIIII 326 **OD**); LXIIII 35 *pthiotica* (*ptiotica* **O** *pthyotica* **GD**); 114 *labyrintheis* (*laberintheis*, —*is* **OG**); 234 *antemne* (*antēnene ne* **O** *antenne ne* **G**); 255 *bacchantes* (*bachantes* **OG**); 273 *cachinni* (*chachini* **O** *chachini* **G**); LXVI 54 *equos* (**OG**); LXVIII[b] 111 *uostrum*] *nostrum* **M**

(cf. LVIII 1; *uestrum* OG); LXXXXVIIII 10 *comicte* (i. e. *comminctae*; *comitte* O *comicte* G); CIIII 4 *mostra* (*monstra* OG; cf. *demostres* LV 2 Dς unus). denique initio carminum LXVIII^b, CII, CIII, CV *F* signum in margine est, quo nouum carmen incipere significatur (u. Herm. l. l. p. 587).

Etiam in his lectionibus complures sunt, quas non ingenio scribae deberi manifestum est, ut *oscitantes* XXV 5; *neptũnus* XXXI 3; *thunia* 5; *amore* XXXV 12; *pthiotica* LXIIII 35; *thyiadas* 391; *uuidulum* LXVI 63; *quam* 79; *qui tu istec* LXVII 37; *alii* LXVIII^b 10; *extrema* LXXVI 18; *illa* LXXX 8; *hinsidias* LXXXIIII 2; *omentum* LXXXX 6; *pipleum* CV 1. confirmantur autem ea re, quod pleraeque earum in aliis quoque Catulli codicibus sinceris partim eodem loco quo in **M**, partim aliis locis inueniuntur, ut *posquam* in **M** et D extat, *ledere* in **V** (XVII 1), *alii* (i. e. *alli*) LXVIII^b 10 in O, alia; ut facile inde colligere possimus, eas quoque bonas lectiones, quae in **M** solo extent, ex **V** fluxisse.

Iam restat, ut de grauissima agamus quaestione quae est de uariis lectionibus, quae partim in margine (i. m.) adscriptae, partim inter uersus (i. t.) suprascriptae in codicibus Catullianis plurimae extant. quarum cum plerasque codex **M**, magnam partem G uel g seruauerit, in O et ς, ut in BD aliis, paucae inueniuntur. sunt autem haec:

1. I 8 *libelli* i. m. ał *mei* **M**. i. t. G.
2. II 3 *at petenti* i. t. ał *patẽtꝫ* **M**. ał *parenti* (ex *patenti*) i. t. G. *petenti* al *patenti* B.
 „ 6 *libet* i. m. ał *iubet* O.
 „ 9 *ludere* ał *luderem* G. *ludere* (ex *luderẽ*) O. *tecum* ał *secum* i. m. O.
3. „ 13 *ligatam* i. m. ał *negatã* **M**. *negatam* i. m. ał *ligatam* g.
4. III 8 *mouebat* i. m. ał *uacat hoc uerbũ* **M**.
 III 9 *circum silens* i. m. ał *siliens* O.
 „ 12 *illud* i. m. ał *illuc* O.
 „ 14 *Orciqꝫ* i. t. ał *q̄* G.
 bella i. t. *pulcra* G.
5. IIII 27 *castrum* i. m. ał *castor* **M**. *castrum* i. t. ał *castorum* G.
6. VI 9 *hcc* i. t. ał *hic* **M**g.
7. „ *illo* i. t. ał *ille* **M**g.

8. VII 4 *lasarpiciferis* i. t. ał *fretis* **M.** *feris* i. t. ał *fretis* **g.**
9. „ *tyrenis* i. m. ał *cyrenis* **M.** *tyrenis* i. m. ał *cyrenis* **g.**
10. „ 6 *beati* i. t. al *beari* **M.** i. t. **G.**
11. „ 9 *basiei* i. t. al *basia* **M.** i. t. **G.**
12. VIIII 4 *suamq;* i. t. ał *sanā* **M.** i. t. **G.**
X 1 *mens* i. t. *meus* **G.**
13. X 8 *qm̃* i. t. al *quonā* **M.** i. t. **G.**
14. „ 9 *neq;* *ĩ ipsis* al *nihil neq; nec ĩ ip̃is* al *necq; ip̃is* **M.** i. t. **Gg.**
15. „ 10 *pretoribus* i. m. al *nec* **M.**
16. „ 13 *nõ faceret* i. t. al *nec* **MG.**
X 26 *sarapim* i. t. ał *e* **g.**
17. „ 27 *deserti* i. t. al *deferri* **MgB.**
18. XI 7 *septem geminis* i. t. al *nus* **M.**
19. XII 2 *ioco* i. t. al *loco* **MGB.**
20. „ 4 *falsum* i. t. al *salsum* **M.** *salsum* i. t. ał *falsum* **g.**
falsum ał *salsum* (omnia in textu) **O.**
21. „ 15 *numeri* i. t. al *muneri* **MG.**
22. XIII 10 *qui* i. t. ał *qđ* **Mg.**
23. XIIII 15 *opimo* i. t. ał *optimo* **MgB**
24. „ 16 *false* i. t. ał *salse* **M.** *salse* i. t. ał *false* **g.**
XIIII 17 *luserit* i. t. ał *x* **g.**
XV 11 *ut* ał *iubet* (omnia in textu) **O.**
25. XV 13 *pudēter* i. t. ał *prudēter* **M.** *prudenter* ał *pudent'* **g.**
26. „ 17 *tñ* i. t. ał *tũ* **Mg.**
27. XVI 7 *tñ* i. t. al *tũ* **Mg.**
28. „ 12 *uosq;* i. t. ał *hos* ał *q* (= *quod*, cf. 68, 78; **O** 1, 9; 7, 1; 8, 4; 24, 2; 27, 5) **M.**
29. XVII 6 *sali sub sali* i. m. ał *subscili* **M.**
30. „ 17 *uni* i. t. ał *uim* **M.**
31. „ 23 *nũc cum* i. t. ał *hũc eũ* **M.**
32. XXI 6 *experibus* i. t. ał *bis* **Mg.**
33. XXII 3 *itemq;* i. t. ał *ideʒ* **M.** *idemque* i. t. ał *itemque* **g.**
XXII 15 uł *neq; nᶜ idem* (omnia in textu) **O.**
34. XXIII 1 *seruus* i. t. ał *ꝑuo* **M.** *seruo* i. t. ał *seruus* **g.**
XXIII 2 *cimex aĩal neque* **G.** *cimex* ał *neque* (omnia in textu) **O.**
35. „ 7 *ne* i. t. ał *nᶜ* **M.**
36. „ 19 *culus* i. t. ał *cuiꝰ* **Mg.**

37. XXIIII 5 *qui* i. t. ał *cui* **Mg.**
38. „ *nec* i. t. ał *neq;* **M.** *neque* ał *nec* i. t. **g.**
39. „ 9 *qlubet* i. t. ał *qua* **M.**
40. XXV 2 *moricula* i. t. ał *moricilla* **M.**
41. „ 3 *arãcoroso* i. t. ał *araneoso* **Mg** i. m. **B.**
42. „ 5 *mulier . aries* i. t. ał *aues* uł *alios* **Mg.**
43. „ 7 *sathabum* i. t. ał *setha* **M.**
44. XXVIII 11 *parũ* i. t. ał *pari* **MGB.**
45. „ 12 *uerba* i. t. ał *ũpa* ł *urpa* **M.**
46. „ 14 *uobis* i. t. ał *nob* **Mg.**
47. XXX 9 *inde* i. t. ał *ideʒ* **MB.**
XXXI 5 *crederis* i. t. ał *credens* **g.**
48. XXXI 12 *hero* i. t. ał *bero* **M.**
49. XXXII *ad Ipsicillã* ał *Ipsicilla* **M.**
50. XXXIII 4 *uoratiore* i. t. ał *uolãtiore* **M.** i. m. **gB.**
51. XXXIIII 15 *nothoes* i. m. ał *noto es* **M.** i. m. **g.**
52. „ 21 *scis quecunq; tibi placent* i. m. ał *Sis qcũq;* *tibi placet* **M.** i. m. **g.** *placet* **B.**
53. XXXVI 12 *ad alium* i. m. ał *ydaliũ* **M.** i. t. **g.**
XXXVI 12 *utriosque* i. t. ał *uriosque* **g.**
54. „ 18 *uenite* i. t. ał *uenire* **M.**
55. XXXVII 17 *uno* i. t. ał *une* **M.** *une* i. t. ał *uno* **g.**
56. XXXVIIII 2 *seu* i. t. ał *sei* **M.**
57. „ 4 *pii* i. m. ał *impii* **MG.**
58. „ 11 *et truscus* i. t. ał *etrusc⁹* **M.**
59. „ 14 *pariter* i. m. ał *puriter* **M.**
60. „ 20 *expolitor* i. t. ał *ti* **MB.**
61. XXXX 8 *poemẹa* i. m. ał *pena* **M.** i. m. **g** (*pẹna*). *pena* ał *poema* **B.**
62. XXXXII 3 *Locum* i. m. ał *iocũ* **M.** i. t. **gB.**
63. „ 7 *illam* i. t. ał *illa* **M.**
64. „ 17 *ferrei/o/* i. t. ał *ferõ* **M.**
XXXXIIII 8 *uertitur* al *uertur* **B.**
65. XXXXIIII 20 *sectio* i. m. ał *ꝭtio* **M.**
66. XXXXV 13 *septinulle* i. t. ał *septimielle* **M.**
67. L 5 *ludebat* i. t. ał *le* **M.**
68. „ 13 *omnẽ* i. t. al *essẽ* **M.** i. m. **gB.**
69. LI 5 *miseroq;* i. t. ał *q* **M.**

LIII 3 *crimina* i. t. al *carmina* g.
70. „ 4 *manusq;* i. t. al *manius* **M.**
71. „ 5 *salapantiũ* i. t. al *salapputiũ* **M.**
LIIII 5 *seniore cocto* al *p* i. t. g.
72. LV 4 *idcirco* i. t. al *in* **Mg.**
73. „ 25 *primipes* i. m. al *pinnipes* **Mg.**
74. „ 16 *crude* i. t. al *crede* **M.** *crede* i. t. al *crude* g.
75. „ 22 *uestri* i. t. al *no* **Mg.**
76. LVIIII 1 *fallat* i. m. al *fellat* **M.**
77. LXI 38 *in nodum* i. t. al *ĩ moduz* **M.**
78. „ 50 *hymenee* i. t. al *hymen* **M.**
79. „ 51 *remus* i. t. al *remulus* **M.** *remulus* i. t. al *remus* g.
80. „ 61 *nil* i. t. al *nihil* **M.** g correctura.
LXI 120 *lotatio* i. m. al *locutio* g.
„ 170 *uritur* i. m. al *urimur* g.
„ 187 *uultu* i. m. al *uult* g.
81. „ 225 *bolnei* i. t. al *bonei* **M.** i. m. g.
LXII 15 *diuisimus* i. t. al *diuidamus* g?
82. LXII 37 *q̄d tamẽ* i. t. al *quid tñ* **M** i. t. g. *quid tum* **B Thuan.**
83. LXIII 18 *c^r^ocitatis* i. m. al *ere citatis* **M.**
LXIII 19 *cedat* i. t. al *cedit* g.
84. „ 49 *miseritus* i. t. al *miseriter* **Mg.**
85. „ *maiestas* i. t. al *maiestates* **M.**
LXIII 81 *a cede* i. t. al *age cede* g.
86. „ 91 *dindimenei* i. t. al *dĩdimei* **M.** g correctura.
87. LXIIII 3 *fascidicos* i. t. al *phasidos* **MgB.**
ceticos i. m. al *tetidicos* **O.**
88. „ 11 *ãphitritẽ* i. t. al *amphitrionẽ* **M.**
LXIIII 15 *mõstrũ* i. m. al *mõstroψ* **O.**
89. „ 23 *mater* i. t. al *matre* **Mg.**
90. „ 28 *nectine* i. m. al *neptine* al *neutũne* **Mg.**
91. „ 55 *sui tui* i. t. al *terni* **M.**
LXIIII 80 *ue^x^rsarentur* **B.**
92. „ 109 *oĩa* i. t. al *obuia* **Mg.**
LXIIII 123 *memori* i. t. al *nemori* g.
93. LXIIII 132 *auerta* i. t. al *auectã* **M.** g correctura.
94. „ 135 *ad* i. t. al *b* **M.**

95. LXIIII 145 *quis* i. t. ał *p qbus* **M.**
96. „ 165 *aucto* i. t. ał *te* **M.** *aucte* i. t. ał *to* **g.**
97. „ 178 *idoneos ne* i. t. ał *idmoneos* **MgB.**
LXIIII 219 *quē* i. t. ał *cui* **g.**
98. „ 232 *obliferet* i. t. ał *obliteret* **Mg.**
99. „ 242 *etiā* i. t. ał *in* **M.**
100. „ 249 *aspectans* i. t. ał *p* **M.**
101. „ 276 *tibi* i. m. *tñ* **M.** *tam* i. t. ał *tibi* **g.**
102. „ 283 *curulis* i. t. ał *corollis* **Mg.** i. m. ł *corollis* **B.**
103. „ 285 *penies* i. t. ał *os* **Mg.** *penies* (o supra e) **B.**
104. „ 288 *non acuos* i. m. ał *nonacrios* **M.** *nonacrias* **g.**
LXIIII 298 *gnatisque* i. m. ał *gratis* **g.**
„ 303 *fluxerunt* (e supra u) **B.**
„ 307 *his* i. t. ał *hic* **g.**
105. „ 324 *tutū op* i. m. ał *tu tñ opis* **M.** al *tutamen* **B.**
106. „ 344 *tenen* i. t. ał *teuen* (uel *teucri*) **M.**
107. „ 360 *flumine* i. t. ał *lumina* ł *flumina* **M.** *lumina* i. m. ał *flumine* **G.**
108. „ 393 *leti* i. t. ał *lacti* **M.** *lacti* ex *lacti* corr. **g.**
109. LXV 1 *confectum* i. t. ał *defectum* **M.**
110. „ 7 *Tydia* i. t. ał *Troya* **M.** *Lydia* i. t. ał *troya* **g.**
111. „ 14 *bauila* i. t. ał *Baiulas* **M.** *baiulas* ex *bauila* corr. **g.** *Dauilas* i. m. *Bauilas* **B.**
112. LXVI 5 *sublimia* i. t. ał *sublamia* ał *sublimina* (a supra i) **M.**
113. „ 21 *et* i. m. ał *at* **M.** i. t. **g.**
114. „ 24 *nūc* i. t. ał *tūc* **Mg.**
115. „ 35 *s*; i. t. ał *si* **MgB.**
116. „ 45 *atq*; i. t. ał *cūq*; **M.** i. t. **B.**
117. „ 48 *celitū* i. m. ał *celorū* ał *celtū* **M.**
118. „ 54 *asineos* i. t. ał *arsinoes* **M.** i. m. **g.** al *arsinoes* (*asinios* supra) **B.**
119. „ 55 *quia* i. t. ał *q*; **M.** *isq*; i. t. ał *q?* **g.**
120. „ 56 *aduolat* i. t. ał *collocat* **Mg.**
LXVI 57 *legerat* i. m. ał *legarat* **g.**
121. „ 74 *q* i. t. ał *quin* **M.**
122. „ 79 *quē* i. t. ał *quā* **M.**
123. „ 86 *indignis* i. m. ał *indignatis* ał *īdigetis* **M.**
124. „ 89 *tu* i. t. ał *cū* **M.**

125. LXVII 25 *q*; **M.** (*q* superscript over *q*)
126. „ 26 *mco* i. t. ał *incrs* **M.**
127. „ 42 *aliis* i. t. ał *concilijs* **M.**
128. LXVIII 9 *quero* i. t. ał *qm̃* **M.**
129. „ 11 *mali* i. t. ał *mauli* **M.**
130. „ 29 *tepefacit* i. t. ał *factat* **M.**
131. „ 46 *certa* i. t. ał *carta* **M.**
132. „ 61 *uiatori* i. t. ał *ꝟ* **M.**
LXVIII 66 *allius* ł *manllius* **O.**
133. „ 78 *quã* i. t. ał *q* **M.**
134. „ 81 *nouit* i. t. ał *uo* **M.**
LXVIII 91 *frater* ał *fratri* **B.**
135. „ 119 *nã nec causa carum* i. m. ał *neq; tã carum* **M.**
nec causa i. m. ał *neque tam* **B.**
136. „ 144 *uenilis* i. t. ał *uenit* **M.**
137. „ 145 *furtiue* i. t. ał *a* **M.**
138. LXXIII 6 *habet* i. m. ał *hũit* **M.**
139. LXXIIII 1 *Lelius* i. m. ał *Gellius* **MB.**
140. LXXV 4 *desiflore* i. t. ał *desiste* (*w* superscript) **M.**
141. LXXVII 4 *si* i. m. ał *Mi* **M.**
142. LXXVIII 10 *tenus* (ał *a* superscript) i. t. **M.**
143. LXXX 6 *tanta* i. t. ał *tenta* **M.**
144. LXXXIII 4 *Samia* i. t. ał *sana* **M**; idem **L** i. m.
145. LXXXIIII 7 *hic* i. t. ał *hec* **M.**
146. LXXXXII 2 *amo* i. m. ał *amat* **M**; idem **L** i. m. i. t. **B.**
LXXXXV 10 uł *tu timido* (omnia in textu) **O.**
147. LXXXXVII 1 *qcq* i. t. ał *qcq* (*w* superscript) **MB.**
148. LXXXXVIII 4 *carpatians* i. t. ał *carpatiãs* **M.** *carpatians* i. t. al *carpatinas* **B.**
149. C 2 *ueronensuꝫ* i. m. ał *trenorensuꝫ* **M.** *treronensum* ał *ueronensum* **B.**
150. „ *deperet* i. t. ał *ant* **M.**
151. „ 6 *ẽ . igitꝯ ẽ* i. m. ał *exigitꝯ* **MB.**
152. CIII 3 *mimi* i. t. ał *numi* **M.** *numi* ał *mimi* **B.**
153. CXIIII 1 *Firmamus* i. t. ał *nus* **M.**
154. CXV 4 *modi* i. t. ał *da* **M.**
155. CXVI 3 *leniret* i. t. ał *rem* **M.**

Hic quoque uiri docti inter se dissentiunt, cum alii, in quibus Baehrensius, omnes libri **G** scripturas duplices a scriba ipsius textus ex **V** transcriptas esse putent, alii, id quod multo ueri similius est, partem certe uariarum lectionum ab eodem librario qui correctiones libri **G** fecit (g) ex eodem codice descriptam esse contendant. sed utut est, hoc constat, duplices illas scripturas non ex **G**, sed ex alio libro in ceteros codices fluxisse. nam cum **G** octoginta omnino praebeat atque inde ab c. LXVII nullas, **M** 155 per totum librum Catullianum aequaliter distributas habet; sed ne **M** quidem omnes exhibet, cum **O**[1]) et **L** suas habeant uarias lectiones (**L** LXIII 66; LXXIII 4; LXXXXVII 3; CVI 1). quodsi omnes ς ex **G** descripti essent, ponendum est singulares codicum **O**, **M**, **B**, **L**, aliorum duplices lectiones a scribis horum librorum fictas esse; id quod uel propterea fieri non potest, quod multae earum in textu aliorum extant codicum, uelut

XXX 9 *inde* al *idem* **B**: *inde* **GDL**, *idem* **O**.

Nam si in **B** *inde* al *idem*, in **GDL** *inde*, in **O** *idem* legitur, quis dubitet, quin in communi archetypo, codice **V**, duplex illa scriptura fuerit? conferas, quaeso, etiam **M** I 8 *libelli* i. m. at *mei* cum scriptura libri **O** *libelli* et libri **G** *mei*; VII 6 *beati* al *beari* **M** = *beati* **O** *beari* **G**; alia (u. Herm. tom. XXIII p. 584); in quibus libri **M** lectionibus complures sunt, quae praeterea in solo **O** uel **G** habentur, ut XV 13 *pudēter* i. t. at *prudēter* **M** = *prudenter* **G***; XXIII 7 *nec* **G***;

1) quod **O** primum ad c. I—III, deinde ad carminis LXIIII uersus 1—15 tantummodo uarietatem scripturae in **V** adnotatam excripsit, hoc ita explicandum est, ut libri **O** scribam primitus omnia in **V** adnotata excribere uoluisse quidem, sed mox taedio uictum hoc consilium abiecisse idemque plane in c. LXIIII initio usu uenisse dicamus. eadem plane glossarum ex **V** in **O** descriptarum est ratio. quarum complures habes ad c. I—III; deinde usque ad c. LXIIII desunt. ad hoc autem nobilissimum epyllion cum uenisset scriba, iterum omnia ex **V** transcribere coepit quidem, sed non perseuerauit. hinc initio c. LXIIII plures **O** glossas habet (ut u. 1 *narrat hic ystoriam aurei uelleris,* u. 8 *Diua* explicatur *Venus, arces* autem *in celo*); sed mox ut uarias lectiones, ita glossas excribendi consilium iterum mutauit et usque ad finem libelli iam nihil adnotauit.

XXV 7 *sacthabum* **G***; XXVIII 12 *urpa* **O***; LXV 1 *defectu* **O***; 7 *rhetheo* **G***. iam cum **M** et **B** neque ex **O** neque ex **G** fluxisse certum sit, hinc quoque **M** et **B** sua uia ex **V** deriuatos esse colligendum est. accedit quod ex 14 uariis lectionibus, quae in **B** extant, in **G** non extant, 10 in **M** inueniuntur.

Ac tantus inter eas consensus est, ut dubium esse non possit, quin, si non omnes, at plurimae certe iam in **V** fuerint atque inde, non ex **G**, in singulos codices peruenerint. hoc quidem, si accuratius uarias illas lectiones codicum perpendimus, primo statim optutu elucet, eas nullo modo coniecturas esse posse eorum, qui codices ipsos exarauerunt. quodsi quaeremus, quid duplices illae codicis **V** scripturae sibi uelint, respondendum est longe plurimas earum inde exortas esse, quod librarius, cum duobus modis archetypi scriptura legi posset, incertus utrum eligeret, utrumque poneret itaque duplicem procrearet scripturam (u. Herm. l. l. p. 579 sq.). uidemus igitur librarium, cum summa fide ac religione aliquid ex loco non satis perspecto elicere conaretur, tamen ne ipse interpolaret poetae uerba ueritum esse. huius generis uidentur esse VII 6 *beati* al *beari*; XXIII 19 *culus* al *cuius*; XXV 5 *alios* al *aues* al *aries*. qua in re non semper discernere possumus, utrum scriba codicis ipse dubitans duplices illas lectiones quasi inuenerit, an iam in **V** extiterint; neque multum interest. plerumque autem consensus librorum iam in **V** fuisse uarias lectiones docet. eiusmodi scripturae nonnunquam falso in textum irrepserunt, ut C 6 *est igitur est* ortum ex $\overset{est}{\textit{exigitur}}$; CVIII 4 *exercta* cod. **O** ortum ex $\overset{c}{\textit{exerta}}$; XXXVIII 2 *male est si me* **MD** ortum ex *male* $\overset{est}{\textit{si}}$ *me* (cf. LXII 8 *sic certe si* pro *sic certest*).

Aliud genus est earum, quas glossas interlineares uocant (u. Herm. l. l. p. 576 sq.), uelut I 8 $\overset{mei}{\textit{libelli}}$; III 14 $\overset{pulcra}{\textit{bella}}$. harum quoque nonnullae in textum ipsum falso transierunt, ut XXIII 2 haec leguntur *nec cimex animal neque araneus neque ignis* ortum ex *nec* $\overset{animal}{\textit{cimex}}$ al.; LXXXXV 10 *populus ut tu timido*; LXXXXVII 5 *hic dentis* (**OGM**), *hic dentis hos* (**D**), *hic dentis os* (cod. Ricardianus, al.) orta ex $\overset{hic}{\textit{dentis}}$ *os* (**V**). quid?

quod glossa interdum uerbum explicandum omnino ex textu eiecit, ut I 8 in nonnullis codicibus *mei* pro *libelli* est; LXVI 83 *quaeritis* in compluribus codicibus pro *colitis* repositum est; LXIIII 139 ex duplici lectione *blanda* i. m. *nobis* (L al.) partim *blanda*, partim *nobis* in textum receptum est.

Itaque ea quoque, quae de uariis lectionibus codicum Catullianorum exposuimus, etiam codices deteriores quos uocant in recensendis poetae carminibus adhibendos esse aperte docent.

Paucis uerbis addamus quae de posterioribus fatis libri Catulliani indagata sunt. post a. 1375 V iterum nocte ac tenebris aeternis obrutus est; nam cum initio saeculi XV tanto studio ueterum auctorum codices inuestigarentur, tamen ante a. 1425[1]) nemo fere Catulli iniecit mentionem. hoc demum anno primum repertum esse Catullum pessimeque acceptum in manus hominum uenisse, Matthaeus Palmerius in exemplari libri Catulliani sua manu a. 1428 scripto adnotauerat; cf. Andr. Schotti obseru. human. II 16 p. 53 (Ellis. edit. alt. p. XXXIII). repertorem autem fuisse Poggium illum celeberrimum, cum antea [cf. Hauptius in nunt. soc. litt. Saxon. a. 1849 p. 256; op. I 276] pro fabula sit habitum, Baehrensius certo comprobauit documento. testante enim Detlefseno [cf. Fleckeis. ann. supplem. VIII 1, p. 169] Guarinus auus in libro qui inscribitur 'Antipoggius' (extat hic in codice biblioth. uniuers. Patauinae 541) haec dicit: *quid de poetis dicerem, de Catullo, Ouidio, Lucano, Statio, Silio Italico, cuius in lucem reuertendi auctor extitisti.* et certa eius rei fama saeculis XV et XVI erat; nam etiam Raphael Volaterranus (1450—1521), cum comment. urban. libr. XIV dicat: *hic Catulli liber una cum Quintiliano repertus est aetate nostra laciniosus mendosusque*, aperte ad Poggium adludit, quippe qui Quintiliani indagator audiret. sed Poggius num librum Sangermanensem an huius apographum reppererit (nam de V iterum reperto uix potest cogitari), hoc explorari nequit. paucis autem etiam illis temporibus fuisse codices Catulli,

1) libros Bononiensem anno 1412 et Parisiensem 7989 anno 1423 scriptos supra commemorauimus.

his apparet testimoniis: anno 1426 carmen Antonii Beccatelli Panormitae prodiit incipiens ab hoc uersu 'ardeo, mi Galeaz, mollem reperire Catullum'. paulo post Xicco Polentonus in Vitis Scriptorum Illustrium Catulli carmina laudauit (u. Schwabii Cat. a. 1886 p. XVIII). tum Auancius Veronensis inter annos 1525—1540 haec scripsit: 'magno pignore contenderim hodie non inueniri ullum Catullianum codicem scriptum ante octuaginta annos, hoc est ante Guarini aetatem (1425—1513). is enim ad patriam rediens Catullum diu multumque desideratum Italiae restituit, sed deprauatum.'*)

Sed uetustus ille codex Veronensis, ut ad hunc reuertamur, ex **O** et **G** maxime apographorum consensu redintegrandus est. horum autem lectiones si examinamus, **V** apparet exaratum fuisse saeculo fere nono scriptura quam uocant Langobardica.**) unde **V**, ut erat lectu difficilior, in libri **G** subscriptione audit 'salebrosus'. quod quam uere audierit multo melius quam **G** (quippe cuius librarius linguae Latinae haud imperitus multa dispectu difficilia diuinando expedisse censendus sit) demonstrant libri **O** menda plurima nisi ex scripturae Langobardicae natura uix explicanda. ut Veronensis proprietates enumeremus, primum pro *ae* semper fere simplex *e* scriptum erat, qua in re **G** et **O** mire consentiunt. deinde compendia scripturae aderant non ita pauca; ueluti perpetuo *q*; pro *que*; litterae *m* et *n* saepissime per uirgulam significatae, unde si *nūquam*, *quicūq*; in **G** et **O** deprehendimus, ubique *numquam* ectr. exprimendum curauimus; contra, si ex. gr. *ī probus* in illis legitur ita ut *ī* diuisum sit a *probus*, sine cunctatione *inprobus* dedimus. quod hic semel

*) quoniam supra Guarini mentio facta est, hic addere liceat eius nepotem Alexandrum Guarinum Catulli codicem uetustum a patre Baptista adhibitum commemorare, quem Lachmannus eundem atque Veronensem esse putauit. quod examinatis diligenter lectionibus ex illo adlatis reiecit L. Schwabius in program. Dorpat. a. 1865 p. 9 sqq. nequis autem inde concludat fuisse olim praeter **V** codicem aliquem uetustum in Italia, hoc addo haud raro doctos Italos libros manu scriptos licet recentissimos, ut impressis opponant, appellare codices uetustos. et erat ille Baptistae Guarini 'codex uetustus' sine dubio liber nouicius idemque castigatus.

**) 'cursiue romaine' secundum Chatelanium (Catulle 1890 p. III).

adnoto. cetera scripturae compendia uulgaria ut mittam, illud commemoratione dignum duco *quod* aliquotiens per *q̷* abreuiatum eoque cum *q*; (*que*) commutatum esse; unde cur XVI 12 uulgatam quam uirorum doctorum coniecturas sequi maluerimus intellegitur. deinde *hic*, *haec*, *hoc*, compendiose cum scripta essent ita *h̊*, *h'*, *h̊*, aliquotiens inter se locum mutarunt. ex compendiis autem haud raro lectionum in **G** et **O** differentiae explicantur; ueluti LXVIII[b] 79 in **V** extabat *Nam nec tā carum*, id quod **O** praebet; unde **G**, cum *nec cā carum* legere sibi uideretur in summa illa litterarum *c* et *t* in scriptura Langobardica similitudine, *nec causa carum* scripsit. — alia, ut uocabulorum prauam aut diuisionem aut coniunctionem, hic non affero, quoniam utrum talia ipsi **V** an eius parenti sint tribuenda suapte natura plane incertum est. iam dudum enim audio nonnullos: 'nonne, siquo in mendo **G** et **O** consentiunt, eius origo ei potius exemplari unde **V** descriptus est adtribuenda est?' et recte hoc illi; ut ad illud potius exemplar sint referenda ex parte quae modo de compendiorum nonnullorum permutatione dixi. ex communione autem uitiorum in **G** et **O** obuiorum, ut ex confusione litterularum quae sunt *u* et *n**), *m in ni, mi ini im nu un, um mu inn imi nni, d cl, t c, co* (*to*) *a, c e, o c e, ce ci a, a u* similiumque, elucet illum libri Veronensis parentem itidem characteribus Langobardicis exaratum fuisse. — sed ad ipsum **V** ut redeamus, quae carmina in hoc male inter se conexa, quae interstitio disiuncta fuerint, ex librorum **G** et **O** consensu discimus. nam is cui ς originem debent codex, ubicumque **G** carmini alicui titulum in margine addidit nullo in ipso textu interstitio, ibi interstitio facto titulum illum ipsi praefixit carmini.**) **V** autem ipse utrum titulos istos iam habuerit necne, haud ita facile est ad diiudicandum. quos cum solos **g** et ς, quorum inscriptiones ubique fere

---

*) hinc quomodo tam saepe *tum* (*tū*) et *tamen* (*tn̄*) locum inter se mutauerint explicandum.

) ex hac una re, ut hoc obiter addamus, tota ista numerorum singularum in **V paginarum paginarumque uersuum computatio a Lachmanno instituta et ab Hauptio [quaest. Cat. p. 39—49; op. I 28 sq.] multis defensa ad nihilum recidit.

conspirant, exhibere uideam, nisi quod titulos carminum IIII, V, VI prima codicis G manus exarauit, paene adducor ut primitus a V omnino afuisse credam. cum uero auctor florum moralium auctoritatum, qui liber a. 1329 prodiit, uersibus tribus e Catullo excerptis praescribat *Catullus ad Varum* (u. Schwabii Cat. ed. a. 1866 p. III) idemque *ad Varum* carmini XXII praeponat G, hunc certe titulum iam in ipso V extitisse colligendum est. O, qui plerumque primam tantummodo Veronensis manum reddidisse putandus est, omisit titulos postea ex altero codice in V illatos; id quod eo quoque fortasse licet corroborare quod, cum codex Thuaneus carmini LXII hunc praefigat titulum *Epithalamium*, O, qui hoc unico loco tale aliquid exhibet, in interstitio inter c. LXI et LXII facto hoc habet *Explicit ephithalamium.* quodsi olim in V uel in communi huius et Thuanei archetypo ita erat scriptum *Explicit. Epithalamium*, optime cum Thuanei inscriptione congruit. deinde iam in V uarias lectiones et glossas quasdam extitisse supra commemorauimus (u. Hermae tom. XIII p. 57). ueri simile igitur est librum V a scriba collatum esse cum alio codice, unde correctiones et duplices lectiones ortae sunt. et uerba quaedam in cod. V non in textu ipso, sed aut inter uersus aut in margine scripta fuisse, inde cognoscitur, quod ordo uerborum alius in aliis codicibus est; uelut LXXVII 9 *id* sic collocatur:

uerum id non impune feres O
uerum non id impune feres G
id uerum non impune feres D,

qua ex re *id* illud in margine adscriptum fuisse in V colligitur. idem cadit in formas uerbi *esse*, quo factum est, ut saepius falso loco in textum reciperentur aut omnino omitterentur (LXI 135 *est tibi*; XXII 4 *esse*), et in pronomina (XXXVIIII 9 *te*; LXVI 25 *te*). simili ratione explicandum mihi uidetur esse, quod LXXXXII 3 et 4 in Gς omissi sunt, cum in O extent et in margine libri L a correctore additi sint: uersus illi in textu codicis V omissi in margine adscripti erant, ut ab alio scriba reciperentur, neglegerentur ab aliis. item de LXII 43 et 44 iudicandum, qui in Gς extant, desunt in TO. uersus igitur illi in archetypo librorum V et Thuanei communi non extabant; ergo antiquitus etiam in V derant. quos quia

G habet, postea in V ex altero codice una cum uariis lectionibus in margine adscriptos esse statuamus oportet. igitur O plerumque nil nisi textum quem V habuit respexit postpositis additamentis uel adnotationibus marginalibus. hinc etiam altera res sane mira plurimisque adhuc difficultatibus impedita sine ullo labore explicatur. nam post c. LXIIII u. 386 in G et O *languidior tenera cui pedens sicula beta* et post c. LXVIII[b] u. 9 *iocundum cometas florida ū* (*ut* G) *ageret* locis plane alienis leguntur. eidem autem uersus a uerborum uitiis liberi iterum suis locis (prior LXVII 21, alter LXVIII[a] 16 extat) in uno G eiusque adseclis ς leguntur. quos quod O suis locis omittit, id ita explicandum erit ut illos in V, qui primitus falsis tantummodo locis habuerit, postea ex altero codice suis locis in margine adscriptos esse dicamus. hinc sine dubio etiam ceterae uersuum omissiones in O interpretandae; ut iam hac quoque a parte neglegentiae crimen in eum intentum diluatur.

De ipsa illa re, quod V cum altero quodam codice est collatus, non est cur pluribus disseram. notum quippe, etiam per medium aeuum monachos ueterum auctorum exemplaria corrupta ad alios libros emendasse. uelut in codice Bruxellensi 10470—73 saeculi VIIII uel X fol. 63[a] (cf. Reiffenberg in 'Annuaire de la Bibliothèque royale de Belgique' IIII p. 119) hi leguntur uersiculi:

> Claudiani librum mihi uestrum mittite, quaeso,
> Per quem corrigere ualeam nostrum male falsum.

et nescio an certum eius rei documentum extet. apud Priscianum enim locis ad c. XXXVII 18 allatis cum omnes codices antiqui *celtiberose celtiberie fili* praebeant, codex tamen Coloniensis 202 saeculi XI [cf. Wattenbachii catal. p. 87], qui est apud Hertzium 'Darmstad.[c]', altero loco una cum V *cuniculosae* exhibet ita ut nullo modo contra tot Prisciani codices et aetate et bonitate superiores id ipsum quod grammaticus scripsit seruasse possit censeri. itaque nihil restat quam ut codicis Coloniensis librarium inspecto aliquo Catulli codice locum emendasse statuamus*); id quod etiam in aliis

*) eadem est M. Hauptii opinio [Herm. I p. 45; op. III 338 sq.]

Prisciani codicibus interdum usu uenisse sat constat; cf. M. Hertzii praefatio p. XX.

Absoluimus ecce quae ad librum Veronensem illustrandum faciunt. iamque pedes proferendi in regiones caligine ac nocte obsitas quaque terra cui tuto possis incedere non sit. exploranda quippe archetypi condicio ac natura. qua in re a codice Thuaneo (T) initium sumamus. hic liber, qui nunc est inter Parisinos 8071, saeculo exaratus nono exeunte potius quam ineunte decimo, post Iuuenalem et Eugenium Toletanum florilegium exhibet poematum uariorum ita ut excerpta ex Martiali Catullianum LXII, deinde multa anthologiae quam uocant Latinae carmina sequantur. specimen scripturae eius extat apud Ellisium ed. alt. ad p. 100 et in Chatelanii palaeogr. class. Lat. (a. 1884) tab. XIIII. collatus est a Duebnero, Ellisio, Bonneto. cum Thuaneo proxime cognatus est codex Vindobonensis 277, olim Sannazarianus, saeculi VIIII [cf. M. Hauptius ad Ouidii halieut. p. VI sqq.], qui Catulli tamen poema non habet. hi duo libri originem traxerunt ex exemplari quodam flores uariorum poetarum continenti. quod florilegium saeculo fere octauo in Gallia uidetur compositum. iam ut unde is qui florilegium illud Gallicanum composuit Catulli carmen sumpserit exploretur, inter se comparentur oportet Thuanei et Veronensis lectiones. differunt autem, ut minuta quaedam omittam, his locis:

3 *pinguis* TO: *pingues* Gς
4 *hymeneus* TGς: *imeneus* O
6 *consurgi eretera* T: *consurgite contra* V melius
7 *oeta eos—imbres* T: *haec eos* O *hoc eos* G—*imber* V
9 *quod—par est* T: *quo—parent* V
11 *nobilis* T (scribae errore propter antecedens *facilis*): *nobis* V melius
12 *meditata requirunt* T *meditata requaerunt* D: *meditare querunt* V
14 habet T: om. V*)

*) hunc uersum primus editioni suae inseruit Muretus, qui procul dubio ipsum T inspexerat. qua de re diligentissime egit Schwabius [progr. Dorp. a. 1865 p. 7 sq.].

15 *Non* T: *Nos* V melius
17 *nunc* T: *nō* V
conuertite T: *committite* V
27 *conubia* T: *connubia* V
28 *Quae* T: *Quo* V
32 *aequalis* T: *equales* V
36 *lucet* (i. e. *lubet*) T: *libet* V
37 *Quittum* T: *Quod tamen* (*tn̄*) V
quema (i. e. $\overset{a}{q}$*uem*) T: *quam* V
40 *conuolsus* T: *conclusus* O *contusus* G
45 *suis est* T: *sui sed* V
53 *acoluere* T: *coluere* V
54 *marita* T: *marito* V melius
57 *conubium* T: *connubium* V
59 *et tua* (i. e. $\overset{a}{et}$ *tu* = *at tu*) T: *et tu* V
60 *equom* T: *equo* V
62 om. T: habet V.

uides, credo, T et V locis sat multis inter se differre, et ita differre ut T ubique fere alteri praestet. ceterum hac libri T et ceterorum Catulli codicum comparatione idem ostenditur, quod iam supra exposuimus, et O ceteris libris uno excepto T, cum quo saepius consentit (u. 3; 63) praestare, neque deteriores quos uocant ut inutiles plane esse reiciendos (u. 12). non tanta tamen illa est codicum T et V differentia, ut ex uno fonte prouenisse nequeant; immo alia haud pauca aperte produnt communem quendam archetypum. et uerborum quidem uitia eadem sunt:

7 *ignes*] *imbres* T *imber* V
8 *certest*] *certes . i .* T *certe si* V
35 *Eous*] *eospem* T *eosdem* V*)
45 *dum cara*] *tum cara* TV
58 *Cara*] *Cura* TV
63 *Tertia patris pars est* T *Tercia pars patri est* O *tercia pars patri data pars* Gς (u. Sydou. l. l. p. 34).

---

*) puto uerbo *eous* glossam *idem* suprascriptam fuisse, unde scriba *eosdem* fecit eodem fere errore, quo LXXXVII 5 ex $\overset{hic}{os}$ in D *hos* ortum est.

deinde lacunis eisdem **T** et **V** laborant; nam et post u. 32 pauca interciderunt et cum uu. 43 et 44 (cf. supra) tum u. 58^b in utroque desunt. denique nisi communem eis fuisse archetypum sumimus, non possumus explicare quod u. 37 in **T** *tacita quema*, in **V** *tacita quam* extant. nimirum fluxerunt haec ex male intellecto *tacita* $\overset{a}{\textit{q}}$*uem* (eodem modo **T** corruptus est u. 59 *Et tua nec* exhibens, quod natum esse ex $\overset{a}{\textit{E}}$*ττunec*, id est *At tu nec*, ut recte habent edd., iam E. de Leutschius l. l. p. 1980 intellexit). atque his quidem de causis **T** et **V** ex uno eodemque archetypo descriptos esse ponendum est.

Hic autem archetypus characteribus exaratus erat maiusculis. eo ducunt litterulae D et P inter se confusae; cf. ex. gr. XVI 1 et 14 *dedicabo* **V**, LXII 35 *eospem* **T** (*eosdem* **V**), ibid. 51 *perflectens* **T** (*deflectens* **V**); porro T et I et L haud raro permutatae. huc etiam litterarum E et F permixtio referenda; cf. LXIIII 229 FRETI pro ERECTI et LXVIII^b 1 QUAMFALLIUS pro QUAME ALLIUS. unde euenit ut LXI 199 *cricei* pro AERICEI (AFRICEI) in **V** scriberentur. cum uero **V** talibus mendis quae exemplar minusculis exaratum litteris reddant refertus sit (neque enim consentientes librorum **O** et **G** corruptelas ex ipso **V** explicare licet), hinc **V** non ex ipso archetypo, sed ex huius apographo descriptum esse sumendum est, archetypum igitur libri Veronensis non parentem, sed auum esse. neque abhorret a probabilitate, eodem illo saeculo VIII quo Thuanei genitor, florilegium illud Gallicanum, ortus est, etiam totius archetypi nouum esse factum exemplar. saeculo igitur VIIII ut ex florilegio illo Thuaneus, sic ex isto integri archetypi apographo Veronensis fluxerunt. haec omnia quamquam suapte natura sunt incerta quam maxime, probabilitatis tamen specie quadam nituntur.

Iam ipse liber archetypus cuinam saeculo sit adscribendus, multo etiam magis dubium est. neque refert scire. utilius multo est cognoscere quae menda in **V** obuia ex illo sint deducenda. superscriptas interdum fuisse uoculas in archetypo, modo uidimus. inde uidentur orta esse in **V** uitia qualia extant X 9 *nihil neque nec in ipsis* (*nihil nec in* $^{\textit{neque ipsis}}$),

mihi
LI 1 *ille mihi impar* (*ille impar*), XXXVIII 1 *male est si*
est l. guro
(*male si*), LXVI 6 *guioclero* (*cero*), LXXIII 4 *taedet obestque*
magis I
magisque magis (*magisque*); tum LVII 9 *socii et* (SOCIET),
ERE
LXI 203 sq. *ludere Et ludite* (LUDET LUDITE), LXIII 10
I IS
tauri et (TAURET), LXXXXI 1 *mutis et* (MUTETS).

Addo scriptorum Romanorum de Catulli uerbis testimonia quaedam, quorum cum multa, tum aetate priora textum praebent multo quam **T** et **V** emendatiorem.

Quod Vergilius in epigrammatis tertii fine dicit: 'ut ille uersus usquequaque pertinet: gener socerque perdidistis omnia', ab hoc ea quam nos nunc habemus Catulli recensio ita differt ut *socer generque* exhibeat. quocum conferas Martialem et Minucium Felicem, quorum ille (epigr. VIIII 70, 3) habet 'cum gener atque socer diris concurreret armis', hic (Octau. 18, 6; p. 24, 5 H.) 'generi et soceri' inquit 'bella toto orbe diffusa sunt'; tum poetae aeui Neroniani in Anthol. Lat. (I 462 u. 11 R.) hoc 'hic generum, socerum ille petit', Luc. I 118, Flor. IIII 2, 13; ut facete illud de Caesare Pompeioque dictum paene in prouerbium abiisse uideatur. neque uero immutanda est uerborum collocatio, qualem apud Catullum c. XXVIIII inuenimus, cum apud eundem Vergilium haec uerba, quae eiusdem uersus Catulliani memor scripsit, reperiantur in Aeneidos libr. VI u. 828 sq.

quantas acies stragemque ciebunt
Aggeribus socer alpinis atque arce Monoeci
Descendens, gener aduersis instructus Eois.

consulto autem Catullus hunc ordinem uerborum secutus est, cum per totum illud carmen Caesarem adloquatur, non Pompeium, ut u. 11 *imperator unice*; u. 12 *fuisti* (u. Munro, Elucidations and Criticisms p. 112). — nec Verrius Flaccus in magno illo de uerborum significatu opere Catullum neglexit. ex quo qui sua excerpsit Pompeius Festus praeclaras ad c. XVII 19, LXIII 38, LXXXXVII 6 lectiones ad nos propagauit. — deinde Seneca pater, ubi Catulli LIII 5 commemorat, rectam lectionem contra **V** exhibet. — ex Caesio

Basso posterioris temporis scriptores metrici multa hauserunt; qui quos Catulli uersus afferunt, eos haud raro correctiores quam **V** tradunt; cf. LII 2; LXIII 1; LXIIII 1. — ad Plinii maioris artem grammaticam referenda sunt aperte quae Charisius de Catulli XXXV 12 et XXXXII 5 affert ita ut priore loco liber sit ab ea quae **V** infecit corruptione. — deinde Quintiliano debetur LXII 45 lectio ea quae est in **TV** multo praeclarior; cf. et LXXXXIII 2 et LXXXXVII 6. — tum Plinius iunior c. XVI, ut memoriae lapsu u. 7 *qui tunc* scripsit, ita u. 8 recte *sunt* nobis seruauit. — denique Flauius Caper, sub Traiano qui uixisse uidetur, in uariis opusculis ad rem grammaticam spectantibus etiam Catullum in usum uocauerat. summa autem diligentia Caper in afferendis scriptorum testimoniis utebatur. neque enim in uulgatis tum exemplaribus adquieuisse, sed antiquissimos codices uidetur consuluisse. constat eum solum apud Horatium [c. I 13, 2] lectionem plane egregiam uniceque ueram 'lactea brachia' (nostri enim codices ridicule cerea Telepho dant) ad nostram usque aetatem propagasse. ex huius scriptis Priscianus nominato Capro quae de XXXVII 17 et 18 bis affert uidetur sumpsisse. quo loco mira est inter Prisciani testimonium et libri **V** lectionem differentia; ille enim *Celtiberose Celtiberie fili*, hic contra *Cuniculose Celtiberie fili* praebet. at uide quae supra de hac re diximus.

Peruenimus ad Gellii tempora. qui cum noctium Atticarum librum sextum scriberet, Catulli carmina iam multis locis mendosa in hominum manibus erant. Gellius [VI 20, 6] enim cum Catullum in c. XXVII *ebria acina ebriosioris* ob hiatus iocunditatem scripsisse dicat, contra eos pugnat qui poetam 'ex corruptis scilicet exemplaribus' aut *ebriosa* aut *ebrioso* (ita enim rectissime Hauptius op. II 123 sq. mutauit quod codd. habent *ebriosos*, cum hoc plane *ἄμετρον* antiquo certe aeuo numquam legi potuerit) dicentem fecerunt. igitur tum temporis Catulli codices in duas potissimum partes abierunt, quarum in una *ebriosa acina*, in altera *ebrioso acino* legebatur. quamquam autem semper fuerunt atque adeo etiamnunc sunt qui a Catullo *ebriosa acina* uenisse affirment, tamen propterea quod cum totius expositionis Gellianae tum

uerborum *amans hiatus Homerici suauitatem* nullam habuerunt rationem non sunt audiendi: unus Hauptius id quod rectum est hic acute agnouit. neque ulli obuium est dubitationi, quin Gellius hoc quidem loco inspectis antiquissimis Catulli libris ueram lectionem adseruerit. grammaticorum autem ingenium sapit illa hiatus molesti sublatio. itaque cum quod **V** habet *ebriose acino* nihili sit et ex *ebrioso acino* aperte corruptum, **V** in ultima origine a grammatici cuiusdam exemplari descendisse apparet qui *ebrioso acino* Catullo siue ex corruptis libris, ut Gellius opinatur, siue ex ingenio intulerat. — idem tamen Gellius cum libro VII [16, 2] Catullianum illud LXXXXII afferat, sui temporis exemplaria secutus est. cuius carminis uu. 3 et 4 cum in **G** adseclisque desint, in **V** tamen teste **O** extiterunt*) ita ut u. 3 hanc haberet speciem: *Quo signo quia sunt totidem ea.* et codices Gelliani ut in illo *sunt* in **O** recte seruato leuem traxerunt corruptelam (habent *quas in* uel *quia sin*), ita in *ea* deprauato libri **V** socii sunt.

Post Gellium quamquam boni Catulli codices nondum plane delituerant (ut Minucii Felicis modo commemorati et Servii [ad Verg. Aen. XII 587] exemplum docet), tamen paulatim depulsi sunt exemplaribus corruptis. itaque qui post tempus illud Catulli poemata commemorant, easdem fere orationis maculas quae sunt in **V** exhibent. uelut Hyginus [astron. poet. II 24] quod dicit *hanc Berenicen nonnulli cum Callimacho dixerunt equos alere,* sine dubio, ut Hauptius uidit (op. I 61), finxit ex Catulli [LXVI 54] illo ita in **V** corrupto *obtulit Arsinoes Locridos alis equos.* nam fere omnia, quae habet ille de Berenice, ex carminis Callimachei uersione Catulliana et ex doctorum in Catullum commentariis hausit. tum Ausonius XXIII 1 (p. 120 Sch.) et XXVI 1, 4 (p. 127 Sch.) in uerbis 'cui dono lepidum nouum libellum' eadem forma pronominis utitur qua plerique Catulli codices. — denique

---

*) in **G** erratum est eo quod librarius a u. 2 *dispeream nisi amat* ad u. 4 *dispeream nisi amo* oculis aberrauit, ut docet ipsum illud *amo* in **G** deteriorumque potioribus. ineptum autem est statuere uersus illos in **O** ab omni omnino interpolationis labe immunem extrinsecus esse illatos. saeculo XIIII Italum nescioquem ex Gellio interpolasse!

Vergilii scholiasta Bernensis, cum ad Georg. IIII 289 [p. 971 ed. Hagen] haec ex Iunilii commentariis sumpta afferat *Phaselis genus nauium pictarum. sicut phasillus ille quem aiunt actarum esse nauium celerrimum, quem habuit hospes Serenus,**) presse fere sequitur id quod apud Catullum in **V** legitur.

In fine horum prolegomenon, quae cancri in modum retrogradi permensi sumus spatia, ea cursim remetiri placet ita ut, quas uicissitudines textus Catullianus inde ab antiquitate usque ad medii aeui finem obiit, hic sub uno quasi conspectu breuiter componamus. igitur Catulli poemata summo hominum fauore excepta paulatim librariorum culpa admodum mendosa facta sunt. archetypus quidem eorum librorum, qui nunc in apographis nobis suppetunt, iam multis mendis infectus erat. ex quo saeculo VIII cum Catulli c. LXII in florilegium quoddam Gallicanum fluxit, tum integrum apographon est factum. saeculo VIIII ex florilegio illo Gallicano Thuaneus hodie superstes [**T**], ex integro illo apographo codex Veronensis [**V**] descriptus est. hunc codicem Veronensem anno fere 965 Veronae legit Ratherius episcopus; idem liber Veronensis, cum paullo post delituisset, compluribus demum saeculis post denuo repertus est. qua de re Beneuenutus de Campexanis Vicetinus nobile composuit epigramma. Veronae deinceps uarii docti Itali codice sunt usi. anno 1375 ex eo descriptus est codex nunc Sangermanensis [**G**] idemque circa tempus liber nunc Oxoniensis [**O**] et alii pauci. quorum apographorum ea est ratio ut **O** id quod **V** in textu habuit fidelissime nec ulla facta interpolatione propagauerit; **G** autem a manu secunda multis locis correctus uel coniecturis saepe peruersis immutatus est. **V** ipse post a. 1375 iterum delituit neque ad hunc usque diem in lucem protractus est; **G** et **O**

---

*) traditur in codd. *sicut phasillus ille quem agiunt auctorem esse nauium cạlaetarum* (*celaturum* Bern. 167) *q. h. h. s.* (u. Haupt. in Hermae tom. IIII 334; op. III 479).

autem in bibliothecis priuatis absconditi in hominum manus diu non peruenerunt. igitur Poggius cum aliquot decenniis post Catulli quoddam exemplar indagasset, apud saeculi XV Italos Catulli audit inuentor. ex aliis autem libri Veronensis apographis codices illi fluxerunt, quos, cum multis interpolationibus deprauati sint, deteriores uocare solent; qui ut codicibus **O** et **G** fide cedunt, ita nonnunquam uera seruauerunt.

Et haec quidem hactenus. sed textus Catulliani historiae criticae a nobis supra exhibitae hic adicienda est breuis enarratio eorum quae inde a renatis ut aiunt litteris ad emendanda poetae carmina contulerunt uiri docti. data autem occasione doctos saeculi XV Italos, qui tam saepe temerariae atque adeo foedae interpolationis supra erant incusandi, iustis hic persequamur laudibus. qui, licet saepissime peccauerint ignoratione scilicet eius seueritatis earumque normarum quibus nunc artem criticam exercemus, tamen natiuo quodam recti uerique sensu imbuti atque lectione poetarum Latinorum assidua instructi non paucis hercle locis suum Catullo rectissime restituerunt et ingenii felicitate seuerissimos posterioris aetatis criticos interdum praeierunt. sed bonorum inuentorum auctores Italos, utpote in ς libris et editionibus antiquissimis latitantes, nominatim afferre non ubique licuit: tu, ubicumque lectionem in **V** corruptam nullo adiecto emendatore in apparatu nostro critico commemoratam inueneris, grato pioque animo Italorum illorum memento. iam qui saeculo XVI extiterunt Catulli commentatores, Muretus Statius Scaliger, ei ut interpretationi fundamentum iecerunt solidum, ita emendationi admirandum in modum profuerunt. hos qui secuntur saeculi XVII et XVIII Batavi, Vossius Dousae Heinsius Schraderus, ei et ipsi ob praeclara inuenta multa immortaliter de Catullo meruerunt. sed quantumuis horum omnium et mentis acumen et ingenii *εὐστοχίαν* suspiciamus, derat tamen uiris illis, ut omnino eis quibus floruerunt saeculis, certa illa emendandi norma ex accurata codicum

optimorum antiquissimorumque inuestigatione sumpta: modo huius modo illius codicis inter lectiones incerti fluctuantes et plerumque scripturae alicuius bonitatem ex numero librorum illam suppeditantium metientes saepius casu quam uia et ratione uerum inuenisse censendi sunt. uenerunt tandem saeculi huius initio I. Bekkerus et N. Maduigius, quorum ille editis scriptoribus Graecis, hic in epistula critica de Ciceronis Verrinis emendandis a. 1828 ad Orellium data praeclaris ostenderunt exemplis denuo*), quonam fundamento inniti debeat ueterum scriptorum emendatio, scilicet codicibus non numeratis sed diligenter ponderatis. horum exempla secutus C. Lachmannus a. 1829 Catulli carmina edidit electis ex tanta ϛ librorum (quos solos nouerat) copia duobus quos tamquam tutissimos sequeretur duces. qua re sola magno opere poematum Catullianorum prouexit emendationem. praeterea ille tot coniecturis propriis ex parte plane egregiis locos corruptos sanabat ut optimos Italorum Batauorumque criticos superaret. etiam a posterioris aetatis editoribus criticisue, a Bergkio Hauptio Schwabio L. Muellero Ellisio Vahleno Benoistio Riesio Schmidtio aliis, haud paucae bonae emendationes sunt prolatae; ex quo numero Schwabius et Ellisius conquisitis diligenter quae ad historiam textus Catulliani illustrandam pertinerent et collatis codicibus quam plurimis bene de poeta meruerunt.

Baehrensius ipse, cum protracto in lucem codice Oxoniensi tale subsidium nactus esset, quale nec anteriorum editorum ulli nancisci licuit neque facile nanciscentur posteriores (nisi **V** ipse aut alius codex uetustus e bibliothecarum latebris eruetur, id quod uix et ne uix quidem sperare licet), tum emendandi munus a Lachmanno inceptum pro uirili parte explere studuit. et ut iam ante in Analectis Catullianis, quomodo uitia multa essent tollenda, breuiter exposuerat, ita in huius libelli priore editione nouas aliquot emendationes coniecturasque in medium protulit.

Addenda pauca de huius editionis instituto. uirorum

---

*) neque enim illi noua atque antehac inaudita protulerunt, quippe quibus praecessor fuerit iam saeculo XV unicus ille Angelus Politianus.

doctorum in Catullum coniecturas ut commemorarem omnes, a me impetrare nequii. quid enim harum litterarum interest, insulsissima quaeque inuenta quorumque prauitatem certissimis liceat conuincere argumentis inani sedulitate congeri? itaque non attuli nisi quae commemoratione omnino digna essent. in apparatu critico haec prima mihi lex erat ut omnes librorum **TGOM** scripturas quam accuratissime adscriberem, ceterorum codicum lectiones selectas adicerem; quam legem nisi in minutissimis quibusdam non migraui. inter quae referendum est quod *e* pro *ae* in **V** constanter scriptum nisi in lectionibus ex eo allatis non adnotaui. deinde prauam uerborum distinctionem ubique adnotare superfluum est uisum: qua de re hic semel monebo. itaque et in **O** et in **G** praepositiones saepissime cum casibus sunt coniunctae, ut *agremio*, *exorigine*, *incacumine*, *eforo*, *inextremos*, *adminoa*, alia; itidemque uoces nonnullae, in **G** maxime, haud raro diuolsae, ut *in uitam*, *in commoda*, *ad ultera*, alia. porro *nichil* et *michi* in **G** fere semper scriptum (rarius in **O**, quippe qui has uoculas compendiose plerumque scripserit) non commemoraui ubique. denique uulgaria scripturae compendia plerumque neglexi; compendium autem *m* et *n* litterularum semper — significaui, licet huius loco interdum siue in **G** siue in **O** ˜ inueniatur. neque est quod haec omnia pluribus defendam.

CATULLI VERONENSIS
LIBER.

T = codex Thuaneus saec. VIIII.
V = codex Veronensis, id est consensus librorum **G** et **O**.
G = codex Sangermanensis saec. XIIII; **g** corrector codicis **G**.
O = codex Oxoniensis saec. XIIII.
ς = codices interpolati (siue unus siue plures siue omnes).
A = codex Ambrosianus saec. XV.
B = codex Bononiensis anni 1412.
C = codex Parisiensis 8234, olim Colbertinus, saec. XV.
D = codex Berolinensis, olim Dati, anni 1463.
H = codex Hamburgensis saec. XV.
L = codex Berolinensis, olim Laurentii Santenii, saec. XV.
Λ = codex Laurentianus saec. XV (La^1 apud Ellisium).
M = codex Venetus bibliothecae S. Marci saec. XV.
P = codex Parisiensis anni 1423.
≡ rasuram unius litterae notat.

Ubi libri **V** lectionibus emendationum auctores non adiecti sunt, Italis siue in ς siue in editionibus uetustissimis eas deberi scias. — uoces in **V** omissae litteris quas uocant *cursiuis* in textu expressae sunt.

I.

Quoi dono lepidum nouum libellum,
Arida modo pumice expolitum?

Testimonia. 1—4. Ausonius 23, 1 (p. 120 Sch.): 'Cui dono lepidum nouum libellum? Veronensis ait poeta quondam'. — idem praefatio Griphi (p. 127 Sch.): 'dein cogitans mecum non illud Catullianum Cui dono — libellum'. — Terentianus Maurus 2560 sqq.: 'Exemplis tribus hoc statim probabis docti carmine quae legis Catulli: Cui dono — expolitum. Meas — nugas'. — Marius Victorinus p. 148, 19 Keil.: 'nam quidam et trochaeum et iambum in ea sede collocasse reperiuntur, inter quos et Catullus est sub exemplis huius modi: cui dono — expolitum. Meas — nugas'. — Caesius Bassus p. 260 sq. Keil.: 'solebat incipere . . . apud Catullum [hendecasyllabus] . . a trochaeo: Arido — expolitum, ab iambo: meas — nugas'. — Atilius Fortunatianus p. 298, 21 K.: 'talis est pars ex Catulliano hendecasyllabo detracta priore parte: pumice expolitum'. — Schol. Veronens. ad Verg. ecl. VI 1 p. 73 K.: 'uel Veronensis Catullus . . . . . Arido — nugas' *(periit in codice primus uersus).*

2. Seruius ad Aen. XII 587: 'in pumice autem iste masculino genere posuit, et hunc sequimur.. nam et Plautus ita dixit, licet Catullus dixerit feminino'. — Isidorus Orig. VI 12, 3: 'circumcidi libros Siciliae primum increbuit; nam primo pumicabantur. unde et Catullus ait: Cui dono — expolitum'. — Ex Isidoro sua hausit Pastrengicus de originibus rerum p. 88[b] haec afferens: 'Siculi libros primi circumcidere coeperunt, cum ante pumicarentur, de quo Catullus: Qui dono lepidum nouum libellum, arrida [ed. Ven.: arida codex aut Pastrengici ipsius aut ei aequalis nunc Venetiae in S. Marci biblio-

---

Varietas lectionis. Catullus Veronensis poeta **O** *manu paulo recentiore, ut uidetur.* Catulli Veronensis liber incipit **G**. ad Cornelium **g** *rubr.* Catulli veronensis liber incipit. ad Cornelium. **M** Q. Catuli Veronensis liber incipit ad Cornelium **D** (Q. *etiam* **C** *Ric.*) ‖ 1 Quoi] **D**ς Qui **V** *Pastrengicus,* Cui **M**ς, *Ausonius, metrici, Isidorus* ‖ 2 arida] *Seruius,* **D** (arrida *corr. ex* arrido), *Pastrengicus; fortasse etiam Isidorus, cuius in codice Monacensi* arido ≡ *scriptum est, ut incertum sit habueritne* arida *an* aridom: arido **VM**, *metrici, schol. Veronens.* | pumice] **VMD** (*corr. ex* punice)

Corneli, tibi: namque tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas,
Iam tum cum ausus es unus Italorum
Omne aeuum tribus explicare cartis,
Doctis, Iupiter, et laboriosis.
Quare habe tibi quicquid hoc libelli,
Qualecumque quod, *o* patrona uirgo,
Plus uno maneat peremne saeclo.

II.

Passer, deliciae meae puellae,
Quicum ludere, quem in sinu tenere,

---

theca (lat. Class. X. u. 51) adservatus fol. 50] modo Punicae [ed. Ven.: pumice cod. Pastr.] expolitum. Idem' (h. e. Isidorus). — aut huc aut XXII 8 respexit Plinius nat. hist. XXXVI 154: 'sed ii pumices, qui sunt in usu corporum leuandorum feminis, iam quidem et uiris, atque, ut ait Catullus, libris, laudatissimi sunt in Melo'.

3 sq. Plinius nat. hist. praef. 1: 'namque tu solebas esse aliquid meas putare nugas (uel: putare aliquid esse meas nugas), ut obiter emolliam ['obicere molliam' codd., corr. Barbarus] Catullum conterraneum meum (agnoscis et hoc castrense uerbum); ille enim, ut scis, permutatis prioribus syllabis duriusculum se fecit quam uolebat existumari a Veraniolis suis et Fabullis'.

4. Petrarca senilium 11, 3: 'solet enim, ut Catulli Veronensis uerbo utar, meas esse aliquid putare nugas'.

5—7. Pastrengicus de orig. rer. p. 16[a]: 'ut de illo dici possit quod scribit Veronensis poeta dicens: Ausus quidem unus Italorum Omne aeuum tribus explicare chartis (i. uoluminibus), Jupiter, doctis et laboriosis.

II. Hoc carmen respexit Martialis I 7, 3; IIII 14, 14; XI 6, 16. 1. Caesius Bassus p. 260, 37 K.: 'nam et hendecasyllabus . . sole-

---

4 mea (*uel* meo) sese aliquot *Marii Victorini codd.* ‖ 5 tum] tū **O** tam̄ **G** tamen **M** | es] ē **V** est **M** ‖ 6 aeuum] euū **O** eum **G** *corr.* euum **M** ‖ 8 Quare habe tibi: Quare tibi habe **VM** | quicquid hoc
at mei
libelli **GM** quicquid h' libelli **O** ‖ 9 quod o *Palladius:* quod **VM** quidem **D***A* | patrone, per te *Handius quaest. Catull. a. 1849 p. 4.* Q. quidem est, patroni ut ergo *Bergkius* ‖ 10 peremne] **D** periē (*id est* perimne, *ut* cognotissīa *cognotissima* IIII 14) **O** perenne **GM**

II. *Interstitio unius uersus a carmine priore separatum in* **VM**; *quo in interstitio* Fletus passeris Lesbie *inscribunt* **g** *(litt. rubr., ut semper)* **M** ‖ 2 Qui cum **VM**

Quoi primum digitum dare adpetenti
Et acris solet incitare morsus,
Cum desiderio meo nitenti
Karum nescio quid lubet iocari
Et solaciolum sui doloris
(Credo, ut .tum grauis acquiescat ardor):
Tecum ludere sicut ipsa possem
Et tristis animi leuare curas!
. . . .
Tam gratum est mihi quam ferunt puellae
Pernici aureolum fuisse malum,
Quod zonam soluit diu ligatam.

III.

Lugete, o Veneres Cupidinesque
Et quantum est hominum uenustiorum:

---

bat incipere . . . apud Catullum a spondeo: Passer deliciae meae puellae'. — Atilius Fortunatianus p. 293, 6 K.: 'ecce et phalaecium metrum partem primam de antispastico metro habet, sequentem de iambico, ut passer — puellae'. — Censorinus de metris p. 614, 17 K.: 'undecim syllabarum Phalaecius: passer — puellae'.

II 13. Priscianus p. 16 H.: 'similiter Catullus Veronensis Quod zonam soluit diu ligatam inter hendecasyllabos phalaecios posuit; ergo nisi soluit trisyllabum accipias, uersus stare non possit'. Anth. lat. V 219, 49 Burm. 1704 Mey.: 'Te uocant prece uirgines pudicae, zonulam ut soluas diu ligatam'.

---

3 Quoi] Qui **VM** | at petenti **O** at. parenti (*ex* patenti *mutatum*) petenti **G**, *sscr.* at patētꝫ **M** ‖ 4 Et **gM**: Ea **V** ‖ 6 Karum **V**: Carum **gM** | lubet] *Baehrensius:* libet, *marg.* at iubet **O** libet **GM** ‖ 7 Et **VM** Ut *Bernh. Pisanus* Ad *Doeringius* in *Itali* est *Handius* ‖ 8 ut tum] *Bapt. Guarinus* ut cum **VM** | acquiescat] *Bapt. Guarinus* acquiescet **VM** adquiescet **g** | uti gr. acquiescat *Schraderus* ‖ 9 Tecum **G**: Tecum, *marg.* at. secum **O** | ludere, *sed erasa super* e *altero uirgula,* **O**: at. luderem ludere **G** ludere *ex* luderem *corr.* **D** ‖ *Versus* 11—13 *sine interstitio cum* II 10 *coniungit* **V**; *sed in* **O** *signum* ⊬ *i. marg. u.* 11 *appositum* ‖ 13 ligatam *Priscianus* **M**: negatam **V** at ligatam *adscr.* **g** at negatam *adscr.* **M**

III. *Adhaeret priori sine interstitio in* **VM**; *in* **O** *et in* **D** *signum* ⊬ *i. marg.*

Passer mortuus est meae puellae,
Passer, deliciae meae puellae,
Quem plus illa oculis suis amabat;
Nam mellitus erat suamque norat
Ipsam tam bene quam puella matrem,
Nec sese a gremio illius mouebat,
Sed circumsiliens modo huc modo illuc
Ad solam dominam usque pipiabat.
Qui nunc it per iter tenebricosum
Illuc, unde negant redire quemquam.
At uobis male sit, malae tenebrae
Orci, quae omnia bella deuoratis:
Tam bellum mihi passerem abstulistis.
O factum male! o miselle passer!
Tua nunc opera meae puellae
Flendo turgidoli rubent ocelli.

III 12. Seneca apocolocynt. XI (p. 62 sq. Buech.): 'Nec mora; Cyllenius illum collo obtorto trahit a caelo illuc unde negant redire quemquam'; quibus in uerbis 'illuc' a codd. omissum restituit Muretus. Anth. lat. V 219, 11 Burm. 1704 Mey.: 'unde fata negant redire quemquam'.

16. Titulus Augustae Ausciorum repertus (cf. Herm. 1, 68; Wilmanns. exempl. inscr. Lat. 584): 'O factum male, Myia, quod peristi'.

17 sq. Scholiasta Juuenalis VI 8 ed. Cramer. p. 598: 'Alludit ad uerba Catulli conquerentis de passere mortuo. Catullus: Tua nunc opera mea p. flendo turgidoli rubent ocelli'. Eodem respexit Martialis I 109, 1; VII 14; XIIII 77. Petrarca ep. uar. 32 p. 1097 ed. Basil. 'apud Catullum Lesbia meretricio amore saucia passerem suum fleuit extinctum, ita tamen ut oculorum aciem perderet, non ut animam exhalaret'.

18. turgidulus] Paulinus V 452 (cf. Philol. a. 1889 p. 761).

---

3 *in uerbis* meae puellae *et* 4 *in* deliciae meae puellae (*item u.* 17) *litteras* ae *ex* e *correxit* **g**: *simplex* e **O** *ubique* ‖ 7 ipsam] ipsa *Itali* ‖ 9 circum siliens **GM**: circum silens, *marg.* at siliens **O** ‖ 10 pipiabat *Is. Vossius:* piplabat **VM** pipilabat ς *Itali* ‖ 11 tenebrosum
at. q̄
VM ‖ 12 ∧ Illud, *marg.* ∧ at illuc **O**: Illud **GM** ‖ 14 Orciq; **G**: Orciq; **OM** ‖ 16 O factum male o (io *Lachmannus*) miselle passer **D** *ex corr.*, *Itali:* Bonum factum. male bonus ille passer **VM** ‖ 17 Mea *et* 18 turgidoli *schol. Juuenal.* ‖ 18 turgidoli **M** turgiduli **V**

IIII.

Phasellus ille, quem uidetis, hospites,
Ait fuisse nauium celerrimus,
Neque ullius natantis impetum trabis
Nequisse praeterire, sive palmulis
Opus foret uolare siue linteo.
Et hoc negat minacis Adriatici
Negare litus insulasue Cycladas
Rhodumque nobilem horridamque Thraciam
Propontida trucemue Ponticum sinum,

IIII. cf. omnino parodia in epigrammatum, Vergilio quae adtribuuntur, octauo. — 1. scholiasta Bernensis ad Verg. Georg. IIII 289 (p. 971 Hagen): 'phaselis; genus nauium pictarum. sicut phasillus ille quem aiunt (agiunt codd.) auctorem (sic codd. l. actarum siue actuariarum) esse nauium celerrimum (sic Hauptius: calaetarum uel celaturum codd.). quem habuit hospes Serenus. Junilius dicit'. — Terentianus Maurus 2276: 'Ante ergo uersum collocabo iambicum: Phaselus — hospites' (cf. et 2283, 2311, 2376, 2379, 2424, 2426, 2431, 2432, 2445, 2469). — Marius Victorinus p. 134 K. (cf. p. 63, 84, 162): 'exemplum ergo trimetri iambici erit phaselus — hospites'. — Augustinus de musica V 4, 5: 'Neque quisquam umquam uersum esse dubitauit Phaselus — hospites'. — Idem V 6, 11: 'Etiam istum uersum metire, si placet, et mihi de membris eius pedibusque responde 'Phaselus — hospites'. — Idem V 8, 16: 'Et phaselus — hospites primum membrum habet phasellus ille in semipedibus quinque, secundum in septem quem uidetis hospites'. cf. eundem apud Maium in script. uet. noua collect. III 3, 130 c. 17, 18, 19. — Censorinus p. 612, 17 K.: 'Trimetros iambicus latine senarius dicitur, cuius exemplum phaselus iste — hospites'. — scholiasta Lucani V 518 p. 389 Web.: 'phaselo. genus nauis, ut ait Catullus ['Plautus' codd.]: Phaselus — hospites'.

IIII. *Interstitium unius lineae in* **VM**, *quod* De phaselo (*ex* phasello *corr.* **g**) *inscribendo explent* **GM** ‖ 1 hasellus *litt. initiali i. marg. adscr.* **O**: phasel≡us **G** phaselus **M** *ubique* phasillus *schol. Bernensis Vergilii,* fatalis *Coloniensis Censorini* (*ex* faselis *corruptum?*) ‖ 2 Aiunt f. n. celerrimum (*sed* celerimum **O**) **VM** *et schol. Bern. Verg.* ‖ 3 Neq; illius n. i. tardis **VM** ‖ 4 Neq; esse pr. sine p. **VM** ‖ 5 sine **VM** ‖ 6 Et hoc **GM** Et h' (= haec) **O** *fortasse recte* | mina ei adriatici **VM** ‖ 7 insula uegeladas **O** insulas ue cicladas **GM** ‖ 8 tractam **VM** ‖ 9 sinum **GM**: simā **O**

Ubi iste post phasellus antea fuit
Comata silua: nam Cytorio in iugo
Loquente saepe sibilum edidit coma.
Amastri Pontica et Cytore buxifer,
Tibi haec fuisse et esse cognitissima
Ait phasellus: ultima ex origine
Tuo stetisse dicit in cacumine,
Tuo imbuisse palmulas in aequore,
Et inde tot per impotentia freta
Erum tulisse, laeua siue dextera
Vocaret aura, siue utrumque Iupiter
Simul secundus incidisset in pedem;
Neque ulla uota litoralibus deis
Sibi esse facta, cum ueniret a marei
Nouissime hunc ad usque limpidum lacum.
Sed haec prius fuere: nunc recondita
Senet quiete seque dedicat tibi,
Gemelle Castor et gemelle Castoris.

IIII 25 sq. Charisius p. 252, 24 K.: 'senesco autem nunc in usu est frequens, apud antiquos tamen et seneo dicebatur. unde et Catullus ['catulus' codd.] sic rettulit: nunc recondita senet ['s̄t' N, 'sunt' P] quiete seque dedicat ['qui seneseq: didicat' P] tibi gemelle Castoris'. — Diomedes p. 344, 6 K.: 'senesco et seneo apud antiquos dicebatur; unde et Catullus: nunc recondita [ita B.: 'nunc recordita' M 'non recordata' A] senet quiete seque dedicat ['dicebat' BM 'dicebant' A] tibi gemelle Castor et gemelle Castoris ['gemelli castores' B]'. — Priscianus p. 484, 2 H.: 'Catullus ['catulus' codd.]: sed haec fuere ['feruere GL]; nunc recondita senet quiete ['quite' uel 'qui te' codd.]'.

---

10 Ubuste **O** | phasellus **O**: phasel≡us **G** ‖ 11 silua *i. margine habet* **O** | citeorio **VM** *(sed in* **O** *a* citeono *uix dinosci potest)* ‖ 13 citheri **VM** ‖ 14 cognotissima **VM** ‖ 15 phasellus **O**: phasel≡us **G** ‖ 17 Tuo **O**: Tuas **GM** ‖ 18 impotencia **O** ‖ 19 Herum **VM** ‖ 20 Vocare cura **VM**: uagaret aura *Lachmannus ad Lucr. p. 178* ‖ 22 littoralibus **O** | diis **VM** ‖ 23 a marei *Lachmannus:* amaret **VM** a mare *uulgo* ‖ 24 Nouissime **VM** nouissimo *Itali* ‖ 25 h' (*id est* haec) **O**: hoc **GM** | recomdita **O** ‖ 27 Castor **D**ς *Diomedes:* castrū **O** castrum **G** castrum (at castorum) *i. marg.* at castor **M**

V.

Vivamus, mea Lesbia, atque amemus,
Rumoresque senum seueriorum
Omnes unius aestimemus assis.
Soles occidere et redire possunt:
Nobis, cum semel occidit breuis lux,
Nox est perpetua una dormienda.
Da mi basia mille, deinde centum,
Dein mille altera, dein secunda centum,
Deinde usque altera mille, deinde centum.
Dein, cum milia multa fecerimus,
Conturbabimus illa, ne sciamus,
Aut nequis malus inuidere possit,
Cum tantum sciat esse basiorum.

VI.

Flaui, delicias tuas Catullo,
Nei sint illepidae atque inelegantes,
Velles dicere nec tacere posses.
Verum nescio quid febriculosi
Scorti diligis: hoc pudet fateri.
Nam te non uiduas iacere noctes
Nequiquam tacitum cubile clamat

V 7 sq. huc respexit Martialis VI 34, 7; XI 6, 14; XII 59, 3. 13. Priap. 52, 12: 'cum tantum sciet esse mentularum'.

V. *Unius uersus interstitio a* IIII *separatum in* **VM** (De lesbia *inscripserat in illo* **G**, *unde* ad lesbiam *fecit* **g**; *eundem titulum praebent* **M**ς) ‖ 1 iuamus **O** (u *i. marg.*) ‖ 3 estinemus **O** extimemus **GM** ‖ 4 sole **M** | ocidere **O** ‖ 5 Nobiscum **VM** ‖ 8 Deinde mille altera deinde secunda **V** Deinde mi ≡ ≡ altera da ≡ ≡ secunda **gMD** ‖ 10 Deinde **VM** deindẹ **D** | millia **GM** ‖ 11 Conturbauimus **VM** | nesciamus **VM** ‖ 13 tantus sciat **VM** sciet *Buechelerus mus. Rhen. XVIII 401 ex priapeo 52, 12.*

VI. *Adhaeret priori in* **O** *(i. marg. signum //); in interst. unius uers.* Ad Flauium *inscribunt* **gM** ‖ 1 catulo **O** ‖ 2 Nei *Lachmannus:* Ne **VM** Ni *uulgo* nẹ (i *superscr.*) **D** ‖ 3 Velles — posses **V** Velis — possis *N. Heinsius Aduers. p. 634* ‖ 5 hoc **G**: h[i] (= hic) **O** ‖ 7 Nequid quam **O** Ne quicquam **GM**

Sertis, Assyrio fragrans oliuo,
Puluinusque peraeque et heic et illei
Attritus tremulique quassa lecti
Argutatio inambulatioque.
Nam nil stupra ualet, nihil, tacere.
Cur? non tam latera ecfututa pandas,
Nei tu quid facias ineptiarum.
Quare, quicquid habes boni malique,
Dic nobis.. uolo te ac tuos amores
Ad caelum lepido uocare uersu.

VII.

Quaeris, quot mihi basiationes
Tuae, Lesbia, sint satis superque.
Quam magnus numerus Libyssae harenae
Lasarpiciferis iacet Cyrenis,
Oraclum Iouis inter aestuosi
Et Batti ueteris sacrum sepulcrum,
Aut quam sidera multa, cum tacet nox,

---

8 assyrio **D**: asirio **V** a syrio **M** ac Syrio *uulgo* | flagrans **VM**
at hic at ille
(fortasse recte) ‖ 9 ⁊ hec ⁊ illo **GM** ⁊ h' (= haec) ⁊ illo **O**, *correxi.* et hic et illic *partim, partim* et hic et ille *editiones* ‖ 10 cassa **D** *(cf. Fleck. ann. LX 255)* ‖ 11 in ambulatioq; **VM** ‖ 12 Nam inista p̄ualet nich' **O** Nam ni ista preualet nichil (nihil **M**) **GM** Nam ni stupra, ualet *Scaliger, quem ita ut* nil *scriberet secutus est Hauptius.* Nam mi stupra ualet *et Anglus in Ephem. class. XXIIII p. 211 et Baehrensius coniecerunt* ‖ 13 ecfututa *Lachmannus:* ⁊ futura **VM** exfututa *Itali* | panda **VM** ‖ 14 Nei *Marcilius:* Nec **VM** Ni *B. Guarinus* ‖ 15 quid quid **O** quicquid **GM** | babes boniq; maliq; **O** ‖ 17 adcelum **O** | uersu **gM** uersum **V**

VII. *Interstitium unius uersus in* **VM**; Ad lesbiam *inscribunt* **gM** ‖ 1 q (= quod) michi (mihi **M**) **VM** ‖ 2 sint. **OM** ‖ 3 libisse harene **O**
at fretis **g**
lybisse arene **G** libisse arene **M** ‖ 4 Lasarpici feris iacet ty≡renis **G**
at fretis
at cyrenis **g** *i. marg.* Lasarpici fecis iaces tyrenis **O** lasarpiciferis iacet tyrenis *i. marg.* at cyrenis **M** ‖ 5 Oradum **O** Ora dum **GM** ‖ 6 Et beati
at. beari
O Et beati **GM** Et Bati **ς** ‖ 7 sydera **VM**

Furtiuos hominum uident amores:
Tam te basia multa basiare
Vesano satis et super Catullo est,
Quae nec pernumerare curiosi
Possint nec mala fascinare lingua.

VIII.

Miser Catulle, desinas ineptire,
Et quod uides perisse perditum ducas.
Fulsere quondam candidi tibi soles,
Cum uentitabas quo puella ducebat
Amata nobis quantum amabitur nulla.
Ibi illa multa tum iocosa fiebant,
Quae tu uolebas nec puella nolebat:
Fulsere uere candidi tibi soles.
Nunc iam illa non uult: tu quoque, inpote*ns*, *noli*,
Nec quae fugit sectare, nec miser uiue,
Sed obstinata mente perfer, obdura.
Vale, puella! iam Catullus obdurat,
Nec te requiret nec rogabit inuitam:
At tu dolebis, cum rogaberis nulla.
Scelesta, uae te! quae tibi manet uita!
Quis nunc te adibit? cui uideberis bella?
Quem nunc amabis? cuius esse diceris?
Quem basiabis? cui labella mordebis?
At tu, Catulle, destinatus obdura.

---

at. basia
9 basiei **GM**: basiei **O** ‖ 10 catulo **O** ‖ 11 curiosi **M**: euriosi **V**

VIII. *Interstit. unius uers. in* **VM**; Ad se ipsum *inscribunt* **gM** ‖ 1 iser catule **O** (m *i. marg.*) | inaptire **D** ‖ 4 Cum **O** *ita ut* C *e corr.* *sit* | q̊ **gM**: ꝗ (= quod) **V** | dicebat *Dousa filius* ‖ 5 amabiliter **M** ‖ 6 tum **gM**: cum **V** ‖ 8 candid≡i **G** ‖ 9 tu quoque, impotens, noli *Auantius* impotens ne sis *Scaliger:* inpote **O** impote **GM** ‖ 10 Necq; fugit **O** ‖ 14 at dolebis **M** ‖ 15 uae te . quae *B. Venator:* ne te q̄ **G** ne teq; **O** ne te que **M** ‖ 16 adhibit **O** ‖ 18 cū labella **O**

VIIII.

Verani, omnibus e meis amicis
Antistans mihi milibus trecentis,
Venistine domum ad tuos penates
Fratresque unanimos anumque matrem?
Venisti. o mihi nuntii beati!
Visam te incolumem audiamque Hiberum
Narrantem loca, facta, nationes,
Ut mos est tuus, applicansque collum
Iocundum os oculosque sauiabor.
O quantum est hominum beatiorum,
Quid me laetius est beatiusue?

X.

Varus me meus ad suos amores
Visum duxerat e foro otiosum,
Scortillum, ut mihi tunc repente uisum est,
Non sane illepidum neque inuenustum.
Huc ut uenimus, incidere nobis
Sermones uarii, in quibus, quid esset
Iam Bithynia, quo modo se haberet,
Ecquonam mihi profuisset aere.

VIIII. *Unius uersus interstitium in* **VM**. Ad Verannium *inscribunt* **gM** ‖ 1 Verani *Ramlerus:* Veranni **VM** (*sed eidem* XII 16, 17; XXVIII 3; XXXXVII 3 Veranius) | e *om.* **O** ‖ 2 Antistas **VM** | millibus **GM** ‖ 3 uenisti ne **OM** ‖ 4 unanimos anumque *G. Faernus:* uno animo sanamq; (at. sanam) **O** uno animo suāq; matrem **GM** senemque ς ‖ 5 nuncii **V** ‖ 6 incolum̄ **O** | hyberū **M** ‖ 9 oculosq; suabior **VM** ‖ 11 beatiusque ς

X. *Cum* VIIII *sine interstitio cohaeret in* **VM**; *signum* $\overline{V}$ *i. marg.* **D** ‖ 1 Varius **VM** | me mēs **O** me meus **G(M)** *ita ut* meus *subiectum a* **g** *ex* mens *correctum sit* ‖ 2 eforo **OM** | ociosum **GM** occiosum **O** ‖ 3 tūc **OM**: tū **G** ‖ 4 nlepidum **G**, *unde* illepidum *corr.* **g** ‖ 7 Iam bithinia **G**: Iar bithinia **O** | quomō posse haberet **O** quom (o) posse haberet **G** quomodo p. h. **M** ‖ 8 Ecquonam *Statius:* Et quoniam (at quonam) **GM** Et quoniam **O** | here **VM**

Respondi id quod erat, nihil neque ipsis
Nec praetoribus esse nec cohorti,
Cur quisquam caput unctius referret,
Praesertim quibus esset irrumator
Praetor nec faceret pili cohortem.
'At certe tamen' inquiunt, 'quod illic
Natum dicitur esse, comparasti
Ad lecticam hominis.' ego, ut puellae
Unum me facerem beatiorem,
'Non' inquam 'mihi tam fuit maligne,
Ut, prouincia quod mala incidisset,
Non possem octo homines parare rectos.'
At mi nullus erat neque hic neque illic,
Fractum qui ueteris pedem grabati
In collo sibi collocare posset.
Hic illa, ut decuit cinaediorem,
'Quaeso' inquit 'mihi, mi Catulle, paulum
Istos: commoda nam uolo ad Serapim
Deferri.' 'mane' inquii puellae;
'Istud quod modo dixeram me habere,
Fugit me ratio: meus sodalis
Cinna est Gaius; is sibi parauit.
Verum, utrum illius an mei, quid ad me?

---

9 nihil neque ipsis *uulgo:* neque nec in ipsis V *sscr.* at neque ipsis . nec **G** neque in ipsis **gD** neque ĩ ipsis *sscr.* al nihil neq; nec ĩ ipĩs al necq; ipĩs **M** ‖ 10 pretoribus *i. m.* al nec **M** quaestoribus *Muretus* ‖ 11 referet **M** ‖ 13 nec faceret **O**: non (at nec) faceret **GM** (non, ec **D**) non faciens *Gronouius de sest. III 17* ‖ 16 adleticā **OM** ad letic≡am **G** | hominis **VM** ‖ 17 beatorē **O** ‖ 21 nec hic neq; illic **VM** ‖ 22 Fractumq; ueteris **VM** ‖ 24 ut docuit **VM** | sinediorem **O** ‖ 25 inquid **O** ‖ 26 comodā nam **O** commoda nam **GM** commodum enim *Handius observ. p. 54* commoda: enim *Burmannus obss. misc. 5, 2* | ad serapim **M** ad sarapim **GD** (at e **g**) ad serapini **O** ‖ 27 Deserti (at deferri **gM**) **VM** | mane inquii *Statius* minime inquii *Pontanus* | mane me inqd **O** mane me inquit **GM** (inquii *Parthenius, uulgo*) ‖ 30 Cuma ē grauis **VM**, *unde* Gauius *Ribbeckius in Fleckeis. annal. 1862 p. 378* ‖ 31 quid ame **O** quid a me **GM**

Utor tam bene quam mihi pararim.
Sed tu insulsa male et molesta uiuis,
Per quam non licet esse neglegentem.'

XI.

Furi et Aureli, comites Catulli,
Siue in extremos penetrabit Indos,
Litus ut longe resonante Eoa
Tunditur unda,
Siue in Hyrcanos Arabasue molles
Seu Sacas sagittiferosue Parthos,
Siue quae septemgeminus colorat
Aequora Nilus,
Siue trans altas gradietur Alpes,
Caesaris uisens monimenta magni,
Gallicum Rhenum horribilesque ulti-
mosque Britannos,
Omnia haec, quaecumque feret uoluntas
Caelitum, temptare simul parati:
Pauca nuntiate meae puellae
Non bona dicta.
Cum suis uiuat ualeatque moechis,
Quos simul complexa tenet trecentos
Nullum amans uere, sed identidem omnium
Iliá rumpens;

---

32 quam **VM** quam mihi paratis *Statius* ‖ 33 tulsa **O** tu insula **GM** insulsa *Itali* salsa *Schraderus emend. p. 15* | mala *Guarinus* | ac ς *Lachmannus* | niuis **O** ‖ 34 negligentem **VM**

XI. *Adhaeret priori in* **V**; *i. marg.* // **O g**. Ad furium 7 aurelium **g** *(in margine)* **M** ‖ 1 penetrauit **VM** ‖ 3 ut **V** ubi **M**ς *plerique* | coa **O** ‖ 5 inhircanos **O** | arabas uė **O**: arabaesque **G** arabesque **M**ς
a cc
arabęsque **D** ‖ 6 Siue sagax **VM** sagas ⁊ *seu* sagax **D** | sagitiferos ue **O** sagittiferos ue **GM** ‖ 7 Siue que **G**: Siueq; **O** siueq̃ **M** Siue qua *uulgo* |
at nus
septem geminus **V** septem geminis **M** ‖ 8 epra **O** ‖ 9 Sui **O** ‖ 11 renum **O** | horribilesq; **V**: horribile aequor *Hauptius (observ. crit. p. 27)* horribiles et *uel* in ς | ulti **g**: *hic om.* **V** ‖ 12 mosque (*ex* ultimosque *corr.*) **g**: Vitimosq; **O** horribiles ulti—mosq; **M** ‖ 13 fere uoluntas **VM** | 14 tentare **G** ‖ 15 nunciate **G** nunciare **O** ‖ 17 mechis **VM**

Nec meum respectet, ut ante, amorem,
Qui illius culpa cecidit uelut prati
Ultimi flos, praetereunte postquam
Tactus aratro est.

XII.

Marrucine Asini, manu sinistra
Non belle uteris in ioco atque uino:
Tollis lintea neglegentiorum.
Hoc salsum esse putas? fugit te, inepte:
Quamuis sordida res et inuenusta est.
Non credis mihi? crede Pollioni
Fratri, qui tua furta vel talento
Mutari uelit: est enim leporum
Dissertus puer ac facetiarum.
Quare aut hendecasyllabos trecentos
Expecta, aut mihi linteum remitte;
Quod me non mouet aestimatione,
Verum est mnemosynum mei sodalis.
Nam sudaria Saetaba ex Hibereis
Miserunt mihi muneri Fabullus

---

22 Cui illius **VM** | cecidi *Pluygersius in nouae Mnemosynae uol. I p. 59* ‖ 23 postquam tactus aratro est **O** *unico uersu: in* **G** *post* postquam *rasura est* posquam tactus aratro est **MD** ‖ 24 Tactus aratro est. Asinium **G** *ita ut* actus aratro est *a corr.* **g** *sit . habuerat igitur* **G** *primitus uerba* Tactus aratro est, *ut* **O**, *in fine u. 23 et in interstitio inscripserat:* Ad Asinium

XII. *Interstitium unius uersus in* **VM**; // *i. marg.* **O** ad Matrucinū Asinum ς ad Matrucinum asinium **M** ‖ 1 Matrucine **VM** ‖ 2 inloco **O**
at loco
in ioco **GM** ‖ 3 linthea **O** | neglegenciorum **O**: negligentiorum **GM** ‖
at falsum g at salsum
4 falsū at salsū ēē **O** salsum ēē **G** falsum **M** ‖ 7 Fraт̄ **O** | Multari *unus ex* ς ‖ 8 uelit **GM** uoluit **O** ‖ 9 Dissertus **O**: Disertus **GM** Difertus *Passeratius* | faceciarum **O** ‖ 10 endeca sillabos **V** (*coniunxerunt* **gM**) ‖ 11 lintheum **O** ‖ 12 monet **O** | extimatione **VM** ‖ 13 Verum est nemo sinum (nemosinum **D**) **GM**: Verū nemo ē sinū **O** ‖ 14 sethaba **GM** s; taba **O** | exhibere **VM**, *corr. Lachmannus* (ex Hiberis *Itali*) thessala
at muneri
i. marg. setaba **D** ‖ 15 Mi≡serunt **G** | numeri **GM**: numeri **O**

Et Veranius: haec amem necesse est
Ut Veraniolum meum et Fabullum.

XIII.

Cenabis bene, mi Fabulle, apud me
Paucis, si tibi di fauent, diebus,
Si tecum attuleris bonam atque magnam
Cenam, non sine candida puella
Et uino et sale et omnibus cachinnis.
Haec si, inquam, attuleris, uenuste noster,
Cenabis bene: nam tui Catulli
Plenus sacculus est aranearum.
Sed contra accipies meros amores
Seu quid suauius elegantiusue est:
Nam unguentum dabo, quod meae puellae
Donarunt Veneres Cupidinesque,
Quod tu cum olfacies, deos rogabis,
Totum ut te faciant, Fabulle, nasum.

XIIII.

Nei te plus oculis meis amarem,
Iocundissime Calue, munere isto
Odissem te odio Vatiniano:
Nam quid feci ego quidue sum locutus,
Cur me tot male perderes poetis?

XII 17. Plinius nat. hist. praef. 1: 'ille (Catullus) . . . duriusculum se fecit quam uolebat existimari a Veraniolis suis et Fabullis'; cf. XXXXVII 3.

---

16 hec (h') **O** | ameni **V** amem **M** | nc͠ce **O** ‖ 17 Ut] Et **VM**

XIII. *Interstitium unius uersus in* **VM**, *in quo* Ad fabullum *inscribunt* **gM** ‖ 1 Enabis **O** ‖ 2 dii **V** ‖ 6 si unquam **VM** ‖ 8 saculus **VM** | arçanearum **M** ‖ 9 meos **O** ‖ 10 Seu qui **O** Seu (at quod **gM**) qui **GM** | elegånciusue **V** elegantius ue **M**

XIIII. *Interstitium unius uersus in* **VM**, *in quo* Ad Caluum Poetam *inscribunt* **gM** ‖ 1 Nei *Lachmannus:* Ne **GM** E (n *in marg.*) **O** Ni *uulgo* ‖ 3 Vaciniano **GM** ‖ 4 quid ue **O** ‖ 5 mal' **O** malis **GM**

Isti di mala multa dent clienti,
Qui tantum tibi misit impiorum.
Quod si, ut suspicor, hoc nouum ac repertum
Munus dat tibi Sulla litterator,
Non est mi male, sed bene ac beate,
Quod non dispereunt tui labores.
Di magni, horribilem et sacrum libellum!
Quem tu scilicet ad tuum Catullum
Misti, continuo ut die periret,
Saturnalibus, optimo dierum!
Non non hoc tibi, salse, sic abibit:
Nam, si luxerit, ad librariorum
Curram scrinia, Caesios, Aquinos,
Suffenum omnia colligam uenena,
Ac te his suppliciis remunerabor.
Vos hinc interea (ualete) abite
Illuc unde malum pedem attulistis,
Saecli incommoda, pessimi poetae.

Si qui forte mearum ineptiarum

XIIII 9. Martianus Capella III 229, p. 56, 22 Eyss.: 'hoc etiam Catullus quidam non insuauis poeta commemorat dicens munus dat tibi Sylla litterator', unde uersum sumpsit Ioannes Saresberiensis Metalog. I 24.

15. Macrobius Saturn. II 1, 8: 'quia Saturnalibus optimo dierum, ut ait Veronensis poeta, nec uoluptas nobis' ectr.

---

6 dii **VM** | dant **VM** || 9 sylla **D** si illa **VM** | literator **VM** || 10 michi male **V** (mihi **M**) || 12 Dii **VM** || 13 adtuum **M** || 14 Misisti **VM** |
at optimo **gM**
continuo. ut die **VM** *interpungunt* || 15 opimo **GM**: oppinio **O** |
at false **g**
16 hoc] **D** h' (= haec) tibi false fit adhibit **O** hec tibi salse sit
at salse
(*corr. ex* fit) adbibit **G** (abibit **g**) hec tibi false sit abibit **M** || 17 luxerit
at. x **g**
OM: luserit **G** || 18 Curā **O** Cur tam **GM** | scrineā **g** scrinea **M** | cesios **VM** || 19 Suffenam **VM** || 20 Hac **VM** | tibi hiis supplitus (— ť) rem. **O** || 23 Seculi **VM** | incomoda **O** *Secuntur in* **VM** *sine interstitio uersus* 'Si qui — nobis'. *Seiunxit Auantius* || 24 inepciarum **O**

Lectores eritis manusque uestras
Non horrebitis admouere nobis,
. . . .

XV.

Commendo tibi me ac meos amores,
Aureli: ueniam peto pudentem,
Ut, si quicquam animo tuo cupisti
Quod castum expeteres et integellum,
Conserues puerum mihi pudice,
Non dico a populo (nihil ueremur
Istos qui in platea modo huc modo illuc
In re praetereunt sua occupati);
Verum a te metuo tuoque pene
Infesto pueris bonis malisque.
Quem tu qualubet, ut lubet, moueto
Quantum uis, ubi erit foris, paratum:
Hunc unum excipio, ut puto, pudenter.
Quod si te mala mens furorque uecors
In tantam impulerit, sceleste, culpam,
Ut nostrum insidiis caput lacessas:
A tum te miserum malique fati,
Quem attractis pedibus patente porta
Percurrent raphanique mugilesque!

---

26 āmouere **O**

XV. *Interstitio unius uersus a uersu* 'Non — nobis' *separatum in* **VM**; Ad Aurelium *inscribunt* **gM** ‖ 1 Comendo **M** O mendo **O** *(i. marg.* c) | tebi **M** ‖ 2 ‸pudentem péto **G** peto pudentē **OM** pudenter *J. Maehly in Fleck. ann. 1871 p. 345* ‖ 5 pudicum *Baehrensius* ‖ 6 nich' **O** | ueremur] *post* m *add.* i **g** ‖ 8 preterunt **M** | occupãi **O** ‖ 9 ate me tuo **O** | 10 in festo **M** | bonisq; malisq; **VM** ‖ 11 qualubet (ubet *ex corr.* **g**) ut iubet **G**: qualibet ut aŧ iubet **O** qualubet ·//· *i. marg.* ·//· ut iubet **M(D)** ut lubet *uulgo* | moneto **O** ‖ 13 huc **G** | pudenter **O** prudenter **G** aŧ pudenter aŧ prudenter **g** pudenter **M** ‖ 16 nostrum **G**: nostrorum **OM** ‖ 17 ha **V** ah **gM** | aŧ tū **gM** tamē **G** (tñ **M**) tñ **O** ‖ 18 atractis **O**; *et sic inscriptio Pompeiana 1261 Zangem. (CIL IIII)* attra‸c‸tis **M** ‖ 19 Pertundent *J. Maehly l. l.*

XVI.

Pedicabo ego uos et irrumabo,
Aureli pathice et cinaede Furi,
Qui me ex uersiculis meis putastis,
Quod sunt molliculi, parum pudicum.
Nam castum esse decet pium poetam
Ipsum, uersiculos nihil necesse est,
Qui tum denique habent salem ac leporem,
Si sunt molliculi ac parum pudici
Et quod pruriat incitare possunt,
Non dico pueris, sed his pilosis,
Qui duros nequeunt mouere lumbos.
Vos, quod milia multa basiorum
Legistis, male me marem putatis?
Pedicabo ego uos et irrumabo.

XVII.

O Colonia, quae cupis ponte loedere longo,
Et salire paratum habes, sed uereris inepta

XVI 5. Plinius, epist. IIII 14, 5: ʻscimus alioqui huius opusculi illam esse ucrissimam legem quam Catullus expressit: nam castum esse — et parum pudici'. — Apuleius, apol. 11: ʻCatullum ita respondentem maliuolis non legistis: nam castum esse — necesse est —'?

XVI. *Adhaeret priori in* **VM** *V̄* ad Aurelium et Furium **D** *i. marg.* || 1 Dedicabo **VM** || 2 patice et cinede **VM** || 3 Qui mi (me **gM**) ex **VM** || 4 Quod **OM**: Quod (t **g**) **G** | moliculli **G** (*corr.* **g**) || 6 uersiculo *Plinii codd. Mediceus et Vaticanus* | nich' **O** | reccesse **O** || 7 Qui tamē (at tum **g**) **G**: Qui tñ (at tū) **O** qui tñ **M** Qui tunc *Plinii codices omnes (fortasse recte)* || 8 sunt *Plinius:* sint **VM** (*sed eidem u.* 9 possunt) || 10 hiis pillosis **O** || 12 hos (at hos) **O** | uosq; (at q) **M** vosque **D** | quod] q; (qui) **V** quei *Rossbachius* quom *L. Muellerus* | millia **GM** || 14 Dedicabo **VM**

XVII. *Adhaeret priori in* **V**; // **O** *i. marg. Interstitium unius uersus* **M** *V̄* ad coloniam et amico **D** || 1 Oculo inaq; **O** O culo in aque **GM** O Colonia *alii legunt* o Culonia **D** *i. marg.* Colonia *uulgo* | loedere *Scaliger*: ledere **VMD** ludere *uulgo*

Crura ponticuli axuleis stantis in rediuiuis,
Ne supinus eat cauaque in palude recumbat:
Sic tibi bonus ex tua pons libidine fiat,
In quo uel Salisubsilis sacra suscipiantur;
Munus hoc mihi maximi da, Colonia, risus.
Quendam municipem meum de tuo uolo ponte
Ire praecipitem in lutum per caputque pedesque,
Verum totius ut lacus putidaeque paludis
Liuidissima maximeque est profunda uorago.
Insulsissimus est homo, nec sapit pueri instar
Bimuli tremula patris dormientis in ulna.
Quoi cum sit uiridissimo nupta flore puella
(Et puella tenellulo delicatior haedo,
Adseruanda nigerrimis diligentius uuis),
Ludere hanc sinit ut lubet nec pili facit uni,
Nec se subleuat ex sua parte, sed uelut alnus
In fossa Liguri iacet suppernata securi,
Tantundem omnia sentiens quam si nulla sit usquam,
Talis iste meus stupor nil uidet, nihil audit,
Ipse qui sit, utrum sit an non sit, id quoque nescit.
Nunc eum uolo de tuo ponte mittere pronum,

XVII 19. Festus p. 305 Muell.: 'Suppernati dicuntur quibus femina sunt succisa in modum suillarum pernarum . . . . Catullus ad Coloniam: In fossa ligari iacet suppernata securi'; cf. Paulus p. 304 Muell.

---

3 axuleis *Schwabius:* ac sulcis **VM** assulis *Statius* | stantis *Statius:* tantis **VM** | rediuius **O** re diuinis **M** ‖ 4 suppinus eat canaq; **O** ‖ 6 Salisubsilis *Statius:* sali subsili **V** sali sub sali (**D**) *i. marg.* at subscili **M** | sacra suscipiant **VM** ‖ 7 maximi *om. i. marg. addit* **G** ‖ 8 Quēdam **G**: Quedā **O** ‖ 10 tocius **O** | pudiceq; paludes **VM** ‖ 12 Insulsi simus **O** ‖ 13 himuli **O** ‖ 14 Quoi cum sit *Scaliger:* Cui iocum sit **VM** ‖ 15 Et] Ut **VM** Est *Lachmannus* | tenellullo **OD** *(i. marg.)* | delicacior **O** | edo **VM** ‖ 16 Asseruanda **GM** | nigerimis diligentius **O** nigerrimus **M** ‖ 17
at uim
uni **M** ‖ 18 Nec me subleuat **VM** | pte **M** | aluus **O** ‖ 19 superata **VM** ‖ 21 nichil uidet nichil **V** (*bis* nihil **M**) ‖ 22 qui sit **V** quid sit **gM** ‖ 23 Nunc
at hūc eū
cum uolo **G** Nunc uolo uolo **O** Nūc cum uolo **M** nunc eum *i. m.* cum **D**

Si pote stolidum repente excitare ueternum
Et supinum animum in graui derelinquere caeno,
Ferream ut soleam tenaci in uoragine mula.

XXI.

Aureli, pater essuritionum,
Non harum modo, sed quot aut fuerunt
Aut sunt aut aliis erunt in annis,
Pedicare cupis meos amores.
Nec clam: nam simul es, iocaris una,
Haerens ad latus omnia experiris.
Frustra: nam insidias mihi instruentem
Tangam te prior inrumatione.
Atque id si faceres satur, tacerem:
Nunc ipsum id doleo, quod essurire,
A me me, puer et sitire discet.
Quare desine, dum licet pudico,
Nei finem facias, sed inrumatus.

XXII.

Suffenus iste, Vare, quem probe nosti,
Homo est uenustus et dicax et urbanus,

---

24 pote stolidum *Victorius uar. lect. XIII 11:* potest (po͞t **O**) olidum **VM** | exitare **VM** ‖ 25 derelinquere **O**: delinquere **GM** | ceno **VM** ‖ 26 mulla **GM**

XXI. *Vetustae editiones interponunt Priapea quaedam a* **V** *omnino aliena; unde explicatur numerus, quem, ne confusio oriatur, cum plerisque retinuimus. Interstitio unius uersus hoc carmen a XVII separatum in* **VM** (*in* **O** // *i. marg.*); Ad Aurelium *inscribunt* **gM** ‖ 1 essuritionum *Bergkius:* exuricionum **V** exuritionum **M** ‖ 4 Dedicare **VM** ‖ 5 nam *om.* **G** *add.* **g** | exiocaris **VM** ‖ 6 Herens **VM**: Haeres *Vossius,* [at. bis **gM**] *uulgo* | experibus **GM** experibis **O** ‖ 7 instruentem **VM** struentem *O. Ribbeckius in Fleckeis. ann. 1862 p. 378* ‖ 8 irruminatione **VM** ‖ 9 id si] ip̄i **V** ipsi **M** ‖ 10 essurire *Bergkius:* esuriẹre **O** exurire **GM** ‖ 11 a me me *Scaliger:* Me me **VM** Me meus *Statius* Meus mi *Meleager* Vae meus *Faernus* Jeiunus *Huschkius* Mellitus *Handius* ‖ 12 desinat **VM** ‖ 13 Nei *Baehrensius:* Nec **V** Ne **M** | facias finem **O** | irruminatus sum **VM**

XXII. *Adhaeret priori in* **V** (**O** // *i. marg.*); Ad Varum **g** *marg.* **M** *in interstit.*

Idemque longe plurimos facit uersus.
Puto esse ego illi milia aut decem aut plura
Perscripta, nec sic ut fit in palimpseston
Relata: cartae regiae, noui libri,
Noui umbilici, lora rubra, membrana
Derecta plumbo, et pumice omnia aequata.
Haec cum legas tu, bellus ille et urbanus
Suffenus unus caprimulgus aut fossor
Rursus uidetur: tantum abhorret ac mutat.
Hoc quid putemus esse? qui modo scurra
Aut siquid hac re tritius uidebatur,
Idem infaceto est infacetior rure,
Simul poemata attigit; neque idem umquam
Aeque est beatus ac poema cum scribit:
Tam gaudet in se tamque se ipse miratur.
Nimirum idem omnes fallimur, neque est quisquam,
Quem non in aliqua re uidere Suffenum
Possis. suus cuique attributus est error;
Sed non uidemus manticae quod in tergo est.

XXII 18—20. Ieremias iudex de Montagnone Paduanus in compend. mor. notab. p. I libr. 3: 'Catulus c. 5 omnes fallimur — est error'.

19—21. extant in florum moralium auctoritatum a. 1329 Veronae scriptorum II c. 3: 'De errore. Catullus ad Varum. Quem non — mantice quod in tergo est'.

21. Porphyrio ad Hor. serm. II 3, 299: 'Aesopus tradit homines duas manticas habere, unam ante se, aliam retro. in priorem aliena

---

at itemq; g   at idem
3 Idemq; **O**: Idemq; **G** itemq; **M** ‖ 4 esse ego] ego esse **D**ς | illi ≡ **G** | millia **GM** ‖ 5 nec sit ut **VM** nec sic ut ς, *uulgo* | palimpseston *Marcilius:* palmisepto **VM** palimpsestum *Heinsius* ‖ 6 carte regie noue libri **VM** nouei *Lachmannus* ‖ 7 membrane **VM** *corr. Auantius* ‖ 8 Derecta *Statius:* Detecta **VM** ‖ 10 capri mulgus **VM** ‖ 11 abhoret **O** ‖ 13 hac re tristius **GM** ac retristi' **O**; tritius *Itali, uulgo.* tersius *Baehrensius et Munro in 'Journal of Philology' V p. 305 ita coniecit ut formam* tertius *praeferret.* scitius *L. Muellerus* ‖ 14 infaceto ē infaceto rure **OM** in faceto ē in faceto rure **G** ‖ 15 attigit ut neq; nec idem **O** | unquam **G** ‖ 16 ac] ha **VM** ah ς ‖ 17 tãq; **M** tamquam **V** (quam *compendiose*) ‖ 18 nec ē **O** ‖ 19 que nõ **M** | uidere *om. auctor florum mor. auct.* ‖ 20 actributus **M**

XXIII.

Furei, cui neque seruos est neque arca
Nec cimex neque araneus neque ignis,
Verum est et pater et nouerca, quorum
Dentes uel silicem comesse possunt:
Est pulcre tibi cum tuo parente
Et cum coniuge lignea parentis.
Nec mirum: bene nam ualetis omnes,
Pulcre concoquitis, nihil timetis,
Non incendia, non graues ruinas,
Non furta impia, non dolos ueneni,
Non casus alios periculorum.
Atqui corpora sicciora cornu
Aut siquid magis aridum est habetis
Sole et frigore et essuritione.
Quare non tibi sit bene ac beate?
A te sudor abest, abest saliua,
Mucusque et mala pituita nasi.
Hanc ad munditiem adde mundiorem,
Quod culus tibi purior salillo est,
Nec toto decies cacas in anno,

---

uitia mittimus, ideo et uidemus facile; in posteriorem nostra, quae abscondimus et uidere nolumus. hoc Catullus [‘tullimus’, sed ‘m’ expuncto, Monac.] meminit: Videmus manticae quod in tergo est’.

XXIII. *Adhaeret priori in* **V** (*// i. marg.* **O**); Ad furium **g** *marg.;*
at. seruus g
idem **M** *in interstitio* || 1 furei **M** | seruos *Statius:* seruo **G** seruo **O**
at seruo
seruus **M** | archa **VM** || 2 cimex neq; araneus **M** cimex at neq; a. **O** cimex
i at nec
aial neq; a. **G** || 7 Neç mirum **G** Ne mirum **O** ne mirū **M** || 8 pulchre **M** | nichil **O** || 9 ruinas **G**: minas **OM** minas *i. m.* at ruinas **L** || 10 furta *Hauptius quaest. Cat. p. 9:* facta **VM** (façta **G**) fata **D** || 12 Aut qui **VM** | sicçiora **M** || 13 siquid aridum magis **VM** || 14 essuritione *Bergkius:* exuritione **D** esuritione **GM** esuricione **O** || 15 sit **O**: si **GM** || 16 abest *alterum om.* **O**; *in* **G** *prioris* abest *littera* t *ex corr.* | saluia **O** || 17 Muccusue **G** Muctusue **O** muccus ue **M** | piçtuita **G** || 18 mundic(t **M**)iem
at cuius
VM || 19 culus **gM**: cuius **V** | sal illo est **M**

Atque id durius est faba et lapillis;
Quod tu si manibus teras fricesque,
Non umquam digitum inquinare possis.
Haec tu commoda tam beata, Furi,
Noli spernere nec putare parui,
Et sestertia quae soles precari
Centum desine: nam sat es beatus.

XXIIII.

O qui flosculus es Iuuentiorum,
Non horum modo, sed quot aut fuerunt
Aut posthac aliis erunt in annis,
Mallem diuitias Midae dedisses
Isti, quoi neque seruus est neque arca,
Quam sic te sineres ab illo amari.
'Quid? non est homo bellus?' inquies. est:
Sed bello huic neque seruus est neque arca.
Hoc tu quamlubet abice eleuaque:
Nec seruum tamen ille habet neque arcam.

XXV.

Cinaede Thalle, mollior cuniculi capillo

XXV 1. [Cicero ad Quintum fratrem II 13, 4: 'Tu, quemadmodum me censes oportere esse et in rep. et in nostris inimicitiis,

---

21 lupillis *Ianus Gulielmus in Grut. Lamp. III 2, 446* || 22 terasq; fricesq; **M** || 23 unquam **VM** | posseis *Baehrensius* posses **V** possis *uulgo* || 24 Haec tua **VM** | comoda **O** || 26 sesterciaq; **O** sextercia que **GM** || 27 satis beatus **VM** satis beatu's *Bergkius*

XXIIII. *Adhaeret priori in* **VM** ad amicū **D** *i. marg.* || 1 es] ē **VM** | iuuenciorum **O** || 2 quod **VM** || 3 post hac **VM** || 4 diuicias **O** | Midae
at cui
dedisses *Is. Vossius:* mi dededisses **O** mi dedisses **GM** || 5 Isti qui
at nec g at cui at neq;
neque **G**: Isti qui nec **O** isti qui nec **M** | arca **O**: archa **GM** || 7 Quid **O**: Qui **GM** || 8 archa **VM** || 9 H· (= hoc) **OM**: Hec **G** | quamlubet
at qua
O: qua lubet **G** quamlubet **M** || 10 archam **VM**

XXV. *Adhaeret priori in* **V** (// **O** *i. marg.*); Ad Tallum **g** *marg.* **M** *in interstitio* || 1 Cinede talle **VM**

Vel anseris medullula uel imula oricilla
Vel pene languido senis situque araneoso,
Idemque Thalle turbida rapacior procella,
Cum diua mulierarios ostendit oscitantes:
Remitte pallium mihi meum, quod inuolasti,
Sudariumque Saetabum catagraphosque Thynos,
Inepte, quae palam soles habere tamquam auita.
Quae nunc tuis ab unguibus reglutina et remitte,
Ne laneum latusculum manusque mollicellas
Inusta turpiter tibi flagella conscribillent
Et insolenter aestues, uelut minuta magno
Deprensa nauis in mari uesaniente uento.

---

ita et esse et fore a u r i c u l a i n f u m a scito m o l l i o r e m'; cf. Fr. Buechelerus in indice lection. hib. uniuers. Gryphiswald. a. 1868 p. 15—17.]

---

2 medullula **O**: medulla **GM** | imulla **O** | oricilla (auricilla) *Sca-*
at moricilla
liger: moricilla **G** moricula **O** moricula **M** inula moricilla **D** (*fortasse*
m
ex inula oricilla *ortum*) || 3 arācoroso **GM** at araneoso **g** *i. m.* **M** *sscr.:* āracoroso **O** || 4 talle **GM** tale **O** || 5 mulierarios] *Hauptius:* Cum diua
at. aues ut aries i g
mulier alios ostendet os≡citantes **G** Cum diua ml'r·aries osten-
at aues ut alios
det (ōndet) ossistantes **O** mulier. aries ostendit oscitātes **M** mulier aues *i. m.* at arios **L**. Cum diua mater alites ostendit occinentes (oscinentes *Faernus*) *Auantius* Cum dira maris hiems aues ost. oscitantes *Bapt. Guarinus* Cum de uia mulier aues ost. oscitantes *Scaliger* Cum diua munerarios ost. oscitantes *Lachmannus* Cum luna mulierarios ost. osc. *Heysius* Cum diua muttiens aues ost. osc. *Bergkius mus. Rhen. XVIIII 605* Conuiua cum mero grauis se ost. oscitantem *Boehmius quaest. Cat. p. 20* Conclaue com uicarios ost. osc. *H. A. J. Munro in 'Journal of Philology' V 306* || 7 sudarium q̄ **G** | saethabum **G**: satha-
at setha
bum **O** sathabum **M** seth. *ex* sath. *corr.* **D** | cathagraph(f **M**)osq; thinos **VM** || 8 Inepteq; **VM** (quae **g**) | tanquam **G** || 9 remite **O** || 10 mollicelas **O** || 11 Insula **VM** insuta **D** | fragella **M** | conscribilent **VM** || 12 uelut inimica **VM** minuta **D** *i. marg.* || 13 deprensa **O**: Deprehensa **GM**

XXVI.

Furi, uillula uostra non ad austri
Flatus opposita est neque ad fauoni
Nec saeui boreae aut apheliotae,
Verum ad milia quindecim et ducentos.
O uentum horribilem atque pestilentem!

XXVII.

Minister uetuli puer Falerni,
Inger mi calices amariores,
Ut lex Postumiae iubet magistrae
Ebria acina ebriosioris.
At uos quo lubet hinc abite, lymphae
Vini pernicies, et ad seueros
Migrate: hic merus est Thyonianus.

XXVII 2. Cf. glossa Philoxeni 'inger *εἴσκρασον*' apud Labbaeum p. 93b (Haupt. op. III 642).

1—4. Gellius VI 20, 6: 'Catullus quoque elegantissimus poetarum in hisce uersibus: Minister uetuli — Ebriose acine ebriosioris, cum dicere *ebrio* [*ebriosi* uel *hebriosi* codd.] posset et quod erat usitatius *acinum* in neutro genere appellare, amans tamen hiatus illius Homerici suauitatem *ebriam* [*ebriosam* uel *hebr.* codd.] dixit propter insequentis *a* litterae concentum. qui *ebriosa* [*ebrios* uel *hebrios* codd.] autem Catullum dixisse putant aut *ebrioso* [*ebriosos* uel *hebr.* codd.] — nam id quoque temere scriptum inuenitur — in libros scilicet de corruptis exemplaribus factos inciderunt'. cf. disputationem plane egregiam M. Hauptii in ind. lect. Berol. aest. 1857 (op. II 123).

XXVI. *Adhaeret priori in* **V** (// **O** *marg.*); Ad Furium **g** *marg.; in interstitio* **M** ‖ 1 ūrā **O**: nostra **GM** ‖ 2 *om.* **O** | fauonij **G** ‖ 3 seue **M** | apheliote **VM**: Apeliotae *uulgo* ‖ 4 millia **GM** ‖ 5 horribilem **G**

XXVII. *Adhaeret priori in* **V** (// **O** *marg.*); Ad pincernā suū **g** *marg.* **M** *in interstitio* ‖ 1 falerui **O** | ueatuli *Gellii Rottend.* ‖ 2 Inger mi *Gellii Rottend.:* Ingermi *Gellii Vatic. et Paris.* Ingere mi **GM** Ingeremi **O** | cabiles amariores *Gellii Rottend., qui hic desinit* ‖ 3 posthumie **GM** | iuuet *Gellii Vatic. et Paris.* ‖ 4 Ebria acina *Hauptius:* Ebriose acino **VM** ebriose ac in *Vatic.,* ebriose ac me *Paris. Gellii.* Ebriosa acino *Guarinus* Ebriosa acina *Parthenius, uulgo;* Ebrioso acino *Schwabius* ‖ 5 Aduos **O** | quod iubet **VM** (lubet **D** *i. marg.*), *correxit Al. Guarinus* | limphe **V** ‖ 6 pnities **M** ‖ 7 thionianus **VM**

XXVIII.

Pisonis comites, cohors inanis
Aptis sarcinolis et expeditis,
Verani optime tuque mi Fabulle,
Quid rerum geritis? satisne cum isto
Vappa frigoraque et famem tulistis?
Ecquidnam in tabulis patet lucelli
Expensum, ut mihi, qui meum secutus
Praetorem refero datum lucello:
'O Memmi, bene me ac diu supinum
Tota ista trabe lentus irrumasti'.
Sed, quantum uideo, pari fuistis
Casu: nam nihilo minore uerpa
Farti estis. pete nobiles amicos!
At uobis mala multa di deaeque
Dent, obprobria Romulei Remique.

XXVIIII.

Quis hoc potest uidere, quis potest pati,
Nisi impudicus et uorax et aleo,
Mamurram habere quod Comata Gallia

XXVIIII. Suetonius Iul. 73: 'Catullum a quo sibi uersiculis de Mamurra perpetua stigmata imposita non dissimulauerat (Caesar), . . .'

1. 2. Quintilianus VIIII 4, 141: 'Aspera uero et maledica, ut dixi, etiam in carmine iambis grassantur: Quis hoc potest — et aleo'.

3 sq. Plinius nat. hist. XXXVI 48: 'hic namque est Mamurra

XXVIII. *Adhaeret priori in* **V** (// **O** *marg.*); Ad Verraniū 7 fabullū **g** *marg.* ad Verannium et Fabullum **M** *in interstitio* ‖ 2 sarcinolis **M** sarcinulis **V** ‖ 3 Verani **GM**: Verā **O** ‖ 4 satis ue **O** ‖ 6 Et quidnam **VM** | patet **GM**: p; **O** ‖ 8 reffero **O** ‖ 9 Omē mi **O**, Omnē mi **GM** | suppinū **O** ‖ 10 trahe **GM** | lentus **VM**: tentus *Vossius* | yrrumasti **O** ‖ 11 pari **O** parum (at pari) **GM** | fuistis **M**: fuisti **V** ‖ 12 nichilo **O** | uerpa **D**: uerba (at up̄a. t urpa) **M** urpa **O** uerba **G** ‖ 14 uobis (at nobis **gM**) (u *ex corr.*) **GM**: nobis **O** | dii **VM** ‖ 15 oprobria romule **O** obprobia romulei **M**

XXVIIII. *Adhaeret priori in* **V** (// **O** *marg.*); In Romulū cathamitū **g** *marg.* **M** *in interst.* ‖ 3 Nam murrā **VM** | comota **O**

Habebat ante et ultima Britannia?
Cinaede Romule, haec uidebis et feres?
Et ille nunc superbus et superfluens
Perambulabit omnium cubilia
Ut albulus columbus aut Adoneus?
Cinaede Romule, haec uidebis et feres?
Es impudicus et uorax et aleo.
Eone nomine, imperator unice,
Fuisti in ultima occidentis insula,
Ut ista uostra diffututa mentula
Ducenties comesset aut trecenties?
Quid est alid sinistra liberalitas?
Parum expatrauit an parum elluatus est?
Paterna prima lancinata sunt bona,
Secunda praeda Pontica, inde tertia
Hibera, quam scit amnis aurifer Tagus;
Hunc Galliae timent, timet Britannia.
Quid hunc malum fouetis? aut quid hic potest
Nisi uncta deuorare patrimonia?

Catulli Veroniensis carminibus proscissus, quem, ut res est, domus ipsius clarius quam Catullus dixit habere quidquid habuisset Comata Gallia'. XXVIIII 10. Cf. Sallustius Cat. XIIII 2; Cicero Cat. II 10, 23. 16. glossa Labbaei p. 69[d]: 'expatrauit ἐπετέλεσεν'.

---

4 ante *Statius:* cū te **VM** cum te *i. m.* cuncta **D** uncti *Faernus* | Brittania **O** ‖ 5 haec **O** hec **GM** ‖ *post* 5 *add. Aldina a. 1502 u.* 10 ‖ 7 Perambulauit **VM** ‖ 8 adoneus *Statius:* ydoneus **V** idoneus **M** haut idoneus *Silligius* ‖ 9 haec **O** hec **GM** ‖ 11 eo ne **OM** ‖ 13 ūra diffututa **D**: nostra diffutura **VM** defututa *Lachmannus* ‖ 14 Ducencies *et* trecencies **O** | comerset **O** comeset **G** cōmesset **M** ‖ 15 alid *Auantius:* alit **VM** ‖ 16 partū **O** ‖ 17 prima *Auantius:* primū **VM** ‖ 18 tercia **V** ‖ 19 Libera **O** Hy(*ex* i *corr.* g)bera **GM** | scit **O**: sit **GM** | amni **VM** | thagus **GM** ‖ 20 Hunc gallie timet et britannie (brittanie **O**) **VM**; *quod correxi.* hunc gallie timēt et brithañia **D** Timentque Galliae hunc, timet Britannia *Turnebus aduers. XII 1.* Time Britannia, hunc timete Galliae *Lachmannus* Timete Galliae hunc, time Britannia *Hauptius* Timentne Galliae hunc, timent Britanniae *L. Muellerus* Et huice Gallia et metet Britannia *H. A. J. Munro* ‖ *u.* 21—24 *post* 10 *transposuit Th. Mommsenus hist. Rom. III 318* ‖ 21 hic] hīc **V**

Eone nomine orbis, o piissimi
Socer generque, perdidistis omnia?

XXX.

Alfene inmemor atque unanimis false sodalibus,
Iam te nil miseret, dure, tui dulcis amiculi?

Iam me prodere, iam non dubitas fallere, perfide?
Nec facta impia fallacum hominum caelicolis placent.

Quae tu neglegis ac me miserum deseris in malis.
Eheu, quid faciant, dic, homines, cuiue habeant fidem?

Certe tute iubebas animam tradere, inique, *me*
Inducens in amorem, quasi tuta omnia mi forent.

Idem nunc retrahis te ac tua dicta omnia factaque
Ventos irrita ferre ac nebulas aerias sinis.

Si tu oblitus es, at di meminerunt, meminit Fides,
Quae te ut paeniteat postmodo facti faciet tui.

XXVIIII 24. Vergilius epigrammate III 6: 'Ut ille uersus usquequaque pertinet: Gener socerque, perdidistis omnia'.

---

23 eo ne **OM** | orbis o piissimei *Hauptius:* urbis opulentissime (oppulētissiē **O**) **VM** imperator unice *Scaliger* urbis o piissime *Lachmannus* urbis o potissimei *L. Muellerus* ‖ 24 Socer generq; **VM**: Gener socerque *Vergilius* | pdistis **M**

XXX. *Adhaeret priori in* **V** (*// **O** in margine*); Ad Alphenum **g** *marg.* **M** *in interstitio* ‖ *Carmen a Lachmanno in Bergkii et Caesaris diar. antiq. a. 1845 p. 492 in strophas binorum uersuum discriptum est* ‖ 1 Alphene **VM** | una nimis **M** | salse **VM** ‖ 2 $\overset{t}{n}$ **O** nichil **G** nihil **M** ‖ 3 Iam me prodere, iam non me dubitas **VM** ‖ 4 Num *Schwabius* | falla cū **O** ‖ *u.* 4 *et* 5 *post* 12 *transposuit Lachmannus* ‖ 5 que **VM** | negligis **VM** ‖ 6 Oheu **V** o heu **M** | dic *Pontanus:* dico **VM** dice *Ellisius* dehinc *Statius* | cui ne **O** ‖ 7 tu te **GM** | me *Auantius: om.* **VM** ‖ 8 quasi omnia tuta **GM** quasi omnia, *om.* tuta, **O** ‖ 9 Idem **O**: Inde **G** at idem
inde **MB** ‖ 10 Vento **VM** | finis **O** ‖ 11 es ut (at **D**) dii **VM**

XXXI.

Paene insularum, Sirmio, insularumque
Ocelle, quascumque in liquentibus stagnis
Marique uasto fert uterque Neptunus:
Quam te libenter quamque laetus inuiso,
Vix mi ipse credens Thuniam atque Bithunos
Liquisse campos et uidere te in tuto!
O quid solutis est beatius curis,
Cum mens onus reponit ac peregrino
Labore fessi uenimus larem ad nostrum
Desideratoque acquiescimus lecto.
Hoc est quod unum est pro laboribus tantis.
Salue, o uenusta Sirmio, atque ero gaude:
Gaudete uosque, Lydiae lacus undae:
Ridete, quicquid est domi cachinnorum.

XXXII.

Amabo, mea dulcis Ipsithilla,
Meae deliciae, mei lepores,
Iube ad te ueniam meridiatum.
Et si iusseris illud, adiuuato,

XXXI. *Adhaeret priori in* **V** (// **O** *i. marg.*); Ad Sirmiū Insulā **g** *marg.* Ad Syrmium insulam **M** *in interstitio* ‖ 1 Pene ins. **VM** | Sirmio **gM**: sirinio **V** ‖ 2 quascunque **G** ‖ 3 neptūnus **M** neptunnus **D** ‖ 4 li-
i   at credens **g**
bente **VM** | letus **M** ‖ 5 m **O** michi **M** mihi **M** | credens **OM**: crederis **G** | thimiā atq; bithinios (bithin≡os **G**) **V** thuniā atq; bithynos **M**, *corr. Schwabius.* Thyniam atque Bithynos *uulgo* ‖ 8 meus **O** ‖ 9 Labore
at bero
VM ‖ 10 Acquiesimus **O** ‖ 12 hero **V** hero **M** ‖ 13 Gaudete **GM**: Gaude **O** Gaudente *Bergkius Philol. XVI 618* | uos quoq; lidie (lydie **G**) lacus
thusce
unde **VM** lydie **D** uosque *uel* uos o *uel* uosque o *Itali;* lucidae *B. Guarinus* ludiae *Scaliger* limpidae *Auantius* libuae *Lachmannus* incitae *Heysius* ‖ 14 ridere **O** | cachinorū **O**

XXXII. *Adhaeret priori in* **V** (// **O** *i. marg.*); Ad Ipsicillā **g** *marg.* ad Ipsicillam *in interst.* ad Ipsicillā at Ipsicilla *i. marg.* **M** ‖ 1 mea≡ **G**: meas **O** | ipi illa **O** ipsi thila **G** ipsichila **M** Ipsitilla ς *Buechelerus ad Petron. p. 74* ‖ 2 delitie **GM** ‖ 4 adiuuato **VM**: adiubeto *Turnebus adu. XII 1*

Nequis liminis obseret tabellam;
Neu tibi lubeat foras abire,
Sed domi maneas paresque nobis
Nouem continuas fututiones.
Verum, siquid ages, statim iubeto:
Nam pransus iaceo et satur supinus
Pertundo tunicamque palliumque.

XXXIII.

O furum optime balneariorum
Vibenni pater, et cinaede fili
(Nam dextra pater inquinatiore,
Culo filius est uoraciore):
Cur non exilium malasque in oras
Itis? quandoquidem patris rapinae
Notae sunt populo, et natis pilosas,
Fili, non potes asse uenditare.

XXXIIII.

Dianae sumus in fide
Puellae et pueri integri:
Dianam pueri integri
  Puellaeque canamus.
O Latonia, maximi
Magna progenies Iouis,
Quam mater prope Deliam
  Deposiuit oliuam,
Montium domina ut fores

5 luminis **O** ‖ 6 lube foras habire **O** | libeat **M** ‖ 8 futuciones **V**

XXXIII. *Adhaeret priori in* **VM** V̄ ad Vibennium **D** ‖ 4 uoratiore **VM**: at uolantiore **g** *i. marg.* (*sscr.* **M**) | dextra pater est uoraciore, Culo filius inquinatiore *L. Carrio antiq. lect. I 16* ‖ 5 horas **VM** ‖ 8 non pot̄ ase uendicare **V** non potest a se uendicare **M**

XXXIIII. *Adhaeret priori in* **V** (*//* **O** *marg.*); Carmen diane **g** *marg.* Carmen Diane *in interstit.* carmen Dyane *i. marg.* **M** ‖ 1 Dyane **G** ‖ 3 *om.* **VM** ‖ 5 latōnia **O** ‖ 7 delyam **GM** ‖ 8 Deposuit **VM**, *corr.* *Palladius*

Siluarumque uirentium
Saltuumque reconditorum
  Amniumque sonantum.
Tu Lucina dolentibus
Iuno dicta puerperis,
Tu potens Triuia et notho es
  Dicta lumine Luna.
Tu cursu, dea, menstruo
Metiens iter annuum
Rustica agricolae bonis
  Tecta frugibus exples.
Sis quocumque tibi placet
Sancta nomine, Romulique,
Antique ut solita es, bona
  Sospites ope gentem.

XXXV.

Poetae tenero, meo sodali
Velim Caecilio, papyre, dicas,
Veronam ueniat Noui relinquens
Comi moenia Lariumque litus:
Nam quasdam uolo cogitationes
Amici accipiat sui meique.
Quare, si sapiet, uiam uorabit,
Quamvis candida milies puella
Euntem reuocet manusque collo
Ambas iniciens roget morari;

---

10 uirencium **V** *corr.* **g** ‖ 11 Saltumq; recunditorū **O** ‖ 12 Omniumq; (Omnium **GM**) sonant(c **O**)ium **VM** ‖ 15 et notho es **VM**: at et noto es **gM** *i. marg.* ‖ 17 menstrua **VM** ‖ 18 Mentiēs iter animū **O** ‖ 21 Sis q̄cūq; tibi placet **O** Scis quecūq; tibi placēt **GM** at Sis quocūq; tibi placet **gM** *i. marg.* seis *Baehrensius* ‖ 23 Antiquei *R. Klotzius* Ancique *Scaliger*

XXXV. *Adhaeret priori in* **V** (// **O** *marg.*); Ad Ceciliū lubet (iubet **M**) libello loqui **g** *marg.* **M** *in interstit.* ‖ 2 occilio **O** | papire **VM** ‖ 4 menia≡ **GM**: ueniā **O** ‖ 5 quosdam **G**; *corr.* **g** | uolo] *litterae ultimae sscr. uirgulam* **g** ‖ 8 millies **VM** ‖ 10 inities **O**

Quae nunc, si mihi uera nuntiantur,
Illum deperit inpotente amore:
Nam quo tempore legit incohatam
Dindymi dominam, ex eo misellae
Ignes interiorem edunt medullam.
Ignosco tibi, Sapphica puella
Musa doctior: est enim uenuste
Magna Caecilio incohata mater.

XXXVI.

Annales Volusi, cacata carta,
Votum soluite pro mea puella:
Nam sanctae Veneri Cupidinique
Vouit, si sibi restitutus essem
Desissemque truces uibrare iambos,
Electissima pessimi poetae
Scripta tardipedi deo daturam
Infelicibus ustulanda lignis;
Et hoc pessima se puella uidit
Iocose lepide uouere diuis.
Nunc, o caeruleo creata ponto,

XXXV 12. Charisius p. 133, 25 K.: 'Inpotente. Catullus: deperit inpotente amore. quod ita quoque dictum notat Plinius'.

XXXVI 1. Seneca epist. 93, 11: 'annales Tanusii scis quam ponderosi sint et quid uocentur'.

---

11 mihi si **M** | nunciantur **V** ‖ 12 inpotente amore *Charisius:* impotentem amorem (amôre ≡ **G**) **V** impotētem amore **M** (impotentem **D**, i *supra* e) ‖ 13 tempore elegit (eligit **O**) indotatam **VM**; incohatam *Guarino debetur* ‖ 14 Dindimi **VM** ‖ 16 saphica **O** saphyca **GM** ‖ 17 docior **O** ‖ 18 cecilia **VM** | incohata **OD**: inchoata **GM**

XXXVI. *Adhaeret priori in* **V**; Ad lusi cacatā **g** *marg.;* **M** *in interstit.* ‖ 1 Anuale suo lusi cacata **O** Annuale suo lusi cacata **GM** ‖ 3 sancte **VM**; *itaque Liuineius not. 16* ‖ 5 Dedissemq; **VM**, *corr. Auantius* | yambos **G** ‖ 8 ustilanda **VM** ‖ 9 hoc (e *supra* o) **D** haec *uulgo* ‖ 10 uouere se diuis **VM** ‖ 11 o *om.* **O** | poncto **O** punto **GM**

Quae sanctum Idalium Uriosque apertos
Quaeque Ancona Cnidumque arundinosam
Colis quaeque Amathunta quaeque Golgos
Quaeque Durrachium Hadriae tabernam,
Acceptum face redditumque uotum,
Si non illepidum neque invenustum est.
At uos interea uenite in ignem,
Pleni ruris et inficetiarum
Annales Volusi, cacata carta.

XXXVII.

Salax taberna uosque contubernales,
A pileatis nona fratribus pila,
Solis putatis esse mentulas uobis,
Solis licere quicquid est puellarum
Confutuere et putare ceteros hircos?
An, continenter quod sedetis insulsi
Centum an ducenti, non putatis ausurum
Me una ducentos irrumare sessores?
Atqui putate: namque totius uobis

XXXVII 1. Atilius Fortunatianus p. 293, 2 K.: 'In iambico metro si paenultimam longam feceris, scazon uocatur, quem et choliambon et hipponaction uocant, ut: salax — contubernales'.

---

at ydalium at uriosq; **g**
12 adalium utriosq; **G**: adalium uriosq; **OM** at ydaliū **M** *marg.* | portus *N. Heinsius adu. 642;* Surosque apertos *Vossius* ‖ 13 ancora **M** | gnidumq; **VM** | harund. **GM** ‖ 14 Colisq; amathunta (-thuntā **O** -tunta **M**) queq; (q̄; **O**) alcos **VM**; Golgos *corr. Auantius* ‖ 15 dura-
at uenire
chium **VM** ‖ 18 intereo **O** | uenite **M** ‖ 19 turis et inficec(t **M**)iarū **VM**; ruris *em. Palladius* ‖ 20 Annuale suo lusi **G** Anuale suo lusic **O** A nnuale suo lusicacata **M**

XXXVII. *Adhaeret priori in* **V** (// **O** *marg.*); Ad contubernales **M** *in interstit.* **g** *marg.* ‖ 1 uoxq; **O** ‖ 2 pilleatis **O** pil≡eatis **GM** | non afratribus **VM** ‖ 3 mentualas **O** ‖ 5 Confutere **V**; *idem ex* concutere *corr.*
e
M confuture **D** | coeteros **M** | hyrcos **VM** ‖ 9 At qui **VM** | iamque *Handius obseru. 88* | tocius **V** totius **gM**

Frontem tabernae sopionibus scribam.
Puella nam mi, quae meo sinu fugit,
Amata tantum quantum amabitur nulla,
Pro qua mihi sunt magna bella pugnata,
Consedit istic. hanc boni beatique
Omnes amatis, et quidem, quod indignum est,
Omnes pusilli et semitarii moechi;
Tu praeter omnes une de capillatis,
Cuniculosae Celtiberiae fili
Egnati, opaca quem bonum facit barba
Et dens Hibera defricatus urina.

XXXVIII.

Malest, Cornifici, tuo Catullo,
Malest me hercule et laboriose,
Et magis magis in dies et horas.
Quem tu, quod minimum facillimumque est

XXXVII 17. 18. Priscianus I p. 188, 21 H.: 'Unus quia de uocatiuo quidam dubitant, Caper, doctissimus antiquitatis perscrutator, ostendit hoc usum Catullum et Plautum. Catullus: Tu praeter — Celtiberiae fili'. — idem ibid. p. 305, 8: 'o filie et o fili . Livius . . . filie. Catullus autem: Tu praeter — fili'.

---

10 sopionibus **VM** *Vossius.* scipionibus *uel* scorpionibus ς; scriptionibus *Marcilius* titionibus *Scioppius ueris. p. 118.* scopionibus *Heinsius ad Burmanni Petron. p. 101* ‖ 11 nam mi *Heinsius*: nam me **VM** namque *Auantius* ‖ 12 amabiliter **M** ‖ 13 q̃ **O** ‖ 14 Comsedit **O** ‖ 16 pussilli **O** | semitani **O** | moechi **O** mechi **GM** ‖ *inter* 16 *et* 17 Ad Egnatium *habent* **gM** *marg., nullo tamen in* **V** *interstitio; // **O** marg. Interstitium cum eodem titulo in* **M**ς ‖ 17 une *Priscianus* **O**: une (at uno **g**) **G** uno (at une) **M** ‖ 18 Celtiberose (*uel* — sae) *Priscianus utroque loco* Cuniculose **VM** Cuniculosae *Prisciani cod. Colon. 202, olim Darmstad.*[c], *s. XI, posteriore loco (cf. Haupt. in Herm. I 45); uulgo* Celtis perosae *Vossius* | Celbiberie **O**: celtiberi **GM** ‖ 19 opacha **O** ‖ 20 Et dens **G**: E dens **O** et deus **M** | hybera **M** | un‸a (rn *supra*) **M**

XXXVIII. *Adhaeret priori in* **VM** (// **O** *marg.*) F̄ epigramma **D** *marg.* ‖ 1 Male est si carnifici **VM** ‖ 2 Male sime hercule **V** male est si me **MD** ei et *Lachmannus* et est *Silligius* ‖ 4 facilimumq; **O**

Qua solatus es allocutione?
Irascor tibi. sic meos amores?
Paulum quid lubet allocutionis,
Maestius lacrimis Simonideis.

XXXVIIII.

Egnatius, quod candidos habet dentes,
Renidet usque quaque. sei ad rei uentum est
Subsellium, cum orator excitat fletum,
Renidet ille. si ad pii rogum fili
Lugetur, orba cum flet unicum mater,
Renidet ille. quicquid est, ubicumque est,
Quodcumque agit, renidet. hunc habet morbum
Neque elegantem, ut arbitror, neque urbanum.
Quare monendum est *te* mihi, bone Egnati.
Si urbanus esses aut Sabinus aut Tiburs
Aut fartus Umber aut obesus Etruscus
Aut Lanuuinus ater atque dentatus

XXXVIIII 11. Glossae Vaticanae in A. Maii Class. Auct. VII p. 574ª: 'pinguis, grassus. nam obesus plus est quam pinguis. Catullus ait: aut pinguis ubera aut obesus et prossus'. et similia in glossariis P. Danielis et monasterii uindocinensis legisse se testantur Scaliger et Turnebus. Cf. et glossarium Salomonis fol. 41 et 143 ed. princ.

---

5 *et* 7 alocuc. **O** ‖ 8 symonideis **GM**

XXXVIIII. *Adhaeret priori in* **VM** ‖ 1 Egnacius *et* candides **O** ‖ 2 sei **O**: seu **G** seu (at sei) **M** ‖ 3 Subscellum **O** Subsellum **GM** subselium *Baehrensius* | cum excitat orator fletum **VM**, *corr. Auantius* ‖ 4 si ad pii regum filii. at . impii **GM** si ad impij regum filij **O** ‖ 5 Iugetur orbicum **O** ‖ 6 ubicunq; **G** ‖ 9 te *addidi post* est: *Spengelius lect. p. 121 addit ante* est; *om.* **VM** ‖ 10 tyburs **M** ‖ 11 fartus *B. Venator*: parcus **VM** porcus *Scaliger* pastus *Vossius* pinguis *glossae Vaticanae, unde* crassus *G. Loewe in Ritschelii actis soc. Lips. II 476* | ubera aut *glossae Vatic.* | etruscus (e *in rasura*) **G** et (7) truscus **O** et truscus (at etruscus) **M** et prossus *glossae Vaticanae* ‖ 12 lamiuinus **VM** lanuinus ϛ, *L. Muellerus de re metr. p. 252*

Aut Transpadanus, ut meos quoque attingam,
Aut qui lubet, qui puriter lauit dentes:
Tamen renidere usque quaque te nollem;
Nam risu inepto res ineptior nulla est.
Nunc Celtiber *es:* Celtiberia in terra,
Quod quisque minxit, hoc sibi solet mane
Dentem atque russam defricare gingiuam,
Ut quo iste uoster expolitior dens est,
Hoc te amplius bibisse praedicet loti.

XXXX.

Quaenam te mala mens, miselle Rauide,
Agit praecipitem in meos iambos?
Quis deus tibi non bene aduocatus
Vecordem parat excitare rixam?
An ut peruenias in ora uulgi?
Quid uis? qua lubet esse notus optas?
Eris, quandoquidem meos amores
Cum longa uoluisti amare poena.

XXXVIIII 16. Ieremias iudex de Montagnone Paduanus compend. moral. notab. p. IIII libr. IIII: ʻCatulus c. 5 risu — nulla est'. — Petrarca de remediis utriusque fortunae praef. libr. II p. 104 ed. Basil.: ʻstultorum risus, quo inepto res ineptior nulla est, ut Catullus ait'.

19. Apuleius Apol. 6: ʻnisi forte in eo reprehendendus sum quod Calpurniano puluiusculum ex Arabicis frugibus miserim, quem multo aequius erat spurcissimo ritu Hiberorum, ut ait Catullus, sua sibi urina: dentem — pumicare gingiuam'.

---

13 ut] aut **VM** ‖ 14 pariter *i. marg.* aṫ puriter **M** ‖ 15 q̃; **O** ‖ 16 risti **O** ‖ 17 es *Conradinus de Allio: om.* **VM** ‖ 18 quique mixit h. s. s. īane **O** ‖ 19 russam *Apuleius:* rusam **VM** | pumicare *Apuleius* ‖ 20 uoster *scripsi:*
at ti
uester **GM** n̄r **O** | expoli'or **g**: expolitor **V** expolitor **M** | deus **O** ‖ 21 loti *Bernh. Pisanus:* lotus **VM**

XXXX. *Adhaeret priori in* **V** (*// O marg.*); Ad Rauidū **gM** *marg.* ad Rauidium **M** *in interstit.* ‖ 3 dens **V** deus **gM** | a‸ᵈuocatus **gM**: auocatus **V** ‖ 5 perueniamus inora (hora **O**) **VM** ‖ 6 Quid nis **O** ‖ 8 pena **O**: poema **GM** aṫ pena **gM** *marg.*

XXXXI.

Anne sana puella defututa?
Tota milia me decem poposcit,
Ista turpiculo puella naso,
Decoctoris amica Formiani.
Propinqui, quibus est puella curae,
Amicos medicosque conuocate:
Non est sana puella. nec rogate,
Qualis sit: solide est imaginosa.

XXXXII.

Adeste, hendecasyllabi, quot estis
Omnes undique, quotquot estis omnes.
Iocum me putat esse moecha turpis
Et negat mihi uostra redditurum
Pugillaria, si pati potestis.
Persequamur eam, et reflagitemus.
Quae sit quaeritis? illa quam uidetis

XXXXI 8. Gloss. Labb. p. 87c: 'imaginosus εἰκονώδης'; cf. Haupt. op. III 642.

XXXXII 5. Charisius p. 97, 10 K.: 'Hos pugillares et masculino genere et semper pluraliter dicas, sicut Asinius in Valer*ium*, quia pugillus est qui plures tabellas continet in seriem sutas. at tamen haec pugillaria saepius neutraliter dicit idem Catullus in hendecasyllabis' ['Catulus in indecasyllabis' Neap.].

XXXXI. *Adhaeret priori in* **VM** $\bar{V}$ **D** *marg.* ‖ 1 Anne sana *Conrad. de Allio:* Amean . a . puella **O** Ame an apuella **GM** Ametina, *Hauptius in edit. altera* Anniana *Schwabius* | defutura **M** diffututa *B. Guarinus* ‖ 2 millia **GM** | popossit **O** ‖ 4 form[i]ani (m *ex* n *corr.* **g**) **GM**: forniani **O** ‖ 5 puelle cure **V** puella cure **M** ‖ 6 conuocare **VM** ‖ 7 rogare **VM** | solet . et **VM** *ita interpungentes;* solet haec *Itali* solet: en imaginosam *Doeringius* solide est imaginosa *Hauptius* solet esse imaginosa *Schwabius* | ymaginosum **V** imaginosum **M**

XXXXII. *Adhaeret priori in* **VM** ‖ 1 endecha sillabi **VM** ‖ 3 Locum (at iocum **gM**) **GM**: Locum **O** | mecha **GM** meca **O** ‖ 4 ūra **O** uestra **GM** nostra *uulgo* | 7 illa **O**: illam **G** illam (at illa) **M**

Turpe incedere, mimice ac moleste
Ridentem catuli ore Gallicani.
Circumsistite eam, et reflagitate:
'Moecha putida, redde codicillos,
Redde, putida moecha, codicillos'.
Non assis facis? o lutum, lupanar,
Aut si perditius potes quid esse.
Sed non est tamen hoc satis putandum.
Quod si non aliud potest, ruborem
Ferreo canis exprimamus ore.
Conclamate iterum altiore uoce:
'Moecha putida, redde codicillos,
Redde, putida moecha, codicillos'.
Sed nil proficimus, nihil mouetur.
Mutanda est ratio modusque nobis,
Siquid proficere amplius potestis:
'Pudica et proba, redde codicillos'.

XXXXIII.

Salue, nec minimo puella naso
Nec bello pede nec nigris ocellis
Nec longis digitis nec ore sicco
Nec sane nimis elegante lingua,
Decoctoris amica Formiani.
Ten prouincia narrat esse bellam?

---

8 mimice *Turnebus adu.* XVIII 15: mirmice **VM** ‖ 9 catulli **VM** 11 Mecha **GM** Meca **O** ‖ 12 mecha **GM** moeca *(sic)* **O** ‖ 13 o lutum luparum *uel* o lutum o lupanar *Statius* ‖ 14 perdicius **O** | potes **VM**: potest ς *uulgo* ‖ 16 al≡iud **G** ‖ 17 Ferre ocanis (o c *ex corr.*) **G**: Ferre ocanis **O** ferrei (at fer̃o) o canis **M** ‖ 18 alciore **O** ‖ 19 . 20 Mecha **GM** meca **O** ‖ 21 nich' proficimus n[t] **O** nichil proficimus nil≡ ≡ (l *ex corr.*; nihil **M** *utroque loco*) **G** ‖ 22 racio **G** | nobis **VM**: uobis ς *uulgo* ‖ 23 potestis] uoletis *J. Maehly l. l.* putatis *Schwabius* | *post* 23 *Westphalius uu.* 16 *et* 17 *ponit* quo *si scribens*

XXXXIII. *Adhaeret priori in* **VM** ‖ de amica formiani **D** *marg.* ‖ 2 ocelis **G** *corr.* **g**

Tecum Lesbia nostra comparatur?
O saeclum insapiens et infacetum!

XXXXIIII.

O funde noster, seu Sabine seu Tiburs
(Nam te esse Tiburtem autumant, quibus non est
Cordi Catullum laedere: at quibus cordi est,
Quouis Sabinum pignore esse contendunt);
Sed seu Sabine siue uerius Tiburs,
Fui libenter in tua suburbana
Villa malamque pectore expuli tussim,
Non inmerenti quam mihi meus uenter,
Dum sumptuosas appeto, dedit, cenas.
Nam, Sestianus dum uolo esse conuiua,
Orationem in Antium petitorem
Plenam ueneni et pestilentiae legi.
Hic me grauido frigida et frequens tussis
Quassauit usque dum in tuum sinum fugi
Et me recuraui otioque et urtica.
Quare refectus maximas tibi grates
Ago, meum quod non es ulta peccatum.
Nec deprecor iam, si nefaria scripta
Sesti recepso, quin grauedinem et tussim

---

7 cōpantur **O** ‖ 8 O seclum **gM**: O sedum **V** | in sapiens atq; in facetum (s atq; *ex corr.*) **GM**

XXXXIIII. *Adhaeret priori in* **VM** ad fundum **D** *marg.* ‖ 2 cū quibus **G**, cū *del.* **g** ‖ 4 pignoris **VM** pignore ς *uulgo* ‖ 7 Villa aliamq; **VM** | expuli tussim *Auantius:* expuls' sim **VM** expui tussim *Scaliger* ‖ 8 meus uenter *Faernus apud Statium:* mēs utur **O** mens uertur **GM** | 10 festianus **O** | *in* conuiua *littera* a *ex corr. in* **G** ‖ 11 Oratione minantiū petitorē **V** *(corr. Statius):* Orationē minantium petitorum **gM** ‖ 12 pestilēte **O** ‖ 13 ħ (= hoc) **O** Hic **GM** ‖ 15 otioq; **M**: ocioq; **V** ocymoque *B. Pisanus* ‖ 17 ulta **VM**; ulte *Faernus* ultu' *Muretus* ‖ 18 nefaria *ex* necaria *corr.* **M** ‖ 19 Sestirc cepso **VM**, *corr. Palladius* | qui grauedinem **VM**

Non mi, sed ipsi Sestio ferat frigus,
Qui tunc uocat me, cum malum librum legi.

XXXXV.

Acmen Septumius suos amores
Tenens in gremio 'mea' inquit 'Acme,
Ni te perdite amo atque amare porro
Omnes sum assidue paratus annos
Quantum qui pote plurimum perire,
Solus in Libya Indiaque tosta
Caesio ueniam obuius leoni'.
Hoc ut dixit, Amor, sinistra ut ante,
Dextra sternuit approbationem.

At Acme leuiter caput reflectens
Et dulcis pueri ebrios ocellos
Illo purpureo ore sauiata
'Sic' inquit, 'mea uita Septumille,
Huic uni domino usque seruiamus,
Ut multo mihi maior acriorque
Ignis mollibus ardet in medullis'.
Hoc ut dixit, Amor, sinistra ut ante,
Dextra sternuit approbationem.

---

20 Non $\overset{i}{\text{m}}$ (michi **G** mihi **M**) **V** | sectio **VM** at sestio **M** *marg.* || 21 Qui≡ **G** | tūc **VM** (*in* **G** *ex* nūc *uel* hūc *corr.*): tum *Hauptius* | mecū **O** | legi *Lachmannus:* legit **VM** (leg' **O**)

XXXXV. *Adhaeret priori in* **VM** de Septimio **D** *marg.* || 1 Ac men **VM** agmen **D** | Septumios *et u.* 23 Septumio *Spengel.* (*cf. u.* 21): septimios **O** septimos **GM** || 2 inquid **O** | ac me **VM** agme **D** || 3 perditi **VM** | amore *Froehlichius* || 4 O mens **O** || 5 qui potest **VM** || 6 libia **VM** | Indiaue *L. Muellerus* || 7 Cesio **VM** || 8 sinistra (sinist˜ **O**) ut ante **VM.** *Scaliger* Hoc ut dixit amans, Amor sinistra, *Vossius* sinister ante *coniecerunt* || 9 Dextra (dext˜ **O**) — approbatione (aꝑpbatōe **O**) **VM**, *corr. Scaliger* || 10 Ad hac me **V** (agme **D**) Ad hāc me **gM** || 12 saniata **VM** || 13 inquid **O** | septinulle **V** septimulle **ACL** septinulle (at septimielle) **M** || 14 uni; i *corr.* **g** || 17 sinistrauit ante **VM** || 18 Dextram **VM** | approbacionē **O**

Nunc ab auspicio bono profecti
Mutuis animis amant amantur.
Unam Septumius misellus Acmen
Mauult quam Syrias Britanniasque:
Uno in Septumio fidelis Acme
Facit delicias libidinisque.
Quis ullos homines beatiores
Vidit, quis Venerem auspicatiorem?

XXXXVI.

Iam uer egelidos refert tepores,
Iam caeli furor aequinoctialis
Iocundis zephyri silescit aureis.
Linquantur Phrygii, Catulle, campi
Nicaeaeque ager uber aestuosae:
Ad claras Asiae uolemus urbes.
Iam mens praetrepidans auet uagari,
Iam laeti studio pedes uigescunt.
O dulces comitum ualete coetus,
Longe quos simul a domo profectos
Diuersae uariae uiae reportant.

XXXXVII.

Porci et Socration, duae sinistrae
Pisonis, scabies famesque mundi:

XXXXVI 7. Persius II 54: 'praetrepidum cor.' — Paulinus VI 486: 'praetrepida — dextra' (cf. 496: 'ignis praetrepidans').

---

19 auspitio **GM** ‖ 21 Septumius **VM** | agmen **VMD** ‖ 22 siriasq; **O** syriasq; **GM** | britaniasq; **O** ‖ 23 septimio **VM** | ac me **VM** agme **D** 24 delitias **GM** ‖ 26 auspicaciorem **OM**

XXXXVI. *Adhaeret priori in* **VM** *F* **D** *marg.* ‖ 1 uere gelidos **VM** ‖ 2 equi noctial' **O** ‖ 3 cephiri silesit **O** zephiri **M** ‖ 4 Liquantur **OD** | phrygii **M**: frigii **V** | catule **O** ‖ 5 Niceeq; (nicceq; **M**) ager ruber estuore **VM** ‖ 6 asye **G** ‖ 7 praetepidans **O** ‖ 8 et iam **M** | leti **V** ‖ 9 cętus **g** cetus **V** ‖ 10 quo **V** quoq; **M** ‖ 11 diuersae uariae **D** Diuerse uarie **VM** diuerse uariae *Scaliger* Diuersae uarie *Guarinus*

XXXXVII. *Adhaeret priori in* **VM** *F* **D** *marg.* ‖ 2 munde *Fr. Buechelerus in coniectaneis latinis p. 9*

Vos Veraniolo meo et Fabullo
Verpus praeposuit Priapus ille?
Vos conuiuia lauta sumptuose
De die facitis? mei sodales
Quaerunt in triuio uocationes?

XXXXVIII.

Mellitos oculos tuos, Iuuenti,
Siquis me sinat usque basiare,
Usque ad milia basiem trecenta;
Nec umquam uidear satur futurus,
Non si densior aridis aristis
Sit nostrae seges osculationis.

XXXXVIIII.

Disertissime Romuli nepotum,
Quot sunt quotque fuere, Marce Tulli,
Quotque post aliis erunt in annis,
Gratias tibi maximas Catullus
Agit, pessimus omnium poeta,

XXXXVIIII 1. Petrarca in epistula ad Colam di Rienzi data a. 1347: ‘uidi haesitantes an res tuas an uerba potissime mirarentur nec abnuentes quin libertatis beneficio Brutum, eloquio Ciceronem dicerent, ad quem Catullus Veronensis ait Disertissime etc.’

---

4 proposuit **VM** ‖ 7 uocatōēs **O**

XXXXVIII. *Adhaeret priori in* **VM** *V̄* **D** *marg.* ‖ 1 inuenti **OM** in uenti **G** ‖ 3 millia **GM** ‖ 4 Nec numquam **VM** *fortasse recte* (*cf.* LXXVI 3; LXXXVII 3). Nec mi unquam *Statius* | uidear satur *B. Guarinus:* inde corsater **VM** | nec ūnq̃ inde tot satur ^(cor est) futurum *i. marg.* ero satur futurus **D** ‖ 5 Africis aristis *Marklandus ep. crit. ad Fra. Hare p. 156* ‖ 6 Sit≡ (t *corr.* **g**) **G** Sint **O**

XXXXVIIII. *Unius uersus interstitium in* **V** (// **O** *marg.*); Ad Ciceronem (*corr. ex* M. Tullium) *inscribit* **g** ad Ciceronem *in interstit.* Romulū *i. marg.* **M** ‖ 2 marce (o *supra* a) **G** ·M· **O** ‖ 4 Gracias **O**

Tanto pessimus omnium poeta
Quanto tu optimus omnium patronus.

L.

Hesterno, Licini, die otiosi
Multum lusimus in meis tabellis,
Ut conuenerat esse delicatos.
Scribens uersiculos uterque nostrum
Loedebat numero modo hoc modo illoc,
Reddens mutua per iocum atque uinum.
Atque illinc abii tuo lepore
Incensus, Licini, facetiisque,
Ut nec me miserum cibus iuuaret,
Nec somnus tegeret quiete ocellos,
Sed toto indomitus furore lecto
Versarer cupiens uidere lucem,
Ut tecum loquerer simulque ut essem.
At defessa labore membra postquam
Semimortua lectulo iacebant,
Hoc, iocunde, tibi poema feci,
Ex quo perspiceres meum dolorem.
Nunc audax caue sis, precesque nostras,
Oramus, caue despuas, ocelle,
Ne poenas Nemesis reposcat a te.
Est uemens dea: laedere hanc caueto.

---

7 patronum **G**

L. *Unius uersus interstitium in* **V** (*// **O** marg.*); Ad lucinium **g** *inscribit; idem* **M** *in interstit. et i. marg.;* ad licinium ς *plerique* || 1 lucini **D** | ociosi **VM** || 2 inuicem libellis *Sabellicus* in tueis tabellis
at le
Schwabius perprobabiliter || 5 ludebat **M** | illos **O** || 7 abiit tuo **VM** | 8 lacini faceti tuiq; **VM** (lucini **D** ς) || 10 somnos **V** sompnos **M** || 12 Versaretur **VM** || 13 simuliq; ū essem **O** simulq; ut omnem **G** at essem **g**
at essē
marg. simulq; ut omnē **M** || 14 at **M**: Ad **V** | posquam **M** || 18 caue sis] caueris **VM** | p̄cepsq; **O** || 19 ocello **VM** || 20 penas ne messis **VM** | resposcat **O** reponat **M** | ate **VM** || 21 uehemens **VM**, *corr. Statius*

LI.

Ille mi par esse deo uidetur,
Ille, si fas est, superare diuos,
Qui sedens aduersus identidem te
Spectat et audit
Dulce ridentem, misero quod omnis
Eripit sensus mihi: nam simul te,
Lesbia, aspexi, nihil est super mi

. . . .

Lingua sed torpet, tenuis sub artus
Flamma demanat, sonitu suopte
Tintinant aures, gemina teguntur
Lumina nocte.
Otium, Catulle, tibi molestum est:
Otio exultas nimiumque gestis.
Otium et reges prius et beatas
Perdidit urbes.

LI e Sapphus carmine apud Longinum de sublim. c. 10 extanti (fr. 2 B.) conuersum est ita ut tantum tres priores illius strophae expressae sint; cf. Lachmannus ad Frankii fastos Horat. p. 237.

11. Gloss. Labb. p. 185a: 'tintino ἀλαλάζω' (cf. Hauptii op. III 642).

15 sq. Ieremias iudex de Montagnone Paduanus compend. moral. notabil. p. III libr. IIII: 'Catulus c. 5 Ocium et reges prius et beatas perodit (reddidit) urbes'.

LI. *Unius uersus interstitium in* **VM** (*// **O** marg.*); Ad Lesbiam **g** *inscribit; idem* **M** *marg.* ‖ 1 mi≡ ≡ (*corr. ex* michi **g**) impar **G** $\overset{i}{\text{m}}$ impar **O** mihi impar **M** ‖ 3 te *om.* **VM**; *add.* **g** ‖ 4 Spe≡ ≡ctat (Spe *ex corr.*) **g**: Te spectat **VM** ‖ 5 miseroq (= quod) **g**: miseroq; **V** $\overset{\text{at q}}{\text{miseroq;}}$ **M** ‖ 7 nich' **O** ‖ 8 *nulla lacuna in* **VM** uoce locuta **D** Quod loquar amens *Parthenius* uocis in ore *Doeringius* gutture uocis *Westphalius* ‖ 10 Flamina **VM** | a *altera in* demanat *ex corr. in* **G** ‖ 11 Tintīnat **GM**: Tintiāt **O** | gemina **VM**: geminae *Schraderus* gemina et *Spengelius lect. 113* ‖ 12 Limina **GM** ‖ 13—16 *alii ab interpolatore adiectos, alii noui carminis initium, alii denique proprium carmen autumant; at cf. Westphalius p. 48* ‖ 13 Ocium **V** | catulli **GM** catuli **O** ‖ 14 Ocio *et* 15 Ocium **V** (15 *corr. ex* otium **g**)

LII.

Quid est, Catulle? quid moraris emori?
Sella in curuli struma Nonius sedet,
Per consulatum perierat Vatinius:
Quid est, Catulle? quid moraris emori?

LIII.

Risi nescio quem modo e corona,
Qui, cum mirifice Vatiniana
Meus crimina Caluos explicasset,
Admirans ait haec manusque tollens:
'Di magni, salaputtium disertum!'

LII 2. Plinius nat. hist. XXXVII 81: 'extat hodieque huius generis gemma, propter quam ab Antonio proscriptus est Nonius senator, filius strumae Nonii eius quem Catullus poeta in sella curuli uisum indigne tulit'. — Boethius de consol. phil. III 4: 'quo fit ut indignemur eas saepe nequissimis hominibus contigisse; unde Catullus licet in curuli Nonium sedentem strumam appellat'. — Marius Victorinus p. 136, 19 K.: 'erit in exemplo uersus hic: sella — sedet'; cf. 136, 23; 137, 1. — Caesius Bassus p. 257, 7 K.: 'cuius exemplum: sella — sedet'.

LIII 5. Seneca controu. VII 4 (19) p. 332 Kiessl.: 'erat enim (Caluus) paruolus statura, propter quod etiam Catullus in hendecasyllabis uocat illum salaputtium disertum'.

LII. *Interstitium unius uersus in* **VM** (// **O** *marg.*); In Nouium **gM** *inscribunt* || 1 moraris mori **VM** || 2 curulu **O** (*siue ex* curulli *siue ex* curulei *archetypi*) | struma **V** *Caesius Bassus:* Struma *uulgo* strofa *Marius Victorinus (uide Keilii adnot. crit.)* | Nonius *idem ceterique testes:* nouius **VM** || 3 uacinius **GM** || 4 mori **VM**

LIII. *Adhaeret priori in* **VM** || 1 Nisi **O** | quem **GM**: q̄ **O** | et **VM** || 2 tum **O** | uaciniana **GM** || 3 Meos — caluos **VM** | crimina **O**:
at carmina g
crimina **G** carmina **M** | explicaset **O** || 4 Amirans **O** Admirans **GM** |
at manius
manusq; **M** || *inter* 4 *et* 5 **g** *marg. adscribit* de octonis capite, *nullo tamen in* **V** *interstitio* (// **O** *marg.*); *idem* **M** *in interstit. et i. marg.* (de Otonis *uel* Othonis capite ς) || 5 Dii **VM** | salaputtium disertum *Senecae*
at salapputiū
codd. apud Kiesslingium: salapantium desertum **V** salapantiū desertum
u
M (salapantium **D**)

LIIII.

Otonis caput oppido pusillum,
† Et eri rustica semilauta crura,
Subtile et leue peditum Libonis,
Si non omnia, displicere uellem
Tibi et Fuficio, seni recocto:
Irascere iterum meis iambis
Inmerentibus, unice imperator.

LV.

Oramus, si forte non molestum est,
Demonstres, ubi sint tuae tenebrae.
Te campo quaesiuimus minore,
Te in circo, te in omnibus libellis,
Te in templo summi Iouis sacrato.
In Magni simul ambulatione

LIIII 5. 'glossarium interpretatur ἄπεφθον γέροντα, cum hunc locum in animo haberet' Scaliger.

7. gloss. Labb. p. 87[d]: 'immerentibus ἀναξίοις' (cf. Hauptii op. III 642).

LIIII. *Adhaeret priori in* **VM**. *hoc carmen cum Scaliger aliique pro uno indiuisoque habeant, alii uarie 'lacunis instruxerunt', ueluti Lachmannus post u.* 3 *et* 5 *hiare carmen significauit, L. Muellerus post u.* 1, 3, 5 ‖ 1 Otonis **VM**: Octonis *uel* Othonis *(ita uulgo)* ς | capud **O** | apido **O** o☰pido **G** opido **M** | est pus(ss **O**)illū **VM** ‖ *inter u.* 1 *et* 2 *hi duo in* **V** *leguntur uersus:* Hoc [h' = haec **O**] iocunde tibi poema feci Exquo perspiceres meum dolorem, *repetiti scilicet ex* L 16, 17 ‖ 2 Et eri **V** Et
h
‸eri **gM** Heri *Muretus* Vetti *Vossius* Neri *L. Muellerus* Afri *Baehrensius* Et, trirustice, semil. *H. A. J. Munro in 'Journal of Philology' V 303* | rustice **V** Rustice *Statius* | cruta **O** ‖ 5 Fuficio *Hauptius:*
at p g
sufficio **VM** Fuffitio *Scaliger* | seniore cocto **O** seniore cocto **G** seniore copto **M** ‖ *inter u.* 5 *et* 6 In Camerium *habet* **g** *marg., nullo in* **V** *interstitio* (// **O** *marg.*); *item* ς *plerique;* **M** *in interstit. et i. marg.* ‖ 7 Immerentibus **GM**

LV. *Adhaeret priori in* **VM** ‖ 1 non molestus es **VM** ‖ 2 demostres **D** | tuae latebrae *Palladius* ‖ 3 Te campo quaesiuimus in minore **VM** Te c. quaesiuimus minore *Scaliger* Te in c. quaes. minore *Silligius* ‖
at in **gM**
4 id circo **GM** id circo **O**

Femellas omnes, amice, prendi,
Quas uultu uidi tamen serenas.
A vel te sic ipse flagitabam:
'Camerium mihi, pessimae puellae!'
Quaedam inquit nudum reduc †
'Em hic in roseis latet papillis'.
Sed te iam ferre Herculei labos est!
Tanto ten fastu negas, amice?
Dic nobis ubi sis futurus, ede
Audacter, committe, crede lucei.
Num te lacteolae tenent puellae?
Si linguam clauso tenes in ore,
Fructus proicies amoris omnes:
Verbosa gaudet Venus loquella.
Vel si uis, licet obseres palatum,
Dum uostri sim particeps amoris.

LVI.

O rem ridiculam, Cato, et iocosam
Dignamque auribus et tuo cachinno.
Ride, quicquid amas, Cato, Catullum:
Res est ridicula et nimis iocosa.
Deprendi modo pupulum puellae
Trusantem: hunc ego, si placet Dionae,
Pro telo rigida mea cecidi.

---

7 prendi **O**: prehendi **GM** ‖ 8 serena **VM**, serenas (**D**) *uel* sereno ς ‖ 9 A uelte **VM** ‖ 11 Quedam **O**: Quendam **GM** | inquid **O** | nudum sinum reducens *Auantius* | recludens *Riesius* ‖ 12 Em **V** Hem **gMD** | hic (= h^{i}) ς: h' (haec **M**) **O** hec **G** heic *Schwabius* ‖ 14 ten *Muretus:* te in **VM** ‖ 16 Audacter (Audaciter **O**) hoc committe **VM** | crede **V**: at crede
at crude **g** *sscr.* crude **M** | lucei *Scaliger:* lucet **VM** ‖ 17 nunc **VM** ‖ 18 tenens **V** tenes **M** ‖ 19 prohicies **O** proiicies **G** proicies **M** ‖ 20 lo- at no **gM**
quel|a **G** loquela **M** ‖ 22 uostri (ūri) sis **O**: uestri sis **GM**, nostri sis ς *uulgo* | sim *Auantius*

LVI. *Interstitium unius lineae in* **V** (// **O** *marg.*); ad Catonem **g** *inscribit; idem* **M** *in interstit. et i. marg.* ‖ 2 chachinno **G** ‖ 3 Nide **O** ‖ 5 populum **VM** ‖ 6 dione (dyone **GM**) **V** Dianae *Westphalius* Dionae *uulgo* ‖ 7 Pro telo **GM** Protelo **O** | ridida **G**; *corr.* **g**

LVII.

Pulcre conuenit improbis cinaedis,
Mamurrae pathicoque Caesarique.
Nec mirum: maculae paris utrisque,
Urbana altera et illa Formiana,
Impressae resident nec eluentur;
Morbosi pariter gemelli utrique,
Uno in lectulo erudituli ambo,
Non hic quam ille magis uorax adulter,
Riuales sociei puellularum.
Pulcre conuenit improbis cinaedis.

LVIII.

Caeli, Lesbia nostra, Lesbia illa,
Illa Lesbia, quam Catullus unam
Plus quam se atque suos amauit omnes,
Nunc in quadriuiis et angiportis
Glubit magnanimi Remi nepotes.

23 Non custos si fingar ille Cretum,
Non si Pegaseo ferar uolatu,
Non Ladas ego pinnipesue Perseus,

LVII 6. gloss. Labb. p. 116[a]: 'morbosus παϑικός' (cf. Hauptii op. III 642).

LVIII 24. Ratherius, episcopus Veronensis, p. 624 Ball.: 'Non angelico, ut Elias quondam, subuectus, non pennigero, ut poeticus ille, uolatu'.

LVII. *Adhaeret priori in* **VM** *(signum* χ **M** *marg.)* ‖ 1 Pulcre **V**: Pulc^{h}re **gM** ‖ 5 Impse **O** | nece luentur **VM** ‖ 6 gemelli **VM** tenelli *Hauptius* ‖ 7 lecticulo**O** *Baehrensius, fortasse recte*; lectulo **GM** *uulgo* ‖ 9 Niuales **O** | sociei *Scaliger:* socii et **VM** | puellullarum **O**

LVIII. *Adhaeret priori in* **VM** ‖ 1 nostra ς: uestra **V** u^{e}ostra (*corr. ex* nostra) **M** ‖ 2 catulus **O** ‖ 4 quadruuiis **G** ‖ 5 magna amiremini nep. **O** magna admiremini nep. **GM** magnanimos **D** *i. marg.; uulgo. hic sine interstitio adiunguntur uersus* 'Non custos — quaeritando' ‖ 25 primipesue **VM** *et i. marg.* at pinnipes **gM**

Non Rhesi niueae citaeque bigae;
Adde huc plumipedas uolatilesque,
Ventorumque simul require cursum:
Quos iunctos, Cameri, mihi dicares,
Defessus tamen omnibus medullis
Et multis langoribus peresus
Essem te mihi, amice, quaeritando.

LVIIII.

Bononiensis Rufa Rufulum fellat,
Uxor Meneni, saepe quam in sepulcretis
Vidistis ipso rapere de rogo cenam,
Cum deuolutum ex igne prosequens panem
Ab semiraso tunderetur ustore.

LX.

Num te leaena montibus Libystinis
Aut Scylla latrans infima inguinum parte
Tam mente dura procreauit ac taetra,
Ut supplicis uocem in nouissimo casu
Contemptam haberes, a, nimis fero corde?

---

26 Non rhesi niuee (thesi uinee **OM**) citeq; bige **VM** Non Rhesi niuea citaque biga *Handius, postquam Muretus* niueis citisque bigis *praeierat* ‖ 27 plumipedas **GM** ‖ 29 iunctos **G**: uictos **O** uictos **M** cunctos *Schraderus* ‖ 30 Deffessus **O** ‖ 31 peresus **GM**: p̄sens **O** ‖ 32 Esse **O** | amiceq; ritando **O**

LVIIII. *Cohaeret cum uersibus praecedentibus in* **V**; **G** *marg.* In Rufum *inscribit; idem* **M** *in interstitio;* // **O** *marg.* ‖ 1 Rufulum *Palladius:* rufum **VM** | fellat **O**: fallat **G** fallat (at fellat) **M** ‖ 5 Ab. semiraso **GM** Abse miraso **O**

LX. *Adhaeret priori in* **VM** V̄ ad Lesbiam **D** ‖ 1 libissinis **O** libisinis **G** libysinis **M**, *corr. Scaliger* ‖ 2 silla **V** sylla **M** ‖ 3 mentem **O** | tetra **VM** ‖ 4 suppliciis **gM** sup(p **G**)licus (— c') **V** ‖ 5 Conteptam **g** *ex* contentam **G** Conten‸tam (p above) (p *a man. rec.?*) **O** | animis fero **VM**

LXI.

Collis o Heliconiei
    Cultor, Uraniae genus,
    Qui rapis teneram ad uirum
Virginem, o Hymenaee Hymen,
    O Hymen Hymenaee,

Cinge tempora floribus
    Suaue olentis amaraci,
    Flammeum cape, laetus huc
Huc ueni niueo gerens
    Luteum pede soccum,

Excitusque hilari die
    Nuptialia concinens
    Voce carmina tinnula
Pelle humum pedibus, manu
    Pineam quate taedam.

Namque Vinia Manlio,
    Qualis Idalium colens
    Venit ad Phrygium Venus
Iudicem, bona cum bona
    Nubet alite uirgo,

LXI 6. glossar. Balliol. (cf. Ellis. edit. alter. p. IX): 'cinge tempora· coronare'.

LXI. *Interstitium unius uersus in* **V**; **g** *inscribit* Epythalamius Iunie et Mallii, **M** Epythalamus Iunie et Mallij *in interst. et i. marg.* **O** *post* LX 5 *spatium quinque linearum in fine paginae uacuum reliquit. quod ad metrum, Lachmannus in Bergkii et Caesaris Ephemer. antiq. a. 1845 p. 484 demonstrauit singulas huius carminis strophas constare ex duobus systematis, priore uersuum ternorum, binorum posteriore* || 1 obellicon iei **O** o Eliconei **GM** || 4 o hẏmenee **O** | Hymen *hic om.* **O** || 5 Hymen ohymenee hymen **O** O hymenee hymen **GM** | 7 amar^a^ici **O**: amarici **GM** || 8 Flameum **VM** || 11 hilari **M**: hylari **V** || 12 continens **VM** || 13 tinnuula **V**; *inde* **g** *fecit* tinnula (**M**) || 15 Spineam *Palladius* || 16 uinia **VM**: iunia **g** | mallio **VM** || 17 id alium **O** ad alium **G** idalium **gM** || 18 Phrygium **M**: frigium **V**

Floridis uelut enitens
  Myrtus Asia ramulis,
  Quos hamadryades deae
Ludicrum sibi rosido
  Nutriunt humore.

Quare age huc aditum ferens
  Perge linquere Thespiae
  Rupis Aonios specus,
Nympha quos super irrigat
  Frigerans Aganippe,

Ac domum dominam uoca
  Coniugis cupidam noui,
  Mentem amore reuinciens,
Ut tenax hedera huc et huc
  Arborem implicat errans.

Vosque item simul, integrae
  Virgines, quibus aduenit
  Par dies, agite in modum
Dicite 'o Hymenaee Hymen,
  O Hymen Hymenaee',

Ut lubentius, audiens
  Se citarier ad suum
  Munus, huc aditum ferat
Dux bonae Veneris, boni
  Coniugator amoris.

LXI 24. glossa Labb. p. 161b: *δεδροσισμένος*· rosidus'.
42. Placidi glossa in Maii class. auct. 6, 557: 'citarier· celeriter moveri'; eandem glossam in glossario Balliolensi invenit Ellisius (cf. edit. alter. p. IX).

---

21 uelut **GM**: uult **O** ‖ 22 myrtus **M**: Mirtus **V** | asya **G** ‖ 23 amadriades **VM** ‖ 24 ludicrum **M**: Ludricum **V** ‖ 25 nutriuntur honore *J. Maehly l. l.* ‖ 27 tespie **VM** ‖ 28 aouios **O** ‖ 29 nimpha **O** ‖ 33 reuincens **VM** ‖ 34 edera **VM** ‖ 38 innodum **V** nodum (at ĩ modum) **M** ‖ 39 himen **M** 40 O hymenee (him. **OM**) hymenee hymen (himen **O**) **VM** ‖ 41 lubencius **O** ‖ 42 citaries **O**

Quis deus magis est ama-
    tis petendus amantibus?
    Quem colent homines magis
Caelitum? o Hymenaee Hymen,
    O Hymen Hymenaee.

Te suis tremulus parens
    Inuocat, tibi uirgines
    Zonula soluunt sinus,
Te timens cupida nouos
    Captat aure maritus.

Tu fero iuueni in manus
    Floridam ipse puellulam
    Dedis a gremio suae
Matris, o Hymenaee Hymen,
    O Hymen Hymenaee.

Nil potest sine te Venus,
    Fama quod bona comprobet,
    Commodi capere: at potest
Te uolente. quis huic deo
    Compararier ausit?

Nulla quit sine te domus
    Liberos dare, nec parens
    Stirpe uincier: at potest

---

46 amatis **VM** magis ah magis *Scaliger* ancxiis *Hauptius* magis est ama — tis pet. *Bergkius* ‖ 48 quaem **M** ‖ *inter u.* 49 *et* 50 **VM** *inserunt:* Comparier (Conparies **O** comperarier **M**) ausit ‖ 50 O hymen

at hymen

(himen **O** hymenee **M**) hymenee hymen **VM** ‖ 51 sui si remulus **O**:

at remus **g** at remulus

sui si remulus **G** sui si remus **M** ‖ 53 Zonulla **O** ‖ 54 tumens *Dousa fil.* ‖ 55 maritos **VM** ‖ 56 fer o **VM** (fer oiuueni **O**) ‖ 57 puelullam **O** ‖ 58 gremio suae (sui **M**) matris **VM** ‖ 59 *et* 60 matris *om.* O hymenee hymen (him̄ **O**) hymenee (hymen ^O hymenee **gM**) **VM** ‖

at nihil

61 Nil≡≡ **g** (*erat* Nichil): Nich' **O** nil **M** ‖ 62 fāma **O** ‖ 65 comperarier **M** ‖ 66 quid **G**; *corr.* **g** ‖ 68 uincier **D**: uicier **GM** uities **O** nitier *Auantius* iungier *Scaliger,* cingier *Schraderus*

Te uolente. quis huic deo
Comapararier ausit?

Quae tuis careat sacris,
Non queat dare praesides
Terra finibus: at queat
Te uolente. quis huic deo
Comparariar ausit?

Claustra pandite ianuae,
Virgo ades. uiden ut faces
Splendidas quatiunt comas?
Tardet ingenuus pudor:
[Quem tamen magis audiens]
Flet, quod ire necesse est.

Flere desine: non tibi, Au-
runculeia, periculum est,
Nequa femina pulcrior
Clarum ab Oceano diem
Viderit uenientem.

Talis in uario solet
Diuitis domini hortulo
Stare flos hyacinthinus.
Sed moraris, abit dies:
Prodeas, noua nupta.

Prodeas, noua nupta, si
Iam uidetur, et audias
Nostra uerba. uiden? faces
Aureas quatiunt comas:
Prodeas, noua nupta.

70 Comparies **O** ‖ 75 Comparier **O** ‖ 77 ades *Schraderus:* adest **VM** ‖ 78 quaciunt **O** ‖ *inter u.* 78 *et* 79 *nullum in* **V** *interstitium: lacunam statuit Ellisius ante* 79, *post* 79 *L. Muellerus. Lachmannus u.* 80 *traiecit post* 106 ‖ 82 Au- *om.* **V** ‖ 83 Aurunculeia **O**: Arunculeia **GM**. *uocem diuisit et* Au *in finem prioris uersus traiecit primus Turnebus aduers. XV 22* ‖ 85 occeano **VM** ‖ 88 ortullo **V** ortul≡o **gM** ‖ 89 iacintinus **GM** iactītinus **O** ‖ 90 abiit **VM** ‖ 91 *om.* **VM** ‖ 94 uiden ut faces **GM** uideri ut faces **O** uiden? faces *uel* uide ut faces *Itali*

Non tuus leuis in mala
Deditus uir adultera
Probra turpia persequens
A tuis teneris uolet
Secubare papillis,

Lenta sed uelut adsitas
Vitis implicat arbores,
Implicabitur in tuum
Complexum. sed abit dies:
Prodeas, noua nupta.

O cubile, quod omnibus
. . . .
. . . .
. . . .
Candido pede lecti.

Quae tuo ueniunt ero,
Quanta gaudia, quae uaga
Nocte, quae medio die
Gaudeat! sed abit dies:
Prodeas, noua nupta.

Tollite, *o* pueri, faces:
Flammeum uideo uenire.
Ite, concinite in modum:
'O Hymen Hymenaee io,
O Hymen Hymenaee'.

Ne diu taceat procax

---

99 Probra turpia *Itali:* Procatur . pia **VM** *(ita interpungentes).* Proca turpia *Scaliger* ‖ 101 Se cubare **O** ‖ 102 Lenta s; **O**: Lentaq; **GM** Lenta quin *Muretus* | uelut ad sitas **GM**: uult adsitas **O** ‖ 105 abiit **VM** ‖ *inter* 107 *et* 108 *nullum in* **VM** *interstitium* ‖ 109 hero **VM** ‖ 110 gaudiaq; uaga **VM** ‖ 111 Nocteq; medio **VM** ‖ 112 abiit **VM** abit *uulgo* ‖ 114 o *om.* **VM** ‖ 115 Flamineum **GM** Flammineum **O** | uido **O** 117. 118. 116 *ponunt* **GM**, 117. 116 **O**, *qui om.* 118 ‖ 116 concinete **O** ‖ 117 Io hi(y **GM**)men hi(y **GM**)menee io **VM** ‖ 118 Io hymen hymenee io **GM**, *om.* **O** ‖ 119 taceatis procax **VM**

Fescennina iocatio,
Nec nuces pueris neget
Desertum domini audiens
Concubinus amorem.

Da nuces pueris, iners
Concubine: satis diu
Lusisti nucibus: lubet
Iam seruire Talasio.
Concubine, nuces da.

Sordebant tibi uilicae,
Concubine, hodie atque heri:
Nunc tuum cinerarius
Tondet os. miser a miser
Concubine, nuces da.

Diceris male te a tuis
Unguentate glabris marite
Abstinere: sed abstine.
O Hymen Hymenaee io,
O Hymen Hymenaee.

Scimus haec tibi quae licent
Sola cognita; sed marito
Ista non eadem licent.
O Hymen Hymenaee io,
O Hymen Hymenaee.

Nupta, tu quoque, quae tuus
Vir petet, caue ne neges,

---

120 Fosceninna **O** fascennina **D** | iocatio *N. Heinsius aduers. p. 644:* locacio **O** lotatio **G** at locutio **g** *marg.* locutio **M** ‖ 121 ne **M** ‖ 122 audiens **VM**: domini uidens *Schwabius* ‖ 125 diu **GM**: domini **O** ‖ 127 Nam **O** | talasio **VM**: talassio *uel* thalassio ς ‖ 129 uilice **O** uillice **GM** ‖ 132 misera miser **O**: miser ah miser **GM** ‖ 134 Diceres malle **VM** *(sed in* **G** *alterum* l *a corr. add.)* ‖ 135 Unguenta te **VM** ‖ 137 O: io **VM** *et ita* 142; 147; 152; 157; 162; 167; 172; 177; 182 138 *om.* **VM** Io hymen hymenee io **VM** 143; 148; 153; 158; 163 ‖ 139 Simus **O** | tibiq; licent **V** tibi quae l. **gM** ‖ 143 *om.* **O** ‖ 144 tuis **GMD**

Ni petitum aliunde eat.
O Hymen Hymenaee io,
O Hymen Hymenaee.

En tibi domus ut potens
Et beata uiri tui,
Quae tibi sine seruiat
(O Hymen Hymenaee io,
O Hymen Hymenaee),

Usque dum tremulum mouens
Cana tempus anilitas
Omnia omnibus annuit.
O Hymen Hymenaee io,
O Hymen Hymenaee.

Transfer omine cum bono
Limen aureolos pedes,
Rassilemque subi forem.
O Hymen Hymenaee io,
O Hymen Hymenaee.

Aspice, intus ut accubans
Vir tuus Tyrio in toro
Totus immineat tibi.
O Hymen Hymenaee io,
O Hymen Hymenaee.

Illi non minus ac tibi
Pectore uritur intimo

LXI 155. glossarium Balliolense: ‘anilitas ab anu nominata est, sicut a sene senectus’.

---

146 Ne pet. ς ‖ 148 *om.* **V**; **g** io hymen hymenee io *i. marg. habet;* **M** *in textu* ‖ 151 sine seruiat *Bernh. Pisanus:* sine seruit **VM** sine fine erit *Auantius* ‖ 153 *om.* **O** hymee io **M** ‖ 155 anilis (annilis **GM**) etas (aetas **M**) **VM** ‖ 158 *om.* **O** himenee io **M** ‖ 160 aureleos **M** ‖ 161 Nassilemq; **O** Ra≡silemq; **g** *corr. ex* rassilemq; rasilemq; **M** | sibi **VM** ‖ 163 *om.* **O** ‖ 164 intus *Statius:* unus **VM** unctus *Barthius* ‖ 165 thoro **VM** ‖ 168 Io hymen hymenee io **VM** *hic et* 173; 178; 183 ‖ 169 hac tibi **V** ac tibi **M** ‖ 170 uritur **V**, *marg.* at urimur **g** urimur **M**

Flamma, sed penite magis.
O Hymen Hymenaee io,
O Hymen Hymenaee.

Mitte bracchiolum teres,
Praetextate, puellulae:
Iam cubile adeat uiri.
O Hymen Hymenaee io,
O Hymen Hymenaee.

Vos bonae senibus uiris
Cognitae bene feminae,
Collocate puellulam.
O Hymen Hymenaee io,
O Hymen Hymenaee.

Iam licet uenias, marite:
Uxor in thalamo tibi est
Ore floridulo nitens,
Alba parthenice uelut
Luteumue papauer.

At, marite, (ita me iuuent
Caelites) nihilo minus
Pulcher es, neque te Venus
Neglegit. sed abit dies;
Perge, ne remorare.

Non diu remoratus es,
Iam uenis. bona te Venus

171 Flāma **OM**: Flama **G** ‖ 174 Mite **O** ‖ 175 Praetextare **O** | puelle **VM** ‖ 176 cubibe **O** | adeat **O**: adeāt **GM** ‖ 179 vos *om.* **VM** *add. Itali* Iam *Pleitnerus* | uiris *Statius* (bonis *Passeratius*): unis **VM** ‖ 180 Cognite berue femine **VM** bene *uel* breue ς ‖ 181 puellam **VM** ‖ 185 est tibi **VM** ‖ 187 uelut] utt **O** (*cf.* LXIII 14): uultu **G** (u *add.* **g**) **M** at uult **g** *marg.* ‖ *uu.* 189—193 *post* 194—198 *ponit* **V**; *traiecit Scaliger* ‖ 189 Ad maritum tamen iuuenem **VM**, *corr. Scaliger* ‖ 190 nihilo minus **M**: nich' ominus **O** nichọilominus **G** ‖ 191 Pulcre res **V** pulchre res **M**, *corr. Scaliger* | nec te **VM** ‖ 192 Neglegit **O**: Negligit **GM** | abiit **VM** abit *uulgo* ‖ 193 remorare **O**: rememorare **GM** ‖ 194 remorata es **GM** remota es **O**

Iuuerit, quoniam palam
Quod cupis cupis et bonum
Non abscondis amorem.

Ille pulueris Africei
Siderumque micantium
Subducat numerum prius,
Qui uostri numerare uolt
Multa milia ludi.

Ludite ut lubet, et breui
Liberos date. non decet
Tam uetus sine liberis
Nomen esse, sed indidem
Semper ingenerari.

Torquatus uolo paruulus
Matris e gremio suae
Porrigens teneras manus
Dulce rideat ad patrem
Semihiante labello.

Sit suo similis patri
Manlio et facile inscieis
Noscitetur ab omnibus
Et pudicitiam suae
Matris indicet ore.

Talis illius a bona
Matre laus genus approbet,

---

196 Iuuerit *Auantius:* Inuenerit **VM** ‖ 197 cupis cupis **V**: cupis capis **gM** ‖ 198 abscondas **VM** ‖ 199 Africi *Heinsius adu. 644:* ericei **VM** ‖ 200 syderumq; **M** | micancium **O** ‖ 202 uostri *Scaliger:* nostri **VM** | uolt *Statius:* uolunt **VM** ‖ 203 millia **GM** | ludere **VM** ludei *Scaliger* ‖ 204 Et ludite et lubet et breui **VM** (*sed* **O** b'ui = berui *habet*) ‖ 208 ingenerati **O** ‖ 209 Torcutus **O** ‖ 210 ⁊ **O** e **G** ‖ 213 Semihiante *Scaliger:* Sed michi ante **G** S; $\overset{i}{m}$ ante **O** sed mihi ante **M** ‖ 215 Maulio **O** | facie *Burmannus secundus ad anthol. Lat. I p. 305* | insciens **VM** ‖ 216 Noscite ab **O** ‖ 217 pudicic(t **M**)iam suam **VM** ‖ 218 iudicet **O** ‖ 219 a bona matre *et* 220 Laus genus (egenus **O**) **VM**

Qualis unica ab optima
Matre Telemacho manet
Fama Penelopeo.

Claudite ostia, uirgines:
Lusimus satis. at, bonei
Coniuges, bene uiuite et
Munere assiduo ualentem
Exercete iuuentam.

LXII.

Vesper adest: iuuenes, consurgite: Vesper Olympo
Expectata diu uix tandem lumina tollit.
Surgere iam tempus, iam pinguis linquere mensas:
Iam ueniet uirgo, iam dicetur Hymenaeus.
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.
Cernitis, innuptae, iuuenes? consurgite contra.
Nimirum Oetaeos ostendit Noctifer ignes.
Sic certest: uiden ut perniciter exiluere?

LXII 1. Varro de l. l. VII 50: 'Vesperugo stella quae uespere oritur, a quo eam Opilius scribit Vesperum. itaque dicitur aput Valerium ['ap̄ ualerium' Baehrensius: 'alterum' cod.]: Vesper adest'; cf. Schwabius in Fleckeiseni ann. 1870 p. 350.

---

221 ab *om.* **O** ‖ 222 theleamaco **GM** thelamacho **O** ‖ 223 penolopeo **G** pene lopeo **O** penelopeo **M** ‖ 224 hostia **VM** ‖ 225 ad bolnei **G**
at bonei
at bonei **g** *marg.* adbonlei **O** ad bolnei **M** ‖ 226 Coniuges bone uite et **VM** ‖ 227 assidue **VM** ‖ 228 Exercere **O**

LXII. *Unius uersus in interstitio* Explicit epithalamium **O** (*// marg.*) Exametrū carmen nuptiale **gM** *inscribunt.* Epithalamium Catulli *inscribit codex Thuaneus, nunc Parisinus lat. 8071, saec. VIIII* ‖ 1 Turba uirorū **gM** *marg.* | olimpo **O** ‖ 3 pinguis **OT**: pingues **GM** | liq̄re **O** ‖ 4 hymeneus **GTM** imeneus **O** ‖ 5 Hymeno hymeneae hymenades o hymenaeae **T** Hymen (him. **O**) o hymenee hymen (him. him. **O**) ades ohymenee (hymene **M**) **VM**, *hic et ceteris locis* ‖ 6 Puelle **gM** *marg.* ‖ consurg i eretera **T** consurgite contra **VM** ‖ 7 oeta eos **T**: haec (h') eos **O** hoc eos **GM** eoos *Itali* | ignes *Itali:* imbres **T** imber **V** ymber **M** | Oetaeas obtendit N. umbras *Statius* ‖ 8 Sic certest *Hauptius* (certe est *Statius*): Siccer tes. i. **T** Sic certe si **V** Sic certe≡≡ **gM**

Non temere exiluere: canent quod uincere par est.
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.
Non facilis nobis, aequalis, palma parata est:
Aspicite, innuptae secum ut meditata requirunt.
Non frustra meditantur: habent memorabile quod sit;
Nec mirum, penitus quae tota mente laborant.
Nos alio mentes, alio diuisimus aures.
Iure igitur uincemur: amat uictoria curam.
Quare nunc animos saltem conuertite uestros:
Dicere iam incipient, iam respondere decebit.
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.
Hespere, qui caelo fertur crudelior ignis?
Qui natam possis conplexu auellere matris,
Conplexu matris retinentem auellere natam
Et iuueni ardenti castam donare puellam.
Quid faciunt hostes capta crudelius urbe?
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.
Hespere, qui caelo lucet iocundior ignis?
Qui desponsa tua firmes conubia flamma,
Quae pepigere uiri, pepigerunt ante parentes,
Nec iunxere prius quam se tuus extulit ardor.

LXII 12. glossarium Balliolense: 'requirunt· in memoriam revocant'.

---

9 quod uisere par est **T** quo uisere parēt **VM** quo uincere par est *Auantius itaque* (*sed* quos) *B. Guarinus et* (quod) *Passeratius* || 10 Hymene *(sic prim. man.)* hymeneae ades . o . hymeneae **T** hymen ohymenee (-ne **G**) hy(i **O**)men ades o hymenee **VM** || 11 Puelle **gM** *marg.* | facilis nobilis **T** || 12 aspice **O** | innupte secum ut meditata requirunt **TD**: innupte q̄rūt secū ū meditare q̄rт **O** innupte que (quae **M**) secum ut meditare querūt **GM** || 13 habent] hn̄t **G** hūc **O** | memora psile **T** | q, **V** qd' **g** || 14 *om.* **VM**: *solus habet* **T** | Necmirum **T** || 15 Nos
at diuidamus
VM: Non **T** | diuisimus **G** || 17 nunc **T**: nō **VM** | conuertite **T**: committite **VM** || 18 incipiaent **T** || 19 hymeneae *bis* **T** || 20 quis **T** | puelle
l i
gM *marg.* || 21 complexu **VM** | complexua uelere **T** | amaτs **O** || 22 Complexu **VM** | auelle **T** || 24 credelius **T** || 25 Kymeno hymeneȩ Kymenades . o . Kymeneȩ **T** || 26 Iuuenes **gM** *marg.* | quis **T** | iucundior **T** || 27 fines **T** | connubia **VM** | flama **G** || 28 quae **T**: Quo **VM** | uir **T**

Quid datur a diuis felici optatius hora?
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.
Hesperus e nobis, aequalis, abstulit unam.

* * *

Namque tuo aduentu uigilat custodia semper.
Nocte latent fures, quos idem saepe reuertens,
Hespere, mutato comprendis nomine Eous.
At lubet innuptis ficto te carpere questu.
Quid tum, si carpunt, tacita quem mente requirunt?
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.
Ut flos in saeptis secretus nascitur hortis,
Ignotus pecori, nullo conuolsus aratro,
Quem mulcent aurae, firmat sol, educat imber,
. . . .
Multi illum pueri, multae optauere puellae;
Idem cum tenui carptus defloruit ungui,
Nulli illum pueri, nullae optauere puellae:
Sic uirgo, dum intacta manet, dum cara suis est;
Cum castum amisit polluto corpore florem,

LXII 45. Quintilianus VIIII 3, 16: 'Catullus in epithalamio dum innupta manet, dum cara suis est, cum prius dum significat quoad, sequens usque eo'.

---

30 a *om.* **T** | optacius **O** ‖ 31 Kymeno Kymeneae Kymenades o Kymeneę **T** ‖ 32 Puelle **gM** *marg.* | aequalis **T**: equales **O** aequales (m g) **G** equalem **M** ‖ *post* 32 *primus Auantius lacunam statuit* ‖ 35 compñdis **O** compre≡ndis **g** comprehendis **GM** comperendis **T** | Eous *Schraderus (cf. Ciris u. 352; Helvius Cinna fr. 8 M.)*: eospem **T** eosd' **O** eosdem **GM** ‖ 36 At libet **VM** Adlucet **T** | q̄stu **O** ‖ 37 Quittum **T**: Quod (at quid g) tamen **G** quod tñ (at quid tñ) **O** qđ tamẽ **M** | carpiunt **T** | tacita quema **T** tacita quam **VM** tacita quem *uulgo* ‖ 38 Kymeno Kymeneae Kymenales Kymeno Kymeneę **T** ‖ 39 Puelle **gM** *marg.* | septis **VM** | ortis **VM** ‖ 40 conuolsus **T**: conclusus **V** cōtusus **gM** ‖ 41 Quae mulcens aure firma **T** | ymber **GM** ‖ *post* 41 *u. unum perisse putant Spengelius, alii: nulla in* **V** *lacuna* ‖ 42 obtauere **T** ‖ 43 *et* 44 **GM** *habent: om.* **OT** ‖ 45 dum innupta *Quintilianus* | dum cara *idem* **B***A*: tum cara **TVM** | suis est *Quintil.* **T**: sui sed (s; **OM**) **VM**

Nec pueris iocunda manet nec cara puellis.
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.
Ut uidua in nudo uitis quae nascitur aruo,
Numquam se extollit, numquam mitem educat uuam,
Sed tenerum prono deflectens pondere corpus
Iam iam contingit summum radice flagellum,
Hanc nulli agricolae, nulli coluere iuuenci;
At si forte eadem est ulmo coniuncta marito,
Multi illam agricolae, multi coluere iuuenci:
Sic uirgo, dum intacta manet, dum inculta senescit;
Cum par conubium maturo tempore adepta est,
Cara uiro magis et minus est inuisa parenti.
58b *Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.*
At tu ne pugna cum tali coniuge, uirgo.
Non aequom est pugnare, pater cui tradidit ipse,
Ipse pater cum matre, quibus parere necesse est.
Virginitas non tota tua est, ex parte parentum est:
Tertia pars patri est, pars est data tertia matri,
Tertia sola tua est. noli pugnare duobus,
Qui genero sua iura simul cum dote dederunt.
Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee.

---

47 iucunda **T** ‖ 48 Kymeneo Kymeneę Kymenades Kymeneę **T** (hymee **M**) ‖ 49 Iuuenes **gM** *marg.* | Ut **VM**: Et **T** ‖ 50 extollit quam muniteam ducat uuam **T** | nunquam *bis* **GM** | mitem **GM**: uitem **O** ‖ 51 per flectens **T** ‖ 52 flacellum **T** fragellum **M** ‖ 53 Hannulli agri^{c}gcul^{l}ę multi acoluere **T** | nulli coluere (co≡luere **G**) **VM** | iuuenci **TVM** bubulci *A. Riesius* ‖ 54 At si **VM**: Apsi **T** | est ulmo] *quinque priores litterae in rasura* **G** ẽ ultimo **M** | marito **VM**: marita **T** ‖ 55 agriculę **T** | acoluere **T** accoluere **VM** coluere *Itali* | iuuenci **TVM** ‖ 56 tum inculta **T** ‖ 57 connubium **VM** ‖ 58 Cara **Mς**: Cura **TV** | uiro] uirgo **M** | et mi' **O** ‖ 58b *om.* **TVM**, *inser. Muretus* ‖ 59 Et tua nec **T** Et tu nec **VM**; ne *uulgo* ‖ 60 equom **T**: equo **VM** ‖ 62 *om.* **T** ‖ 63 Tertia patris pars est data tertia matri **T** Tercia pars patri est data tercia matri **O** Terc(t **M**)ia pars patri data pars data terc(t **M**)ia matri **GM**; *corr. Auantius et Hauptius;* tertia patris pars, pars est data tertia matri *Weber.* ‖ 64 tercia **V** | solit tu est noli tuignare duobus **T** ‖ 66 Kymeno Kymeneę Kymenades . o . Kymeneae **T** (o hymene **G**)

LXIII.

Super alta uectus Attis celeri rate maria
Phrygium ut nemus citato cupide pede tetigit
Adiitque opaca siluis redimita loca deae,
Stimulatus ibi furenti rabie, uagus animis,
Deuolsit ile acuto sibi pondere silicis.
Itaque ut relicta sensit sibi membra sine uiro,
Etiam recente terrae sola sanguine maculans
Niueis citata cepit manibus leue typanum,
Typanum tuom, Cybelle, tua, mater, initia,
Quatiensque terga taurei teneris caua digitis
Canere haec suis adorta est tremebunda comitibus:
'Agite ite ad alta, Gallae, Cybeles nemora simul,
Simul ite, Dindymenae dominae uaga pecora,
Aliena quae petentes uelut exules loca

LXIII 1. Terentianus Maurus 2899: 'Seruasse quae Catullum probat ipse tibi liber: Super — maria'. — Marius Victorinus p. 154, 23 K.: 'hoc genus metri maxime desiderat separari in duas clausulas, tamquam super alta uectus Attis, dehinc celeri rate maria'.

2. Caesius Bassus p. 262, 13 K.: 'Et Catullus Phrygium — tetigit'; idem p. 263, 7: 'Phrygium — tetigit'.

LXIII. *Adhaeret priori in* **O** (*// i. marg.*); *in unius uersus interstitio* De Berecinthi(y **M**)a et Athi *inscribunt* **gM** de berecinthia et athi **M** *marg.* ‖ 1 uetus **O** | actis **VM** athis **D** | celere **VM** celeri *auctt. metrici* ‖ 2 Frigium **V** phrygium **M** f *marg.* | ut *om. Caesius Bassus utroque loco* | cito *idem priore loco, ubi* pede *deest* ‖ 3 Adiitq; **O** | loca Rheae *L. Muellerus* ‖ 4 Stimulatus ubi **VM** | uagus amnis (ānis **O**) **VM** ‖ 5 Deuolsit *Hauptius quaest. 70:* Deuoluit **V** | ile *Lachmannus* ilei *Bergkius:* iletas **VM** | pondere silices **VM**: pondera silice *Auantius* pondere silicis *Passeratius* rodere silicis *Hauptius* ‖ 6 relitta **M** ‖ 7 Et iā **VM** | maculas **VM** ‖ 8 tīpanum **O** tympanum **GM**, *corr. Scaliger* ‖ 9 Timpanum **V** Tympanum **gM**, *corr. Scaliger* | tuom *Lachmannus:* tubam **VM** | Cybelle *Itali:* cibeles **V** Cybeles **M** Cybebes *Bentleius ad Lucan. I 600,* Cybebe *Lachmannus* | tu mater (ma$\overset{i}{\text{t}}$ **O**) **VM** ‖ 10 Quat(c **G**)iens ꝗ (= quod) **V** quatiēs ꝗ **M** | taurei *Lachmannus:* tauri et **VM** tauri *uulgo* ‖ 12 cibeles **GM** cibelles **O** ‖ 13 dindimene **O**: dindimenee **GM** *(sed ultimum e a corr. additum uidetur)* | uaga pectora **VM** ‖ 14 Alienaq; pet. **VM** | ult **O** | loca *B. Guarinus:* loca celeri **VM** celeris

Sectam meam executae duce me mihi comites
Rapidum salum tulistis truculentaque pelage
Et corpus euirastis Veneris nimio odio,
Hilarate erae citatis erroribus animum.
Mora tarda mente cedat: simul ite, sequimini
Phrygiam ad domum Cybelles, Phrygia ad nemora deae,
Ubi cymbalum sonat uox, ubi tympana reboant,
Tibicen ubi canit Phryx curuo graue calamo,
Ubi capita maenades ui iaciunt hederigerae,
Ubi sacra sancta acutis ululatibus agitant,
Ubi sueuit illa diuae uolitare uaga cohors.
Quo nos decet citatis celerare tripudiis.'
Simul haec comitibus Attis cecinit notha mulier,
Thiasus repente linguis trepidantibus ululat,
Leue tympanum remugit, caua cymbala recrepant,
Viridem citus adit Idam properante pede chorus.
Furibunda simul anhelans uaga uadit animam agens
Comitata tympano Attis per opaca nemora dux,
Veluti iuuenca uitans onus indomita iugi:

LXIII 21. Ausonius epist. XXIIII p. 188 Sch.: 'tentis reboant caua tympana tergis'.

---

loca exules *Spengelius lect. 124* celere uelut exules *Schwabius. Lachmannus* celer *in finem u. 74 traiecit* ||

15 execute **V**: excute **M** secutae *Bergkius* || 16 Rapidum **VM**: Rabidum *Bergkius* | pelage *Victorius apud Spengelium lect. 124:* pelagi **VM** || 17 euitastis **OM** euirastis **GD** || 18 hylarate **G** | erae citatis *Auantius:* erocitatis **O** crocitatis **G** e recitatis **L** *marg.* crocitatis *i. marg.* at ere citatis **M** aere citatis *Itali* | erroribus an animum **VM** || 19 cedat
at cedit **g**
OM: cedat **G** | siml'te **O** || 20 Frigiam **V** Phrygiā **M** | cibelles **O**: ci(y **M**)beles **GM** | phrigia **V** phrygia **M** | dee **VM**: Rheae *L. Muellerus* || 21 cimbalum *et* timpana **O** || 22 tibicen **VM**: tybicen **g** | Phrix **VM** || 23 menade sui **VM** | ei derigere **VM** || 27 atris **VM** *al* athis **L** *marg.* athis **D** | nota mulier **GM** ^mulies notha **O** || 28 Thy^a siis **G** Thiasis **O** th asus **M** | strepitantibus *Vossius* || 29 timp. *et* cimb. **O** || 30 uyridem **M** | ydam **GM** | ꝑ prāte **O** || 31 anelans **GM** | animagens **OM** anima gens **G** (*sed* nima gēs *ex corr.*) animo egens *Auantius* animi egens *Statius* animam agens *Lachmannus* || 32 timp. **O** | actis **VM** | oppaca **O** || 33 iugi] luci **VM**

Rapidae ducem secuntur Gallae properipedem.
Itaque, ut domum Cybelles tetigere lassulae,
Nimio e labore somnum capiunt sine Cerere.
Piger his labante langore oculos sopor operit:
Abit in quiete molli rabidus furor animi.
Sed ubi oris aurei Sol radiantibus oculis
Lustrauit aethera album, sola dura, mare ferum,
Pepulitque noctis umbras uegetis sonipedibus,
Ibi Somnus excitam Attin fugiens citus abiit:
Trepidante eum recepit dea Pasithea sinu.
Ita de quiete molli rapida sine rabie
Simul ipsa pectore Attis sua facta recoluit,
Liquidaque mente uidit sine queis ubique foret,
Animo aestuante rusum reditum ad uada tetulit.
Ibi maria uasta uisens lacrimantibus oculis,
Patriam allocuta maesta est ita uoce miseriter:
'Patria o mei creatrix, patria o mea genetrix,
Ego quam miser relinquens, dominos ut erifugae
Famuli solent, ad Idae tetuli nemora pedem,
Ut aput niuem et ferarum gelida stabula forem

LXIII 38. Festus p. 273 M.: 'Ra*bidus a rabie dictus est qui morbus caninus est.* Catullus *in galliambis: Abit in quiete mol*li rabidus *furor animi*'.

---

34 Rapide **VM**: Rabidae *Bentleius* Rapidae *uulgo* | secuntur **O**: sequntur *(sic)* **GM** | propere pedem **VM**, *corr. Balth. Venator* ‖ 35 ut pedomum **G** | cibelles **O**: ci(y **M**)beles **GM** | lasulle **O** ‖ 37 hiis **O** | labante; *alt.* a *ex corr.* **G** ‖ 38 Abit **O**: abiit **GM** | molli *Festus:* mollis **VM** ‖ 39 horis aureis sol **VM** ‖ 40 sol adura **VM** ‖ 42 sonus **O** sõnus **GM** | excitum **VM**, *corr. Lachmannus* | attin, *sic* **VM** athim **D** ‖ 43 eum] cum **VM** Tepidante quem *Bentleius* | pasitheo **VM** ‖ 45 ipsa *Al. Guarinus:* ipse **VM** | attis **G**: atris **O** actis **M** ‖ 46 sineq; is **O**: sineq; his **GM** ‖ 47 aestuante rusum *Victorius ap. Spengel. lect. 125:* estuanter usum **VM** | uada retulit **VM** ‖ 49 allocuta *(ex* alocuta *corr.)* est ita
at miseriter **gM** at maiestates **M**
uoce miseritus maiestas **GM** allocuta ē ita uoce miseritus magestatem **O**, *corr. Auantius* ‖ 50 o mea creatrix *Al. Guarinus* | genitrix **OM** ‖ 51 misėr **VM**: misera *Froehlichius* | herifuge **VM** (*ex* ueri f. *corr.* **G**) ‖ 52 adide **O** ad yde **GM** | tetuli **O**: retuli **GM** | memora **O** ‖ 53 Ut caput **VM** | stabilia **V** stabilla **gM**

Et earum omnia adirem furibunda latibula:
Ubinam aut quibus locis te positam, patria, reor?
Cupit ipsa pupula ad te sibi dirigere aciem,
Rabie fera carens dum breue tempus animus est.
Egone a mea remota haec ferar in nemora domo?
Patria, bonis, amicis, genitoribus abero?
Abero foro, palaestra, stadio et guminasiis?
Miser a miser, querendum est etiam atque etiam, anime.
Quod enim genus figurae est, ego non quod obierim?
Egu, mulier, ego adolescens, ego ephebus, ego puer,
Ego gymnasi fui flos, ego eram decus olei:
Mihi ianuae frequentes, mihi limina tepida,
Mihi floridis corollis redimita domus erat,
Linquendum ubi esset orto mihi sole cubiculum.
Ego nunc deum ministra et Cybeles famula ferar?
Ego maenas, ego mei pars, ego uir sterilis ero?
Ego uiridis algida Idae niue amicta loca colam?
Ego uitam agam sub altis Phrygiae columinibus,
Ubi cerua siluicultrix, ubi aper nemoriuagus?
Iam iam dolet quod egi, iam iamque paenitet.'
Roseis ut huic labellis sonitus abiit *celer*
Geminas deorum ad auris noua nuntia referens,

---

54 omnia **VM** amica *Muretus* omissa *Heysius* operta *uel* opaca *L. Muellerus* Et earum ad omnia irem *Auantius* ‖ 55 patriā **O** *(sed uirgula postea deleta, ut uid.)* ‖ 56 popula atte sibi dirigere **VM** ‖ 57 b'ue **O** ‖ 58 ferar *ex* ferat *corr.* **g** ‖ 60 guminasiis *Ellisius:* gūmasiis **O** gymnasiis *(ex* gynn. *corr.)* **G** gimnasiis **M** ‖ 61 ha **O** ah **GM** | q̄rendum· **O** ‖ 62 figuraest *Lachmannus* figurae est *uulgo* figura est **VM** | quod obierim *Statius:* quid abierim **VM** quod habuerim *Scaliger* ‖ 63 mulier **GM** muliēs **O** ‖ 64 gimnasti **VM** | fui **O**: sui **GM** | oley **VM** olei ς ‖ 66 corollis] circulis **VM** ‖ 67 Liquendum **VM** | solo **VM** ‖ 68 Ego nunc *Santenius:* Ego nec **VM** | deum **OM** de☰um **G** | ministtra **O** | ci(y **M**)beles famula ferarum **GM** cibellos famula ferar? **O** ‖ 69 pars] rs *ex corr.* **G** ‖ 70 idenene am. **O** ydene ne am. **GM** ‖ 71 Phrigie **G** frigie **O** phrygie **M** | columnibus **VM** ‖ 72 silui cultrix **VM** | apex **O** | nemori uagus **VM** ‖ 74 huic] hinc **GM** hīc **O** hic ς | sonitus adiit **VM** sonitus citus adiit *Bentleius* sonitus uagus abiit *Ahlwardtus* sonitus abiit celer *Lachmannus* sonus editus adiit *Froehlichius* sonitus citus abiit *Heysius* ‖ 75 Geminas deorum **VM** Geminas matris *Lachmannus* | adauris **O** ad aures **GM** | nuncia **VM**

Ibi iuncta iuga resoluens Cybele leonibus
Laeuumque pecoris hostem stimulans ita loquitur.
'Agedum' inquit 'age ferox, *i*, fac ut hunc furor *agitet*,
Fac uti furoris ictu reditum in nemora ferat,
Mea libere nimis qui fugere imperia cupit.
Age caede terga cauda, tua uerbera patere,
Fac cuncta mugienti fremitu loca retonent,
Rutilam ferox torosa ceruice quate iubam.'
Ait haec minax Cybelle religatque iuga manu.
Ferus ipse sese adhortans rapidum incitat animo:
Vadit, fremit, refringit uirgulta pede uago.
At ubi humida albicantis loca litoris adiit,
Teneramque uidit Attin prope marmora pelagi,
Facit impetum: illa demens fugit in nemora fera:
Ibi semper omne uitae spatium famula fuit.
Dea, magna dea, Cybelle, dea domina Dindymei,
Procul a mea tuos sit furor omnis, era, domo:
Alios age incitatos, alios age rabidos.

---

76 Ubi iuncta **VM** *(quamquam sitne* iūcta *an* uīcta *in* **O**, *dubium est)* | cibele **G** cibelle **O** cybele **M** ‖ 77 Lenumq; **O** | pectoris **VM** pecoris *uulgo* ‖ 78 inqd **O** | i *Scaliger: om.* **VM** | face *uulgo* | agitet *editor Cantabrigiensis a. 1702: om.* **VM** fac ut icat hunc furor *Pohlius* ‖ 79 face *Ricc.* | uti *Lachmannus:* ut **VM** | ictum **VM** ‖ 81 Age cede **OM**: at age cede **g**
A cede **G** | terga **O**: tergo **GM** | uerbera] uer9 uera (= uerum uera) **VM** ‖ 82 face *uulgo* | cunta **G** ‖ 84 cibelle **O**: cibele **G** cybele **M** | regligatq; **O** ‖ 85 adhorta lis **G** adortat **O** adortalis **M** | rabidum *Schwabius* | animum *Itali* ‖ 87 bumida **O** | litioris **O** (*ex* littoris *in* **V**?) ‖ 88 Tenerumq; **VM**, *corr. Lachmannus* | attin, *ita* **V** actin **M** | prope marmorea pelago **VM** (pelaga **D**) ‖ 89 Facit] Ficit **O** Fecit **GM** | ille **VM**, *corr. Lachmannus* ‖ 90 omne **GM**: ēē **O** | spacium **O** | famul≡a **G** ‖ 91 cibelle **O**: cibele **G** cybele **M** | domina **V** Didymi dea domina
at d̄idimei
Scaliger | dindimei **V**: dindimenei **g** dindimenei **M** ‖ 92 tuos *H. Usenerus in Fleckeis. ann. 1865 p. 226:* tuo **VM** tuus *uulgo* | era **O**: hera **GM** | 93 rapidos **VM**

LXIIII.

Peliaco quondam prognatae uertice pinus
Dicuntur liquidas Neptuni nasse per undas
Phasidos ad fluctus et fines Aeeteos,
Cum lecti iuuenes, Argiuae robora pubis,
Auratam optantes Colchis auertere pellem
Ausi sunt uada salsa cita decurrere puppi,
Caerula uerrentes abiegnis aequora palmis.
Diua quibus retinens in summis urbibus arces
Ipsa leui fecit uolitantem flamine currum,
Pinea coniungens inflexae texta carinae.
Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten.
Quae simul ac rostro uentosum proscidit aequor
Tortaque remigio spumis incanduit unda,
Emersere freti candenti e gurgite uultus,
Aequoreae monstrum Nereides admirantes.
Illa, siqua alia, uiderunt luce marinas

LXIIII. Hoc carmen Lygdamus VI 41 sq. respexit: 'Sic cecinit pro te doctus, Minoi, Catullus Ingrati referens impia facta uiri'.

1. Marius Victorinus p. 125, 3 K.: 'interponimus dactylum quo pes septimus anapaestus efficiatur . . . ueluti Peliaco — pinus'.

LXIIII. *Unius uersus interstitium in* **VM** (// **O** *marg.*); Argonautia *inscribunt* **gM** Argonautika **D** || 1 Peliaco *Marius Victorinus:* Pelliaco **VM** | pynus **M** || 2 neptūni **GM** neptunni **D** || 3 Fascidicos (at phasidos **g**) **G**: Fasidicos (at phasidos) **O** fascidicos **M** | Aeeteos *Hauptius:* oeticos **G** ceticos, *marg.* at tetidicos **O** ceticos **M** oete(i)os **D** Aeetaeos *uulgo* || 4 pupis **O** puppis **GM** || 5 cholchis **O** || 6 ualda (uada) salsa **O** | decurere pupi **O** (decurre **M**) || 7 uer(r g)entes **G**: uerentes **O** uerrētes **M** || 9 uolūtātē *(prior uirg. deleta)* **O** || 10 testa **GM** testa (x) **D** || 11 peā, *marg.* prorā **O**: primam **GM** prima ς *uulgo* | aphitrite (at amphitrionē) **O**: amphitritem **G** āphxitritē **M** || 12 proscidit **gM** procidit **V** || 13 Tortaque *Itali:* Totaq; **VM** | incanuit *Itali* || 14 feri candenti e gurg. **VM** freti *uel* fero canenti e gurg. *Schraderus* || 15 Equoree monstrum **GM**: Eq(o)re mōstrū, *marg.* at mōstrorum **O** | nereydes **G** | admirantes **G** āmirantes **O** || 16 Illa siqua alia *Lachmannus:*

Mortales oculis nudato corpore Nymphas
Nutricum tenus extantes e gurgite cano.
Tum Thetidis Peleus incensus fertur amore,
Tum Thetis humanos non despexit hymenaeos,
Tum Thetidi pater ipse iugandum Pelea sensit.
O nimis optato saeclorum tempore nati
Heroes, saluete, deum genus, o bona matrum
23b Progenies, saluete iter*um* . . . .
Vos ego saepe meo uos carmine compellabo,
Teque adeo eximie taedis felicibus aucte
Thessaliae columen Peleu, cui Iupiter ipse,
Ipse suos diuum genitor concessit amores.
Tene Thetis tenuit pulcherrima Neptunine?
Tene suam Tethys concessit ducere neptem,
Oceanusque, mari totum qui amplectitur orbem?
Quae simul optatae finito tempore luces
Aduenere, domum conuentu tota frequentat
Thessalia, oppletur laetanti regia coetu:

LXIIII 23. Schol. Veronensis ad Verg. Aen. V 80 (p. 94, 11 K.): 'Salue sancte parens. Catullus: Saluete deum gens, o bona matrum Progenies saluete iter . . . .'

Illa atque alia **GM** Illa alia **O** illaque atque alia *uel* illa atque haud alia *Itali* Illac atque alia *Statius* | uidere **VM**: uiderunt ς ‖ 17 oculis **VM** | nimphas **O** ‖ 19 Tum **GM**: Cum **O** | tethidis *et* tethis *u.* 20 **M** ‖ 20 tum **D**: Cum **V** tū (c *i. marg.*) **M** | himeneos **O** | 21 Cum **VDM** | sanxit *Itali* ‖ 22 seclorum **M**: seculorum **V** ‖ 23 genus **VM**: gens *schol. Veron.* | mater (at. matre **gM**) **GM** mater **O** matrum *schol. Veron.* ‖ 23b *om.* **VM**: Progenies saluete iter *schol. Veron., in cuius codice quinquaginta fere litterae perierunt.* iterum, uos compellabo *Maduigius,* iterum placidique fauete *L. Muellerus. Hauptius tertium* saluete *intercidisse putat* ‖ 24 meo uos] meo post *Bergkius* ‖ 25 tedis **O**: thetis **GM** 26 Thesalie **O** Thessalie *(prius* s *a* **g** *add.)* **G** tessalie **M** | pelleu **M** 28 tethis **M** | pulcima (?) **O** | nectine **V** *i. marg.* at neptine **g** Neptunnine (at neutūne) **D** nectine *i. marg.* at neptine **M** Nereine *Hauptius* ‖ 29 thetis **VM** ‖ 30 Occeanusq; **VM** ‖ 31 Que **V** q **M** Quae *uulgo* Queis *L. Muellerus* | optato finito **GM** optato finite **O** ‖ 32 Adlenire **VM** ‖ 33 Thesalia **O** Tessalia *(prius* s *a* **g** *add.)* **GM** | oppl'etur **O** | cetu **V** cętu **g** coetu **M**

Dona ferunt prae se, declarant gaudia uultu.
Deseritur Cieros, linqunt Pthiotica tempe
Crannonisque domos ac moenia Larisaea,
Pharsalum coeunt, Pharsalia tecta frequentant.
Rura colit nemo, mollescunt colla iuuencis,
Non humilis curuis purgatur uinea rastris,
Non glaebam prono conuellit uomere taurus,
Non falx attenuat frondatorum arboris umbram,
Squalida desertis rubigo infertur aratris.
Ipsius at sedes, quacumque opulenta recessit
Regia, fulgenti splendent auro atque argento.
Candet ebur soliis, collucent pocula mensae,
Tota domus gaudet regali splendida gaza.
Puluinar uero diuae geniale locatur
Sedibus in mediis, Indo quod dente politum
Tincta tegit roseo conchyli purpura fuco.

Haec uestis priscis hominum uariata figuris
Heroum mira uirtutes indicat arte.
Namque fluentisono prospectans litore Diae
Thesea cedentem celeri cum classe tuetur
Indomitos in corde gerens Ariadna furores,
Necdum etiam sese quae uisit uisere credit,

LXIIII 55. gloss. Labb. p. 119[b]: 'necdum etiam οὐδεπώποτε'; cf. Hauptii op. III 642.

---

35 Cieros *Meinekius uind. Strabon. p. 151:* siros **O** syros **GM** Scyros *uulgo* | lĭqūt **V**: linquunt **gM** | pthiotica **M** ptiotica **O** pthyotica **GD** | tempe **VM** *Meinekius l. l.:* Tempe *uulgo* Phthiodida, Tempe *Lachmannus coni.* ‖ 36 Grauinonisq; **GM** Graiumonisq; **g** Graumonisq; **O**, *corr. Victorius* | ac nicenis **VM** | alacrissea **O** alacrisea **GM** ‖ 37 Farsaliam **VM**, *corr. Pontanus* | Farsalia **VM** ‖ 38, 40, 42, 39, 41 *Ramiresius de Prato hypomnem. in Martial. I 44.* 39, 41, 38, 40, 42 *Mitscherlichius.* 38, 39, 41, 40, 42 *Ritschelius ind. lect. hib. Bonn. 1857 p. 8 sq. praeeunte Ramlero* ‖ 40 glebam **VM** ‖ 43 Ipsius ad **VM** | oppulenta **O** 47 Pluuinar **O** ‖ 49 conchili **VM** ‖ 50 hec **V** hęc **g** haec **M** ‖ 52 fluenti sono **O**: fluentinoso sono **G** | littore **O** litora[e] **M** | dya **G** dia **OM** ‖ 53 Tesea
at terni **M**
OM ‖ 54 Indomites **O** | adriana **VM** *fortasse recte* ‖ 55 seseq; sui tui se credit **VM**, *corr. Vossius*

Ut pote fallaci quae tunc primum excita somno
Desertam in sola miseram se cernat harena.
Inmemor at iuuenis fugiens pellit uada remis,
Irrita uentosae linquens promissa procellae.
Quem procul ex alga maestis Minois ocellis
Saxea ut effigies bacchantis prospicit, eheu,
Prospicit et magnis curarum fluctuat undis,
Non flauo retinens subtilem uertice mitram,
Non contecta leui uelatum pectus amictu,
Non tereti strophio lactentis uincta papillas;
Omnia quae toto delapsa e corpore passim
Ipsius ante pedes fluctus salis adludebant.
Sed neque tum mitrae neque tum fluitantis amictus
Illa uicem curans toto ex te pectore, Theseu,
Toto animo, tota pendebat perdita mente.
A misera, assiduis quam luctibus externauit
Spinosas Erycina serens in pectore curas
Illa tempestate, ferox quo ex tempore Theseus
Egressus curuis e litoribus Piraei
Attigit iniusti regis Gortynia templa.

LXIIII 65. Isidorus Origg. XVIIII 33: 'Strophium est cingulum aureum cum gemmis de quo ait Cinna: Strophio lactantes cincta papillas'.

68. Paulinus uit. M. II 145 (cf. mus. Rhen. 43, 636).

71 sq. Nonius p. 108: 'Externauit, ut consternauit id est dementem fecit. Catulus [ita libri]: a misera — ferens [ita libri] in pectore curas'.

---

56 fallaciq; **V** fallaci q̄ **gM** | tūc **O**: tum **GM** | sōpno **O** || 57 arena **GM** || 59 linq̄ns **O** || 60 alga **VM**: acta *Heinsius* || 61 Saxea **gM**: Saxa **V** | bachantis **V** baccātis **M** | eheu *Bergkius:* heue **VM** euoe *uulgo* euhoe *Lachmannus* || 62 et≡magnis (t *ex corr.*) **GM** 9magnis **O** || 64 contēta **O** | uelatum **VM** niueum per *J. Maehly l. l. p. 320* nudatum *Schwabius* || 65 strophyo **GM** | lactantes *Isidorus idemque* cincta || 66 Omniaq; **O** | delapsa e ς: delapse **O** delapso **GM** || 67 allud. **GM** || 68 Sed *Itali:* Si **VM** | tum — tum **GM**: tn̄ — tn̄ **O** || 69 toto ex pectore, *om.* te, **O** || 70 pdebat **M** || 71 A *Nonii codd.:* Ha **O** Ah **GM** || 72 ericina **VM** | impectore **O** || 73 feroxq; 7 tempore **VM**: ferox qua robore *Froehlichius* ferox quo (*uel* quo ex) tempore *Itali* ferox quom robore *Ritschelius l. l. p. 6* || 75 templa **D** cortinia tempta (tēpta **O**) **VM**

Nam perhibent olim crudeli peste coactam
Androgeoneae poenas exsoluere caedis
Electos iuuenes simul et decus innuptarum
Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro.
Quis angusta malis cum moenia uexarentur,
Ipse suum Theseus pro caris corpus Athenis
Proicere optauit potius quam talia Cretam
Funera Cecropiae nec funera portarentur.
Atque ita naue leui nitens ac lenibus auris
Magnanimum ad Minoa uenit sedesque superbas.
Hunc simulac cupido conspexit lumine uirgo
Regia, quam suauis expirans castus odores
Lectulus in molli complexu matris alebat,
Quales Eurotae progignunt flumina myrtus
Auraue distinctos educit uerna colores,
Non prius ex illo flagrantia declinauit
Lumina, quam cuncto concepit corpore flammam
Funditus atque imis exarsit tota medullis.
Heu misere exagitans inmiti corde furores
Sancte puer, curis hominum qui gaudia misces,
Quaeque regis Golgos quaeque Idalium frondosum,
Qualibus incensam iactastis mente puellam
Fluctibus in flauo saepe hospite suspirantem!
Quantos illa tulit languenti corde timores!
Quanto saepe magis fulgore expalluit auri,
Cum saeuum cupiens contra contendere monstrum
Aut mortem appeteret Theseus aut praemia laudis!

---

76 pibent **M** ‖ 77 Cum androgeanee **GM** Cum androgeane **O** | exoluere **GM** ‖ 79 minothauro **O** ‖ 80 inọenia **G** īcenia **O** menia **M** ‖ 82 Prohicere **O** Proiicere **GM** | pocius **O** ‖ 83 ne funera *uel* nefunera *edd. pleraeque;* nec funere *Statius* sine funere *A. G. Langius uind. tragic. Rom. p. 43* ‖ 86 conpexit **O** ‖ 88 cōpressu **M** | allebat **O** ‖ 89 europe **VM** | pergignunt **VM** | myrtus **M** mirtos **O** mirtus **GD** ‖ 91 flagrancia **O** ‖ 92 corpore **VM** pectore *Itali* | flamam **G** ‖ 94 īmiti **OM** ī miti **G** | corda furore *Ramlerus* ‖ 96 Quaeque *Palladius:* Quique **GM** Q (= quod) neque **O** | Golgos *Hermol. Barbarus:* cholcos **O** colchos **GM** | ydalium **GM** ‖ 98 fructibus **M** ‖ 99 tullit **G** ‖ 100 Quanto **VM** Quam tum *Faernus* | fulgore **VM** fuluore *Ritschelius l. l.* ‖ 102 appeteret **O**: oppeteret **GM**

Non ingrata tamen frustra munuscula diuis
Promittens tacito succepit uota labello.
Nam uelut in summo quatientem bracchia Tauro
Quercum aut conigeram sudanti cortice pinum
Indomitus turbo contorquens flamine robur
Eruit (illa procul radicitus exturbata
Prona cadit, lateque et cominus obuia frangens),
Sic domito saeuum prostrauit corpore Theseus
Nequiquam uanis iactantem cornua uentis.
Inde pedem sospes multa cum laude reflexit
Errabunda regens tenui uestigia filo,
Ne labyrintheis e flexibus egredientem
Tecti frustraretur inobseruabilis error.
Sed quid ego a primo digressus carmine plura
Commemorem, ut linquens genitoris filia uultum,
Ut consanguineae complexum, ut denique matris,
Quae misera in gnata deperdita laeta*batur*,
Omnibus his Thesei dulcem praeoptarit amorem,
Aut ut uecta rati spumosa ad litora Diae
Venerit, aut ut eam deuinctam lumina somno

LXIIII 115. Seruius ad Vergilii Aen. V 591 (falleret indeprensus et inremeabilis error): 'est autem uersus Catulli'.

---

104 succepit *Statius:* succendit **VM**, *quo seruato* tura lab. *Froehlichius* ‖ 105 uelut **GM** uult **O** ‖ 106 cornigeram **VM** | sudanti **gM** fūdāti **O** ‖ 107 Indomitum (**D** *Ricc.*) turben *Spengelius; cf. fragm. 13* ‖ 108 Eruit **GM**: Emit **O** ‖ 109 lateq; cum eius **V** late quaecumuis (-ueis *Baehrensius*) *Vossius* lateque et cominus *Auantius* late qua est impetus
at obuia **gM**
Lachmannus lateq; cū euit **M** | obuia **O**: omnia **GM** | frāges **M** 111 Nequicquam **GM** ne quidquam **O** | nauis **O** uanis **GM** ‖ 113 creabunda **O** ‖ 114 laberintheis **G** laberinthis **O** labyrintheis **M** ‖ 116 a] cū **VM** ‖ 117 līqns **O** ‖ 119 īgnata **O** ingnata **G** ignata **M** | leta **VM**: laetabatur *Lachmannus* lamentatur *Buechelerus in Fleckeis. ann. 1866 p. 610* lamentata est *Coningto apud Ellisium* ‖ 120 hiis **O** | praeoptarit *Statius:* portaret **VM** portaret *i. marg.* at p̄optaret **L** ‖ 121 Aut necta, *om.* ut, **O** aut ut necta **G** (uecta **gM**) | rati *Passeratius:* ratis **VM** | littora **O** ‖ 122 Venerit aut ut eam deuinctam *Lachmannus* | uenerit *om.* **VM** aut ut eam dulci *Itali (coll. Ciris u. 206)* | deuincta **VM**

Liquerit inmemori discedens pectore coniunx?
Saepe illam perhibent ardenti corde furentem
Clarisonas imo fudisse ex pectore uoces,
Ac tum praeruptos tristem conscendere montes,
Unde aciem *in* pelagi uastos protenderet aestus;
Tum tremuli salis aduersas procurrere in undas
Mollia nudatae tollentem tegmina surae,
Atque haec extremis maestam dixisse querellis,
Frigidulos udo singultus ore cientem:
'Sicine me patriis auectam, perfide, ab aris,
Perfide, deserto liquisti in litore, Theseu?
Sicine discedens neglecto numine diuum
Inmemor a! deuota domum periuria portas?
Nullane res potuit crudelis flectere mentis
Consilium? tibi nulla fuit clementia praesto,
Inmite ut nostri uellet miserescere pectus?
At non haec quondam blanda promissa dedisti
Voce mihi, non haec misere sperare iubebas,
Sed conubia laeta, sed optatos hymenaeos:
Quae cuncta aerii discerpunt irrita uenti.
Nunc iam nulla uiro iuranti femina credat,

LXIIII 143. Ouidius Fast. III 473—476: 'Dicebam, memini, "periure et perfide Theseu!" Ille abiit; eadem crimina Bacchus habet.

---

at nemori g

123 liquaerit **M** | ī memori **OM**: in memori **G** || 125 expectore **O**: e pectore **GM** || 126 Ac tum **gM** attum **G**: Actū **O** | p̄ruptes **O** | tristes **VM** | confendere **O** || 127 aciem **VM** | in *om.* **VM** | p̄tenderet **O** pretenderet **G** p̄tēderet **M** || 128 salus **O** || 130 hoc **M** | estremis **O** | dixisse mestam quer. **G** dixisse mesta **D** | querelis **VM** || 131 tientem

at auectā

O || 132 Siccine **VM** (*item u.* 134) | pris autā **V** auectam **g** auerta **M** | ab aris (abaris **O**) **VM** ab oris *uulgo* || 133 in *om.* **O** | littore **OM** || 134 discendens **G** | negleto **O** negletto **D** || 135 Immemor **OM** | ha **O** ah

at b

G ad **M** || 136 Nullaue res **GM** Nulla ueres **O** | crudelis fl. mentis **gM**: crudeles fl. mentes **V** || 137 clemencia **V** || 138 Immite **GM** | mirescere **O** mitescere **GM** || 139 blanda **ODL** *(i. marg.)*: nobis **GM** || 140 non **H**: nec **VM**; *post* mihi **GM** *punctum habent* | misere **VMD** miserae *uulgo* miseram *edd. aliquot* || 141 connubia **VM** | himeneos **O** || 142 disserpunt **GM** desserpunt **O** || 143 Nunc iam *B. Guarinus*: Tum iam **VM** Iam iam *alii*

Nulla uiri speret sermones esse fideles;
Quis dum aliquid cupiens animus praegestit apisci,
Nil metuunt iurare, nihil promittere parcunt:
Sed simulac cupidae mentis satiata libido est,
Dicta nihil metuere, nihil periuria curant.
Certe ego te in medio uersantem turbine leti
Eripui et potius germanum amittere creui,
Quam tibi fallaci supremo in tempore dessem:
Pro quo dilaceranda feris dabor alitibusque
Praeda neque iniacta tumulabor mortua terra.
Quaenam te genuit sola sub rupe leaena,
Quod mare conceptum spumantibus expuit undis,
Quae Syrtis, quae Scylla rapax, quae uasta Charybdis,
Talia qui reddis pro dulci praemia uita?
Si tibi non cordi fuerant conubia nostra,
Saeua quod horrebas prisci praecepta parentis,
Ad tamen in uostras potuisti ducere sedes,
Quae tibi iocundo famularer serua labore
Candida permulcens liquidis uestigia lymphis
Purpureaue tuum consternens ueste cubile.
Sed quid ego ignaris nequiquam conqueror auris,

Nunc quoque "nullo uiro" clamabo "femina credat". Nomine mutato causa relata mea est'. — Ieremias iudex de Montagnone Paduanus comp. moral. auctor. p. IIII libr. V Catulus c. 8: 'Nulla uiro — curant'.

---

144 uiri **VM** uiris *Passeratius* | fid'l' (*i. e.* fidelis) **O** ‖ 145 pregestit≡≡ apisci (re *et* a **g**) **G**: pgestit adipisci (*sscr.* pro adipisci) **O** pregestit apisci **MD** ‖ 147 saciata **V** ‖ 148 metuere **VM** *Ieremias* meminere *Iulius Czwalina* ‖ 149 lecti **O** ‖ 150 pocius **G**: po⁹ **O** potius **M** ‖
l **g**
151 falaci **G** | suppremo **V** suppremo **M** | deem **O**: deessem **GM** dessem
i **g**
H ‖ 152 al^tibusq; **G** ‖ 153 p'ea **O** | iniacta *Schwabius:* intacta **OD** in tacta **GM** iniecta *uulgo* ‖ 156 sirtix **O** | scilla **O**: silla **G** sylla **M** | rapaxq; **O** | caribdis **V** carybdis **M** ‖ 157 Taliaq; redis **O** (redis **M**) ‖ 158 connubia **VM** ‖ 159 parentis **GM**: pemtis **O** ‖ 160 nostras **O** uestras **GM** ‖ 162 limphis **O** ‖ 163 *post* 160 *ponit* **O** | cubille **O** ‖ 164 Siquid **V** s; quid **gM** | nec quicquam **VM** | conquerar **VM** | aures **V** auris **gM**

Externata malo, quae nullis sensibus auctae
Nec missas audire queunt nec reddere uoces?
Ille autem prope iam mediis uersatur in undis,
Nec quisquam apparet uacua mortalis in alga.
Sic nimis insultans extremo tempore saeua
Fors etiam nostris inuidit questibus auris.
Iupiter omnipotens, utinam ne tempore primo
Gnosia Cecropiae tetigissent litora puppes,
Indomito nec dira ferens stipendia tauro
Perfidus in Creta religasset nauita funem,
Nec malus hic celans dulci crudelia forma
Consilia in nostris requiesset sedibus hospes!
Nam quo me referam? quali spe perdita nitor?
Idomeneosne petam montes? a, gurgite lato
Discernens ponti truculentum ubi dividit aequor?
An patris auxilium sperem? quemne ipsa reliqui
Respersum iuuenem fraterna caede secuta?
Coniugis an fido consoler memet amore?
Quine fugit lentos incuruans gurgite remos?
Praeterea nullo litus, sola insula, tecto,

LXIIII 171 sq. Macrobius VI 1, 42: 'Catullus ['catulus' Paris.]: Iuppiter omnipotens — littora puppes'.

---

r
165 Externata **O**: Extenuata **GM** extenuata **D** | maloq; **O** | aucte
at to **g** at te
O: aucte **G** aucto **M** ‖ 168 apparet **GM**: app; **O** | alga **VM**: acta *Heinsius* ‖ 170 Fers **O** ‖ 171 Iuppiter *et* utinam non *Macrobius* ‖ 172 littora **OM** *Macrob.* | tetigissent l. puppes (pupes **O**) **VM** *Macrob.* ‖ 174 increta **OD**: in cretam **GM** ‖ 175 hic **GM**: h' (= haec) **O** ‖ 176 Consilium nostris
r **g**
requisisset **G** Consilium requisisset, *om.* nostris, **O** cōsciliū nostris reqiisset **M** ‖ 177 Nam **VM** Nunc *Spengelius lect. 96* | refferam **O** | nitar
at Idmoneos **g** at idmoneos
ς ‖ 178 Idoneos ne **O** ydoneos ne **G** idoneos ne **M** ido^me^neos **D** Idomeneosne *uulgo*, Idomeneusne *Lachmannus ad Lucret. p. 192.* Idomeneine *Buechelerus mus. Rhen. XV. p. 437.* Idaeosne *B. Guarinus* | agurgite **V** a gurgite **M** ‖ 179 ponti **O**: pontum **GM** | ubi diuidit **VM** ubi *delet Bernh. Pisanus* ‖ 180 Impatris **O** in patris **G** (an **g**) **M** | quem ne **VM** ‖ 182 cònsoler memet **M**: consoler me met **G** consoles me man; **O** ‖ 183 Qui ne **O**: Quiue **GM** | lentos **O** (**L** *marg.*): uentos **GM** ‖ 184 nullo litus, nullo insula tecto *Weisius* litus solum, nullo insula tecto *Ramlerus*

Nec patet egressus pelagi cingentibus undis;
Nulla fugae ratio, nulla spes: omnia muta,
Omnia sunt deserta, ostentant omnia letum.
Non tamen ante mihi languescent lumina morte,
Nec prius a fesso secedent corpore sensus,
Quam iustam a diuis exposcam prodita multam
Caelestumque fidem postrema comprecer hora.
Quare, facta uirum multantes uindice poena
Eumenides, quibus anguino redimita capillo
Frons expirantis praeportat pectoris iras,
Huc huc aduentate, meas audite querellas,
Quas ego, uae, misera extremis proferre medullis
Cogor inops, ardens, amenti caeca furore.
Quae quoniam uerae nascuntur pectore ab imo,
Vos nolite pati nostrum uanescere luctum,
Sed quali solam Theseus me mente reliquit,
Tali mente, deae, funestet seque suosque.'
Has postquam maesto profudit pectore uoces,
Supplicium saeuis exposcens anxia factis,
Annuit inuicto caelestum numine rector,
Quo nutu tellus atque horrida contremuerunt
Aequora, concussitque micantia sidera mundus.
Ipse autem caeca mentem caligine Theseus
Consitus oblito dimisit pectore cuncta,
Quae mandata prius constanti mente tenebat,
Dulcia nec maesto sustollens signa parenti
Sospitem Erechtheum se ostendit uisere portum.
Namque ferunt olim, classi cum moenia diuae

---

185 pater **M** ‖ 189 affesso **O** ‖ 190 iusta **O** | muletā **O** ‖ 191 Comprecor **VM** ‖ 192 pena **VM** ‖ 193 Eumenydes **GM** ‖ 194 p̄portat **O** ‖ 195 querelas **GM** ‖ 196 ue **VM** | miserae *uulgo* | ex imis *Casaubonus* | proferere **O** ‖ 198 uere **VM** ‖ 200 qualis sola **VM** | reliquid **O** ‖ 201 fimestet (*corr.* **g**) **G** ‖ 202 posquam **M** ‖ 203 anxia] saucia *coni. Schwabius* ‖ 204 inuito **VM** ‖ 205 Quo nutu *Schwabius:* Quō tunc (tč **O**) **V** Quomodo tūc **M** Quo tunc et *uulgo* Quo nutu et *Fea* Quo motu *Heysius* ‖ 206 micancia **O** | sydera **G** ‖ 207 mente **VM** ‖ 208 cunta **G** ‖ 210 sustollens; ll *ex corr.* **GM** ‖ 211 Erechtheum *Vossius:* ereptū **VM** | uiscere **G** *corr.* **gM** ‖ 212 classi **VM**: castae *Pontanus* | classicū **O** | moenico diue **VM**

Linquentem gnatum uentis concrederet Aegeus,
Talia complexum iuueni mandata dedisse:
'Gnate mihi longa iocundior unice uita,
Gnate, ego quem in dubios cogor dimittere casus,
Reddite in extrema nuper mihi fine senectae,
Quandoquidem fortuna mea ac tua feruida uirtus
Eripit inuito mihi te, cui languida nondum
Lumina sunt gnati cara saturata figura:
Non ego te gaudens laetanti pectore mittam,
Nec te ferre sinam fortunae signa secundae,
Sed primum multas expromam mente querellas,
Canitiem terra atque infuso puluere foedans;
Inde infecta uago suspendam lintea malo,
Nostros ut luctus nostraeque incendia mentis
Carbasus obscurata dicet ferrugine Hibera.
Quod tibi si sancti concesserit incola Itoni,
Quae nostrum genus ac sedes defendere Erechthi
Annuit, ut tauri respergas sanguine dextram,
Tum uero facito ut memori tibi condita corde
Haec uigeant mandata nec ulla obliteret aetas,
Ut, simul ac nostros inuisent lumina collis,
Funestam antemnae deponant undique uestem
Candidaque intorti sustollant uela rudentes,
Quam primum cernens ut laeta gaudia mente

---

213 concrederet *Auantius* cum crederet **VM** | egens **V** egeus **M** || 215 Gnati **O** | longa **VM**: longe *Anglus in Diar. Class. X 169* || 216 ego
at cui **g**
qm̄ (= quoniam) **O** || 219 cui **OM**: quē **G** || 221 lectanti **O** || 223 querelas **GM** || 224 Canic(t **M**)iem **VM** | infulso **O** | fedans **VM** || 227 dicet **V**: decet *Lachmannus* obscura dicet **MD** | hybera **G** || 228 Itoni *Al. Guarinus:* ithomi **OM** ythomi **G** sanctae — Itonis *Turnebus adu. XXIIII 9* || 229 ac] has **VM** | secus **O** | freti **VM**: Erechthei *Vossius* Erechthi *Buechelerus mus. Rhen. XV p. 437* || 230 thauri **M** || 231 Tū **O**: Tu
at obliteret **g** at obliteret
GM || 232 obliteret **O**: oblif☰eret (f *ex corr.*) **G** obliferet **M** || 233 ac *Itali:* hec **VM** || 234 antenne☰☰ne *(ultimum* ne *expunctum)* **G**: an-
l **g**
tēnene ne **O** antēne **M** || 235 sustolant **O** substolant **G** sustollant **M** | uella **O** || *post* 235 *primus Faernus inseruit uersum apud Nonium p. 546 seruatum (fragm. 8)*

Agnoscam, cum te reducem aetas prospera sistet.'
Haec mandata prius constanti mente tenentem
Thesea ceu pulsae uentorum flamine nubes
Aerium niuei montis liquere cacumen.
At pater, ut summa prospectum ex arce petebat,
Anxia in assiduos absumens lumina fletus,
Cum primum inflati conspexit lintea ueli,
Praecipitem sese scopulorum e uertice iecit,
Amissum credens inmiti Thesea fato.
Sic funesta domus ingressus tecta paterna
Morte ferox Theseus qualem Minoidi luctum
Obtulerat mente inmemori talem ipse recepit.
Quae tum prospectans cedentem maesta carinam
Multiplices animo uoluebat saucia curas.
At parte ex alia florens uolitabat Iacchus
Cum thiaso Satyrorum et Nysigenis Silenis,
Te quaerens, Ariadna, tuoque incensus amore.
. . . .
Quae tum alacres passim lymphata mente furebant
Euhoe bacchantes, euhoe capita inflectentes.
Harum pars tecta quatiebant cuspide thyrsos,

---

237 etas **VM**; sors *A. Guarinus* fors *Dousa fil.* | sistet **O**: sistenst **G**, *sed* s *et lineola deletum et simul puncto notatum est a* **g**, *ut tamen punctus ad* n *potius referendus uideatur;* sistẽt **M** ‖ 239 ceu **gM**: seu **V** ‖ 240 Aereum **O**. *inter uu.* 240 *et* 241 *in* **CHL** *al. interstitium et inscriptio* fletus Egei;
at in
in **M** *interstitium*, *in* **G** *lineola curuata* ‖ 242 etiam **M** ‖ 243 inflati **VMD**: infecti *Itali* | linthea **O** linctea **M** | lintea ŝ ueli **G** (*corr.* **g**) ‖ 244 et **G** (*corr.* **g**) ‖ 245 ĩ miti (ti *ex corr.*) **G** | facto (f͞co) **O** ‖ 246 paternae *Itali* ‖ 247 Morte **VM**: Marte *Marcilius* | minoida **VM** ‖ 249 Quae tum] Que tñ **OM** Quem (m *expunctum*) tamen **G** | prospectans **V**:
at ꝑ tum ꝑ
aspectans **M** que tñ aspectans **D** praspectans (pr *expuncta, prius* a *ex* o *corr.*) **G**, *unde* Quae tamen aspectans ς, *uulgo* | credentem **O** ‖ 251 parte] pater **VM** | iachus **VM** ‖ 252 Tum **O** | thyaso **G** | sathi(y **M**)rorum **OM** | nisigenis **V** insigenis **M** ‖ 253 Te querens **gM**: Et queres (querenus **G**) **V** | adriana **VM** *fortasse recte* ‖ *post u.* 253 *unum uersum excidisse docuit Bergkius* ‖ 254 Quae tum *Bergkius:* Qui tum **VM** Quam tum *Schwabius* | lin(m **M**)phata **OM** ‖ 255 Euche — euche **VM** Euohe — euohe **g** | bachantes **V** ba‸c‸chantes **M** ‖ 256 Horum *Itali, uulgo* | quaciebant **O** | tirsos **G** thirsos **O** tyrsos **M**

Pars e diuolso iactabant membra iuuenco,
Pars sese tortis serpentibus incingebant,
Pars obscura cauis celebrabant orgia cistis,
Orgia, quae frustra cupiunt audire profani,
Plangebant aliae proceris tympana palmis
Aut tereti tenuis tinnitus aere ciebant,
Multis raucisonos efflabant cornua bombos
Barbaraque horribili stridebat tibia cantu.

Talibus amplifice uestis decorata figuris
Puluinar complexa suo uelabat amictu.
Quae postquam cupide spectando Thessala pubes
Expleta est, sanctis coepit decedere diuis.
Hic, qualis flatu placidum mare matutino
Horrificans zephyrus procliuas incitat undas
Aurora exoriente uagi sub limina solis,
Quae tarde primum clementi flamine pulsae
Procedunt, leuiterque sonant plangore cachinni,
Post uento crescente magis magis increbescunt
Purpureaque procul nantes ab luce refulgent:
Sic tum uestibuli linquentis regia tecta
Ad se quisque uago passim pede discedebant.

LXIIII 273. Excerpta ex uet. gloss. pithoeana p. 71 Gothofr.: 'placor · tranquillitas . at Catullus: plangor'.

274. Petrarca fam. epist. V 5: 'clamor de littorea regione magis magisque crebresceret'.

---

259 canis **O** ‖ 260 Orgiaq; **O** | prophani **O** ‖ 261 alie **VM**: alii *uulgo,* aliei *Lachmannus* | timpana **O** ‖ 262 tenais **O** | tintinitus, *sed mediis* ti *expunctis,* **G** tintinnitus **M** | era **M** ‖ 263 Multis *Bernh. Pisanus:* Multi **VM** | efflebant **VM** ‖ 264 horibili **G** ‖ 267 posquam **M** | Thesalia **O** Thessala (sa *ex corr.*) **G** thessalia **M** ‖ 268 cępit **g** cepit **V** coepit **M** ‖ 269 Hec **O** Heic *Baehrensius* ‖ 270 c(z **M**)ephirus **OM** | procliuit (s *supra*) **O** procliuas **GM** ‖ 271 ex oriente **M** | sublimia solis **VM** sub limina solis *Itali* sub lumina *uulgo* ‖ 273 leuiterq; sonant **OL**: leuiter sonant **GM** leni resonant *uulgo* | cachinni **M**: chachini **O** chachīni **G** ‖ 275 Purpureaeque *Lennepius* | nantes **VM** | refulgens **VM** ‖ 276 Sic tam (at tibi **g**) **G**: Sic tñ **O** sic tibi *i. marg.* tñ **M** Sic ibi *Hauptius* | uestibulis *uel* uestibulo *Schraderus* ‖ 277 ad se **M**: At se **V**

Quorum post abitum princeps e uertice Pelei
Aduenit Chiron portans siluestria dona:
Nam quoscumque ferunt campi, quos Thessala magnis
Montibus ora creat, quos propter fluminis undas
Aura parit flores tepidi fecunda fauoni,
Hos indistinctis plexos tulit ipse corollis,
Quo permulsa domus iocundo risit odore.
Confestim Penios adest, uiridantia Tempe,
Tempe, quae siluae cingunt super impendentes,
Naiasin linquens † doris celebranda choreis,
Non uacuos: namque ille tulit radicitus altas
Fagos ac recto proceras stipite laurus
Non sine nutanti platano lentaque sorore
Flammati Phaethontis et aeria cupressu.
Haec circum sedes late contexta locauit,
Vestibulum ut molli uelatum fronde uireret.
Post hunc consequitur sollerti corde Prometheus,
Extenuata gerens ueteris uestigia poenae,
Quam quondam silici restrictus membra catena
Persoluit pendens e uerticibus praeruptis.

---

278 post] p̂ **O** | habitum **GM**, *corr.* **g** | peley **O** || 279 chyron **G** || 280 quodcũq; (quodcumque **O**) **VM**; quotcumque *Guarinus* quoscumque *Aldinae* | campis **VM** | quos **VM** quot *Itali* | thesala **GM** thesalia **O** | magnis **VM** nis *ex corr.* **g** || 281 quot *Guarinus* || 282 aurea **O** | parit (arit *ex corr.*) **G**: pit **MO**, *in quo saepe* p = par *est* || 283 in dist. (at corollis) **GM** | curulis **gM**: corulis **V** || 284 Quo] Quot **GM** Quod **O** Quis *uel* Queis *Itali* | domus, s *expuncto*, **G** (at os **gM**) || 285 penies **GM** penies **O** | adest ut uiridant(c **O**)ia **VM** || 286 Tempeq; **O** || 287 Naiasin *Hauptius:* Meliasin *Madvigius adv. II 29* Minosim **VM** | duris *Maduigius (cf. Ov. f. III 537):* doris **VM** doctis *Statius* pulchris *Hauptius* crebris *Lachmannus* | coreis **M** || 288 Non uacuos *Bergkius:* Nō accuos **O** Non acuos **G** (at nonacrias **g**) non acuos **M** (at nonacrios) Non uacuus *B. Guarinus* || 289 Fages **O** | laur^ll^os **M** || 290 nutanti **gM**: mutanti **V** | sororum **VM** || 291 Flamati **O**: Flamanti **G** flāmāti **M** | phetontis **VM** || 292 circum **GM**: ⁱcum **O** | contesta **VM** || 293 uellatū **V** uel—atum **gM** || 294 solerti **VM** || 295 pena **V** pene **gM** || 296 Qua **VM** | silici **VM** scythicis *Heinsius* in Scythia *Schwabius* | resittus m̄bra **O** | catena **M** cathena **O** chatena **G**

Inde pater diuum sancta cum coniuge natisque
Aduenit caelo, te solum, Phoebe, relinquens
Unigenamque simul cultricem montibus Idri:
Pelea nam tecum pariter soror aspernata est
Nec Thetidis taedas uoluit celebrare iugalis.
Qui postquam niueis flexerunt sedibus artus,
Large multiplici constructae sunt dape mensae,
Cum interea infirmo quatientes corpora motu
Veridicos Parcae coeperunt edere cantus.
His corpus tremulum complectens undique uestis
Candida purpurea talos incinxerat ora,
At roseo niueae residebant uertice uittae,
Aeternumque manus carpebant rite laborem.
Laeua colum molli lana retinebat amictum,
Dextera tum leuiter deducens fila supinis
Formabat digitis, tum prono in pollice torquens
Libratum tereti uersabat turbine fusum;
Atque ita decerpens aequabat semper opus dens
Laneaque aridulis haerebant morsa labellis,
Quae prius in leui fuerant extantia filo.
Ante pedes autem candentis mollia lanae
Vellera uirgati custodibant calathisci.
Haec tum clarisona uellentes uellera uoce
Talia diuino fuderunt carmine fata,

---

298 pater diui **VM** (*corr. ex* diuum) | natisque] gnatisq; **V** *i. marg.* at gratis **g** gratisque **M** ‖ 299 phebe **VM** ‖ 300 ydri **VM** Hydrae *Statius* in mont. Idae *Muretus* montium Abydi *Froehlichius* ‖ 301 Pelea **G**: Palea **OM** ‖ 302 tethidis **M** | thedas **OM** tedas **G** ‖ 303 p̃quam **O** posquam **MD** | niueos *Itali* ‖ 305 motu, o *ex* e *corr.*, **G** ‖ 306 cę(e **G**)perunt
at hic **g**
g: teperunt **O** coeperunt **M** | eclere **O** ‖ 307 His **O**: His **G** hic **M** | uestis] questus **GM** q̄st' **O** ‖ 308 talos] tuos **VM** | incinx. **G**: intinx. **OM** ‖ 309 roseo niuee **V** (uinee **O**) roseo niuaee **M**: roseae niueo *A. Guarinus* Annoso niueae *Ernestus Schulzius* | uitte **VM**: uicte **g** ‖ 311 col≡um **gM** collum **V** ‖ 312 filia **O** ‖ 313 digittis **O** | police **VM** ‖ 315 epus **O** | dens **VM**, e *corr.* **g** ‖ 318 molia **O** ‖ 319 uellera **OM** Velera **G** | custodibant **OD**: custodiebant **GM** | calathisti **V** calatisti **M** ‖ 320 Hec **VM**: Hae *uulgo* | uellentes *L. Fruterius:* pellentes **VM** pectentes *Statius*

Carmine, perfidiae quod post nulla arguet aetas:
'O decus eximium magnis uirtutibus augens,
Emathiae tutamen opis, clarissime nato,
Accipe, quod laeta tibi pandunt luce sorores,
Veridicum oraclum. sed uos, quae fata secuntur,
Currite ducentes subtegmina, currite, fusi.
Adueniet tibi iam portans optata maritis
Hesperus, adueniet fausto cum sidere coniunx,
Quae tibi flexanimo mentem perfundat amore
Languidulosque paret tecum coniungere somnos
Leuia substernens robusto bracchia collo.
Currite ducentes subtegmina, currite, fusi.
Nulla domus tales umquam contexit amores,
Nullus amor tali coniunxit foedere amantes,
Qualis adest Thetidi, qualis concordia Peleo.
Currite ducentes subtegmina, currite, fusi.
Nascetur uobis expers terroris Achilles,
Hostibus haud tergo, sed forti pectore notus,
Qui persaepe uago uictor certamine cursus
Flammea praeuertet celeris uestigia ceruae.

LXIIII 327. Macrobius VI 1, 41: 'Catullus ['catulus' Par.]: currite ducenti — fusi'.

---

322 p̃ **O** | arguet **VM**: arguit *Lachmannus* || *inter* 322 *et* 323 Epythalamiū (mum **M**) thetidis ⁊ pelei **g** *marg.; in* **M** *interstitium cum eodem titulo* || 323 auges **M** || 324 tutum opus **V** *marg.* at̄. tu tam̄ opis **g** tutū op' *i. marg.* at tu tñ opis **M** | carissime **VM**, *quo seruato* fato *pro* nato *coni. Schwabius* || 326 uiridicū **M** | oraculum **GM** oraclȝ **O** | uosq; facta **O** | secuntur **OD**: sequuntur **GM** || 327 ducenti *Macrobii edd., sed cum in eius codice Parisino post* ducenti *rasura sit unius litterae, eum* ducentis *scripsisse putauerim* | subtemine *Macrob. cod. Par.* subtegmina **O** (a *ex corr.*), sub tegmina **GM** *plerumque legunt* | curite **G** || 328 aptata **V** opt. **gM** || 329 Hespereus **O** | cum sydere **GM** 9sidere **O** || 330 *om.* **O** († *i. marg.*) | flexo animo mentis p. amorem **GM** flexanimo mentem p. amore *Muretus* te flexanimo mentis p. amore *Lachmannus* || 331 sonos **VM** || 332 Leuia **GM**: Venia **O** | rubusto **M** || 334—337 *om.* **DB** *al.* || 334 domus umquam (unq. **GM**) tales **VM** | contexit **VM** conexit *Lachmannus* || 335 federe **VM** || 336 t^{h}etidi **O** || 341 Flamea **VM** | peruertet **O** preuertit **G** puertit **M**

Currite ducentes subtegmina, currite, fusi.
Non illi quisquam bello se conferet heros,
Cum Phrygii Teucro manabunt sanguine campi
Troicaque obsidens longinquo moenia bello
Periuri Pelopis uastabit tertius heres.
Currite ducentes subtegmina, currite, fusi.
Illius egregias uirtutes claraque facta
Saepe fatebuntur gnatorum in funere matres,
Cum in cinerem canos soluent a uertice crines
Putridaque infirmis uariabunt pectora palmis.
Currite ducentes subtegmina, currite, fusi.
Namque, uelut densas praecerpens messor aristas
Sole sub ardenti flauentia demetit arua,
Troiugenum infesto prosternet corpora ferro.
Currite ducentes subtegmina, currite, fusi.
Testis erit magnis uirtutibus unda Scamandri,
Quae passim rapido diffunditur Hellesponto,
Cuius iter caesis angustans corporum aceruis
Alta tepefaciet permixta flumina caede.
Currite ducentes subtegmina, currite, fusi.
Denique testis erit morti quoque reddita praeda,
Cum teres excelso coaceruatum aggere bustum
Excipiet niueos percussae uirginis artus.
Currite ducentes subtegmina, currite, fusi.
Nam simul ac fessis dederit fors copiam Achiuis

---

344 Phri(y **M**)gii **GM** Frigii **O** | teucto manebunt **O** | campi **DL** *i. marg.* teuen **O** tenen **GM** *i. marg.* teuen *uel* teucri **M** trūci **D** *i. marg.* riui *alii,* muri *Statius* cliuei *Hauptius* ‖ 345 menia **VM** ‖ 346 tercius **VM** ‖ 350 in ciuium **GM** inciuos *praua adsimilatione ad uoc. seq.* canos *primitus scriptum ab eadem manu in* inciuū *mutatum est in* **O**, o *in* u *correcto, uirgula superaddita,* s *punctato.* in cinerem ς | canos **VM** | soleūt **O** | crines **GM** crimen **O** ‖ 353 dēpsas **O** | praecerpens *Statius:* ꝑcnens **O** ꝑcernens (cern *ex corr.*) **GM** | messor **O**: cultor **GM** ‖ 355 Tronigenum **O** | prosternet **V**: prosternēs (˜s *ex corr.*) **gM** | ferrum **O** ‖ 358 elesponto **VM** ‖ 359 cessis **O** ‖ 360 flumina **O**: lumina, *marg.* at flumine **G** (at lumina ł flumina) flumine **M** ‖ *post* 361 *lacunam statuit L. Muellerus* ‖ 363 Cum terrae *Parthenius* | ex celso *Martyni Laguna* ‖ 364 perculse **VM** ‖ 366 simul hanc **VM** simulac *uulgo* | fons **M**

Urbis Dardaniae Neptunia soluere uincla,
Alta Polyxenia madefient caede sepulcra,
Quae, uelut ancipiti succumbens uictima ferro,
Proiciet truncum summisso poplite corpus.
Currite ducentes subtegmina, currite, fusi.
Quare agite optatos animi coniungite amores.
Accipiat coniunx felici foedere diuam,
Dedatur cupido iam dudum nupta marito.
Currite ducentes subtegmina, currite, fusi.
Non illam nutrix orienti luce reuisens
Hesterno collum poterit circumdare filo.
377b Currite ducentes subtegmina, currite, fusi.
Anxia nec mater discordis maesta puellae
Secubitu caros mittet sperare nepotes.
Currite ducentes subtegmina, currite, fusi.'

Talia praefantes quondam felicia Pelei
Carmina diuino cecinerunt pectore Parcae.
Praesentes namque ante domos inuisere castas
Heroum et sese mortali ostendere coetu
Caelicolae nondum spreta pietate solebant.
Saepe pater diuum templo in fulgente reuisens,
Annua cum festis uenissent sacra diebus,
Conspexit terra centum procumbere tauros.
Saepe uagus Liber Parnasi uertice summo
Thyiadas effusis euantis crinibus egit,

367 neptunnia **D** ‖ 368 polixenia **O**: polisenia **GM** | madefient **D** *i. marg.*: madescent **VM** ‖ 369 subccubens **G** ‖ 370 Proiiciet **G** | sumisso **O** ‖ 372 agitte **O** | animi **GM**: an̄ (= ante) **O** ‖ 373 coniux **M** | federe **VM** ‖ 374 sedatur **M** ‖ 377 Esterno **O**: Externo **GM** ‖ 378 *et* 379 *om.* **O**: *ita habent* **GM** *ut eis praemittant uersum intercalarem* ‖ 380 ducite fusi **G** ‖ 381 peley **O** ‖ 382 cecinere **GM** cernere **O** cecinerunt ς *uulgo* ‖ 383 nanq; **M** ‖ 384 Heroum et *Io. Bapt. Sigicellus:* Nereus **VM** | cętu **gM** cetu **V** ‖ *post* 385 **VM** *hunc habent uersum:* Languidior tenera cui pedens (pendens **M**) sicula beta; *cf.* LXVII 21 ‖ 386 reuisens **VM** ‖ 387 cum] dum **VM** | uenisset **VM** | di≡ebus **O** ‖ 388 terram **O** Cretum *Statius* Creta *Wakefieldus ad Lucret. II 259* | tauros *Itali:* currus **VM** ‖ 389 sumo **O** | 390 Thyadas **G** Thiadas **O** th^y^iadas **M** Thyiadas *uulgo* | euantis **G** (o g) e-ouantis **M** | csit **O** ‖ *post* 390 *lacunam statuit L. Muellerus*

Cum Delphi tota certatim ex urbe ruentes
Acciperent laeti diuum fumantibus aris.
Saepe in letifero belli certamine Mauors
Aut rapidi Tritonis era aut Rhamnusia uirgo
Armatas hominum est praesens hortata cateruas.
Sed postquam tellus scelere est imbuta nefando,
Iustitiamque omnes cupida de mente fugarunt,
Perfudere manus fraterno sanguine fratres,
Destitit extinctos natus lugere parentes,
Optauit genitor primaeui funera nati,
Liber ut innuptae poteretur flore nouercae,
Ignaro mater substernens se impia nato
Impia non uerita est diuos scelerare parentes:
Omnia fanda nefanda malo permixta furore
Iustificam nobis mentem auertere deorum.
Quare nec talis dignantur uisere coetus,
Nec se contingi patiuntur lumine claro.

LXV.

Etsi me assiduo defectum cura dolore
  Seuocat a doctis, Ortale, uirginibus,
Nec potis est dulcis musarum expromere fetus
  Mens animi (tantis fluctuat ipsa malis:

---

391 certatum ex urbe tuentes **VM** || 392 Acciperet **VM** | laeti **g**
at lacti
lacti **V** leti **M** || 393 letiforo (o *ex* e *corr.*) **O** | mauros **G** || 394 hera **VM** | ramũsia **O** ranusia **GM** rhamnusia *uulgo* || 395 ortata **O** || 396 p̊quam (posquam **M**) sçeluș tellus scelere **O** | imbuta **OM** ı̄buta **G** | nephando **O** || 397 Iustic(t **M**)iamq; **VM** || 399 natos **GM** || 400 Optauit **VM** || 401 ut innupte **VM** (in nupte **O**) uti nuptae *J. Maehly l. l. p. 353* | potiretur **VM** | nouerce (ae **M**) **VM** || 403 parentes **VM**: penates *Itali* || 405 Iustificam; tifica *ex corr. in* **G** | mente aduertere **O** || 406 cetus **gM** cetus **V**

LXV. *Unius uersus interstitium in* **VM**; Ad Ortalem *inscribunt*
at defectum
gM || 1 defectu **O**: confectum **G** confectum **M** || 2 Sed uacat **VM** Seuocat ς *uulgo* || 3 dulcissimus harum (hauum **O**) expr. **VM** | fretus **O**

Namque mei nuper Lethaeo gurgite fratris
Pallidulum manans alluit unda pedem,
Troia Rhoeteo quem subter litore tellus
Ereptum nostris obterit ex oculis.
Adloquar, audiero numquam tua *facta* loquentem,
Numquam ego te, uita frater amabilior,
Aspiciam posthac. at certe semper amabo,
Semper maesta tua carmina morte canam,
Qualia sub densis ramorum concinit umbris
Daulias absumpti fata gemens Itylei):
Sed tamen in tantis maeroribus, Ortale, mitto
Haec expressa tibi carmina Battiadae,
Ne tua dicta uagis nequiquam credita uentis
Effluxisse meo forte putes animo,
Ut missum sponsi furtiuo munere malum
Procurrit casto uirginis e gremio,
Quod miserae oblitae molli sub ueste locatum,
Dum aduentu matris prosilit, excutitur:
Atque illud prono praeceps agitur decursu,
Huic manat tristi conscius ore rubor.

LXV 5. Petrarca ad vir. illustr. p. 707 ed. Basil.: 'librorum memoriam lethaei gurgitis unda non obruit'.

---

5 loethi **O** lethei **G M** Lethaeo in *Parthenius* | factis **O** ‖ 6 Pallidullum
at troya **g** at Troya
O ‖ 7 Troia (*ex* Tidia *corr.*) **O**: Lydia **G** Tydia **M** | retheo **O** rhetheo (*alterum* h *ex corr.*) **G** r^h^etheo **M** | subter; b *ex* p *corr.* **G** | littore **O M** ‖ 9 Alloquar, audiero numquam tua loquentem **D**, *quod* uerba *uel* facta *uel* fata *inserendo expleuerunt; om.* **V M**. *cum Lachmannus post* 8 *septem uersus intercidisse putaret, Fr. Haasius in miscell. phil. III p. 13—16 uu.* 9—14 *post* CI 6 *inserendos putauit* ‖ 10 Nunquam **G** | uiçta **M** ‖ 11 post hac aut certe **V M** ‖ 12 carmine morte tegam **V M** canam ς legam *Itali* ‖ 14 Bauilla assumpta facta gemes ithilei **O**
s **g** at Baiulas
Bauila (Bauilas **g**) asumpti fata gemens ythilei **G** bauila assumpti f. g. ithiley **M** (Daulias **D** Dauilas **B**) ‖ 16 actiade **O M** acciade **G** bactiade
l
B ‖ 17 ne qcq̃ **V M** ‖ 18 Efluxisse **O** Effuxisse (f *alterum add.* **g**) **G** effluxisse **M** ‖ 20 Proçcurit **O** ‖ 21 locatạum **O** ‖ 23 illic prono preces **O**

LXVI.

Omnia qui magni dispexit lumina mundi,
  Qui stellarum ortus comperit atque obitus,
Flammeus ut rapidi solis nitor obscuretur,
  Ut cedant certis sidera temporibus,
Ut Triuiam furtim sub Latmia saxa relegans
  Dulcis amor gyro deuocet aerio,
Idem me ille Conon caelesti in lumine uidit
  E Beroniceo uertice caesariem
Fulgentem clare, quam cunctis illa deorum
  Leuia protendens bracchia pollicita est,
Qua rex tempestate nouo auctus hymenaeo
  Vastatum finis iuerat Assyrios,
Dulcia nocturnae portans uestigia rixae,
  Quam de uirgineis gesserat exuuiis.
Estne nouis nuptis odio Venus atque parentum
  Frustrantur falsis gaudia lacrimulis,

LXVI 7—10. Callimach. ed. O. Schneider frag. 34 (Callim. 2, 144):
Ἦ με Κόνων ἔβλεψεν ἐν ἠέρι, τὸν Βερενίκης
βόστρυχον, ὃν κείνη πᾶσιν ἔθηκε θεοῖς.

7. gloss. Labb. p. 39ᵇ: 'Canon Σάμιος μαθηματικός'; cf. Probum et schol. Bern. ad Vergil. buc. 3, 40.

8. Anth. Lat. 916, 8 R.:
'E beronicaeo detonsum uertice crinem
Retulit esuriens Graecus in astra Conon'.

15 sq. Ieremias iudex de Montagnone Paduanus compend. moral. notabil. p. IIII libr. VI: 'Catullus poeta c. 9: estne — lacrimulis'.

LXVI *sine interstitio priori adhaeret in* **VM**; *V* **D** *marg.* ‖ 1 despexit **VM** ‖ 2 atq; habitus **VM** ‖ 3 Flameus **VM** | obsculetur **O** ‖ 4 certis **GM**: ceteris **O** | sydera **GM** ‖ 5 sublamina **O** sublimia **G** (at sublamia) sublimia **M** (at subl*a*mina) | religans **VM** ‖ 6 guioclero **V** *(in* **G** u *ex* ii *corr.)* guiodero **M**: goero *Scaliger* gyro (**D**) *uel* guro *uulgo* | aetherio *Meinekius ad Callimach. p. 313* ‖ 7 celesti numine **VM**, *corr. Vossius* ‖ 8 Ebore niceo **VM** ‖ 9 cunctis i. deorum *Hauptius quaest. 81:* multis (multos **M**) i. dearum **VM** ‖ 10 policita **O** ‖ 11 Quare extemp. **VM** | mactus *Anna Fabri* | himeneo **O** ‖ 12 Vastum finis ierat **VM** | assirios **VM** ‖ 13 nocturne **G** (*corr.* g) ‖ 15 atque **VM**: *uulgo* anne

Ubertim thalami quas intra limina fundunt?
Non, ita me diui, uera gemunt, iuerint.
Id mea me multis docuit regina querellis
Inuisente nouo proelia torua uiro.
At tu non orbum luxti deserta cubile,
Sed fratris cari flebile discidium?
Quam penitus maestas exedit cura medullas!
Ut tibi tunc toto pectore sollicitae
Sensibus ereptis mens excidit! at *te* ego certe
Cognoram a parua uirgine magnanimam.
Anne bonum oblita es facinus, quo regium adepta es
Coniugium, quo non fortius ausit alis?
Sed tum maesta uirum mittens quae uerba locuta es!
Iupiter, ut tristi lumina saepe manu!
Quis te mutauit tantus deus? an quod amantes
Non longe a caro corpore abesse uolunt?
Atque ibi me cunctis pro dulci coniuge diuis

LXVI 23. Paulinus IIII 100: 'exesis penitus uehementi febre medullis'; cf. Philol. 1889, 761.

26. Hyginus poet. astron. II 24: 'hanc Berenicen nonnulli cum Callimacho dixerunt equos alere [cf. ad u. 54] et ad Olympia mittere consuetam fuisse. alii dicunt hoc amplius, Ptolomaeum Berenices patrem multitudine hostium perterritum fuga salutem petisse, filiam autem saepe consuetam insiluisse in equum et reliquam exercitus copiam constituisse et complures hostium interfecisse, reliquos in fugam coniecisse, pro quo etiam Callimachus eam magnanimam dixit'.

---

17 Uberum **O** | lumina **VM** ‖ 18 diu **VM** diui ς *uulgo* | iuuerint **VM** ‖ 19 querelis **VM** ‖ 20 prelia **V** (p̄lia **O**) prȩlia **g** | toruo **M** ‖
at at **g**
21 Et **G** Et **O** et *marg.* at at **M** An *Itali* | non **GM**: ūo = uero **O** ‖ 22 S; fc̄τis (= factis) **O** | dissidium **GM** ‖ 23 Quam *Bentleius:* Cum **VM** ‖ 24 Ut
at tc̄ **g** at tūc
ibi **G** | tunc **O**: nunc **G** nūc **M** | solicitet **V** sollicitet **M** ‖ 25 Sensibus e rectis *Vossius* | te *add. Auantius: om.* **VM** ‖ 26 magnanima **VM** ‖ 27 quo] quam **VM** | adepta's *Lachmannus:* adeptus **GM** adeptos **O** ‖ 28 quod non fortior (forcior **O**) aut sit alis **VM**; fortius *Mureto,* ausit *Bernh. Pisano debetur.* quoi non faustior adsit auis *Santenius* ‖ 29 tum **GM**: cum **O** ‖ 30 Iuppiter **O** ‖ 31 tantum? *Schraderus emend. p. 12* ‖ 32 adesse **G** | ualent *Baehrensius* ‖ 33 me cunctis pro *Colotius et Perreius:* pro cunctis (cuntis **GM**) pro **VM**

Non sine taurino sanguine pollicita es,
Si reditum tetulisset. is haut in tempore longo
Captam Asiam Aegypti finibus addiderat.
Quis ego pro factis caelesti reddita coetu
Pristina uota nouo munere dissoluo.
Inuita, o regina, tuo de uertice cessi,
Inuita: adiuro teque tuumque caput,
Digna ferat quod siquis inaniter adiurarit:
Sed qui se ferro postulet esse parem?
Ille quoque euersus mons est, quem maximum in oris
Progenies Thiae clara superuehitur,
Cum Medi peperere nouum mare cumque iuuentus
Per medium classi barbara nauit Athon.
Quid facient crines, cum ferro talia cedant?
Iupiter, ut Chalybum omne genus pereat,
Et qui principio sub terra quaerere uenas
Institit ac ferri stringere duritiem!
Abiunctae paulo ante comae mea fata sorores
Lugebant, cum se Memnonis Aethiopis
Unigena impellens nutantibus aera pennis

LXVI 40. Callimach. fragm. 35[b] Schneider: *σήν τε καρὴν ὤμοσα σόν τε βίον.*

48. Callimach. fr. 35[c] Schneider: *Χαλύβων ὡς ἀπόλοιτο γένος, | γειόθεν ἀντέλλοντα κακὸν φυτὸν οἵ μιν ἔφηναν.*

---

at si **g** at si

34 taurino *om.* **O** ‖ 35 S; **O** sed **G** s; **M** Sei *Schwabius* | te tulisset is aut in **VM** ‖ 36 asyam **G** | egipti **O** ‖ 37 celesti — cetu **V** cẹlesti — cẹtu **gM** | redditum **OM** ‖ 38 disoluo **O** ‖ 40 capud **O** capuḍt **M** ‖ 41 feratq; siquis **O** | adiuraret **VM** ‖ 43 quem **GM**: q̅ **O** | maximum *Guarinus:* maxima **VM** | in ḥoris **M** in orbe *uulgo* ‖ 44 Thiae *Vossius:* phitie **O** phytie **GM** ‖ 45 cum **gM** Tum **V** | rupere *uel* peperere *Itali:* propere **VM** pepulere *Statius* fodere *Bergkius* | cumq; **OD**: atq; **G**

at cumque at celorū

atque **M** ‖ 48 Iuppiter **O** | celitum **GM** (*i. marg.* at celtū **M**) celerum **O** Chalybon *A. Politianus* Telchinum *Withofius* ‖ 49 querrere **O** | uenas, ue *ex corr.* **G** ‖ 50 ferri stringere *Heysius:* ferris fingere **O** ferris fringere **GM** (frangere **D**) ferri fingere *Vossius* | duric(t **M**)iem **VM** ‖ 51 facta **O** ‖ 52 menonis ethyopis **GM** ‖ 53 mutantibus **M** nictantibus *Bentleius* | aeria **M**

Obtulit Arsinoes Locridos ales equos,
Isque per aetherias me tollens auolat umbras
Et Veneris casto collocat in gremio.
Ipsa suum Zephyritis eo famulum legarat,
Graia Canopieis incola litoribus.
†Hi dii uen ibi uario ne solum in lumine caeli
Ex Ariadneis aurea temporibus
Fixa corona foret, sed nos quoque fulgeremus
Deuotae flaui uerticis exuuiae,
Uuidulam a fletu cedentem ad templa deum me
Sidus in antiquis diua nouum posuit:
Virginis et saeui contingens namque leonis
Lumina, Callisto iuncta Lycaoniae,
Vertor in occasum, tardum dux ante Booten,
Qui uix sero alto mergitur Oceano.
Sed quamquam me nocte premunt uestigia diuum,
Lux autem canae Tethyi restituit

LXVI 65. cf. Callimachi fragm. anon. 88 Schneider: ἐσχατίην ὑπὸ πέζαν ἐλειήταο λέοντος.

67 sq. Q. Ciceronis uersus de 12 signis u. 19 sq.: 'serus in alta conditur Oceani ripa cum luce Bootes'.

---

at arsinoes
54 arsinoes **O**: asineos **G** *marg.* arsinoes **g** asineos **M** | Locridos *Bentleius:* elocridicos **VM** Cypridos *Bergkius* | ales equos **D** alis equos
at q^2 **g** at q;
VM alisequus *Statius* ‖ 55 Isq; **O**: Isq; **G** is quia **M** | ethereas **GM** |
at collocat **gM**
auolat **O**: aduolat **GM** ‖ 56 collocat **OD**: aduolat **GM** ‖ 57 zyphiritis **g** cyphiritis **V** zyphyritis **M** | legarat **OM**: legerat **G** at legarat **g** *marg.* ‖ 58 Gratia **GM** Gracia **O** Graia *Lachmannus* Graiia *Baehrensius; fortasse* grata | canopicis (conop. **O**) **VM**, *corr. Auantius* | littoribus **OM** ‖ 59 Hi dii uen ibi **VM** Arduei ibi *Hauptius obs. crit. 14.* Numen ibi *Ritschelius mus. Rhen. III 618* inuida enim *Vahlenus* | in numine **VM** | celi **V**; *corr.* **g** ‖ 60 adrianeis **VM**; *fortasse recte* | auira **G**; *corr.* **g** ‖ 61 uos **O** ‖ 62 exuuie **gM**: eximie **V** ‖ 63 Uuidulam *B. Guarinus:* uuidulū **M** Uindulum **V** Uiridulum **g** | fluctu **VM** fletu *Itali* | templa decūme **VM** | deum me **D** ‖ 64 sydus **M** ‖ 65 Virgis **O** ‖ 66 calixto **VM** | iuncta Lycaoniae *Parthenius:* iuxta (iusta **M**) licaonia **VM** ‖ 67 ocasum **O** | bootē **O**: boothen **G** boothem **g** boethez **M** ‖ 68 occeano **VM** ‖ 69 quanquam **GM** quicquam **O** ‖ 70 autem] aut **VM** | theti **VM** | restituem **VM**, *corr. Lachmannus*

(Pace tua fari hic liceat, Rhamnusia uirgo;
Namque ego non ullo uera timore tegam,
Nec si me infestis discerpent sidera dictis,
Condita quin ueri pectoris euoluam):
Non his tam laetor rebus quam me afore semper,
Afore me a dominae uertice discrucior;
Quicum ego, dum uirgo quondam fuit, omnibus expers
Unguentis, una milia multa bibi.
Nunc uos, optato quas iunxit lumine taeda,
Non prius unanimis corpora coniugibus
Tradite nudantes reiecta ueste papillas,
Quam iocunda mihi munera libēt onyx,
Vester onyx, casto colitis quae iura cubili.
Sed quae se impuro dedit adulterio,
Illius a! mala dona leuis bibat irrita puluis:
Namque ego ab indignis praemia nulla peto.
Sed magis, o nuptae, semper concordia uostras
Semper amor sedes incolat assiduus.
Tu uero, regina, tuens cum sidera diuam
Placabis festis luminibus Venerem,

LXVI 82. cf. Callimach. fragm. 35^{d} Schneider: πρὶν ἀστέρι τῷ Βερενίκης.

---

71 pace tua **M**: Parce tua **V** | ranūsia **O**: ranusia **GM** Rhamnusia *uulgo* rānusia **BL** ‖ 72 non ullo **O**: non nullo **GM** ‖ 73 si me] sine **VM** | diserpent **VM** | sydera **GM** | doctis **O** ‖ 74 Candita **G** | qui **V**
at quin
q **M** | uere **VM**: uerei *Lachmannus* ueri *uulgo* | euolue **VM** ‖ 75 hiis **O** | affore **VM** ‖ 76 Affore **VM** | discrutior **VM** ‖ 77 Qui cum **VM** | expers **VM** ominis expers *Auratus* Hymenis expers *Eschenburgius* | 78 Unguenti surii *Auratus* (suriei *Hauptius*) | millia **GM** ‖ 79 quas
at quã
uulgo: quem **V** quẽ **M** quam ς quo *Vahlenus* quom *Hauptius* queis *Statius* ‖ 80 prius *Auantius:* post (p͡ **O**) **VM** | uno animus **VM** unanimis *uulgo* ‖ 81 retecta **VM** ‖ 82 onix **V** o nix **M** ‖ 83 onix **V** o nix **M** | colitisq; **O** quaeritis *i. marg.* at colitis **L** petitis **D** quaeritis **M** ‖ 85 Illius amala leuis bibat dona irrita (inita **G**) puluis **VM** ‖ 86 nanq; **M** | indignatis **O** indigetis **G** indignis *i. marg.* at indigetis at indignatis **M**
at cũ
indignis *uulgo* ‖ 87 nostras **VM** ‖ 89 tu **M** | sydera **GM**

Unguinis expertem ne siris esse tuam me,
  Sed potius largis affice muneribus.
Sidera corruerint utinam! coma regia fiam:
  Proximus Hydrochoi fulgeret Oarion.

LXVII.

O dulci iocunda uiro, iocunda parenti,
  Salue, teque bona Iupiter auctet ope,
Ianua, quam Balbo dicunt seruisse benigne
  Olim, cum sedes ipse senex tenuit,
Quamque ferunt rursus uoto seruisse maligno,
  Postquam es porrecto facta marita sene:
Dic agedum nobis, quare mutata feraris
  In dominum ueterem deseruisse fidem.
'Non (ita Caecilio placeam, cui tradita nunc sum)
  Culpa mea est, quamquam dicitur esse mea,
Nec peccatum a me quisquam pote dicere quicquam:
  Verum istis populis ianua quicque facit,
Qui, quacumque aliquid reperitur non bene factum,
  Ad me omnes clamant: ianua, culpa tua est.'
Non istuc satis est uno te dicere uerbo,
  Sed facere ut quiuis sentiat et uideat.

---

91 Unguinis *Bentleius:* Sanguinis **VM** | ne siris *Baehrensius:* non uestris (ūris) **VM** ne siueris *Scaliger* non siris *Lachmannus* | tuam *Auantius:* tuum **VM** || 92 pocius **V** | largeis **M** | effice **VM** || 93 sydera **M** | cur iterent **VM** | corruerint utinam! *Lachmannus* corruerent utinam *Ellisius* | utina **O** utinam **GM** iterum *Marklandus* iterum ut *Hertzbergius* || 94 idrochoi **G** id rochoi **OM**

LXVII. *Adhaeret priori in* **VM**, *sed in* **g** *signo i. marg. adposito, in* **M** *littera o rubricata nouum carmen incipere significatur* || 4 senes **O** || 5 Quamquam **O** | uoto **VM** nato *Froehlichius* | maligno **GM** maligne **O** || 6 Pq̃uam **O** posq̃ **M** | est **VM** | porecto **G** | facta *corr. ex* tacta **M** | marite **VM** || 7 Dic age de uobis **VM** || 8 ueterem **O**: uenerem **GM** | desseruisse **G** || 9 cecilio **VM** | plateā **M** | traditā **O** || 10 quaquam **O** quanquam **M** || 11 potest **M** | quicquam **GM** qdquam **O** || 12 Verum istius **VM** isti ς istis **D** | populi **VM** populis *Vahlenus* | uerum est uox populi *Baehrensius* uerumst ius (os *Ellis.*) populi *Munro* | qui te facit **VM** Quinte facit *Scaliger* quidque f. *Vahlenus* || 16 qui uis **VM**

'Qui possum? nemo quaerit nec scire laborat.'
Nos uolumus: nobis dicere ne dubita.
'Primum igitur, uirgo quod fertur tradita nobis,
Falsum est. non illam uir prior attigerit,
Languidior tenera cui pendens sicula beta
Numquam se mediam sustulit ad tunicam:
Sed pater illius gnati uiolasse cubile
Dicitur et miseram conscelerasse domum,
Siue quod impia mens caeco flagrabat amore,
Seu quod iners sterili semine natus erat
Et quaerendus *is*, unde foret neruosius illud,
Quod posset zonam soluere uirgineam.'
Egregium narras mira pietate parentem,
Qui ipse sui gnati minxerit in gremium.
'Atqui non solum hoc dicit se cognitum habere
Brixia † Chinea suppositum specula,
Flauus quam molli praecurrit flumine Mella,
Brixia Veronae mater amata meae,
Sed de Postumio et Corneli narrat amore,
Cum quibus illa malum fecit adulterium.
Dixerit hic aliquis: qui tu istaec, ianua, nosti,
Cui numquam domini limine abesse licet,
Nec populum auscultare, sed hic suffixa tigillo

---

17 Quid possum **VM** ‖ 18 nobis *Muretus:* uobis **VM** | ue **O** ‖ 20 attigerit **VM** attigerat *uulgo* ‖ 21 *sic habent* **GM**: *om.* **O** *(sed i. marg.* X); *iterum hic uersus extat post* LXIIII 385, *sed ut* **V** pedens *ibi tradat* ‖ 22 nunquam **M** | substulit **M** | ad] hanc **VM** ‖ 23 ipsius *Muretus* ‖ 25 siue q; (q) **M** ‖ 26 quod meo (at iners) **M** ‖ 27 is *Lachmannus: om.* **VM** Et quaerendum unde unde *Statius* ‖ 29 parentum **O** ‖ 30 sui **GM**: sūt **O** ‖ 31 At qui **VM** | hoc dicit se **O**: se dicit, *om.* hoc, **G** se dicit hoc **M** hoc se dicit **D** ‖ 32 chinea suppositum specula **VM** Cycnea supposita in specula *J. C. Zanchius de Orig. Orob. lib. II* Cygneae supposita speculae *Vossius* ‖ 33 moli **O** | praecurrit *Cluuerius Ital. ant. p. 412:* percurrit **VM** | mello **GM** melo **O** ‖ 34 mee **VM**: tuae *Scaliger* ‖ 35 posthumio **VM** | narrat **OM**: amat **G** ‖ 37—40, *qui uulgo ianuae dantur, Catullo dedit Schwabius* ‖ 37 dixit **O** | hic (h^{i}) **GM**: h' (= haec) **O** | quid tu iste (istec **M**) ianua **VM** ‖ 38 domini **GM**: deū **O** | lumine **O** ‖ 39 ascultare **O** | hic (h^{i}) *uulgo:* h' (= haec) **O** hec **GM** heic *Schwabius* | sufixa **O**

Tantum operire soles aut aperire domum?
Saepe illam audiui furtiua uoce loquentem
Solam cum ancillis haec sua flagitia,
Nomine dicentem quos diximus, ut pote quae mi
Speret nec linguam esse nec auriculam.
Praeterea addebat quendam, quem dicere nolo
Nomine, ne tollat rubra supercilia.
Longus homo est, magnas quoi lites intulit olim
Falsum mendaci uentre puerperium'.

LXVIII[a].

Quod mihi fortuna casuque oppressus acerbo
Conscriptum hoc lacrimis mittis epistolium,
Naufragum ut eiectum spumantibus aequoris undis
Subleuem et a mortis limine restituam,
Quem neque sancta Venus molli requiescere somno
Desertum in lecto caelibe perpetitur,
Nec ueterum dulci scriptorum carmine musae
Oblectant, cum mens anxia peruigilat:
Id gratum est mihi, me quoniam tibi dicis amicum
Muneraque et musarum hinc petis et Veneris.
Sed tibi ne mea sint ignota incommoda, Manli,
Neu me odisse putes hospitis officium,
Accipe, quis merser fortunae fluctibus ipse,
Ne amplius a misero dona beata petas.
Tempore quo primum uestis mihi tradita pura est,

---

41 audiuit **M** ‖ 42 Sola **VM** | ancillis *Statius:* concillis **O** conciliis **G** (at conciliis) cū aliis **M** ‖ 43 ut pete **O** ‖ 44 Sperēt **O** Sperent **G** Speret **M**: Speraret *Itali* ‖ 45 addebant **O** | quēdam **GM**: q̄dā **O** ‖ 46 ne] te **VM** | supercillia **G** ‖ 47 quoi] qui **VM** | littes **O** | intullit **G** ‖ 48 mendacii **VM**

LXVIII[a]. *A priore unius uersus interstitio discretum in* **VM**; Ad Mallium *inscribunt* **gM** ‖ 1 Quo **O** | caūq; **O** ‖ 2 hoc **GM**: h' **O** | mittis **O**: mittit **GM** | epystolium **G** ‖ 3 Naufragium ut **VM** ‖ 6 Disertum **G** (at q̃m) ‖ 7 ueterm **O** ‖ 8 ansia **O** ‖ 9 quero **M** ‖ 10 petit **G** ‖ 11 ignota commoda mali **VM** at mauli **M** *sscr.*, malli *corr. ex* manli **D**; Mani *Lachmannus hic et u. 30* ‖ 12 Neu **OM**: Seu **G**

Iocundum cum aetas florida uer ageret,
Multa satis lusi: non est dea nescia nostri,
Quae dulcem curis miscet amaritiem.
Sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors
Abstulit. o misero frater adempte mihi,
Tu mea tu moriens fregisti commoda, frater,
Tecum una tota est nostra sepulta domus,
Omnia tecum una perierunt gaudia nostra,
Quae tuus in uita dulcis alebat amor.
Cuius ego interitu tota de mente fugaui
Haec studia atque omnes delicias animi.
Quare, quod scribis Veronae turpe Catullo
Esse, quod hic quisquis de meliore nota
Frigida deserto tepefactet membra cubili:
Id, Manli, non est turpe, magis miserum est.
Ignosces igitur, si, quae mihi luctus ademit,
Haec tibi non tribuo munera, cum nequeo.
Nam quod scriptorum non magna est copia apud me,
Hoc fit quod Romae uiuimus: illa domus,
Illa mihi sedes, illic mea carpitur aetas:
Huc una ex multis capsula me sequitur.
Quod cum ita sit, nolim statuas nos mente maligna
Id facere aut animo non satis ingenuo,
Quod tibi non utriusque petenti copia facta est:
Ultro ego deferrem, copia siqua foret.

---

16 *sic habent* **GM**: *om.* **O** *(sed signum* Ψ *i. marg.); iterum extat hic uersus post* LXVIII^b *u.* 9, *sed ut ibi* **VM** cometas *et* ū (ut **GM**) *exhibeant, unde* quom aetas *restituendum* ‖ 18 amaritiem **M** amariritiem **G** amaritōēʒ (= -tionem) **O** ‖ 20 o] ei *Baehrensius* ‖ 21 mea **GM**: n̄ia **O** | comoda **O** ‖ 22 est *om.* **M** | seppulta **M** ‖ 26 omnem **O** | delitias **M** ‖ 27 catulle **VM** ‖ 28 quiuis *Lachmannus ad Lucret. p. 287* ‖ 29 tepefactet
at factat
Bergkius: tapefacit **V** tepefacit **M** tepefaxit *Lachmannus* | cubilli **O** ‖ 30 mali **VM** malli *corr. ex* manli **D** Mani *Lachmannus* ‖ 31 Ignoscēs **O** ‖ 32 cum **GM**: tum **O** ‖ 33 ap̄ **O**: apud **GM** ‖ 34 Hoc **GM**: Hec **O** |
fit
sit **M** ‖ 36 una **GM**: ̄ima **O** ‖ 37 nolī *(sic)* **GM**: noli **O** ‖ 38 ingenio **VM** ‖ 39 petenti **VM**: petiti *Parthenius* | posta **VM** facta ς *uulgo* porcta *O. Ribbeckius* parta *Schwabius* prompta *Baehrensius* ‖ 40 differrem **OM** erem **G**

LXVIII[b].

Non possum reticere, deae, qua me Allius in re
  Iuuerit aut quantis iuuerit officiis,
Nec fugiens saeclis obliuiscentibus aetas
  Illius hoc caeca nocte tegat studium;
Sed dicam uobis, uos porro dicite multis
  Milibus et facite haec carta loquatur anus

. . . .

  Notescatque magis mortuus atque magis,
Nec tenuem texens sublimis aranea telam
  In deserto Alli nomine opus faciat.
Nam mihi quam dederit duplex Amathusia curam
  Scitis, et in quo me corruerit genere,
Cum tantum arderem quantum Trinacria rupes
  Lymphaque in Oetaeis Malia Thermopylis,
Maesta neque assiduo tabescere lumina fletu
  Cessarent tristique imbre madere genae,
Qualis in aerii perlucens uertice montis
  Riuus muscoso prosilit e lapide,

LXVIII[b] 1. Ausonius ep. XXIIII 48: 'nec possum reticere' (p. 189 Sch.).

16. Paulinus V 41: 'ac madidum pectus perfundens imbre genarum'; cf. Philol. 1889, 761.

LXVIII[b]. *Adhaeret priori in* **VM** (*i. marg. signum* ʃ **M**; *cf. ad c.* CII *et* CIII). *primus seiunxit Ramlerus* ‖ 1 qua me Allius *Scaliger:* quā fallius **VM** | īre **GM**: ire **O** ‖ 2 Iuuerit **GM**: Inuenit **O** | uiuerit **O** uiueret **M** ‖ 3 Nec **VM** Ne *Itali* | fugiens sedis **VM**; *i. marg.* saeclis **L** ‖ 5 porto **O** ‖ 6 Millibus **GM** | carta] cerata **O** certa **G** (at carta) certa **M** ‖ 7 *nullum lacunae signum in* **O**; *in* **G** *et* **M** *unius uersus spatium uacuom est et in margine*: defic̄. *legitur* ‖ 8 Notescamq; **G** ‖ *post* 9 *hic in* **VM** *inseritur uersus* (*cf.* LXVIII[a] 16): Iocundum cometas florida ū (*ita* **O**: ut **GM**) ageret ‖ 10 alli **O**: alii **M** ali **G** ‖ 11 Nam **OM**: Non **G** ‖ 12 corruerit **VM**: torruerit *Turnebus adu. XVI 1* ‖ 14 Limphaq; **O** | in oetheis (oe *ex corr.*) **G** in oethis **M** inoetheis **O** | manlia **M** maulia **V** | termopilis **O** termophi(y **M**)lis **GM** ‖ 15 nūmula **O** numula **GM** lumina *uulgo* ‖ 16 Cessare ne tristiq; **VM** Cessarent tristique *uulgo* Cessarent neque tristi *Muretus* | ymbre **G** nibre **M**

Qui, cum de prona praeceps est ualle uolutus,
Per medium densi transit iter populi,
Dulce uiatori lasso in sudore leuamen,
Cum grauis exustos aestus hiulcat agros.
Hic, uelut in nigro iactatis turbine nautis
Lenius aspirans aura secunda uenit
Iam prece Pollucis, iam Castoris implorata:
Tale fuit nobis Allius auxilium.
Is claussum lato patefecit limite campum,
Isque domum nobis, isque dedit dominam,
Ad quam communes exerceremus amores.
Quo mea se molli candida diua pede
Intulit et trito fulgentem in limine plantam
Innixa arguta constituit solea,
Coniugis ut quondam flagrans aduenit amore
Protesilaeam Laudamia domum
Inceptam frustra, nondum cum sanguine sacro
Hostia caelestis pacificasset eros.
Nil mihi tam ualde placeat, Rhamnusia uirgo,
Quod temere inuitis suscipiatur eris.
Quam ieiuna pium desideret ara cruorem,
Docta est amisso Laudamia uiro,

LXVIII^b 23. Paulinus V 470: 'uidere inmenso iactati turbine nautae'; cf. Philol. 1889, 761.

---

19 est ualde **VM** | uoluptus **O** || 20 Per medium **VM** | densi **VM**: sensim *Hauptius quaest. 89* || 21 Duce **VM** | uiatori **G**: uiatorum **O** at rum
uiatori **M** | basso **VM** lasso *uulgo* | leuamus **VM** || 22 hiultat **O** || 23 Hic **GM**: H' (= Haec) **O** || 24 Leuius **VM** || 25 implorate **VM**: imploratu *Lachmannus* implorati *Heysius* || 26 allius auxilium *i. marg.* t manllius **O**: manlius auxilium **GM** mallius *ex* manlius *corr.* **D** Manius *Lachmannus* || 27 clausū **O**: classum **GM** || 28 dominam **VM**: dominae *Froehlichius* || 29 comunes **G** || 32 Inixa **O** || 33 amorem **V** amorem **M** || 34 Protesileam **O** Prothesileam **GM** | Laudamia *hic et* 40 *et* 45 *H. Usenerus in Fleckeis. ann. 1865 p. 227:* laudomia **VM** Laodamia *uulgo* || 35 Incepta **V** incoepta **M** Inceptam *uulgo* || 36 heros **VM** || 37 rāmusia at q
O ranusia **GM** || 38 quā **M** | heris **VM** || 39 deficeret **VM** || 40 laudomia **VM** | uirgo **V** (*in* **G** *a man. rec. in marg.* ∴ uiro) uirgo **M**

Coniugis ante coacta noui dimittere collum,
    Quam ueniens una atque altera rursus hiemps
Noctibus in longis auidum saturasset amorem,
    Posset ut abrupto uiuere coniugio,
Quod scirant Parcae non longo tempore abisse,
    Si miles muros isset ad Iliacos:
Nam tum Helenae raptu primores Argiuorum
    Coeperat ad sese Troia ciere uiros,
Troia, nefas, commune sepulcrum Asiae Europaeque,
    Troia uirum et uirtutum omnium acerba cinis,
Quaene etiam nostro letum miserabile fratri
    Attulit (ei misero frater adempte mihi,
Ei misero fratri iocundum lumen ademptum,
    Tecum una tota est nostra sepulta domus;
Omnia tecum una perierunt gaudia nostra,
    Quae tuus in uita dulcis alebat amor;
Quem nunc tam longe non inter nota sepulcra
    Nec prope cognatos compositum cineris,
Sed Troia obscena, Troia infelice sepultum
    Detinet extremo terra aliena solo);
Ad quam tum properans fertur *simul* undique pubes
    Graeca penetralis deseruisse focos,
Ne Paris abducta gauisus libera moecha

LXVIII[b] 50. Nonius 198: 'Cinis feminino apud Caesarem et Catullum (Catulum libri) et Caluum lectum est, quorum uacillat auctoritas'; cf. CI 4.

---

at uo
41 nouit **V** nouit **M** noui *uulgo* | collum **G** || 42 quem **M** | uemens **M** | hyemps **O** hyēms *(sic)* **G** hyems **M** || 44 abinnupto **O** ab rupto **GM** || 45 scirant *L. Muellerus:* scibant **VM** sceibant **D** scibat *Lachmannus* | abisse **VM** abesse *Itali* adesse *Santenius* uixe *Ribbeckius* || 46 similles **G** similes **M** | yliacos **VM** || 47 Nam cū **O** || 48 cepat **M** || 49 nephas **M** | asye **G** || 51 Quaene etiam *Heinsius:* Que uetet id **VM** | fratri **M**: frater **V** || 52 ei **O**: hei **GM** | frateter **G** || 53 Hei **VM** | fratri iocundumq; limine adeptum **O** fratri iocundum lumen adeptum **GM** fratri iocundum lumen ademptum ς *uulgo* || 57 Que **VM** Quem *uulgo* | sepulcrea **G** || 59 seppultū **M** || 61 tum **OM**: tuum **G** | simul *Itali: om.* **VM** | pupes **O** || 62 Greca **VM** Graia *L. Muellerus* | foccos **O** || 63 Nec **OM** Ne **G** Nei *Baehrensius* | pars **O** | mecha **V**

Otia pacato degeret in thalamo.
Quo tibi tum casu, pulcherrima Laudamia,
Ereptum est uita dulcius atque anima
Coniugium: tanto te absorbens uertice amoris
Aestus in abruptum detulerat barathrum,
Quale ferunt Grai Pheneum prope Cylleneum
Siccare emulsa pingue palude solum,
Quod quondam caesis montis fodisse medullis
Audit falsiparens Amphitryoniades,
Tempore quo certa Stymphalia monstra sagitta
Perculit imperio deterioris eri,
Pluribus ut caeli tereretur ianua diuis,
Hebe nec longa uirginitate foret.
Sed tuus altus amor barathro fuit altior illo,
Qui tunc indomitam ferre iugum docuit.
Nam nec tam carum confecto aetate parenti
Una caput seri nata nepotis alit,
Qui, cum diuitiis uix tandem inuentus auitis
Nomen testatas intulit in tabulas,
Impia derisi gentilis gaudia tollens
Suscitat a cano uolturium capiti;
Nec tantum niueo gauisa est ulla columbo
Compar, quae multo dicitur inprobius
Oscula mordenti semper decerpere rostro

---

64 Ocia **GM** Octia **O** | paccato **O** ‖ 65 Quod tibi **VM** | tum **OM**: cum **G** | pulcima **O** pulcherima **G** | laudomia **VM** ‖ 68 baratrum **VM** ‖ 69 fuerunt **G** ‖ peneum prope cilleneum **VM** ‖ 70 Siccari (Sicari **O**) **VM**, *corr. Schraderus emend. p. 11* ‖ 72 Audet falsi parens amphitrioniadis (amphyt. **G**) **VM** Audit *Palmerio debetur;* Gaudet *Weisius* ‖ 73 stimphalia **OM** ‖ 74 Pertulit **OM** Pertullit **G** | deterrioris **G** | heri **VM** ‖ 75 terreretur (τ̃rer.) **O** treerretur **G** terretur **M** | diuie **M** ‖ 76 Heb'2 **O** ‖ 77 baratro **VM** ‖ 78 Qui tuum domitum **VM** qui tūc te indomitum **D** *i. marg.* Qui tunc indomitam *Conr. de Allio* Qui toruum domitum *Vossius* Qui tauri indomitam *Schraderus* Qui durum domitam *Lachmannus* Qui dominum domitum *Ellisius* (dominum *iam Aldinae*) ‖ 79 nec tā **OD**: nec causa **G** nec causa *i. marg.* at neq; tā **M** ‖ 81 diuic(t **M**)iis **VM** ‖ 82 ceratas *Schraderus* ‖ 84 Scuscitata (Scusoit. **G**) cano uoltarium capiti **VM** ‖ 85 gauisa **G** ‖ 86 Compq; **O** comparq̄ **GM** | ī probius **O**: improbius **GM**

Quam quae praecipue multiuola est mulier.
Sed tu horum magnos uicisti sola furores,
Ut semel es flauo conciliata uiro.
Aut nihil aut paulo cui tum concedere digna
Lux mea se nostrum contulit in gremium,
Quam circumcursans hinc illinc saepe Cupido
Fulgebat crocina candidus in tunica.
Quae tamenetsi uno non est contenta Catullo,
Rara uerecundae furta feremus erae,
Ne nimium simus stultorum more molesti.
Saepe etiam Iuno, maxima caelicolum,
Coniugis in culpa flagrantem concipit iram,
Noscens omniuoli plurima furta Iouis.
Atqui nec diuis homines componier aequm est,

* * *

Ingratum tremuli tolle parentis onus.
Nec tamen illa mihi dextra deducta paterna
Fragrantem Assyrio uenit odore domum,
Sed furtiua dedit mira munuscula nocte,
Ipsius ex ipso dempta uiri gremio.

LXVIII[b] 88. gloss. Labb. p. 117[c]: 'multiuolus πολύβουλος'; cf. Hauptii op. III 642.

97. Ieremias iudex de Montagnone Paduanus compend. moral. notabil. part. II libr. I Catulus c. 9: 'Ne nimium — molesti'.

---

88 Quam quae *Vossius:* Quam(n **M**)quam **VM** ‖ 89 Sed tuorum **VM** ‖ 90 efflauo **O**: eflauo **G** e flauo **M** ‖ 91 tum *Muretus:* tu **VM** ‖ 92 contullit **G** ‖ 93 ccum [i] cursans **O** ‖ 95 tamen etsi **VM** *uulgo* | cotēpta catulo [l] **O** ‖ 96 here **VM** ‖ 97 scimus **M** ‖ 99 concipit iram *Baehrensius:* cotidiana **O** quotidiana **GM** continet iram *Santenius* concoquit iram *Lachmannus* contudit iram *Hertzbergius* ‖ 100 plurima facta **VM** plurima furta *uulgo* ‖ 101 Atq; **VM** At quia *uel* atqui *Itali* Atquei *Schwabius* | componere **VM** | eqū **O**: equum **GM** ‖ *lacunam, quam* **VM** *non agnoscunt, primus agnouit Marcilius aster. 656* ‖ 102 tremulist illa (olla *Hauptius*) *Lachmannus* ‖ 103 tamen **VM**: tandem *Baehrensius* | deastra **VM** dextra ς dexstra *Schwabius* ‖ 104 Flagrantem **VM** | assirio **O** | uenilis [at uenit] **M** ‖ 105 furtiue [at a] **M** | mira **VM** nigra *Guarinus* rara *Hauptius*

Quare illud satis est, si nobis is datur unis
Quem lapide illa diem candidiore notat.
Hoc tibi quod potui confectum carmine munus
Pro multis, Alli, redditur officiis,
Ne uostrum scabra tangat rubigine nomen
Haec atque illa dies atque alia atque alia.
Huc addent diui quam plurima, quae Themis olim
Antiquis solita est munera ferre piis.
Sitis felices et tu simul et tua uita
Et domus, in qua *nos* lusimus et domina;
†Et qui principio nobis terram dedit aufert,
A quo sunt primo omnia nata bono;
Et longe ante omnes mihi quae me carior ipso est,
Lux mea, qua uiua uiuere dulce mihi est.

LXVIIII.

Noli admirari, quare tibi femina nulla,
Rufe, uelit tenerum supposuisse femur,
Non si illam rarae labefactes munere uestis
Aut perluciduli deliciis lapidis.
Laedit te quaedam mala fabula, qua tibi fertur
Valle sub alarum trux habitare caper.
Hunc metuunt omnes. neque mirum: nam mala ualde est
Bestia, nec quicum bella puella cubet.

107 is] his **GM** hiis **O** | unus **M** || 108 dies **VM** diem *uulgo* | candiore **O** | notet *uulgo* || 109 Hoc **GM**: H' **O** | quod **VM**: quo *Muretus* || 110 Alli *Scaliger:* aliis **VM** Manli ς || 111 nostrum **M** | rubine **M** || 113 hunc **M** | plurimaq; **O** || 115 Satis **VM** Sitis *uulgo* | uite **V** uita **M** || 116 nos ς: *om.* **VM** domus ipsa in qua lusimus ς *uulgo;* ipsi *inseruit post* domus *Statius* || 117 terram dedit **VM** teneram dedit *Statius* te tradidit *Mitscherlichius* | aufert **VM**: Anser *Heysius* | dum, qui principio nobis terram dedit, aufert, a quo *Vahlenus* || 118 primo mi *Hauptius* | bono **VM** bona *uulgo* || 119 mihiq; **O** | ipse est **M** || 120 uiuere mihi dulce est **VM**

LXVIIII. *Unius uersus interstitio seiunctum a priori in* **VM**; In Rufum *inscribunt* **gM** || 2 Ruffe **V** rufe **M** || 3 Non si illam rarae *Auantius:* Nos illa mare **VM** || 4 proluciduli **M** | delitiis **M** || 5 fabulaqua (ua *ex* ue *corr.*) **G**: fabulaq; **O** fabula quae **M** | ti fertur **M** || 6 Vale **O** | a≡l≡arum (l *ex corr.*) **G** || 8 nec cui cum **VM**

Quare aut crudelem nasorum interfice pestem,
Aut admirari desine cur fugiunt.

LXX.

Nulli se dicit mulier mea nubere malle
Quam mihi, non si se Iupiter ipse petat.
Dicit; sed mulier cupido quod dicit amanti,
In uento et rapida scribere oportet aqua.

LXXI.

Si quoi iure bono sacer alarum obstitit hircus,
Aut si quem merito tarda podagra secat,
Aemulus iste tuus, qui uostrum exercet amorem,
Mirifice est a te nactus utrumque malum.
Nam quotiens futuit, totiens ulciscitur ambos:
Illam affligit odore, ipse perit podagra.

LXXII.

Dicebas quondam solum te nosse Catullum,
Lesbia, nec prae me uelle tenere Iouem.
Dilexi tum te non tantum ut uulgus amicam,
Sed pater ut gnatos diligit et generos.
Nunc te cognoui: quare etsi impensius uror,
Multo mi tamen es uilior et leuior.

---

10 cur frigiunt **O** | *inter* 9 *et* 10 *in* **M** *interstitium unius uersus*

LXX. *Adhaeret priori in* **VM** ‖ 1 male **O** ‖ 4 oportet **GM**: o; **O**

LXXI. *Adhaeret priori in* **VM** ‖ 1 Siqua uiro bono **VM**: iure *Palladius* Virro *Parthenius* | sacratorum (*compendio plane eodem quo* CII 3) **O** (sac̃toruȝ): sacrorum **GM** sacer alarum *Itali* | hyrcus **GM** ‖ 2 si quam **VM** | podraga **G** | secūt **O** secum **GM** ‖ 3 urm̄ **VM**: n̄rm̄ **g** ‖ 4 Mirifice est ate nactus **VM** Mirifico est fato *G. Hermannus* | utrunq; **GM** ‖ 5 quociens — tociens **V** ‖ 6 podraga **G**

LXXII. *Interstitium unius uersus in* **VM**; Ad lesbiam *inscribunt* **gM** ‖ 2 prae me] pre me **M** prime **O** per me **G** ‖ 3 tantus **M** ‖ 4 set **D** *i. marg.* ‖ 5 et si **M** ‖ 6 mi tamen es *B. Guarinus:* ita me nec **VM**

Qui potis est? inquis. quod amantem iniuria talis
Cogit amare magis, sed bene uelle minus.

LXXIII.

Desine de quoquam quicquam bene uelle mereri
Aut aliquem fieri posse putare pium.
Omnia sunt ingrata, nihil fecisse benigne:
Immo etiam taedet, *taedet* obestque magis;
Ut mihi, quem nemo grauius nec acerbius urget,
Quam modo qui me unum atque unicum amicum habuit.

LXXIIII.

Gellius audierat patruum obiurgare solere,
Siquis delicias diceret aut faceret.
Hoc ne ipsi accideret, patrui perdepsuit ipsam
Uxorem et patruum reddidit Harpocratem.
Quod uoluit fecit: nam, quamuis irrumet ipsum
Nunc patruum, uerbum non faciet patruus.

LXXV.

Huc est mens deducta tua, mea Lebia, culpa,
Atque ita se officio perdidit ipsa suo,

LXXII 8. Donatus ad Terent. And. IV 3, 3: 'Amicus animi, amator uero corporis. Non enim continuo amor est qui bene uult. Ut Dido amauit quidem Aeneam, sed non et amica fuit quae ait . . . . et item Catullus: Cogit — minus'.

---

7 quam **VM** quod ς: quia *Statius*

LXXIII. *Adhaeret priori in* **VM** ‖ 1 quoquam quisquam **VM** | 3 nichil **O** ‖ 4 *alterum* taedet *om.* **VM** Prodest *add. Guietus* | Immo (Imo **G**) etiam tedet obestq; (stetque **M**) magisq; magis **VM**; *illud* magisq; *primus deleuit Auantius, qui hiatum expleuit duplicando illud* taedet ‖ 5 michi (mihi **M**) que **GM** mihiq; **O** ‖ 6 habuit **O**: habet **GM** *i. marg.* at habuit **M**

LXXIIII. *Adhaeret priori in* **VM** ‖ 1 Gel$^{l}_{\wedge}$ius **O**: Lelius **G** Lelius *i. marg.* at Gellius **M** | solere *Parthenius:* flere **VM** ‖ 2 delitias **M** ‖ 3 H' ne **O** | perdespuit **VM**, *corr. Scaliger* ‖ 4 reddit **O** | harpocrathem **GM**

LXXV. *Adhaeret priori in* **VM** ‖ 1 Huc **VM**: Nunc *Cuiacianus*

Ut iam nec bene uelle queat tibi, si optuma fias,
Nec desistere amare, omnia si facias.

LXXVI.

Siqua recordanti benefacta priora uoluptas
Est homini, cum se cogitat esse pium,
Nec sanctam uiolasse fidem nec foedere nullo
Diuum ad fallendos numine abusum homines:
Multa parata manent tum in longa aetate, Catulle,
Ex hoc ingrato gaudia amore tibi.
Nam quaecumque homines bene cuiquam aut dicere [possunt
Aut facere, haec a te dictaque factaque sunt:
Omnia quae ingratae perierunt credita menti.
Quare cur te iam amplius excrucies?
Quin tu animo offirmas atque istinc teque reducis,
Et dis inuitis desinis esse miser?
Difficile est longum subito deponere amorem.
Difficile est, uerum hoc qua lubet efficias:
Una salus haec est, hoc est tibi peruincendum,

LXXVI 7 sq. Franc. Barbarus in epistula a. 1440 (ed. Sabbadinius, p. 107): 'quaecumque a te et dicta et facta sunt'.

13. Ieremias iudex de Montagnone Paduanus compend. moral. notabil. part. IIII libr. V (Catulus) c. 12: 'Difficile — amorem'.

---

interpolatus, unde Scaliger hoc carmen post c. LXXXVII, *quocum coniungit, ponit. quem ita secutus est Lachmannus ut* diducta *pro* deducta, *quod* **VM** *habent, ex coniectura reponeret* ||

3 uelle queat *Lachmannus:* uelleq; tot **VM** queam *Itali* | optūa
at desistere
O: optima **GM** || 4 desiflore **M**

LXXVI. *Adhaeret priori in* **VM** || 1 Siq; rec. **O** || 3 uiolase **O** | federe nullo **VM** foedere in ullo *uulgo* || 5 manētū inlonga **O** manenti in longa **GM** manent in longa ς *uulgo* || 6 Exh' **O** | amore **GM** auiore **O** || 8 sint **O** || 9 Omniaq; **VM** | ingrate **OM** ingrata (a *alterum ex corr.*) **G** || 10 cur te iam **VM** iam te cur ς te iam cur *Muretus* || 11 Qui tui **V** qui tu **M** Quin tu ς *uulgo* | animo offirmas **V** animo affirmas **M** | istinc teque *Heinsius:* instincteq; **O** īstinctoq; **GM** istinc usque *Statius* istinc te ipse *Ellisius* || 12 dis] des **VM** || 14 hoc **GM**: h' **O** | quam lubet **VM** | officias **O** || 15 hec est hec est **G** h' est h' est **O** hec est. hoc est **M**

Hoc facias, siue id non pote siue pote.
O di, si uestrum est misereri, aut si quibus umquam
Extrema iam ipsa in morte tulistis opem,
Me miserum aspicite et, si uitam puriter egi,
Eripite hanc pestem perniciemque mihi.
Ei mihi, subrepens imos ut torpor in artus
Expulit ex omni pectore laetitias!
Non iam illud quaero, contra ut me diligat illa
Aut, quod non potis est, esse pudica uelit:
Ipse ualere opto et taetrum hunc deponere morbum.
O dei, reddite mi hoc pro pietate mea.

LXXVII.

Rufe mihi frustra ac nequiquam credite amice
(Frustra? immo magno cum pretio atque malo),
Sicine subrepsti mei atque intestina perurens
Mi misero eripuisti omnia nostra bona?
Eripuisti, heu heu nostrae crudele uenenum
Vitae, heu heu nostrae pestis amicitiae.

LXXVIII.

Gallus habet fratres, quorum est lepidissima coniunx
Alterius, lepidus filius alterius.

---

16 Hec **G** h' **O** hoc **M** | facies **M** | sine id **O** || 17 O dii **VM** | miseri **O** | unquam **GM** || 18 Extremo **V** Extrema **M** extremam ς | ipsa in *Itali:* ipsam **VM** ipsa ς || 20 pernitiemque **M** || 21 Hei *Lachmannus:* Seu **VM** Quae *Itali* Haec *Statius* | surrepens **GM** | unos **M** | torpor] corpore **VM** || 22 letic(t**M**)ias **VM** || 23 contra ut me **M** contra me ut me **V** contra me ut ς || 25 tetrum **VM** || 26 dei] *ita* **V** dii **M** | michi **G** $\overset{i}{\text{m}}$ **O** mi **M** | haec (h') **O** | pro$\overset{i}{\text{p}}$etate **O** proprietate **G** propietate **M**

LXXVII. *Interstitium unius uersus in* **VM**; Ad Rufum *inscribunt* **gM** || 1 rufe **M** Ruffe **V** | ne quicquam **VM** | amice **O**: amico **GM** || 2 imo **G** uno **M** | precio **V** || 3 subrepti **OM** subrecti **G** | tristitia **M** || 4 Si **V** Sic *uel* Mi ς Si *i. marg.* at Mi **M** Ei *Lachmannus* || 5 heripuisti **G** | he heu **G** heu **O** heu heu **M** *uulgo* | crudelle **G** || 6 he heu **G** heu **O** heu heu **M** *uulgo* | nostre **O**: nostro **GM** | pestis] pectus **VM** | amicicie **O** *itemque, nisi quod* e *ex corr.,* **G** || *ceterum cum hoc carmine Scaliger coniunxit uersus quattuor qui in* **V** *post* LXXVIII 6 *leguntur.*

LXXVIII. *Adhaeret priori in* **VM**

Gallus homo est bellus: nam dulces iungit amores,
Cum puero ut bello bella puella cubet.
Gallus homo est stultus nec se uidet esse maritum,
Qui patruus patrui monstret adulterium.

LXXVIIIᵇ.

* * *

Sed nunc id doleo, quod purae pura puellae
Sauia comminxit spurca saliua tua.
Verum id non impune feres: nam te omnia saecla
Noscent et, qui sis, fama loquetur anus.

LXXVIIII.

Lesbius est pulcher: quid ni? quem Lesbia malit
Quam te cum tota gente, Catulle, tua.
Sed tamen hic pulcher uendat cum gente Catullum,
Si tria notorum sauia reppererit.

LXXX.

Quid dicam, Gelli, quare rosea ista labella
Hiberna fiant candidiora niue,

---

4 puela cubit **O** ‖ *uersus quattuor, qui post u.* 6 *sine interuallo in* **V** *secuntur, cum Scaliger cum* LXXVII *coniunxisset, Bergkius Statium secutus fragmentum carminis esse recte statuit, quamquam postea abiecta hac sententia post* LXXX 8 *posuit; itaque nos numerum* LXXVIIIᵇ *addidimus.*

LXXVIIIᵇ. 1 nec **M** ‖ 2 sania **V** sauia **M** | conminxit *Scaliger:* connuxit **O** cōiunxit **GM** ‖ 3 id non **O**: non id **G** id uerum non **M** | seda **O** ‖ 4 Nosscent **G** | qui scis **M** qui sis **O** quis scis **G** | fama loquetur anus *Calpurnius:* famuloq; tanus **O** famuloq; canus **G** famuloq: at a tęnus **M**

LXXVIIII. *Adhaeret priori in* **VM** ‖ 1 pulcer **O** | quid inquam lesbia **VM** | mallit **GM** ‖ 3 pulcer **O** ‖ 4 notorum **O**: natorum **GM** | sania **O** | repererit **GM**

LXXX. *Interstitium unius uersus in* **VM**; Ad Gellium *inscribunt* **gM** ‖ 2 Hyberna **G**: Rub'na **O**

Mane domo cum exis et cum te octaua quiete
E molli longo suscitat hora die?
Nescio quid certe est: an uere fama susurrat
Grandia te medii tenta uorare uiri?
Sic certe est: clamant Victoris rupta miselli
Ilia et emulso labra notata sero.

LXXXI.

Nemone in tanto potuit populo esse, Iuuenti,
Bellus homo, quem tu diligere inciperes,
Praeterquam iste tuus moribunda ab sede Pisauri
Hospes inaurata pallidior statua,
Qui tibi nunc cordi est, quem tu praeponere nobis
Audes, et nescis quod facinus facias.

LXXXII.

Quinti, si tibi uis oculos debere Catullum
Aut aliud siquid carius est oculis,
Eripere ei noli, multo quod carius illi
Est oculis seu quid carius est oculis.

LXXXIII.

Lesbia mi praesente uiro mala plurima dicit:
Haec illi fatuo maxima laetitia est.
Mule, nihil sentis? si nostri oblita taceret,
Sana esset: nunc quod gannit et obloquitur,

---

3 exis et ς: exisset **VM** | optaua **M** || 6 tñta (= tenta, *ut* m̄a = mea) **O**: at tenta tanta **G** tanta **M** || 8 Ilia et emulso *Pierius Valerianus et Gabriel Faernus apud Statium:* Ille (ill^e^a **M**) te mulso **VM**

LXXXI. *Adhaeret priori in* **VM** || 1 Nemo ne **VM** | uiuenti **VM** || 2 quam **O** || 3 pisanum **O** || 5 Quid tibi **VM** | nuc **G** || 6 et] a *Fruterius* at *Muretus* | quid **VM**

LXXXII. *Adhaeret priori in* **VM** || 2 Aud **O**

LXXXIII. *Adhaeret priori in* **VM** || 2 Hec **G** Haec (H') **O** h^e^oc **M** | letic(t**M**)ia **VM** || 3 Mulle **GM** | nichil **O** || 4 Sanna **O** Samia **G** at sana Samia **M**

5 Non solum meminit, sed, quae multo acrior est res,
Irata est, hoc est, uritur et coquitur.

LXXXIIII.

Chommoda dicebat, si quando commoda uellet
Dicere, et insidias Arrius hinsidias,
9 Et tum mirifice sperabat se esse locutum,
10 Cum quantum poterat dixerat hinsidias.
3 Credo, sic mater, sic liber auunculus eius,
Sic maternus auus dixerat atque auia.
5 Hoc misso in Syriam requierant omnibus aures:
Audibant eadem haec leniter et leuiter,
Nec sibi postilla metuebant talia uerba,
8 Cum subito affertur nuntius horribilis,
11 Ionios fluctus, postquam illuc Arrius isset,
12 Iam non Ionios esse, sed Hionios.

LXXXV.

Odi et amo. quare id faciam, fortasse requiris;
Nescio, sed fieri sentio et excrucior.

LXXXIIII 1. Quintilianus I 5, 20: 'Cuius (h litterae) ratio mutata cum temporibus est saepius. Parcissime ea ueteres usi etiam in uocalibus, cum oedos ircosque dicebant; diu deinde seruatum ne consonantibus aspirarent, ut in Graccis et in triumpis; erupit breui tempore nimius usus ut choronae chenturiones praechones adhuc quibusdam inscriptionibus maneant, qua de re Catulli nobile epigramma est'.

---

5 que **GM** q; **O** || 6 Irata] Incensa *Pleitnerus* | h' **O** hec **M** | oritur **O** | coquitur *Lipsius:* loquitur **VM**

LXXXIIII. *Adhaeret priori in* **VM** || 1 Commoda dic. **VM** || 2 arrius insidias he (hee **O**) **V** arius hinsidias **M** || *uu., qui sunt in* **VM** 9 *et* 10, *Politianus post* 2 *uidetur transposuisse* || 10 insidias **VM** || 3 Liber *uulgo* | eius] eius est **VM** (at hec) || 5 Hoc ς: Hic **G** Haec (H') **O** hic **M** | syria **GM** siria **O** Syriam *uulgo* || 6 Audiebant **VM** audibant **D** || 7 post (p̊ **O**) illa **VM** || 8 nuncius **OM**: mincius **G** || 11 posquam **MD** | ill‸ic (i) **O** | arcius **O** artius **GM** | isset **OM**: esset **G** || 12 eet **O** | ionios **VM** (h)ionios **D**

LXXXV. *Adhaeret priori in* **VM** de Quintia **D** *in interstit.* || 1 nequiris **O** || 2 si **O** sed **GM** | sencio **O**

LXXXVI.

Quintia formosa est multis, mihi candida, longa,
Recta est. haec ego sic singula confiteor,
Totum illud formosa nego: nam nulla uenustas,
Nulla in tam magno est corpore mica salis.
Lesbia formosa est, quae cum pulcherrima tota est,
Tum omnibus una omnis subripuit Veneres.

LXXXVII.

Nulla potest mulier tantum se dicere amatam
Vere, quantum a me Lesbia amata mea es.
Nulla fides nullo fuit umquam foedere tanta,
Quanta in amore tuo ex parte reperta mea est.

LXXXVIII.

Quid facit is, Gelli, qui cum matre atque sorore
Prurit et abiectis peruigilat tunicis?
Quid facit is, patruum qui non sinit esse maritum?
Ecquid scis quantum suscipiat sceleris?
Suscipit, o Gelli, quantum non ultima Tethys
Nec genitor nympharum abluit Oceanus:

LXXXVI 4. Quintilianus VI 3, 18: 'Salsum in consuetudine pro ridiculo tantum accipimus; natura non utique hoc est, quamquam et ridicula oporteat esse salsa. Nam . . . . et Catullus, cum dicit Nulla est in corpore mica salis, non hoc dicit nihil in corpore eius esse ridiculum'.

LXXXVI. *Adhaeret priori in* **VM** de eadem **D** ‖ 1 Quincia **O** | loga **O** ‖ 2 ego *om.* **M** | singulla **G** ‖ 5 pulcerima **O** ‖ 6 omnes surripuit **GM**

LXXXVII. *Adhaeret priori in* **VM** ‖ 1 potest **OM**: pone **G** ‖ 2 es *Scaliger:* est **VM** ‖ 3 ullo **VM** nullo *uulgo* | unquam **GM** | federe tanto **VM** (in foedere *Doeringius*) ‖ 4 Quantam in **O**

LXXXVIII. *Adhaeret priori in* **VM** ‖ 2 Prurit **O** prurit **D**: Proruit **GM**; *id quod in* **V** *erat* prorurit, *ex* prorit[ru] *ortum est* ‖ 3 facis is **O** | sunt **M** ‖ 4 Et quid **VM** Ecqui *Lachmannus* | sis **O** ‖ 5 thetis **V** tethis **M** ‖ 6 nimpharum **OM** nympharum **G** *uulgo* lympharum *L. Muellerus* | occeanus **VM**

Nam nihil est quicquam sceleris, quo prodeat ultra,
Non si demisso se ipse uoret capite.

LXXXVIIII.

Gellius est tenuis: quid ni? cui tam bona mater
Tamque ualens uiuat tamque uenusta soror
Tamque bonus patruus tamque omnia plena puellis
Cognatis, quare is desinat esse macer?
Qui ut nihil attingat, nisi quod fas tangere non est,
Quantumuis quare sit macer inuenies.

LXXXX.

Nascatur magus ex Gelli matrisque nefando
Coniugio et discat Persicum aruspicium:
Nam magus ex matre et gnato gignatur oportet,
Si uera est Persarum impia relligio,
Gratus ut accepto ueneretur carmine diuos
Omentum in flamma pingue liquefaciens.

LXXXXI.

Non ideo, Gelli, sperabam te mihi fidum
In misero hoc nostro, hoc perdito amore fore,
Quod te cognossem bene constantemue putarem
Aut posse a turpi mentem inhibere probro,
Sed neque quod matrem nec germanam esse uidebam
Hanc tibi, cuius me magnus edebat amor,

7 nannihil **M** (nichil **O**)

LXXXVIIII. *Interstitium unius uersus in* **VM**; In Gellium *inscribunt* **gM** || 1 Tellius **O** || 4 esse mater **V** || 5 nichil **O** || 6 sit ς: fit *(sic)* **VM**

LXXXX. *Adhaeret priori in* **VM** || 1 magnus **VM** || 3 magnus **VM** | opportet **O** || 4 religio **VM** || 5 Gratus *uel* Gnauus *L. Muellerus:* Gnatus **VM** || 6 Omentum] Omētū **M** Omne tū **G** Quītū **O**; *erat in* **V** Omtū | flama **G**

LXXXXI. *Adhaeret priori in* **VM** || 2 h' **O** | h' **O** || 3 te] tot **M** | non nossem *Auantius* || 4 aut **VM** a ς | mente **OM** || 5 Sed neque quod matrem **VM** sed quod nec *uulgo*

Et quamuis tecum multo coniungerer usu,
  Non satis id causae credideram esse tibi.
Tu satis id duxti: tantum tibi gaudium in omni
  Culpa est, in quacumque est aliquid sceleris.

LXXXXII.

Lesbia mi dicit semper male nec tacet umquam
  De me: Lesbia me dispeream nisi amat.
Quo signo? quia sunt totidem mea: deprecor illam
  Assidue, uerum dispeream nisi amo.

LXXXXIII.

Nil nimium studeo, Caesar, tibi uelle placere,
  Nec scire utrum sis albus an ater homo.

LXXXXII. Gellius VII 16, 2: 'Nam cum esset uerbum deprecor doctiuscule positum in Catulli carmine, quia id ignorabat, frigidissimos uersus esse dicebat omnium quidem iudicio uenustissimos, quos subscripsi: Lesbia mi dicit — dispeream nisi amo . . . . . sic enim deprecor a Catullo dictum est quasi detestor uel execror uel depello uel abominor . . . . . sic igitur Catullus eadem se facere dicit quae Lesbiam quod et malediceret ei palam respueretque et recusaret detestareturque assidue et tamen eam penitus deperiret'.

LXXXXIII 2. Quintilianus XI 1, 38: 'Negat se magni facere aliquis poetarum, utrum Caesar ater an albus homo sit, insania; uerte ut Caesar idem de illo dixerit, arrogantia est'.

---

9 satis induxti (in duxti **G**) **VM**

LXXXXII. *Adhaeret priori in* **V**; **g** *(marg.)* **M** In Cesarē ‖ 1 Esbia **O** (*i. marg.* l) Lesuiami *Vatic. Gellii, cuius ceteri codd. probi hic desunt* | unquam **G** ‖ 2 Lesuiamedis pereat *Vatic. Gell.* | amat *Gellius* **O**: amo **GM**, *qui uu.* 3 *et* 4 *omittunt, cum scriba codicis, ex quo libri illi fluxerunt, errore sat procliui ab* amat *ad* amo *u.* 4 *aberrauerit* (at amat amo **M**) ‖ 3 quia sunt totidem ea **O** quia sin totidē ea *Vatic. Gellii, cuius codd. deteriores habent* quas in totidem ea ‖ 4 uerum *Gellius:* uero **O**

LXXXXIII. *Adhaeret priori in* **VM** ‖ 1 belle *H. Usenerus mus. Rhen. XXI 426* ‖ 2 Nec si ore (siore **M**) u. si saluus an alter (alter sic **G**) homo **VM**

LXXXXIIII.

Mentula moechatur. moechatur mentula certe.
Hoc est quod dicunt: ipsa olera olla legit.

LXXXXV.

Zmyrna mei Cinnae nonam post denique messem
Quam coepta est nonamque edita post hiemem,
Milia cum interea quingenta Hortensius uno
. . . .
Zmyrna cauas Satrachi penitus mittetur ad undas,
Zmyrnam cana diu saecula peruoluent.
At Volusi annales Paduam morientur ad ipsam
Et laxas scombris saepe dabunt tunicas.
Parua mei mihi sint cordi monumenta *sodalis:*
At populus tumido gaudeat Antimacho.

LXXXXVI.

Si quicquam mutis gratum acceptumue sepulcris
Accidere a nostro, Calue, dolore potest,
Quo desiderio ueteres renouamus amores
Atque olim missas flemus amicitias,

LXXXXV 1. Philargyrius ad Verg. ecl. VIIII 35: 'Cinna Smyrnam scripsit, quam nonum post annum, ut Catullus ait, edidit, id quod et Quintilianus [X 4, 4] ait'; cf. et comm. Cruq. Hor. p. 635.

LXXXXIIII. *Adhaeret priori in* **VM** ‖ 1 Mentulla **G** | mechatur *bis* **VM** | metula **O** | mentula: certe *Scaliger*

LXXXXV. *Adhaeret priori in* **VM** ‖ 1 Zmirna **M** Zinirna **V** | crine **O** | m̄sem **O** ‖ 2 cepta **VM** | hyemem **G** ‖ 3 Millia **GM** | interrea **G** | hortensius **GM** ortensius **O** ‖ 4 *nullum interstitium in* **VM** ‖ 5 Zmirna **M** Zinirna **V** | canas **VM** | sacrachi **G** | inittetur **G** ‖ 6 Zmirnam **M** Zinirnam **V** | peruoluit **VM** ‖ 7 Capuam *Passeratius* Aduam *Vossius* ‖ 9 sodalis *om.* **VM** (. δ'. *i .marg.* **M**): *add. Aldina a. 1502* ‖ 10 populus ut tu timido **O** | eutimacho **V** eutimatho **M**

LXXXXVI. *Adhaeret priori in* **VM** ‖ 1 mutis et **VM** muteis *Schwabius* | acceptumue (tum ue **O**) **VM** acceptumque *uulgo* ‖ 3 Que **O** Quo **GM** Quom *Guarinus* quod *Meyer. in act. ac. Monac. a. 1889* q;
II 257 | renouam̄ **O** ‖ 4 Atq; **OM** Atque *(sic)* **G** | olim missas **VM**

Certe non tanto mors inmatura dolori est
Quintiliae, quantum gaudet amore tuo.

LXXXVII.

Non (ita me di ament) quicquam referre putaui,
Utrum os an culum olfacerem Aemilio.
Nilo mundius hoc, nihiloque inmundior ille,
Verum etiam culus mundior et melior:
Nam sine dentibus est. dentis os sesquipedalis,
Gingiuas uero ploxeni habet ueteris,
Praeterea rictum qualem diffissus in aestu
Meientis mulae cunnus habere solet.
Hic futuit multas et se facit esse uenustum,
Et non pristrino traditur atque asino?
Quem siqua attingit, non illam posse putemus
Aegroti culum lingere carnificis?

LXXXVII 6. Quintilianus I 5, 8: 'sicut Catullus ploxenum circa Padum inuenit'. — Festus p. 230 Muell.: 'Ploxinum appellari ait Catullus capsum in cisio capsamue ['capsaue' cod.], cum dixit Gingiuas uero ploxini habet ueteris'; cf. Paulus ibid. p. 231: 'Ploxinum capsam dixerunt'.

Atque olim amissas *Statius* Atque Orco mersas *Hauptius* Atque olim scissas *Schwabius* | amicicias **O** ||
5 dolor est **VM**: doloreist *Ellisius* dolorist *Hauptius* || 6 Quintil[i]e **GM**: Quintile **O**
LXXXXVII. *Adhaeret priori in* **VM** || 1 dii **VM** | quicquid ref. **V** quicquid ref. [at quicquam] **M** || 2 Utrumne *Auantius* | culu ol facerem **O** || 3 Nil omundius hoc nihiloq; (h̄ [t] noq;) ī mundius illud **O** Nilommundius (nihilo mundius **M**) hoc nobisq; ī mūdius illud **GM** (inmundior illo **D**) || 5 est hic dentis **VM** hic dentis hos **D** est. os dentis *Froehlichius* | seseq; dedalis **VM** || 6 ploxeni *Vossius:* ploxnio **O** ploxonio **G** ploxomio **M** || 7 diffissus *Statius:* deffessus **O** defessus **G** defensus **M** | in estum **VM** || 8 meientis **M**: Me gentis **V** | mulle **G** | cunnus **GM** cōnus **O** || 9 Hic **GM**: H' **O** | facit **O**: fecit **GM** || 10 pristrino **O**: pistrino **GM** || 11 siq̃ **O**

LXXXXVIII.

In te, si in quemquam, dici pote, putide Victi,
Id quod uerbosis dicitur et fatuis.
Ista cum lingua, si usus ueniat tibi, possis
Culos et crepidas lingere carpatinas.
Si nos omnino uis omnes perdere, Victi,
Hiscas: omnino quod cupis efficies.

LXXXXVIIII.

Surripui tibi, dum ludis, mellite Iuuenti,
Sauiolum dulci dulcius ambrosia.
Verum id non impune tuli: namque amplius horam
Suffixum in summa me memini esse cruce,
Dum tibi me purgo nec possum fletibus ullis
Tantillum uestrae demere saeuitiae.
Nam simul id factum est, multis diluta labella
Guttis abstersti omnibus articulis,
Ne quicquam nostro contractum ex ore maneret,
Tamquam commictae spurca saliua lupae.
Praeterea infesto miserum me tradere Amori
Non cessasti omnique excruciare modo,
Ut mi ex ambrosia mutatum iam foret illud
Sauiolum tristi tristius elleboro.
Quam quoniam poenam misero proponis amori,
Numquam iam posthac basia surripiam.

LXXXXVIII. *Adhaeret priori in* **VM** ‖ 1 si inquam quam dici **VM** (*i. marg.* at ī quenquam **L**) | pote *om.* **O** | Victi (*cf. u.* 5)] Vetti *Statius*
at carpatiās
uulgo Vitti *Hauptius* ‖ 4 carpatiās **G** carpātiās **O** carpatians **M** carpatians at carpatinas **B** ‖ 5 Si uos **O** ‖ 6 Hiscas *Vossius:* Discas **VM**

LXXXXVIIII. *Adhaeret priori in* **VM** ‖ 1 Surripuit **GM** Sūmpuit **O** (˜ = r) | Iuuenti **M**: uiuenti **V** ‖ 2 Suauiolum **VM**, *sed eidem u.* 14 sauiolum | ambrosio **OM** amrosio **G**. ambrosio *defendit Naekius ad Val. Caton. p. 238* ‖ 4 Sufixum **O** ‖ 6 seuicie **V** ‖ 7 id **OM**: ad **G** ‖ 8 abstersti **O** astersi **GM** abstersisti *Muretus* Abstersti guttis *uulgo* ‖ 9 Nec **VM** | manaret **O** ‖ 10 cōmīcte **M** cōmicte **G** comitte **O** | saliua (a *ex* e
s g i
corr.) **G** saliuia **O** ‖ 12 cesasti **G** ‖ 13 mi] m **OM** michi **G** | ambrosio **VM** ‖ 15 penam **VM** ‖ 16 nunquam **M** | post hac **VM**

C.

Caelius Aufilenum et Quintius Aufilenam
Flos Veronensum depereunt iuuenum,
Hic fratrem, ille sororem. hoc est, quod dicitur, illud
Fraternum uere dulce sodalitium.
Cui faueam potius? Caeli, tibi: nam tua nobis
Perspecta egregie est unica amicitia,
Cum uesana meas torreret flamma medullas.
Sis felix, Caeli, sis in amore potens.

CI.

Multas per gentes et multa per aequora uectus
Aduenio has miseras, frater, ad inferias,
Ut te postremo donarem munere mortis
Et mutam nequiquam alloquerer cinerem,
Quandoquidem fortuna mihi tete abstulit ipsum,
Heu miser indigne frater adempte mihi.
Nunc tamen interea haec, prisco quae more parentum
Tradita sunt tristi munere ad inferias,
Accipe fraterno multum manantia fletu
Atque in perpetuum, frater, aue atque uale.

C. *Adhaeret priori in* **V**; In Celium 7 Quintium **g** *marg.*, **M** *in interstitio* ‖ 1 Ellius **O** (*i. marg.* C) Celius **GM** | quincius **O** ‖ 2 ueronensum **G**: treronensum **O** ueronensum *i. marg.* at trenorensum **M** | de-
at ant
pereunt *Itali:* depereret **G** depere't **O** deperet **M** ‖ 3 hoc **GM**: h' **O** ‖ 4 sodalicium **V** ‖ 5 pocius **G** po9 **O** | celi **VM** ‖ 6 Perspecta *Itali:* Per-
i
fecta **VM** | egregie est *Baehrensius:* ē g ē **O** ē exigitur ē **G** est igitur est *i. marg.* at exigitur **M** Perspecta exigit hoc *Colucius* Per facta exhibita est *Lachmannus* Perspecta eximie est *H. A. Kochius symb. phil. Bonn. p. 320* | amicicia **V** ‖ 7 correret flama **G** ‖ 8 celi **VM**

CI. *Adhaeret priori in* **V**; Fletus de morte fratris **g** *marg.*, **M** *in interstitio* ‖ 1 Ultas **O** (*i. marg.* m) ‖ 2 Adueni *Auantius* Adueni a! miseras *Froehlichius* ‖ 4 ne quicquam **VM** ‖ 6 hei misero *Auantius. post u.* 6 *add.* LXV 9—14 *Haasius* ‖ 7 haec (h') **O**: hoc **GM** | priscoq; **VM** ‖ 8 tristi munere **VM**: tristis munera *Itali* | infrieras (infrias) **O** ‖ 9 manancia **O** ‖ 10 ualle **O**

CII.

Si quicquam tacito commissum est fido ab amico,
Cuius sit penitus nota fides animi,
Meque esse inuenies illorum iure sacratum,
Corneli, et factum me esse puta Harpocratem.

CIII.

Aut sodes mihi redde decem sestertia, Silo,
Deinde esto quamuis saeuus et indomitus:
Aut, si te nummi delectant, desine quaeso
Leno esse atque idem saeuus et indomitus.

CIIII.

Credis me potuisse meae maledicere uitae,
Ambobus mihi quae carior est oculis?
Non potui, nec, si possem, tam perdite amarem.
Sed tu cum Tappone omnia monstra facis.

CV.

Mentula conatur Pipleium scandere montem:
Musae furcillis praecipitem eiciunt.

CVI.

Cum puero bello praeconem qui uidet esse,
Quid credat, nisi se uendere discupere?

CII. *Adhaeret priori in* **VM** (*ʃ i. marg.* **M**) ‖ 1 I **0** (*i. marg.* S) | quicquam **VM** quoiquam tacitum *uel* quidquid taciti *Statius* quoi quid *J. Maehly l. l. 357* | amico **M**: antiquo **V** ‖ 4 arpocratem **VM**

CIII. *Adhaeret priori in* **VM** (*ʃ i. marg.* **M**) ‖ 1 sexterc(t **M**)ia **VM** ‖ 2 est oquamuis **GM** est quamuis **0** ‖ 3 mīmi **0**: numi *(difficillime*
at numi
a mimi dinoscendum) **G** mimi **M** | delectauit **0**

CIIII. *Adhaeret priori in* **VM** ‖ 2 q; **0** ‖ 3 si *om.* **0** | perdita **0** | amare **VM** ‖ 4 mostra **M**

CV. *Adhaeret priori in* **VM**; *sed* **gM** *signo* (**ᑕg ſM**) *adposito nouum carmen incipere significant* ‖ 1 pipileium scindere **V** pipleuȝ scindere **M** ‖ 2 furcilis **V** | eiiciunt **GM**

CVI. *Adhaeret priori in* **VM** ‖ 1 puero obelio (obellio **G** *ex corr.* **M**) **VM** Obelli *Ellisius* | esse **V**: ipso **M**ς, *unde* ire *Schwabius*

CVII.

Si quoi quid cupido optantique obtigit umquam
Insperanti, hoc est gratum animo proprie.
Quare hoc est gratum nobis quoque, carius auro,
Quod te restituis, Lesbia, mi cupido.
Restituis cupido atque insperanti, ipsa refers te
Nobis. o lucem candidiore nota!
Quis me uno uiuit felicior, aut magis hac res
Optandas uita dicere quis poterit?

CVIII.

Si, Comini, populi arbitrio tua cana senectus
Spurcata inpuris moribus intereat,
Non equidem dubito quin primum inimica bonorum
Lingua execta auido sit data uulturio,
Effossos oculos uoret atro gutture coruus,
Intestina canes, cetera membra lupi.

CVIIII.

Iocundum, mea uita, mihi proponis amorem
Hunc nostrum inter nos perpetuumque fore.
Di magni, facite ut uere promittere possit
Atque id sincere dicat et ex animo,

CVII. *Adhaeret priori in* **VM** ‖ 1 quoi quid *Ribbeckius in Jahnii ann. LXXXV p. 378:* quid quid **O** quicquid **GM** | cupido **VM** cupidoque *Itali* | optigit **O** | unquam **G** ‖ 2 insperati *N. Heinsius* | hoc **GM**: h' **O** ‖ 3 h' **O** | nobis quoque **VM** nobisque hoc *Statius* nobisque est *Hauptius* ‖ 5 inspiranti **O** ‖ 6 oluce **VM** ‖ 7 hac res *Lachmannus:* hac ē **O** me est **GM** ‖ 8 Optandas *Lachmannus:* Optandus **VM** | quis **VM** | magis esse Optandum uita d. quis p. *Auantius* magis hac quid Optandum uita d. quis *Guarinus* magi mi esse Optandum in uita d. quis p. *Statius* mage nostra Optandam uita d. quis p. *Casaubonus, quem* magis hace *scribens Ribbeckius secutus est.*

CVIII. *Adhaeret priori in* **VM** (*sed signum* X *in* **M**) ‖ 1 Sic homini populari arbitrio **VM**; Comini *Guarino,* populi *Statio debentur* ‖ 2 impuris **G** ‖ 4 exercta **O** exerta **GM** ‖ 5 guture **G** ‖ 6 coetera **M**

CVIIII. *Adhaeret priori in* **VM** ‖ 1 amore **VM** ‖ 3 Dii **VM**

Ut liceat nobis tota perducere uita
  Aeternum hoc sanctae foedus amicitiae.

CX.

Aufilena, bonae semper laudantur amicae:
  Accipiunt pretium, quae facere instituunt.
Tu, quod promisti, mihi quod mentita, inimica es,
  Quod nec das et fers saepe, facis facinus.
Aut facere ingenuae est, aut non promisse pudicae,
  Aufilena, fuit: sed data corripere
Fraudando † plus quam meretricis auarae,
  Quae sese toto corpore prostituit.

CXI.

Aufilena, uiro contentam uiuere solo,
  Nuptarum laus est laudibus ex nimiis:
Sed cuiuis quamuis potius succumbere par est,
  Quam matrem fratres . . . ex patruo.

CXII.

Multus homo es, Naso, neque tecum multus homo *est qui*
  Te scindit: Naso, multus es et pathicus.

---

5 producere *Itali* ‖ 6 eternum **GM** E͞τne **O** Alternum *Itali* | h' **O** | fedus **VM** | amicicie **O**

CX. *Cohaeret priori in* **VM** ‖ 1 Auffilena **VM** ‖ 2 precium **V** | q; **O** ‖ 3 promisisti **VM** ‖ 4 et fers *B. Guarinus:* nec fers **VM** | sepe **VM** saeua *Bergkius* turpe *Auantius* | faci(s)≡ **O** ‖ 5 promisse *Parthenius:* promissa **VM** ‖ 6 Auffilena **GM** Aut fillena **O** ‖ 7 † efficit **VM** officiis *Bergkius* effectu *Heysius* nimio *Vahlenus* ‖ 8 tota **VM** totam *Westphalius*

CXI. *Adhaeret priori in* **VM** ‖ 1 Auffileña **GM** Aut filleña **O** *(uirgula inter* n *et* a *media)* | contēptam **O** contentas *Scaliger* ‖ 2 laus est laudibus eximiis **VM**, *quod correxit Baehrensius.* laus e (ex *Passeratius*) laudibus eximiis *Scaliger* ‖ 3 pocius **O** | pars est **VM** fas est *Parthenius* ‖ 4 parere *add.* ς *in fine uersus;* fratres efficere ex p. *Itali, quos alii aliud* (suscipere, concipere) *scribendo secuti sunt.*

CXII. *Adhaeret priori in* **VM** *(sed signum* χ *i. marg.* **M**) ‖ 1 es *Itali:* est **VM** | est qui *Scaliger: om.* **V** | homoq; **M** homost quin *Schwabius* ‖ 2 Te scindit *Hauptius:* Descendit **VM** te scindat *Schwabius* | es **OM**: est **G**

CXIII.

Consule Pompeio primum duo, Cinna, solebant
Maeciliam: facto consule nunc iterum
Manserunt duo, sed creuerunt milia in unum
Singula: fecundum semen adulterio.

CXIIII.

Firmanus saltus non falso, Mentula, diues
Fertur, qui tot res in se habet egregias,
Aucupium, omne genus piscis, prata, arua ferasque.
Nequiquam: fructus sumptibus exuperat.
Quare concedo sit diues, dum omnia desint.
Saltum laudemus, dum modo ipse egeat.

CXV.

Mentula habet instar triginta iugera prati,
Quadraginta arui: cetera sunt maria.
Cur non diuitiis Croesum superare potis sit,
Uno qui in saltu totmoda possideat,

CXIII. *Adhaeret priori in* **VM** ‖ 2 Mecilia **OM** Meciliā **G** | facto **VM** | Maecilia: facto *uulgo* Maeciliam: facto *Lachmannus* Mucillam: facto *Pleitnerus* ‖ 3 Mansuerunt **O** ‖ 4 Singula *Itali:* Singulum **VM** Singlum *Ellisius*

at nus
CXIIII. *Adhaeret priori in* **VM** ‖ 1 Firmamus **M** | saltus *Auantius:* saluis **VM** saltu *uulgo* | mensula **VM** ‖ 3 Aucupiā **GM** An cupiā **O** Aucupium *uulgo* | arua **OM**: aura **G** ‖ 4 Nec quicquam **O** Ne quicquam **GM** | exuperat **VM** exuperas *Scaliger* ‖ 6 Saltum **O**: Saltem **GM** | dum modo ipse egeat **VM** dum tamen ipse egeas *Auantius* dum modo tu ipse egeas *Froehlichius* dum domo ipse egeat *Lachmannus (cf. ad Lucret. p. 196)*

CXV. *Adhaeret priori in* **VM** ‖ 1 habes *Lachmannus* | instar **GM** istar **O** noster *Auantius* iusti *Statius* iuxta *Scaliger* ‖ 2 maria **VM** paria *Froehlichius* ‖ 3 diuiciis **V** | cresum **VM** | potuisset **VM** ‖ 4 tot
at da
moda **V** tot modi **M** tot bona *Auantius* | possiderat **O**

Prata, arua, ingentis siluas saltusque paludesque
  Usque ad Hyperboreos et mare ad Oceanum?
Omnia magna haec sunt, tamen ipse est maximus ultro,
  Non homo, sed uero mentula magna minax.

CXVI.

Saepe tibi studioso animo uenante requirens
  Carmina uti possem mittere Battiadae,
Qui te lenirem nobis, neu conarere
  Telis infestum mittere in usque caput,
Hunc uideo mihi nunc frustra sumptum esse laborem,
  Gelli, nec nostras hinc ualuisse preces.

---

5 uigētis **O** ingentes **GM** | saltusque **VM** altasque paludes' ς salsasque paludes *Bergkius* | plaudesq; **O** ‖ 6 hiperb. **O** hirperboreas **M** ‖ occeanum **VM** ‖ 7 ipsest *Froehlichius:* ipse si **VM** ipse es *Lachmannus* | ultor **VM** ultro *Itali* ‖ 8 uere *Parthenius* | mentulla **G** mencula **O**

CXVI. *Adhaeret priori in* **VM** ‖ 1 studiose *Guarinus* | requires (at rem) **VM** ‖ 2 ba(i)τade **OM** batriade **G** ‖ 3 quis *uulgo* | leniret **M** ‖ 4 Telis (Celis **O**) infesta **VM** Telis . infestum ς Tela infesta meum *Muretus* | mittere in usque *Muretus:* mitteremusq; **VM** ‖ 6 hinc **VM** huc *Muretus* hic *uulgo* | uoluisse **O** ‖ *uide* p. 123, 7 tua euitabimus amicta (amitha **O**) **VM** ‖ 8 Affixus **V** afflixus **M** | dabis **VM** (dab' **O**) dabi' *uel* dabi *uulgo* | suplicium **M**

Finito libro referamus gracia xp̄o. amen *subscribit* **O**, *at* **G** *ita:* Explicit Catulli Veronensis libellus.

Versus dn̄i Beneuenuti de Campexanis de uicencia de resurectione Catulli poete Veronensis.

Ad patriam uenio longis afinibus exul
Causa mei reditus cōpatriota fuit
Scilicet acalamis tribuit cui frācia nōʒ
Quiq; notat turbe pretereuntis iter
Quo licet ingenio uestrū celebrate catulluʒ
Cuius sub modio clausa papirus erat

Tū lector quicūq; ad cuius man9 hic libellus obuenerit scriptori da ueniam si tibi coruptus uidebitur. Quoniam a corruptissimo exemplari trāscripsit. nō enim quodpiam aliud extabat unde posset

Contra nos tela ista tua euitamus amictu:
At fixus nostris tu dabis supplicium.

---

libelli huius hr̄e copiā exemplandi. Et ut ex ip̄o salebroso aliquid tātū suggeret decreuit potius tn̄ coruptum habere quam omnino carere. Sperans adhuc ab alliquo alio fortuite emergente hūc posse corigere. Valebis si ei īprecatus nō fueris.

1375 m̄se octob̄r. 19°. qn̄
cāsignorius laborabat in
extremis 7 c𝔜:

Lesbia damnose bibens interpretat̃.: — *(sunt uerba Horatii sat. II 8, 34; eadem uerba in codice Laurentiano XXXVI 23 inveniuntur).* — deo gratias amen **M**

FRAGMENTA.

1.

Hunc lucum tibi dedico consecroque, Priape,
Qua domus tua Lampsaci est quaque — ᴗ, Priape.
Nam te praecipue in suis urbibus colit ora
Hellespontia ceteris ostriosior oris.

[*Terentianus Maurus 2754 p. 92 Lachm.:* 'Et ferme modus hic datur a plerisque Priapo, Inter quos cecinit quoque carmen tale Catullus 'Hunc lucum — oris'. Et similes plures sic conscripsisse Catullum scimus'. — *uersum primum afferunt Caesius Bassus p. 260, 13 K., Atilius Fortunatianus p. 292, 14 K., Marius Victorinus p. 119 et 151 K. (cf. et p. 152 K.), Censorinus de metris p. 615, 11 K. (imitatus est Ausonius IIII 7, 42 sq. p. 9 Sch.); u. 3* nam te praecipue in suis *et u. 4* Hellespontia ceteris *affert Marius Victorinus p. 151, 22 sq. K.* — u. 2 quaque silua Priape *Scaliger admodum probabiliter hiatum expleuit.* Lampsaci erit quaque Priape *Lachmannus ad Terentianum l. l.]*

2.

de meo ligurrire libido est.

[*Nonius p. 134 M.:* 'ligurrire', degustare, unde abligurrire, multa auide consumere . . . . Catulus priopo 'de meo — est', *in quibus uerbis Lachmannus rectissime* priapeo *restituit; contra quem frustra pugnat L. Muellerus in noui musei Rhenani uol. XXVII p. 183 sq.* — de mero *idem L. Muellerus coniecit.]*

3.

[At non effugies meos iambos.

Porphyrio ad Horat. od. I 16, 22 sq. 'iambi autem uersus aptissimi habentur ad maledicendum. denique et Catullus,

cum maledicta minaretur, sic ait: At — iambos'; *cf. etiam comment. Cruquian. ibid. — hoc uersu Porphyrionem ad XXXX 2 respicere nonnulli suspicati sunt.]*

4.

[Plinius nat. hist. XXVIII 19: 'hinc Theocriti apud Graecos, Catulli apud nos proximeque Vergilii incantamentorum amatoria imitatio'. *Cf. Cat. 64, 323 sq.*]

5.

[Seruius ad Verg. Georg. II 95 quo te carmine dicam, Rhaetica? *haec adnotat:* 'Hanc uuam Cato praecipue laudat in libris quos scripsit ad filium: contra Catullus eam uituperat et dicit nulli rei esse aptam miraturque cur eam laudauerit Cato. sciens ergo utrumque Vergilius medium tenuit dicens: Quo te carmine dicam, Rhaetica?' — *in quibus sine causa* Caluus *pro* Catullus *restituit R. Ungerus de Valgio p. 291, cum tamen pro uulgata stet Martialis XIIII 100:* 'Si non ignota est docti tibi terra Catulli, Potasti testa Rhaetica uina mea'. *Cf. Plin. n. h. XIIII 67.]*

6.

[*Varro de l. l. VI 6 p. 74 M.:* 'Nox, quod, ut Catullus (Catulus *cod. Florentinus*) ait, omnia, nisi interueniat sol, pruina obriguerint, quod nocet nox.']

7.

[Animula miserula properiter abit.

Nonius p. 517 M.: 'Properiter. Catulus: animula — abit'. *rectius tamen hunc uersum Sereno dat Diomedes p. 513, 11 K., ubi* abiit *legitur.*]

8.

[Lucida qua splendet carchesia mali.

Nonius p. 546 M.: 'Carchesia . . . . Catullus Veronensis: Lucida — mali'. *sed hunc uersum Cinnae adscribunt et Isidorus origg. XVIIII 2, 10* Lucida confulgent alti carchesia mali *scribens et scholiasta Lucani V 418, p. 377 Web.,* Luciba cum fulgent summi carchesia mali *exhibens. frustra*

contra hos duos testes Nonii fidem adserere studuit L. Muellerus praef. ad. Catull. p. XXX sq.]

9.

[Frangeret indeprensus et irremeabilis error.

Seruius ad Verg. Aen. V 591 frangeret indeprensus et irremeabilis error *adscripsit:* est autem uersus Catulli, *cum ei obuersaretur Catulli uersus qui legitur LXIIII 115.*]

10.

[Cann*u*biae ... carbasus ... ros umbrosa c ... an ...

Schol. Veronens. ad Verg. Aen. VIII 34 teste Angelo Maio: Carbasus et masculino et feminino genere dictus est. Catullus: cannubiae *eqs. sed teste H. Keilio in scholiorum editione p. 99 haec omnia incertissima neque potuit uerba illa dispicere A. Herrmannus; cf. Fleckeiseni ann. 1866 p. 71.*]

11.

[et Lario inminens Comum.

hoc fragmentum adtulit primus Ellisius, cuius adpono uerba ed. alt. p. 221: 'iminens *codex Vibi Sequestris Mus. Brit. Add. Mss. 16986 unde haec excerpsi. Nam post* In athamatia lacus lune tenuia ligna accendit ex quo bibens aut insanit aut sopitur *haec habet minoribus litteris tanquam perscripta pagina addita, incertum an ab eadem manu.* Lacus Comi Catullus: Et — comum'. — *uidenda praeterea quae L. Muellerus in Catulli edit. p. 74 dixit.*]

12.

[Seruius ad Verg. Aen. IIII 409: 'sed dicimus a tertia coniugatione esse imperatiuum, ut cauo cauis. hinc etiam Catullus cauĕre dixit'. *respexit sine dubio ad* L 18, 19; LXI 145.]

13.

[Seruius ad Verg. Aen. VII 378: 'Catullus hoc turben dicit ut hoc carmen'. *recte ibi pro* Catullus *Nansius et Nic. Loensis reposuerunt* Tibullus, *apud quem* I 5, 3 *legitur illud* turben. *neque enim audiendi sunt qui, cum apud Catullum* LXIIII 107 *codex Datanus* indomitum *(quod ex sequenti* robur *ortum est) praebeat, huic uocem illam uindicauerunt.]*

14.

[Seruius ad Verg. Aen. V 609: 'Notandum sane etiam de Iride arcum genere masculino dicere Vergilium: Catullus et alii genere feminino ponunt referentes ad originem, sicut haec Attis et haec Gallus legimus'. *respexit sine dubio ad Catulli c.* LXIII.]

15.

[Caesius Bassus de metris p. 262, 19 K.: 'Catullus in anacreonteo: ades, inquit, o Cybelle'. *sed rectissime post illud* anacreonteo *lacunam indicauit Keilius, in qua illud Catulli* [LXIII 91] dea magna dea Cybelle *perierit; nam uersus ille* ades, inquit, o Cybelle *Maecenatis est; cf. ibid. p. 262, 6.]*

CATULLI VERONENSIS

LIBER.

RECENSUIT ET INTERPRETATUS EST

AEMILIUS BAEHRENS.

VOLUMEN ALTERUM.

LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLXXXV.

CATULLI VERONENSIS

LIBER.

INTERPRETATUS EST

AEMILIUS BAEHRENS.

LIPSIAE

IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI.

MDCCCLXXXV.

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEUBNERI.

PRAEFATIO.

Commentarius hic Catullianus anno 1874 incohatus annoque 1876 in praefatione uoluminis prioris publice promissus quod nunc demum in lucem emittitur, hanc potissimam habet causam, quod alia super alia opera, maxime Tibullus cum Propertio Statiique siluis ac quinque poetarum latinorum minorum uolumina, adeo me adhuc tenuere occupatum, ut pristinae curae non sic ut par erat totum me dedere animo otioso liberoque liceret. quamquam etiam inter illas editiones condendas numquam requieuit aut Catulli mei amor aut opera in eo interpretando emendandoque posita. immo quidquid per decem annos elapsos, dum totum antiquitatis praecipueque scriptorum latinorum orbem repetitis studiis peragro, ad inlustrandas ueteres delicias facere uidebatur, ilico migrabat in margines exemplarium; et ubi recrearem me ab aliorum operum labore haud raro taedioso, saepe animus in Catulli uerbis iterum iterumque perpensitandis conmorabatur. sed molem adnotatiunculárum subinde subnatarum in iustum commentarium adhibitis ubique cum cura priorum editorum criticorumque studiis redigere, ut ex parte minore iam antea in scholarum de hoc poeta habitarum usum institui, ita in totum peragere coepi ineunte mense Octobri anni 1883 finiuique exeunte mense Augusto a. 1884.

Sed antequam de huius commentarii rationibus exponam, necesse est de priorum doctorum in explicando hoc poeta meritis pauca uerba faciam. si a primis interpretibus Antonio Parthenio [Brixiae 1486] et Palladio Fusco [Venetiis 1493] et Alexandro Guarino [Ven. 1521] recedimus, per saeculum XVI tria potissimum litterarum nostrarum lumina atque decora interpretationis fundamentum solidum iecere. et Antonii quidem Mureti notae, quae primum prodiere Venetiis a. 1554 saepiusque abhinc repetitae sunt, et doctrinae accuratae et iudicii elegantis laudem merentur eandem, quam omnia Mureti scripta sibi uindicant; altiorem disquisitionem in locis difficilioribus saepe requirimus. quem et

acumine obscura egregie inlustrante et sentiendi cogitandique subtilitate et eruditione in omnibus fere litterarum antiquarum partibus aeque stabili proque illis temporibus plane admirabili*) et lectione ueterum scriptorum amplissima longe superauit Achilles Statius Lusitanus [Ven. 1566], qui dubitari nequit quin ut in textu emendando non mediocriter ita in interpretando omnium optime de Catullo sit meritus. denique Iosephi Scaligeri subitae curae (elegiacorum editio uno mense, ut ipse adfirmauit, absoluta primum prodiit Lutetiae 1577, iterum aucta Heidelbergae 1600 saepiusque) non tam ex certa poesis latinae cognitione iudicioque eleganti quam ex accurata priscae latinitatis scientia profundaque doctrina Catullo maxime haud parum profuit. — nec Ianorum Dousarum, patris 'praecidanea' (Antuerp. 1582) et filii 'coniectanea' (in editione eroticorum castigatissima, Lugd. Bat. 1592), silentio praetermittenda sunt studia.

Saeculum XVII et XVIII, ut erat minus ferax altis subtilibusque ingeniis, uastae maxime doctrinae copias congessit. sic Iohannis Passeratii 'commentarii' (Parisiis 1608) auctore mortuo editi, sic Iani Gebhardi 'animaduersiones' et I. Meleagri 'spicilegium' (in editione elegiacorum Francofurtana a. 1621), sic maxime Isaaci Vossii (Londinii 1684) et Antonii Vulpii (Patauii 1737) et Conradini de Allio (Venet. 1738) in Catullum commentarii non mediocriter enarrationem poetae promouerunt. ex quibus Passeratius et Vulpius potissimum cumulando ex multa lectione locos quos uocant parallelos aliquatenus compensarunt uenae criticae iudiciique subtilis absentiam omnem. Vossius autem, his et acutior et eruditior, rara qua excellebat doctrina multo magis aliis quibuslibet antiquitatis partibus in hoc opere profuit quam ei quem proprie tractandum sibi sumpsit poetae aequabiliter inlustrando; cui praeterea, ut erat ingenium saepius peruersum, obtrusit haud raro commenta ab omni probabilitate abhorrentia. his ita se habentibus actum esse posset uideri per duo illa saecula de uenustate explicandi et acumine critico (et hae praecipue uirtutes Catulli interpretem ad Muretos et Statios adspiraturum debent ornare), nisi ei qui data occasione et magis in transcursu poetae Veronensis emendationem tetigerunt egregie huic consuluissent

*) non solum inscriptiones bene cognitas habuit, sed etiam grammaticorum opera non uulgaria; uelut Placidi glossas pretiosissimas, nostro eas saeculo publici iuris factas, iam manibus triuerat AStatius (ex. gr. ad XLII 13 adfert: 'Placidus in glossis: *litum os, patientiam calcatam uel crudelitatem in rictu*'; cf. edit. Deuerl. p. 60, 16).

sustentassentque pro sua parte saeculi XVI gloriam, dico inmortales illos Dauniae Camenae sospitatores NHeinsium (cuius uidenda 'aduersaria critica') et RBentleium (maxime ad c. LXVI) et ISchraderum (cuius celeber est 'emendationum liber'). nam qui exeunte saeculo superiore Catulli carmina perpetua inlustrauit adnotatione, Frid. Guil. Doeringius (Lipsiae 1788, quae ἔκδοσις in breuius contracta iterum est emissa Altonae 1834), is perpauca priorum copiis de suo addidit, in ceteris autem omnibus officio suo impar fuit. quem ut aliis in rebus ita accurata poesis latinae scientia longe superarunt singulis particulis operam nauantes Mitscherlichius (lectt. in Cat. et Prop., Gottingae 1786) et Santenius in elegiae ad Manlium [LXVIII] editione Lugduni Batauorum 1788 emissa et Valckenarius ('Callimachi elegg. fragm.', Lugd. Bat. 1799); inter quos Santenius collecti in nouam editionem apparatus critici amplissimi specimen exhibens extitit ultimus propugnator (si a Silligio et Ellisio recedas) eius rationis, qua laborant anteriorum doctorum omnium studia: deerat adhuc certum fundamentum, quo emendatio et cum hac ubique artissime cohaerens interpretatio tuto posset inniti.

Initio huius saeculi XIX facta est ea rerum philologicarum mutatio, qua in Germania abhinc in his studiis principatum optinente in crisi tam ceterarum antiquitatis partium quam ueterum scriptorum prae ceteris inquirere coeperunt in fontes puros primariosque, quibus omnis memoria stat. et simul mutata iudicandi ac sentiendi ratione multas res a prioribus prae caeca admiratione tamquam mutis fere neglectas indagare coeperunt, scriptorum uitas et tempora, locum quem in uniuersa litterarum historia illi optineant, similia haud pauca. et recensendi quidem ad nouam normam Catullum munus optigit Carolo Lachmanno, qui ex eis qui tum noti erant codicibus duos duces eligens in editione sua a. 1828 quae tum in textus emendationem parata habuit adiecit, quam multa in hac prouincia restarent absoluenda haud ignarus (prolegg. uol. I p. LIV). alteram enarrationis nouo modo suscipiendae prouinciam in se suscepit Mauricius Hauptius, sed de Lesbiae persona et rebus chronologicis inquisitiones tantummodo incohauit: etsi eius 'quaestiones Catullianae' et 'obseruationes criticae' non solum emendationi sed etiam interpretationi profuerunt, tamen satis sunt documento, non fuisse Hauptii id quod coeperat absoluere. subactum quidem iudicium et accurata doctrina et sobrium disquirendi genus praesto erat uiro illi (et propterea eius 'opuscula' commendatione sane sunt digna), sed ab eiusdem natura

tardissima aberat fere dubitatio acuta et diues illa uena critica diuinandique εὐστοχία. unde Lachmannum uero ingenio praeditum utpote se maiorem quasi per εἰδωλολατρείαν ueneratus seruiliter huius textum Catullianum, cuius condicionem parum perspectam habuit, rarissime deseruit. quamquam Hauptiana illa 'prudentia', cum praesertim a scholae Berolinensis sectatoribus tam saepe et praedicata sit et etiamnunc praedicetur, a multis hodie adeo pro summa in philologia laude habetur, ut euersa sit paene recta aestimatio et fere obliuioni datum, eum demum uere magnum esse in quacumque disciplina, in quo arti summae coniunctum sit summum ingenium; qualem coniunctionem admiramur in maximo huius saeculi philologo Ritschelio.

Sed ipsa temporum nostrorum ratio tulit, ut motas semel quaestiones persequerentur sedulo uiri strenui, ueluti CGHelbigius in dissertatione inscripta 'zur Charakteristik des C.' in libro 'deutsche Jahrbuecher' (1842 p. 1213 sqq.), WThIungclaussenus in programmate Itzehoensi a. 1857 'zur Chronologie der Gedichte des C.' et horum studiis et eis, quae iam priores commentatores in hanc partem collegerant, non minus quam propriis disquisitionibus amplis diligentibusque innixus uniuersam de poetae uita materiam sibi tractandam sumpsit Ludouicus Schwabius, qui librum luculentum et in omnibus rebus huc pertinentibus utilissimum, cui est titulus 'quaestionum Catullianarum liber I', Gissae a. 1862 emisit. quem qui secuti sunt docti in eodem argumento uersantes (conmemoro libellos ORibbeckii 'C. Valerius Catullus', Kiliae 1863 et ACouati 'étude sur Catulle', Paris. 1875), ex his nemo plus praestitit quam RWestphalius in libro et eleganti et ingenioso 'Catull's Gedichte' (Vratislaviae 1867). hic licet interdum cogitationi libere euolanti nimis indulserit historiae fidem sobriamque disquisitionem parui faciens, tamen haud pauca a prioribus non perspecta acute enucleauit subtiliterque inlustrauit. ceterum in his quoque quaestionibus non ita pauca aut exigua a nobis primis esse rectius explicita in commentariis, animaduertent periti.

Sic ab hac parte firmioribus interpretationi, quae proprie uocatur, iactis fundamentis tandem adesse tempus commentarium iustum componendi potuit uideri, cum praesertim hoc saeculo nostro docti eis quae dixi studiis intenti nimis neglexissent uerborum enarrationem, quae etiam post priorum curas industriae ingenioque amplissimum campum patefaceret. sed ecce iterum res critica principalem in studiis Catullianis locum sibi flagitauit. fundamentum enim a Lachmanno recensioni suae subiectum ut iam antea reperto

a Silligio adhibitoque a Schwabio Sangermanensi (**G**) labefactatum erat, ita plane est subtractum, postquam a. 1875 ego demonstraui primus*), codicem Oxoniensem (**O**) uel ipso **G** meliorem principale recensendi Catulli subsidium esse simulque ceteros codices omnes utpote ex **G** profectos abici debere. hoc quanti momenti esset ad textum emendandum, statim ex editione mea a. 1876 apparuit, qua id efficere studui, ut plena optimorum textus recensendi fontium imago adesset. nam quod ad cetera, etsi bene intellexi, me emendationem non exhausisse, tamen meo mihi iure idem quod Lachmannus sumendum putaui, scilicet ut darem quas tum in promptu habui correctiones. inter quas licet fuerint eae quas hodie abicio (et quem non dies docet meliora?), tamen etiam in emendatione me plane adaequasse Lachmanni merita probi simulque prudentes iudices candide agnouerunt, inimici omni modo negauere atque dissimulauere**); ex quibus pauci scholae Lachmannianae sectatores uel eo usque processerunt, ut codicis **O** praestantiam in dubium uocantes ad Lachmanni copias relaberentur, et peritia talium quaestionum disceptandarum illi destituti et rei criticae exercendae facultate. qui ut assensum non tulere doctorum, apud quos iam fere nostra de codicibus Catullianis sententia optinuit, ita ego ipse per annos inde elapsos in dies magis sinceram libri **O** et interpolatam libri **G** naturam indolemque perspexi. idem autem tempus continuataeque in poetae uerbis penitus intellegendis curae non solum nonnulla a me celerius olim esse mutata docuerunt, sed etiam largam copiam nouarum correctionum suppeditauerunt. quin adeo nunc Catullum mihi uideor restituisse in eum statum habitumque, quem eis quibus utimur subsidiis recuperare licet.

---

*) nihil sane refert, cui hoc demonstratum acceptum debeant litterae; sed Ellisius, qui in priore editione (Oxon. 1867) in modum Silligianae uastissimum et ex omnibus codicibus conrasum apparatum exhibente de libri **O** pretio nihil erat suspicatus, non debuit in altera a. 1878 inhoneste plane inprobeque et cum indigna nostri insectatione adeo ueritatis esse inmemor, ut me inter Germanos quippe primum hoc uidisse argueret. quae res uel illius popularibus mouit ruborem.

**) quorum opera quid effectum sit ut intellegas, lege quae CBursianus in libro suo 'Geschichte der klass. Philol. in Deutschland' (II p. 936 sqq.) de nobis protulit. is enim, ut criticus non erat (cum circumspicerem, quo iure tam friuola de nobis statueret, unam inueni eius coniecturam ad Cat. XXXVI 9 hance *me puella uidit ioco se lepido uouere diuis*!), ex aliorum iudiciis in his rebus pendens iniquissimam de nobis sententiam tulit. indignum est, modo tam inliberali criticorum studia ut difficiliora ita publico honore multo magis carentia deprimi inminuique, ut taceam de factionibus.

Sed quod ad interpretandi officium attinet, mihi aliis rebus intento interim praeuenit Robinso Ellisius, qui Oxonii a. 1876 emisit largum amplumque commentarium anglice scriptum, et priorum enarratorum et sui ipsius copiis in unum iunctis. non pauca ille ex graecorum maxime scriptorum lectione attulit noua utiliaque, non mediocrem operam in explendis omnibus interpretis muneribus posuit; sed deest ei acumen certumque iudicium (unde eius doctrina diligentiaque euadit Passeratiorum Vulpiorumque similior) omninoque omnis facultas critica sentiendique subtilitas; quo factum est ut caute ille uitaret disceptationem earum quaestionum, quae cum textus emendatione sunt coniunctae. sic plerumque maluit insistere uiae tritae tritasque anteriorum interpretum nugas retinere aut adeo nouis cumulare. nihilominus etiam Ellisii studiis doctis Catullum aliquid debere, lectores haud paucis huius nostri libri paginis intellegent*). — ab hoc autem Anglo plane pendet EBenoistius, cuius commentarii gallice scripti pars prior (usque ad c. LXIV pertinens) Parisiis a. 1882 est edita: ut in re critica tutius securiusque habuit sentire cum pluribus, ita in explicatione totum fere se addixit decessoribus maximeque Ellisio; semel bisue nouam eius adnotationem conmemorare me memini.

Alias ad Catulli et emendationem et interpretationem symbolas qui in programmatis maxime et dissertationibus ac uariis actis litterariis conferrent, post editionem meam nec apud exteros nec in Germania defuere. sed haec studia magno cum feruore agitata effectum (ut uerum fatear) non ita magnum habuere, ut mihi, qui (ut par est) cum cura haec omnia, quatenus innotuere, examinaui, pauci hic illic aliquid utilitatis ad enarrationem adferrent, ueluti ISuessius in 'Catullianis' (Erlangae 1877) et HAIMunro in libro inscripto 'criticisms and elucidations of Catullus' (Cantabrigiae 1878). quamquam Munro et ipse in parte difficiliore rei criticae eadem laborat infelicitate, qua qui hanc prouinciam nuperrime adgressi sunt laborum fructum nullum tulerunt. pauci per hos ultimos annos flagrantiore opera tractati sunt scriptores quam Catullus: plus quam sexcentis coniecturis eum obruerunt Munro Peiperus Pleitnerus FSchoellius, alii multi. sed ex his sexcentis coniecturis duas tresue, si recte memini, recipere potui, ceterae fere omnes silentio praetermittendae erant utpote ne mentione quidem dignae; non quasi Catulli textus non indigeret

*) censuram libri Ellisiani scripsit LSchwabius in Fleckeis. ann. 1878 p. 257 sqq., in qua quae ipse collegerat prompsit nec inutilia nec iniucunda, quae passim a nobis adlata inuenies.

saepissime manu correctrice (hoc te edocebunt commentarii nostri), sed quia nemo illorum quidem eas dotes, quae in hoc poeta difficillimo ad ferenda iusta praemia requiruntur, nec singulas nec uero coniunctas in se habuit: factitandae rei criticae peritiam facultatemque summam, plenam poesis latinae et prioris et posterioris notitiam, sensum simplicem eundemque subtilem, iudicium elegans uenustumque (hic quippe illud *ὅμοιος ὅμοιον γιγνώσκει* ualet); ad quae omnia accedere debet longa tamquam familiaritas cum hoc poeta contracta.

Commentarios perpetuos in ueterum scripta edolare etsi non nimis adpetit animus, tamen, ubi semel amore huius poetae consilium cepi inlustrandi eius carmina, ita ab officio in me suscepto standum esse intellexi, ut quod agebam agerem. iam de huius operis ratione expositurus praemoneo, tam uirorum doctorum quam adulescentium studiis philologicis operam nauantium usui illud esse destinatum. talis autem commentarius, ut equidem statuo, ita debet institui, ut semper atque ubique interpretatio et critica sint consociatae. et de ipso uinculo firmo inruptoque, quo haec duo principalia philologi munera inter se continentur, cum in uolgus constet, non opus est disputatione; sed hanc rationem propterea sequi lubuit, ut et doctis exponerentur criticae nostrae rationes et iunioribus adesset exemplum coniungendi utriusque officii. quamquam in hac re refugi certam regulam ubique obseruare. modo enim a codicum lectione in lemmate posita, ubi in disceptationem uocaui uarias opiniones doctorum meamque ipsius sententiam exposui, processi ad singula enarranda; modo, si certa adesset emendatio, ab hac profectus totum me explicationi, ubi maioris erat momenti, dedidi breuiterque attigi librorum scripturas (interdum etiam in rebus apertissimis has plane neglexi); modo interpretandi rationibus frustra temptatis in corruptelis adhuc non intellectis ita derexi disputationem, ut huius finis et tamquam flos euaderet emendatio: uariis nimirum modis hic agi potest, et aliquid dandum est et rei ipsi et loco cum maxime tractato et ei quo inter scribendum inpellimur animo. ipsa autem enarratio difficillime omnino constituitur quousque progredi debeat quibusque finibus coherceri: siqua in parte, in hac ualet illud decantatum, arduom esse placere omnibus. sed discentium quoque commodis inseruiturus familiari quam uocant interpretatione potissimum adhibita semper paulo indulgentior fui nec in quaestionibus mere grammaticis peperci labori adscribendi ubique paragraphos artium librorumque maxime usu tritorum. ibi igitur qui plura scire cupiunt facile

poterunt reperire; neque enim in his rebus grammaticis ubique diutius conmorari permisit ingens quae praeterea interpreti adest materia. nam non minorem curam sibi flagitauit dictio Catulli secundum uniuersam latinitatem ceterosque poetas Romanos accurate exponenda et inlustranda larga exemplorum (electorum tamen) copia; in qua promenda eo minus eram parcus, quo magis est aegre ferendum, abire in dies magis lautam illam scientiae ex assidua lectione petitae opulentiam patrum auorumque propriam, quoque magis nobis est persuasum, adulescentium mentes ad percipienda penitus ueterum sensa loquelasque his exemplis non maligne suppeditatis nutriri atque educari. praeterea in hac quoque parte is, qui superiorum doctorum commentationes pertractauit multorumque errorum causas originesque perspectas habet, scit quam facile haud raro pauculorum uerborum additamentis, quae non possunt non superflua uideri hic illic obiter iudicantibus, in tempus futurum caueatur eorundem errorum iteratio. sed ad hanc interpretationem in re grammatica et latinitate uersantem accedit ea, quam antiquariam potes uocare utpote ad res diuersissimas uitae et cultus morumque antiquorum enarrandas spectantem; accedit porro ea, quam historicam appellare soleo quippe constantem cum in rerum gestarum tum in personarum poetae tempore uiuentium strenua siue explicatione siue indagatione; accedit denique ea, quam poeticam licet uocare nempe positam in singulorum sensuum ui ac potestate et in sententiarum inter se conexu et in totorum carminum compositione similibusque demonstrandis et in iudicio ferendo. et hae quattuor interpretationis partes ita inter se miscendae conciliandaeque sunt, ut singulas nec neglegas nec ceteris praeponas, sed bonum earum efficias concentum. quae tamen res ultro coegit, ut interdum breuior essem; ueluti in prolegomenis [p. 53] metricas rationes Catulli tempore ortas non ita ut uolui persequi licuit (alio fortasse eas accuratius tractabimus tempore).

Usus autem sum sermone latino eo magis, quo acerbius dolet animus, quod nostro tempore uel ei qui philologiae operam nauant, iuniores praesertim, certa latine et scribendi et sentiendi scientia magis magisque carent, fauentibus et aliis rebus et commentariis iam fere germanice scriptis: qui ut ferendi sunt in puerili institutione, ita postulandum est ut adulescentes harum litterarum studiosi non sumant in manus nisi eos libros, qui latina explicatione ueterum scripta inlustrant. haud pauca, quae per hos ultimos annos effutiuerunt nonnulli (ex. gr. de Horatio), numquam

essent edita, si inde a prima adulescentia illi latine loqui scribere cogitare didicissent opera strenua adsidua seuera. et uerendum est, ne mox plane simus in rutuba (ut ait Varro), nisi ad multa, quae olim in his rebus uiguere ac sancita erant, redibitur.

Restant nonnulla, quae his in uniuersum dictis possint addi. sed in aliis ipsi facile lectores intellegent consilium meum agendique rationem (ueluti in Labbaei glossariis adferendis me usum esse ea cautela, qua utendum esse nunc constat); illud unum adicio, quidquid priorum interpretum curis debeo, me sub eorum nomine adtulisse summa cum religione, cetera omnia memet ipsum collegisse (et in his sane nonnulla, quae postea iam apud illos extantia uidi): non probamus eos, qui priorum copias collectas tamquam rem communem et nullius in proprium adhibent usum.

Ad finem perueni. sed quia nonnullorum hominum male sedulorum opera huc iam in studiis Catullianis perducta est res, rogatos uelim doctos, ut abstineant ab hoc opere in iudicium uocando ei, quorum non est de illo iudicare: procul sit adrogantia, quae quod intellegere aut non potest aut non uolt reprehendit et uiris longe superioribus contumeliose obtrectat. — suauius superest officium, ut animo lubenti gratias agam omnibus (inter quos conmemoro THalbertsma collegam aestimatissimum), qui libellos editionesque rariores suppeditando me adiuuerunt.

Scr. Groningae Batauorum Kal. Sept. a. MDCCCLXXXIV.

* * *

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Vixdum ultimam huic operi imposueram manum, cum in lucem prodiret nouus in Catullum commentarius ab Alexandro Riese germanice conscriptus [Lipsiae 1884]. de hoc uiro docto quid censeam, sciunt harum rerum periti; nec cur hoc nouissimo eius opere sententiam mutem habeo. immo uellem Riesius manum abstinuisset ab eo poeta, cui nec recensendo nec explanando ullo modo par erat. etenim si pretium noui alicuius commentarii non in expilandis tacite anteriorum adnotationibus (quibus raptim excriptis uide animi causa quam ridicule Riesius ex. gr. nouis uersiculis locupletauerit et Persium ad LVI 2 et Manilium ad LXVI 69, causam errorum suppeditante Ellisio), sed in promouendis proprio Marte studiis Catullianis est positum, ab hac parte aut nihil aut paulum praestitisse censendus est Riesius. qui sedulo quidem in

locis difficilioribus uarias doctorum (recentium maxime) sententias attulit, sed in his ita ut oportuit proba a prauis discernere nequiit, iudicii et acumine et subtilitate et elegantia aeque ac facultate critica omni miserandum in modum destitutus. sic ad sexcentas quae supererant siue in explicatione siue in emendatione difficultates dissoluendas nihil ille attulit, mira et peruersitate et infelicitate ubique insignis. duas eius obseruationes infra commemorabo.

Praeterea quae, qui libro nostro uteris, aut addas aut corrigas uelim, haec habeo:

p. 8 (lin. 5 ab imo) accessi uulgari opinioni, qua Valerium Catonem a. 90 natum putant (Teuffelius HLR. § 200, 1). iam dudum autem uere monuit Naekius [Val. Cat. p. 254], eum, cuius summa prope senectus a Furio Bibaculo commemoretur, non posse hoc iuniorem fingi. et hercle ex Suetonii d. gr. 11 uerbis *pupillum relictum eoque facilius licentia Sullani temporis exutum patrimonio* non hoc mihi uidetur innui, anno 80, cum Sulla colonias militares deduceret, Catonem adhuc pupillum fuisse, sed cognatorum ope destitutum facile tum patrimonio priuari potuisse. itaque circa idem fere tempus cum Furio Bibaculo Catonem in lucem esse editum putauerim; unde et melius anno fere 70 extitisse nouam studiorum rationem intellegitur.

p. 15, lin. 9 lege: in c. LXII.

p. 38, lin. 3 'Cinnae sui', lin. 6 'Romae', lin. 2 ab imo 'afluentes'.

p. 41, lin. 15: uti eis armis. — p. 43, lin. 5: adnumerandum.

p. 47, lin. 10 '*Cycladas*', lin. 14 'scholasticae'.

p. 48, lin. 4 ante notam: in eis carminibus.

p. 51, lin. 12 ab imo: et 10 *tristis*.

p. 54, lin. 10: est penthemimeres.

p. 85, lin. 10 adde post Senecam: Mart. VI 29, 7, Stat. silu. II 7, 90. — ibid. lin. 12: stil. lat. p. 84[7].

p. 95 ad V 3 cf. et Hor. sat. I 6, 13 *unius assis, non umquam pluris licuisse.*

p. 96 ad V 5 cf. et German. Arat. 290 *breuis lux* et ad u. 6 Apul. met. IV 35 *perpetuae nocti sese dedidere.*

p. 97, lin. 9 ab imo pro *ne tantum* lege *cum tantum.*

p. 105, lin. 2 ab imo cf. ex. gr. Verg. Aen. III 653.

p. 110, lin. 18: Ouid. am. III 14, 34 (ibid. lin. 8 ab imo adde ex. gr. Hor. sat. I 3, 89 et II 3, 246).

p. 113 ad IX 9 in fine: ut Liu. VII 26, 5. — ceterum cf. et Woelfflinus de allitt. p. 72 sq.

p. 115 ad X 5 cf. et Cic. ad fam. IX 16, 4 *incidunt in sermone uario multa.*

p. 121, lin. 19 adde: 'sit' omissum, ut interdum apud comicos (Plaut. Aul. 424).

p. 136, lin. 16 cf. et Varro d. l. l. VI 25 *Compitalia dies.*

p. 144, lin. 21: (cf. ad LI 10 app. crit.). — ibid. lin. 4 ab imo pro 'Mureti' restitue 'AGuarini'.

p. 147, lin. 10 post 'poeta' adde: et Romae in ponte sublicio saltasse uidentur Salii (Marquardti antiq. VI 3 p. 416).

p. 154, lin. 22 post 'tibi' adde: nam ex contemptus incuriaeque significatione (ad X 12) etiam altera ludificandi notio uerbo inrumandi accessit; cf. XXVIII 10, LXXIV 5.

p. 161 ad XXII 13. ex Riesii editione didici Traubium in 'libamentis criticis' (Monac. 1883), quae non accepi, coniecisse 'si quid hoc uenustius'; quod nec per se nec ob illius 'est' absentiam probo. — ibid. lin. 4 ab imo post 'gaudio' adde: (ibid. II 1, 118).

p. 175, lin. 5 ab imo: formam 'acina' apud Cael. Aurel. tard. IV 3, 61 et Cass. Fel. 35 p. 75 extare nuperrime didici.

p. 178, lin. 26: hoc donum.

p. 180, lin. 11 adde: **1. quis hoc potest uidere?** h. e. lentus (ἀδιάφορος) aspicere; cf. Fabri ad Liu. XXII 14, 6.

p. 191, lin. 17: Hor. epist. I 18, 58. — lin. 13 ab imo 'sic' traice ante 'caesura'.

p. 193, lin. 7: inmittens. secundum Graecorum rationem sentiendi Poseidon omnium et maris et terrae continentis aquarum dominus dicitur (Prellerus myth. gr. I p. 443 sqq.). nam eqs. — ibid. lin. 8 ab imo post Draegeri locum adde: 'me' post credendi uocabulum (cf. Kuehnerus gr. l. II p. 516 sq.) omissum est eo facilius, quod ex 'mi' sine negotio subintellegitur, ut Prop. I 1, 23 sq. — lin. 15 ab imo lege 'qua'.

p. 202, lin. 21 post 'Orest. trag. 57' adde: (Marquardtus antiq. VI 3 p. 32 not. 2).

p. 211, lin. 14 ab imo: Aen. V 800.

p. 216, lin. 16: quem uocas.

p. 235 ad XXXIX 18, 19. edidit nuper GGoetzius mus. Rhen. uol. XXXX p. 325 hanc glossam *Lactobriga est qui urina humana dentes sibi fricare solet.* non dubito quin haec quoque glossa (ut aliae a Goetzio editae) pertinuerit ad Lucilium, ut ex hoc rem cognitam habuisse censendus sit Catullus, qui eius saturis haud mediocre studium inpendisse uidetur.

p. 231, lin. 4 ab imo: Apul. met. II 2 in hominis liberalis descriptione *inmeditatus incessus.*

p. 234, lin. 10: ad XVII 24. — ibid. lin. 9 ab imo: indicet. et huic inrisioni conuenit illud 'salue' (recte Doeringius: profecto illam non saluere, sed abire potius in malam rem iubet). primo eqs.

p. 235, lin. 25 dormiui; scribe: 'narrat', contendit, ut Mart. III 87, 1 *narrat te rumor, Chione, numquam esse fututam.*

p. 239, lin. 12 sq. ab imo. 'tunc' inmutandi auctore Hauptio in 'tum' nulla adest causa, cum et 'tunc cum' inueniatur et 'tunc' (= tum potissimum) multo sit fortius.

p. 246, lin. 2 ab imo: (Verg. Aen. XI 764).

p. 247, lin. 14 post *loca* adde: et 70 *algida niue amicta.*

p. 252, lin. 10: quam. — ibid. lin. 5 ab imo: nullam.

p. 264, lin. 25: esse habitam.

p. 265, lin. 18 ab imo: 't' et 'n'.

p. 266, lin. 19: [anecd. gr. I p. 114].

p. 267 ad LIV 3. de delicatorum uitio quod disputaui, id commode stabilitum est glossa a GGoetzio (loco paulo ante laudato) edita haec: *pedicum: uicium mollitiae. lucilius in II satirarum pedicum iam ex-*

coquit omne. ubi pro uoce sensu cassa 'pedicum' legendum esse 'peditum' intelleges, si recordaris 'mollis' et 'cinaedus' esse synonyma. restituendumque puto Lucilio: _ ⏑⏑ _ ⏑⏑ _ | ⏑⏑ *peditum hiram excoquit omnem.* nam 'hīra' mensuram falso concludunt ex Plauti Curc. 238 (ubi 'chirae' codd.), 'hĭra' euincit lingua Vedica.

p. 275, lin. 12: Gr. II p. 79 sqq.

p. 303, lin. 23: *ἀπάτορα.*

p. 313, lin. 12: Ouid. am. III 7, 15.

p. 319, lin. 8 ab imo: Verg. Aen. VI 758.

p. 320, lin. 19 ab imo: *filiorum.*

p. 333, lin. 19: obscuratum.

p. 336, lin. 14: oriundus.

p. 350, lin. 7 ab imo: oriundum. — lin. 20 ab imo: rediturus.

p. 364, lin. 6. Riesius docuit iam Theocr. 21, 55 sic 'Amphitrite' translate adhibere. — ibid. lin. 7 ab imo adde non solum Cic. Arat. 129 *rostro Neptunia prata secantes,* sed prae ceteris Coripp. Ioh. I 168 sq. *aeratis aequora proris proscindunt celeres, sulcantur marmora rostris, spumea sub longis inmurmurat unda carinis.* quamquam haec non ex imitatione Catulli profluxerunt, ut nuperrime statuit RAmann 'de Corippo priorum poett. latt. imitatore' [Oldenburgi 1885].

p. 375, lin. 18: uoci 'falx'.

p. 379, lin. 23: coit illud.

p. 395, lin. 18: eandem rem.

p. 418, lin. 10: 'obscurata'.

p. 435, lin. 8: uno loco.

p. 457, lin. 18: erant signum amoris.

p. 465, lin. 17: *matri.*

p. 470 ad LXVI 49, 50. Callimachi fragmentum Riesius quoque similiter tractauit scribendo *γειόθεν ἀντέλλον τε κακὸν φυτὸν οἵ πρὶν ἔφηναν*, non recte pluralem retinens (mus. Rhen. XXXVI p. 208).

p. 471, lin. 18: quibus Emathion.

p. 474, lin. 13 adde: de hac ipsa corona schol. Germanici p. 62, 8 Br. *astris adfixa.*

p. 512 sqq. de Euripidis Protesilao opinionem nuperrime a MMayero [Hermae XX p. 101 sqq.] prolatam taedet pluribus refellere; nec enim habeo cur meam sententiam (iam antea expositam in Fleckeis. ann. 1877 p. 411 sqq.) mutem. summae, qua uir ille omnia miscet, licentiae unum exemplum sufficit notasse rationem, qua Euripidis fragm. 652 explicat; quod aperte spectat ad spem recuperandi mariti, qua Laudamia tenebatur (cf. Senecae locus a nobis p. 514 adlatus): quales spes saepe inritas esse monuit puellam siue pater siue alius quicumque.

p. 533. de 'quod potui' et 'quo potui' interim disseruit etiam CRossbergius in Fleckeis. ann. 1884 p. 645 sqq., sed ut discrimen non recte explicaret.

p. 542, lin. 4: uereor ne plerique.

p. 606 sq. ad CXV 1 et 2. possis suspicari, glossam 'instar sunt maris' ita in textum inrepsisse, ut 'instar' u. 1 deprauaret.

Scr. Groningae Kal. Iuniis a. MDCCCLXXXV.

PROLEGOMENA.

I.

Poesin lyricam si sensu latiore intellegimus eam, qua quidquid animum humanum commouet exprimitur, in Italia iam illa exstiterat, ex quo homines ab initiis rudibus ad uitam cultiorem adscendere inque uicis pagis oppidis congregati et publice deos celebrare diebus sollemnibus et priuatim festa sua agitare coeperant. mittimus hic hymnos sacros in deorum honorem priscis temporibus numeris horridis confectos, carmen fratrum arualium similiaque: sola nobis res est cum uitae priuatae poesi lyrica. propria autem Italorum indoles, acumine mentis excellens et intellegere acriter prompteque quam alte sentire animique elatione efferri aptior indeque ad inrisionem dicacem iocosque salsos inclinans, etiam in his primis carminibus incomptis, quae choreis in deorum uenerationem factis solebant adiungere, alternis uersibus inuicem lacessere per lusus liberos et opprobria rustica amabat. his fescenninis*) — sic enim appellabant hos iocos, quod nomen post solis poematis

---

*) quaeritur quonam haec prima carmina scripta putanda sint metro. uulgo solum uersum Saturnium regnasse in omnibus peraeque poematis ante Liuium Andronicum factis statuunt. indicabo unum saltim metrum alterum iam ante illum Romanis cognitum, nempe Fescenninum. Diomedes p. 479, 13 K. tradit *huic contrarius est amphimacrus uel* ('ut' codd.) *Fescenninus, amphimeres, quem alii creticon appellant.* miror neminem animaduertisse creticum metrum non Graecorum imitatione receptum esse in litteras Romanas, siquidem creticis scriptus est aperte, siquid uideo, nobilis ille cistae Ficoronianae CIL. I 54 titulus siue paulo ante bellum Punicum primum siue eo ineunte confectus:

Díndia Macólnia fíleaĭ dedit:
Nóvios Plaútios méd Romaĭ fecit.

nimirum sic pronuntiando ut tum pronuntiabant homines ('Dindja', porro 'Macolniā', denique 'ai' bisyllabe) habemus duos tetrametros creticos legitimos. his uersibus 'Fescennenis' quam apte sit ornatum donum nuptiale, quale erat cista illa, ultro apparet. sed de his rebus alias fortasse plura.

nuptialibus mansit, cf. Hor. epist. II 1, 139 sqq. — fundamentum potius iecerunt poeseos, satiricae et dramaticae excolendae quam lyricae. cui per tempus longum patebat spatium ab ea parte, quam illa cum satirica habet communem, scilicet in uersibus ludicris, quales aut milites imperatorem triumphantem comitantes aut alii quilibet ante aedes canebant (hos pipulos et occentationes uocitabant), et in epigrammatis acerbis, quae ianuis domorum aliisue locis publicis affigebant. nam quod ad cetera, etsi numquam deerant qui animi sensa quaecumque effunderent uerbis sine arte in metri quandam speciem iunctis, tamen nec certa quaedam lex atque regula talium carminum inuenta est nec peculiaris quidam hominum fauor ea fouit aluitque. ueluti cantica, quibus amans celebrabat amasiam, ut semper sine dubio moris erant in plebe (cf. ex. gr. Hor. sat. I 5, 14 sqq.), ita qui excoleret perficeretque nemo extitit, ne tum quidem, cum graecarum litterarum cognitio inde a Liuii Andronici tempore linguam latinam pauperem ditare, incultam perpolire, duram et uix metris subtilioribus etiamtunc aptam emollire coeperat: quaelibet alia litterarum Romanarum pars tum laete efflorescere et ex imitatione in initio seruili euehi ad liberam paulatim cum Graecis aemulationem didicit (ueluti, ut exemplum proferam inlustrissimum, carmen epicum et satiricum Ennio Romanae poesis patre inmortali auspicante), sed sola lyrica, qui patrocinium susciperet et latitantem in plebe materiam procul dubio diuitem protraheret et arte tractatam adderet ceteris litterarum generibus, non inuenere tum quidem. nisi quod Ennius facillimam eorum speciem, epigrammaticam, non neglexit; qui in hac quoque re exempli grauissimi fuit adhibendo distichon in epigrammatis, quae non solum sepulcris incidenda (p. 162 sq. ed. Vahl.) sed etiam (quod maioris est momenti) erotica fecit teste Plinio epist. V 3, 6. quae erotica qualia fuerint etsi non constat, tamen uix a uero aberrabimus, si nonnulla breuiora Alexandrinorum (nam horum notitia instructum fuisse Ennium compertum est) poematia amatoria distichis conscripta ab illo conuersa magis quam imitata esse statuemus*).

*) iam Naeuium epigrammata scripsisse, non recte concluditur ex uersibus, quos Gellius una cum consimilibus ex Varronis imaginibus sumens falso uindicauit ipsi poetae Campano (I 24, 1); quos uersus data occasione moneo sic esse scribendos:

Inmortales mortales si foret fas flere,
Flerent diuae Camenae Naeuium poetam.
Itaque postquam est Orcho traditus thesaurus,
Romae loquier obliti sunt lingua latina.

Quod exemplum quominus alii sequerentur, multa tum quidem obstiterunt. nam et paulatim abhinc Romae innotuerunt nouae poesis circa Nilum conditae praecepta et ipse populus Romanus nondum is erat, qui his animi liberi et otiantis lusibus quidquam tribueret et posset omnino adspirare ad ea sensa cogitationesque, quae docta poesis amatoria sibi flagitat. quid esset amor, postquam huic Euripides tanta cum arte amplissimum in fabulis suis dedit locum, Graecos inde ab Aristotele philosophi plurimi docuerant (cf. ERohdius libri egregii et in omnibus his rebus utilissimi 'der griechische Roman' inscripti p. 56 sqq.); porroque uates docti Alexandrini amoris gaudia et mala animum humanum adficientia eorumque descriptionem diligentem subtilem artificiosam pronuntiauerant summam poeseos legem eamque exemplo suo in omne aeuom firmauerant. qui non solum in breuibus epigrammatis pectoris amore pleni sensa explicuerunt aut res ad uenerem suam pertinentes narrauerunt, sed ante omnia etiam maiora carmina non carere uoluerunt dulcedine eius affectus, quem inter πάθη humana summum locum optinere iam uulgaris erat opinio: cum pauca epe (a quibus abstinebant fere), ut Apollonii Rhodii Argonautica, et idyllia hinc suum acceperunt ornamentum praecipuum, tum uero duo illa genera inter poesin quae proprie uocatur lyricam et epicam media, elegiae scilicet et epyllion (quorum perfectio consummata propria Alexandrinorum illorum laus atque gloria est), decorabantur et tamquam stellulis insigniebantur fabulis illis amatoriis, quas undique gentium summa cum industria collectas (Rohdius l. l. p. 40 sqq.) siue propriis tractare opusculis siue in alias narrationes (etiam in carmina didactica) apte intexere et omnibus tam uerborum quam descriptionis artibus exquisitis comere atque exornare callebant docti illi poetae.

Romani neque summae huic narrationis arti recte aestimandae neque amoris affectuum expositionibus uere intellegendis pares erant Ennii tempore. qui licet Euripidis maxime tragoediis conuersis paulatim ex aliqua parte assuefecerit homines urbanos digniori de rebus ueneriis sententiae animis concipiendae, tamen deerant omnino studia in philosophis cognoscendis posita et peruulgata, quibus ducibus in rerum illarum causas abditiores penetrare ualebant.

---

traditur u. 3 'thesauro', quo retento uulgo 'Orc(h)i' scribunt ex coniectura; sed Orci thesaurus nullus est, immo Orcus recipit thesauros siue praedam Mortis; Enn. Iphig. 202 *Acherontem nunc obibo, ubi mortis thesauri obiacent*, unde corrigendus est Prellerus myth. Rom. p. 454 (ubi adlata uerba Attii trag. 92 R. utpote longe aliter tradita nil ad rem).

nam suapte natura Itali magis uulgiuagae Veneris sacra amabant colebantque. testis est ingens in lingua latina (prisca potissimum) uerborum et locutionum copia, quibus quae ad coitum et uirum feminamque pertinent etsi saepe acute salseque, tamen sine uenustate atque elegantia exprimuntur. et licet apud Plautum non desint plane amoris subtilioris uestigia, haec pauca tamen exemplaribus graecis adscribere pronum est prae tanta multitudine iocorum uere Plautinorum ingeniose quidem nequam, sed plebis tantum risum captantium. et fabulae togatae (maxime Afranii) satis sunt documento, sordibus omnis generis magis fuisse delectatos spectatores quam comoediarum Atticarum uenustis lusibus; qui Terentio potissimum auctore adspersi palliatis tam parum tenebant populum Romanum, ut hae mox depellerentur togatis Atellanis mimis lasciuiae infumae plenis.

Sed eadem aetas ab Ennii morte usque ad tempus Sullanum (160—80 a. Chr. n. fere) pertinens etiam harum rerum meliorem statum sensim aduenire uidit. philosophiae studium antea obiter plane leuissimeque tractatum inde ab anno maxime 155, quo Carneades et Critolaus et Diogenes Romam uenerunt legati Atheniensium (cf. Cic. de or. II 37, 155), mire est excitatum apud primores reipublicae uiros; et magistro Panaetio Rhodio Stoico usi Scipio Africanus minor et amici plurimi (C. Laelius Sapiens, L. Furius Philus, Q. Fabius Maximus, Q. Aelius Tubero totque alii) sapientium graecorum libris cognoscendis incumbentes ualde cum morum emendationi atque iudicandi elegantiae sentiendique subtilitati, tum litteris latinis promouendis profuerunt. quorum circulis adscriptus C. Lucilius, homo mirificae doctrinae et Graecorum tam poetarum quam philosophorum lectione exercitissimus, horum exemplum secutus data opera saepius in saturis suis quaestiones in amoris natura omnique re Venerea exploranda uersantes suo more modo diligenter accurateque persecutus est (quantum quidem ex fragmentis diuinare licet) modo breuius tetigit. sic paulatim cum adcreuerit rectior multarum rerum intellectus, mirandum non est, tum fortasse ipsius Lucilii, qui talia libro XXII inseruit, exemplo ductos complures temptasse ludere amatoria epigrammata; nam ab his utpote pridem usitatis nec nimis difficilibus ordiendum erat. traditur hoc sat obscure de Attio tragoediarum scriptore (Plin. epist. V 3, 6). certiora paulo sciuntur de Pompilio quodam Pacuuii discipulo (Varr. sat. Men. 356 B.), cuius Varro d. l. l. VII 28 (cf. et Priscian. I p. 90 H.) seruauit ἐπιγραμμάτιον, *quod in adulescentem fecerat [Cascam]:*

Ridiculum est, cum te cascum tua dicit amica,
Fili Potoni, sesquisenex puerum.
Dic rusum pusam: sic fiet 'mutua muli';
Nam uere pusus tu, tua amica senex.

sic enim haec scribenda ducimus. et ut Pompilius praeter tragoedias (Varr. d. l. l. VII 93), sic praeter togatas Atta non dedignatus est has ineptias: Nonius p. 202, 27 ('crines genere feminino') *Atta in epigrammatis: praeterea lusit* ('tu sis' codd.) *resoluta crine capillus.* sed his clariores sunt in genere illo tres maxime uiri circa a. 100 uigentes, de quibus apponere iuuat Gellii XIX 9, 10 uerba talia, qualia emendanda censemus (adscitis hic illic priorum coniecturis): *uersus cecinit Valerii Aeditui, ueteris poetae, item Porcii Licini et Q. Catuli, quibus mundius uenustius limatius tersius graecum latinumue nihil quicquam reperiri puto. Aeditui uersus* ⟨*hice fuerunt*⟩*:*

Dicere cum conor curam tibi, Pamphila, cordis,
Quid mi abs te quaeram, uerba labris obeunt,
Per pectus manat subitus gelido mihi sudor:
Sic tacitus, subidus dum pudeo, pereo.

atque item alios uersus eiusdem addidit non hercle minus dulces quam priores:

Quid faculam praefers, Phileros, quae est nil opus nobis?
Ibimus sic, lucet pectoris flamma satis.
Istam nunc potis est uis saeua extinguere uenti
Aut imber caelo concitus praecipitans;
At contra hunc ignem Veneris, nisi si Venus ipsa,
Nulla est quae possit uis alia opprimere.

item dixit uersus Porcii Licini hosce:

Custodes ouium teneraeque propaginis agnum,
Quaeritis ignem? ite huc. quaeritis? ignis homo est.
Si digitum attigero, incendam siluam simul omnem,
Omne pecus flamma est, omnia qua uenio.

Quinti Catuli uersus illi fuerunt:

Aufugit mi animus. credo, ut solet, ad Theotimum
Deuenit. sic est: perfugium illud habet.
Quid, si nunc interdixet, ne illunc fugitiuum
Mitteret ad se intro, sed magis eiceret?
Ibimus quaesitum. uerum ne ipsi teneamur,
Formido. quid ago? da, Venus, consilium.

Q. Lutatii Catuli, cons. a. 102, quem Plin. epist. V 3, 5 inter

poetas eroticos enumerat (ceterum cf. Teuffelius HLR. § 142 et 146), alterum epigramma seruauit nobis Cicero d. n. d. I 28, 79:

Constiteram exorientem Auroram forte salutans,
Cum subito a laeua Roscius exoritur.
Pace mihi liceat, caelestes, dicere uestra:
Mortalis uisust pulcrior esse deo.

et quam late patuerit illo tempore (circa a. 110—90) talium epigrammatum amor, nuper patefactum est detecto in parietibus Pompeianis (quibus postea est inlatus) lusu hoce, quem dedi cum meis supplementis in Fleckeis. ann. 1883 p. 798 propositis:

Aeditui, me, oculei, posquam deducxstis in ignem,
Lumphae uim uestreis largificatis geneis.
Vanum: non possunt lacrumae restinguere flamam:
Haec os incendunt tabificantque animum.

ex his epigrammatis unum (Catuli prius) iam Scaliger obseruauit ex graeco Callimachi (epigr. 41) esse conuersum; in ceteris plerisque uersiones aut certe imitationes Alexandrinorum itidem subesse oppido est probabile. neque id mirum. nam non aliter Romani sui in litteris iuris fieri potuerunt nisi post strenuas in magistrorum Graecorum schola exercitationes; et plane in hanc primam lyricorum latinorum aetatem conuenit id quod Merkelius [ad Ibin p. 359] de sequenti dixit 'primum Graecos uertendo eorum artificio assueuerunt, mox imitati sunt, postremo felicissime aemulati'. hoc ipsa rei ferebat natura; neque aliter recentium populorum litterae incrementa auctusque ceperunt.

Quam parum etiamtunc Romani essent apti, qui in hac parte suam sibi semitam tererent, ostendit is qui uirorum modo enumeratorum aequalis aetate paulo recentior est putandus, Laeuius aliunde ignotus, sed quem circa a. 90 floruisse omnia reddunt probabile. certe miro modo in dura et inplicata dictione ei conuenit cum A. Furio epico, cuius uersus nonnullos adfert Gellius XVIII 11, 4 quemque familiarem fuisse Q. Lutatii Catuli ex Cic. Brut. 132 constat. hic Laeuius erat non mediocris hercle ingenii studiique uir, uersus uariis neque uulgaribus metris scribendi arte (ut erant tum tempora) admirabilis, in superandis difficultatibus a lingua coepto obiectis indefatigatus, sed idem iudicii parum maturi subactique, unde laborum praemium non dignum tulit. scripsit ille erotopaegnion libros minime sex*), in quibus fabulas amatorias

*) collecta habes fragmenta in Weicherti Rell. poet. lat. p. 19 sqq., post LMuelleri Catullum p. 77 sqq. addam duo fragmenta, quae illos fugerunt. Chalcidius comm. in Plat. Tim. 75 *at uero sub Luna usque*

ab Alexandrinis acceptas ita tractauit, ut pulcherrimas illas narrationes conuerteret in lusus lasciuiae plenos, porro loco distichorum uel hexametrorum (quae rectissimo ducti iudicio Callimachus et sodales materiae illi adsumpserant) eligeret metra priscorum poetarum latinorum propria, dimetros iambicos (quos Plautus et Terentius semper tetrametris adiunxerant, secuti sunt Laeuium postea Auitus et Prudentius) una cum anacreonteis iam Plauto familiaribus aliquatenus, sed a nostro primo κατὰ στίχον iunctis, dimetros anapaesticos itidem scaenicis usitatos (ex tali etiam fragm. 25 constat), uersus quadratos; nisi quod ab Alexandrinis accepit ut scazontes (in hac re fortasse Matii aequalis exemplum secutus) ita in artificio mere Alexandrino (Buechelerus in Fleckeis. ann. 1875 p. 306) ionicos a maiori, denique decasyllabos; nam hendecasyllabos utique ab illo alienos esse infra uidebimus (de fr. 22 ualde corrupto nihil constat). et ut Alexandrina exemplaria in metris, quorum artificiosissima parumque feliciter electa sequebatur, conciliare studuit cum priscis uatibus popularibus, ita hos maximeque Pacuuium coepto ualde sinistro aemulabatur in uerborum compositionibus impeditis, duris, a genio sermonis patrii plerumque refutatis (Laeuii est illud 'Nestor trisaeclisenex' et 'dulcorelocus': Gell. XIX 7). quid multa? tam in materia tractanda quam in metris suis et dictione Laeuius magno auso misere excidit: qui eius uestigiis ingrederetur, prudentium peritorumque inuentus est nemo (unus Varro polyhistor et imperatoriae aetatis posterioris polymetri nonnulla eius metra resumpserunt); et quamquam hoc illudue uocabulum a Laeuio repertum ab insequentibus poetis (ueluti a Catullo in c. LXIII) in proprium usum adhibitum esse probabile est, tamen primum lyricum Romanum hoc nomine dignum mox altum texit silentium (cf. Porph. ad Hor. cd. III 1, 12). — eandem autem studiorum rationem profitebatur Cn. Matius mimographus (etiam Homeri Iliada conuertit), qui diuerso paulum instituto Hipponactem sibi

---

ad nos omne genus motuum, omne etiam mutationum, prorsus ut est in uetere uersu Naeuii: exuuiae, rabies, furiarum examina mille. solita adest confusio inter Naeuium et Laeuium, ad cuius Helenam (fragm. 17, hexametro constans) uersus pertinet, in quo quid raptum Helenae secutum sit ostenditur. — alterum fragmentum nouum accedit e Probo scholiasta Vergilii [p. 93 K.], qui secundum nouissimam AHerrmanni recensionem post 'pictosque Gelonos' pergit: *in Protesilaodamia fac papyrin... haec terga habeant stigmata.* apparet uersus quadratus ex Laeuii Protesilaodamia sic fere explendus: *fac papyri n⟨ostrae flagris⟩ haec terga habeant stigmata.* cf. ad sententiam ex. gr. inscriptt. Orell. 6404 *hic stigmata aeterna scripta sunt Acte libertae uenenariae.*

exemplum sumpsit, sed cetera (maxime in uerbis) consimilis est Laeuii.

Habuerunt huius conamina hoc bonum, quod quanam uia perfici posset ut digne cum Graecis in lyricis quoque aemularentur Romani, inuestigabant uiri litterarum patriarum amantes easque ab hac parte tam misere iacere dolentes. Alexandrinis exemplaribus non posse careri ultro patuit: unde enim alios melioresque sibi adsumerent magistros? illi quippe tum ab uniuerso orbe graeco colebantur et ut poetarum recentium praecipui et ut unici ad poesin tendentibus praeceptores, illos identidem Romanis ingerebant quicumque ea aetate in urbe degebant grammatici graeci tam ex aliis terris quam ex ipsa Alexandria nati. et grammaticorum tum in dies maior auctoritas esse coeperat Romae. iam ueterum nonnulli, ut Liuius Andronicus et Ennius simul grammatici et poetae fuerant; sed ab his magnopere distabant, quod ad doctrinam altam multiformemque scientiam attinet, ei qui tempore Ciceroniano profitebantur artem grammaticam Graeci, qui certatim aut ipsi confluxerunt in urbem aut deducti sunt a nobilibus, quorum in domibus aut liberis erudiendis aut bybliothecis ordinandis aut ad consilia in rebus ad litteras spectantibus danda adhibebantur. exempla tibi exhibet Suetonius de gramm. (ubi cf. maxime c. 3); uidendus et Merkelius ad Ibin p. 356, 7. publice quoque docendo illi ad famam dignationemque uenerunt; eisque maxime auctoribus tum increbuisse uidetur mos, ut, qui apud uulgares grammaticos iam cognouerant poetas in puerili institutione lectos (Homerum puta et Menandrum tragicosque ex Graecis, ex Latinis Andronici Odysseam et Terentium similesque), si ad altiora tenderent et accuratiore cognitione litterarum imbui cuperent, adulescentes frequentarent lectiones doctorum illorum Graecorum, quorum exemplo mox etiam professores (si ita appellare licet) Latini scholas in usum prouectiorum aperire coeperunt. erant hi grammatici, ut in interpretandis maxime uersabantur poetis, haud raro et ipsi poetae, coniunctione inde a priscis temporibus sancita. talis inter Graecos erat Parthenius, qui teste Suida s. u. anno a. Chr. 73 in belli Mithridatici praeda adulescentulus Romam uenit in domum Cinnae (Heluii Cinnae poetae, ut uidetur, patris); inter Latinos uero Valerius Cato, in Gallia (cisalpina, ut statuunt credibiliter) circa a. 90 natus, de quo Suetonius, qui de gramm. 4 *poetam simul grammaticumque notissimum* uocat, ibid. 11 haec scribit: *docuit multos et nobiles, uisusque est peridoneus praeceptor maxime ad poeticam tendentibus, ut quidem apparere uel ex his uersiculis potest:*

Cato grammaticus, Latina Siren,
Qui solus legit ac facit poetas.

is scripsit praeter grammaticos libellos etiam poemata, ex quibus praecipue probantur Lydia et Diana. de huius scholis nihil est traditum nisi quod ex uersibus octo miro casu Horatii saturae decimae libri primi in codicum parte praefixis discere licet. qui uersus a Catonis (non Horatii, ut uulgo putant) aequali facti docent, illum praelegisse inter alia etiam Lucilii saturas, quas inde a Vectii Philocomi magistri (Suet. d. gr. 2) disciplina magni duxit (est autem, ut mihi uidetur, hic Philocomus 'grammaticorum equitum doctissimus', qui puerum Catonem facere uoluit priscorum poetarum defensorem, fecit re uera unum ex ducibus nouorum), et inter praelegendum uersus male factos ostendentem proposuisse certas regulas ad poesin pertinentes; nec enim aliter possum intellegere, quod Cato uersuum malorum emendationem parare dicitur. coniuncta autem grammaticorum tam Graecorum quam Latinorum opera effectum est paulatim, ut certa existeret studiorum ratio, quorum communi cultui fere inde ab anno 70 plurimos uidemus addictos. tantoque plausu sunt accepti, ut 'nouos' hos poetas mox cum contemptu quodam exagitarent priscorum praecipueque Ennii amatores. nota sunt testimonia Ciceronis Tusc. III 19, 45 *o poetam egregium* (Ennium)! *quamquam ab his cantoribus Euphorionis contemnitur,* ad Att. VII 2, 1 *ita belle nobis*

flauit ab Epiro lenissimus Onchesmites.

hunc σπονδειάζοντα sicui uoles τῶν νεωτέρων pro tuo uendito, denique or. 49, 161 *quin etiam, quod iam subrusticum uidetur, olim autem politius, eorum uerborum, quorum eaedem erant postremae duae litterae, quae sunt in 'optumus', postremam litteram detrahebant, nisi uocalis insequebatur: ita non erat ea offensio in uersibus, quam nunc fugiunt poetae noui.* sed antequam qua in re illi noui extiterint exploremus, uidendum est quinam fuerint ipsi. sodalicii iure iunctos utpote aut amicos aut ex eadem schola profectos uidemus Furium Bibaculum omnium natu maximum cum Catone*), cum hoc Ticidam et C. Heluium Cinnam (Suet. d. gramm. 11); Cinnae rursus sodalem fuisse scimus Catullum, huius Caluum; et sic facile credimus plerosque simul nominatos esse ab Ouidio, qui post Catulli mentionem postea proferendam sic pergit trist. II 431:

---

*) Suet. d. gramm. 11 adfert Bibaculi de Catone uersiculos sic incipientes *siqui forte mei domum Catonis.* hoc 'meus' uel 'noster' uel 'meus sodalis' certum est indicium, ita qui se appellent inuicem, nouis poetis esse adnumerandos.

Par fuit exigui similisque licentia Calui,
Detexit uariis qui sua furta modis.
Quid referam Ticidae, quid Memmi carmen? apud quos
Rebus adest nomen nominibusque pudor,
Et quorum libris modo dissimulata Perillae
Nomine, nunc legitur dicta, Metelle, tuo.
Cinna quoque his comes est Cinnaque procacior Anser,
Et leue Cornifici parque Catonis opus.
Is quoque, Phasiacas Argon qui duxit in undas,
Non potuit ueneris furta tacere suae.
Nec minus Hortensi nec sunt minus improba Serui
Carmina: quis dubitet nomina tanta sequi.

in quibus disticha tertium et quartum in codd. locum suum inter se mutauere, traiecit recte Paldamus libri 'roem. Erotik' p. 35. denique huc spectat qui explet numerum Plinius epist. V 3, 5 quod interdum uersiculos parum seueros faciat sic excusans: *sed ego uereor, ne me satis deceat quod decuit M. Tullium, C. Caluum, Asinium Polionem, M. Messalam, Q. Hortensium, M. Brutum, L. Sullam, Q. Catulum, Q. Scaeuolam, Seruium Sulpicium, M. Varronem, Torquatum, immo Torquatos, C. Memmium ... diuum Iulium ... quae saepius a bonis fiunt, inter quos uel praecipue numerandus est P. Vergilius, Cornelius Nepos et prius Accius Enniusque:* uides sine certo ordine et consilio congeri, qui lusibus indulserunt lyricis, sed ex quibus plurimi ad nostrum pertinent tempus. sed singulorum uitas persequi non est huius loci (tu uide, sis, Teuffelii HLR.): de uniuersorum ratione in studiis deque horum effectu et paulo rectius quam uulgo fit et cum utilitate hic disputaturus mihi uideor*).

'Cantores Euphorionis' cum contemptim uocat Cicero nouos poetas, uocat seruiles imitatores nimis eruditorum et prae doctrina saepe obscurorum, in uerbis metrisque mollium et iusto exquisitiorum Alexandrinorum, idque respectu Ennii masculo robore et sana simplicitate eminentis (non recte de opprobrio illo iudicauisse mihi uidetur Meinekius anal. Alex. p. 24 sq.). uitantes autem uitia, in quae Laeuius inciderat, optimos Alexandrinorum et potissimum Callimachum ita sequebantur noui poetae, ut non mediocrem operam in praeceptis eius circa poesin uersantibus cognoscendis ponerent.

---

*) fragmenta pauca quae ex Catulli aequalium poematis supersunt collegit LMuellerus l. l. nec recte omnino (nam Laeuius et Matius ad eos non pertinent) nec uero plene. adde MHauptium opusc. I p. 211 sqq. de Q. Mucio Scaeuola, nos in Miscell. Crit. p. 19 sqq. — nouam collectionem alibi exhibebimus, si di fauent.

Battiades longa perosus epe summum studium in breuioribus elegiis epylliisue omni cum arte elaborandis exornandisque conlocandum esse praescripserat. hoc secuti sunt cantores Euphorionis eo lubentius, quod et elegia in litteris latinis nondum culta amplum aperire campum in agonem musicum descendentibus uidebatur et epici carminis ad dignum temporibus nitorem euehendi spes nulla ostendebatur, nisi in epylliis ante exercuissent uires conroborassentque. materiam autem sibi elegerunt item plane eandem atque Callimachus sociique: plurimas illas fabulas ad amorem potissimum spectantes, quas multa per saecula procreauerant felicibus temporibus terrae Graecae, certatim communicare studebant cum popularibus aut propriis epylliis diligentissime elaboratas aut in elegiarum ornamentum cum cura atque arte adscitas. sic Cato si non Lydiam certe Dianam, sic Cinna Zmyrnae fabulam, sic Catullus nuptias Pelei et Thetidos (LXIV), porro Caluus Io, Cornificius Glaucum tractauere epylliis (de sodalibus eorum nil nimirum est traditum, sed huc etiam sunt referenda temporis insequentis carmina Ciris et Culex); et cum eadem et artis seueritate et diligentiae adsiduitate, qua haec epyllia castigauerunt ad unguem, etiam condendis elegiis incumbebant strenue, partim elegis qui proprie uocantur flebilibus, ut Caluus mortem Quintiliae lugens (comm. ad Cat. XCVI); partim epistulis ad amicos missis, quibus amatoriae inmixtae erant fabulae, ut Catullus in c. LXVIII[b]; partim tandem eroticis, ut Varro Atacinus (Prop. II 34, 85 sq.). primam autem poetandi legem sibi ipsi posuerant cantores Euphorionis hance, ut ne per ludum et in oblectamentum agitarent haec studia: intento demum labore operaque indefatigata aliquid memoria dignum perfici posse perspicientes non parcebant industriae diligentiae limae perpetuo adhibendae. sic seuerissimorum studiorum res facta est haec quidem poesis lyricae pars, sudoris plurimi plena. sed adliciebat et laborum inpensorum ingrata facile mitigabat cogitatio, si forte adsequentes et elegantiam formae et subtilitatem sententiarum et imaginum splendorem et comparationum dulcedinem et doctrinae (ex historia, mythologia, geographia, astrologia petitae) soliditatem eam, qua exemplaria eminebant, litteris patriis et noui generis decus adicere et pristini gloriam augere possent. iam Ennius quidem olim praeceperat dicti studiosum esse debere poetam; sed quidquid hic suis carminibus studiisque contulerat ad prouehendam poesin linguamque latinam, epici eum insecuti uiae ab ingenio illo inmortali praemunitae secure ineuntes laboremque fugientes ipsi desudare in uersu faciendo ipsique nouum nitorem munditiemque, ut postulauit iam

necessario temporis progressus, carmini epico de suo addere supersederunt. Ciceronis maxime et ex parte etiam Lucretii non sine causa Ennium tantopere admirantium uersus satis sunt documento, quam parum ea aetate, quae cetera litterarum genera ingentia incrementa auctusque capere uidit, profecerit poesis epica, plane illa iacens sordensque a forma, si cum aliis illis generibus comparatur. denuo igitur ciuibus suis Pimpleum montem adscensuris in memoriam reuocabant noui poetae, sine limae labore moraque*) nihil diuturnum effici et ad digna operae praemia percipienda exemplaria graeca nocturna diurnaque manu esse uersanda. constat, exemplum Cinnae nouem annos in Zmyrnae epyllio elaborando consumentis ansam dedisse nobili illi de scriptis nonum in annum premendis praecepto Horatii, qui haud pauca in arte sua poetica praescripsit, quae praecedentes poetae nouicii, si non expresserant uerbis (qua de re nihil scimus), at re tamen secuti sunt. ueluti illi exemplo suo confirmauerant, non sufficere diuitem ingenii uenam, sed poetam simul doctum esse debere. et 'doctus' attributum ut honorificum abhinc uatibus esse coepit, ita lubentissime et grata cum memoria concedebatur cantoribus Euphorionis (cf. ex. gr. Ouid. am. III 9, 62, Lygdam. 6, 41 *docte Catulle,* Mart. I 61, 1 et VII 99, 7 et saepius, Ter. Maur. 2561; Prop. II 34, 89 *docti pagina*

*) haec mora, quam ipsi sibi inponebant νεώτεροι in edendis doctis opusculis, respicienda est accuratius quam uulgo fieri solet, si quaeritur, quatenus illi uertendo et imitando expresserint exemplaria. iam enim non eadem condicio horum studiorum quam Q. Lutatii Catuli tempore. mansit hoc omnibus temporibus, ut uires exercendi gratia conuerterent Romani Graecos; sed non edebant abhinc nisi ea quae edi sine rubore potuerunt. itaque non plane rectum est quod dicitur, haberi exercitii huius specimina rudia ex. gr. in Catulli coma Berenices ex Callimacho, in Varronis Atacini Argonauticis ex Apollonio Rhodio conuersis: neque seorsum edebantur neque in carminum collectiones recipiebantur uersiones, nisi hoc fuerat consilium, ut haec ingenii alienigenae monumenta cognitione omnium (praesertim linguam graecam minus callentium) digna extarent in litteris latinis et in his quoque opusculis ars quaedam atque peritia probaretur. et hinc plurimae illae ex graeco conuersiones, ueluti Ciceronis aliorumque Aratea et Sallustii Empedoclea, sunt aestimanda; in quibus etiam utilitatis respectus est habitus summopere. ceteras quae uere possunt uocari exercitationes sine dubio flammis dabant, certe qui famae consulerent; ut in Catulli carminibus nullum reperitur scriptum ante id tempus, quo feminae suae amore ille proprii ingenii facultates excitas uidit. hinc opus est cautione, ne praepropere ex graeco conuersa uel nimis anxia imitatione expressa putemus docta huius temporis poemata, nisi certa faueant indicia: libera aemulatio tum multo iam magis regnabat.

Calui; nec sine causa Horatius hederas uolt esse praemia frontium 'doctarum'). doctrina multiformis iam facta est tam necessaria carmina pangentibus quam metrorum scientia: ut fabulas suas digne exornarent, ingurgitabant sese in exterarum gentium priscas aetates euoluendo historias et cognoscendo mores ritusque. abstraxit haud raro studiorum horum suauitas longius a proposito, et ex disquisitionibus in carminum gratiam factis fructus redundabant etiam in philologiam, quae ut Romae inde a Cratetis commoratione laete efflouerat, ita et per grammaticos plurimos illa aetate uigentes et ipsa poeseos ratione tum exculta mirum quantum est prouecta publicumque nancta fauorem. ne miremur igitur, quod ei quoque poetae, qui non proprie erant grammatici, tamen docta opera etiam prosa oratione scripserunt ad uarias res pertinentia*).

Cernebatur autem formae tersae nitidae mundae cura studiumque ante omnia in maiore metri perfectione. hexametrum praecipue conformabant tum longe diligentiore arte quam qua Ennius eiusque sectatores utebantur, etiam huius rei praeceptores habentes Alexandrinos, quorum enchiridia metrica assidue uersabant. ueluti caesuras, quales conueniebant uersui illi ex genio linguae latinae, constituebant sanciebantque in omne tempus illas, quas postea maxime uidemus adhibitas esse. quamquam, ut fit in horum studiorum nouitate, nondum compotes erant elegantiae apud poetas Augusteos obuiae, sed interdum subduri et grata uarietate carentes (ut Catullus in c. LXIV). neque in hac quidem parte abstinuerunt in exemplarium imitatione nimia quadam caecaque cupiditate, ueluti in quinto hexametri pede saepius quam decuit spondeum pro dactylo admittentes (ex. gr. Cat. LXIV 78—80); et hinc Ciceronem *τοὺς νεωτέρους* inridere uidimus. — etiam in distichi struendi

*) unum dabo exemplum. Furius Bibaculus teste Plinio h. n. praef. 24 scripsit facetissimos Lucubrationum libros, h. e. miscellaneos et iocis seriisque disquisitionibus mixtos. legitur inter eius fragmenta hoce (4 LM.) *duplici toga inuolutus* apud Charisium sub Furii nomine seruatum, in quo anacreontium agnouit Muellerus. sed cantores Euphorionis exemplo Laeuii fecisse anacreontios, nec constat et per se ualde inprobabile est. melius Lachmannus ad Lucr. p. 199 a Muellero ignoratus partem hendecasyllabi adesse statuit. recurrunt autem ipsa illa uerba, quae mihi meram prosam sapiunt, in glossariorum excerptis doctis sine auctoris nomine traditis, quae edidit Usenerus mus. Rhen. XXVIII p. 428 (lin. 23). quid multa? Charisius fragmentum illud mihi sumpsisse uidetur ex eodem opere, ex quo hausta sunt in ultima origine excerpta illa glossariorum pretiosissima, ex Furii nempe opere quodam prosario probabiliterque ex ipsis eius lucubrationibus, quae hinc nouam plane lucem accipiunt.

arte, etiamsi multa perficienda reliquerunt aeui Augustei uatibus, tamen non contemnendam sunt nacti peritiam, praesertim in epigrammatis breuioribus iam longioris temporis usu bene familiaribus.

Neque tamen in faciendis epylliis elegiisque, quae ipsi in litteras latinas intulerunt, et in epigrammatis sese continuerunt noui poetae, sed quidquid fere in hoc poesis genere praeiuerant Alexandrini uariaque metra ab eis siue exculta siue in enchiridiis tractata cum meliore quam quo Laeuius usus erat delectu sibi adsumpserunt. galliamborum uolubilitatem agilitatemque difficillimo in linguae latinae duritie tarditateque suscepto aemulari certatim (comm. ad Cat. LXIII in fine) adgressi sunt cum euentu pulcherrimo. porro ab Alexandrinis mutuati sunt trimetros iambicos puros per longiorem seriem continuatos, quibus ueteres Graeci non utebantur, et in senariis uulgaribus et septenariis seueriores normas adhibuerunt quam quibus scaenici operam nauarant. nec trimetrum claudum, Hipponacteum, receptum iam ab Matio dedignati sunt. Alexandrinis denique debebant noui poetae uersum Priapeum, in hoc (ut in aliis haud raro) magistros superantes austeritate tractandi.

Cognouerant ex enchiridiis *οἱ νεώτεροι* etiam Graecorum priscorum, Sapphus Alcaei Archilochi Anacreontis aliorumque, metra lyrica; et fugientes uersus ob breuitatem nimis ludicros, quibus indulserat Laeuius, ex his elegerunt sanissimo cum iudicio ea, quae conuenire maxime linguae patriae uidebant: strophen quae proprie uocatur Sapphicam (Cat. LI), uersus choriambicos (asclepiadeos maiores), glyconeos et pherecrateos in systema coniunctos, denique qui prae ceteris sunt nominandi (nullum quippe metrum et felicius adsumptum et postea magis in deliciis erat) hendecasyllabos*). haec quoque

*) falso uulgo putant iam ante cantores Euphorionis Laeuium et Varronem usos esse hendecasyllabis. de Varrone postea uidebimus. legitur apud Macrobium I 18, 16 *Liber a Romanis appellatur, quod liber et uagus est, ut ait Naeuius:*

Hac qua sol uagus igneas habenas
Immittit propius iugatque terrae.

'Naeuius' Scaliger correxit in 'Laeuius'. sed exemplum ipsum perquam inopportunum, elegantia uersuum supra Laeuii inplicatam duritiem, 'que' traiectum (quantum uidetur) ab eius tempore alienum est. certum puto meum remedium, quo lacunam statuo sic fere explendam *ut ait Naeuius: ⟨libera lingua loquamur ludis Liberalibus; et ***:⟩ hac qua* eqs. intercidit una cum noto Naeuii uersu (com. 113 R.), quo nil hic est aptius, nomen eius cuius sunt hendecasyllabi. in quibus 'propius' cohaeret cum 'terrae' et pro inepto illo 'iugatque' reponendum est 'uolatque'. fortasse sunt uersus Cinnae, et a 'Naeuius' ad 'Heluius' oculis aberrauit librarius.

metra Sappho maxime in deliciis habuerat excolueratque (de phalaeciis cf. Ter. Maur. 2545 sqq.). iam non mero casu factum esse aiemus, quod solita studiorum communione cantores Euphorionis eos, quorum adsunt fragmenta huc pertinentia, mirifice delectatos esse uidemus epithalamiis et hymenaeis scribendis: eodem metro, quo Catullus nobile et eximia cum dexteritate factum c. LXI composuit, etiam Caluus (fr. 4) et Ticida (fr. 2) scripsere carmina nuptialia; et eodem modo, quo sub eclogae specie Catullus hymenaeum in c. LXIII proposuit, etiam Caluus libera usus aemulatione (qualem in re parua Cat. L nobis ostendit) eiusdem generis poema fecit (fr. 5—8). nimirum Sapphus fuisse librum epithalamia uaria complectentem satis constat. excitati igitur enchiridiis illis metricis noui poetae ad cognoscenda penitus aemulandaque carmina Sapphus maxime, fortasse etiam Archilochi paucorumque similium. in nulla re maiora ac plane inmortalia sunt merita horum uirorum; in nulla re sincerius admiramur rectum eorum iudicium, quo altos Pindari spiritus non conuenire indoli Romanae bene intellegentes neglexerunt poesin doricam et aeolicam sibi sumpserunt imitandam; in nulla re discipuli magis superauere magistros natiuo sensu pulcri ueroque poeseos intellectu. nam Sapphus poemata legendo ac relegendo non potuerunt non perspicere, quid ipsis desset et quomodo carmina ab Alexandrinis pendentia deberent compensare, si poesin uere lyricam donare uellent litteris latinis: aeolicae uatis intimam naturam bene animo percipientes opuscula docta arteque Alexandrina facta et haec poematia breuioribus metris lyricis (hendecasyllabis maxime) scripta quam maxime inter se opposita esse uoluerunt. regnabat illic cura et meditatio, placebat illic ipsa ars ipsique fuci callide aspersi: hic praeualebat ingenium, hic, quidquid animum leuius grauius commouebat, calore subito et sine ornatu longe quaesito in cartas coniciebatur; illic doctus spectabatur artifex: hic homini sentire humane et indulgere genio et tam amoris amicitiaeque quam odii atque inimicitiae affectus omnes libere promere licuit; illic grauiter sollemniterque incedebant toga induti: hic tunica ludebant discincta. quid multa? nulla poesis lyricae species firmiores apud Romanos hoc genus maxime sibi conuenire tacite sentientes egit radices; et quidquid postea Horatius temptauit artificiosiores modos lyricos aptare fidibus Romanis, successu caruit apud populares suos, qui multo magis praeferebant leues facilesque uersiculos Calui et Catulli sociorumque. quos omnes (quatenus iudicare licet ex eis, quorum paulo largiora adsunt fragmenta) utrique et doctae et leuioris poesis amatoriae generi

operam nauasse uidemus; quamquam ipsi minorum harum nugarum ineptiarumque (comm. ad Cat. c. ad Corn. 4) lusu magis excitari se putabant, ad maiora et grauiora quo fierent promptiores, sed aeternam gloriam ab extructis seriorum studiorum monumentis sibi fore promittebant (cf. Cat. XCV). mirum fortunae ludum! docta haec opuscula maiora utpote celeriter superata postera aetas mox neglexit, sed eadem semper amauit amabiles illos ingenii naturaeque infucatae fetus, quibus (quod ad gloriam) multo diutius uixerunt illi hodieque quoque admiratores habent plurimos.

Cognouimus iam complures partes praecipuas, in quibus eminebant noui poetae: disceptanda est nunc alia illorum proprietas in cura diligentiaque uerborum posita, quae multis uidebatur mollities. quae, si qua erat, partim profluxit sua sponte ex poesis amatoriae indole lasciuula ac tenella (poeta 'lasciuus' maximeque 'tener' et 'amatorius' idem fere est apud Romanos: Cat. XXXV 1, Ouid. rem. 737 *teneros ne tange poetas* et a. a. III 333 *teneri Properti* et am. III 8, 2 *tenerum carmen,* Hor. a. p. 246; Suet. d. gram. 16 *tenellorum uatum;* Mart. VII 14, 3 et XII 44, 5 *tener Catullus*), partim nata est ex eo studio, quo refugientes epicorum ueterum rudem iam simplicitatem et tragicorum nimium tumorem sectabantur illi suum dicendi genus sat electum. nam iterum exemplo Callimachi maxime usi simul et breues concisique esse studebant et uitandae ieiunitatis causa uoces exquisitas adhibebant. quamquam in hac re denuo bonum liberumque cantorum Euphorionis iudicium comprobatur, quod praecepta Alexandrini magistri deserebant in eo quod non uerba prisca recondita rara glossematica (quibus fere Aegyptii illi delectabantur) captabant, sed operam dabant sermonis e medio sumpti cultui atque urbanitati. neque dubitare licet, quin Laeuii conamina risum interdum mouentia eos deterruerint a seruili in hac re imitatione. itaque sequebantur illi quam maxime linguae patriae speciem, qualis Romae in elegantiorum circulis optinuerat. hanc normam in uniuersum tenentes peculiarem curam inpendebant singulis. ut a minimis incipiam, perfecerunt *οἱ νεώτεροι* ea quae Ennius in litteris finalibus retinendis incohauerat. hic enim utilissimo instituto ceteras praeter 'm' et 's' consonas omnes propria uti ui in uersibus iusserat; ulterius progressi illi (cf. Ciceronis uerba supra adlata) etiam 's' breui uocali subiectam non posse abici sanxerunt ante consonam insequentem (ut habent adhuc Cicero, Lucretius, Varro ex. gr. in fine hexametri 'e fontibus magnis') damnaueruntque proinde etiam illa 'dictust, seruust, magnust' passim apud priscos obuia. hac quoque in re ueri est simile eos secutos

esse sermonis cottidiani apud homines urbanos speciem puriorem. eademque cum cura in delectu uerborum cultis auribus probatorum uersabantur. quamquam in hac parte spatium patuit sat magnum et a poematum generibus et a singulorum poetarum indole patriaque. nam ut minuta carmina et epigrammata gaudebant sermonis familiaris uerbis locutionibusque (lectis tamen et quibus homines litteris tincti utebantur), quibus leuiter adspersus hic illic doctus ornatus nec quaesitus peculiarem interdum gratiam praebuit, ita ex. gr. Caluus Romae natus et Catullus Veronensis in huius ipsius sermonis familiaris usu sic sine dubio inter se differebant, ut illius uerba magis urbanitatem recentis temporis, huius magis stilum Terentianum (cf. caput III) non sine prouincialis dictionis admixtione referrent. sed si iam in hac parte cura inpensior procreauit non mediocrem a prioribus differentiam, hoc multo magis usu uenisse necessest in eis poematis, quae summum formae diu castigatae ornatum splendoremque quasi debitum flagitauere: in docta poesi consulto elegantias Alexandrinorum captantes usquequaque arte utebantur noui poetae circumspecta. quae tum primum inuecta non potuit non esse hic illic duriuscula et inplicatior, cum praesertim rhetoricae non ita pridem in scholasticam institutionem receptae regulas pauci tum firmiter tenebant sciteque adhibere callebant (cf. ex. gr. frigidum usum Cat. LXIV 116). interdum igitur parum agiles et insuetiore habitu tamquam tardati incedunt in hac parte cantores Euphorionis, nihilominus dignissimi hercle, quibus et gratiae habeantur maximae ob studia indefessa neque de meritis summis quidquam detrahatur: facilius multo erat posthac Vergilio et Ouidio coaeuisque addere limam ultimam quam illis uiam aperire praemunire solidare. sed sic duce arte uerba componentes anxie sollicite que haud pauca nouabant, quae mollitiae specie offendebant necessario priscorum sectatores. quorum nemo ex. gr. apud Ennium legerat in medio narrationis tenore quale extat Cat. LXIV 289 sq. *inde pater diuum sancta cum coniuge natisque aduenit, caelo te solum, Phoebe, relinquens*: tales inuocationes inexpectatas (nec solum deorum; cf. ibid. 253 et IV 13), quae sane descriptionis continuitatem quam efficaci arte interrumpunt, inter fucos et ferrumina *τῶν νεωτέρων* (inde communi consensu recepta et mox abusu interdum taediosa) recte numerat Gellius XIII 27, 3. — aliud nouationis genus ad rem grammaticam pertinens contemplemur, ex diuite necdum dedita opera satis explorato argumento pauca delibantes. eam enim constructionem, quam uulgo uocant accusatiuum graecum, introduxerunt primi cantores Euphorionis in carminibus doctis (minus

in minutis uel epigrammatis); cf. Cat. LXIV 64 et 65, LXVIII[a] 29, Caluus fr. 1 et 13. nam falsum est quod alius alium exscribentes adfirmant uulgo, usus illius iam apud Plautum Enniumque inueniri exempla. quos refutauit Haasius praelectt. II p. 64, qui tamen poetas Augusteos nouationis esse auctores adserens et ipse errat. — tertium exemplum petamus ex uerborum conlocatione. quae cum in ceteris facta est artificiosa et certis regulis subiecta, ita in particulis ab initio enuntiati traiciendis. sic secundo uel alio loco extantia habes 'at, sed, nam, namque' una cum uariis pronominis relatiui formis (cf. comm. ad Cat. c. ad Corn. 9, LI 9, LXIV 43 et 301); quae etsi a priscis scriptoribus non plane sunt aliena*), tamen cantores Euphorionis primi cum consilio et usu latius patente nouabant; eidemque iam in copula 'que' (Cat. LVII 2) et 'nec' (LXIV 210), non tamen in 'et' et 'ac' (cf. Hauptius opusc. I p. 115 sqq.), quae ab Augusteis poetis demum traici sunt coepta, liberiores interdum fuisse uidentur. — non recte autem putant proprium fuisse nouorum poetarum nimium quendam deminutiuorum amorem et ob eam maxime causam illos audiisse molles. reperiuntur eorum apud Catullum sat multa (interdum etiam duplicia, ut 'puellula, oricilla, tenellulus, mollicellus', quin adeo substantiua et adiectiua simul deminutiue sunt formata rariore usu); sed eadem omnium inde ab antiquis temporibus poetarum communia fuere, quin etiam non aliena a prosae orationis scriptoribus, qui uulgarem magis siue familiarem sermonem secuntur (cf. ex. gr. Lorenzius ad Plaut. Pseud. praef. p. 58, Woelfflinus Philol. XXXIV p. 155 sq.); unde apparet τοὺς νεωτέρους retinuisse quod ipsorum rationibus bene conueniret, quamquam pro rei argumento usum temperantes aliquatenus et ex. gr. a grauibus seriisque magis procul habentes. hac quoque in re seueriores extiterunt aeui Augustei poetae.

His quae antea disputauimus perlectis non facile in eam te adduci opinionem patieris, quasi hi poetae fuerint homines scholastici, a uita publica alieni solisque lucubrationibus dediti. aliud te iam dudum docuit duplex illud poeseos et doctae et leuioris genus. praeterea omnia tum a tali ratione umbratili abduxerunt: institutio Romana moresque ueteres uitae non scholae fauentes,

---

*) ueluti nulla adest causa idonea in uerbis Ennii ann. 103 V. *uirgines nam sibi quisque domi Romanus habet sas* interpunctionem accipere Lachmanni 'uirginis. nam' scribentis, cum post singularem illum intellegi nequeat pluralis 'sas', qui cum 'quisque' coniunctus omnino non stat. legas 'uirgine nam s. q. d. R. auet sa', h. e. beatus est. cf. et comm. ad Cat. LXVI 65.

propria Italorum natura, reipublicae status inquietus et turbulentus, Roma ipsa ut deliciis inlecebrisque suis multo magis auocans a studiis assiduis, ita poetis ueris quidem et pectore aperto tot noua spectacula animum intrare patientibus ingentem carminum materiam praebens. quae ingenia excitarent multa tum erant. ueluti si non incuriosi persequebantur animo quae in republica gerebantur, libertas illa sentiendi dicendique uel aduersus potentissimos uiros concessa aluit eam quam Lucilius et priscae comoediae Atticae scriptores sibi sumpserant licentiam; et uidemus ea usos ex publicis (ut probabile est) causis Caluum et Furium Bibaculum, ex priuatis Catullum carminum maledicorum in Caesarem Pompeiumque aliosque nobiles extitisse auctores. et si poetae lyrici necesse habent quibus ad canendum instimulentur amores, morum dissolutio Romae in dies magis serpens amplum patefecit campum, siue libertinarum institutione litteraria lepore uenustate uiros adlicientium uenerem concessam sectabantur illi siue feminarum nuptarum (haud raro nobilium) spretis bonis moribus liberius uiuentium consuetudine furtiua delectabantur: Venus in Aeneae sui urbe (ut ait Ouidius) iam plane regnans canenda amoris gaudia malaque non negauit uatibus suis, sed largiter abundeque subministrauit. omnino uniuersa poetarum Romanorum condicio longe erat felicior quam Alexandrinorum, quos multo uerius uocare potes umbratiles et scholasticos quibusque pleraque inritamenta (quantum iudicare licet) deerant ad poesin ex scholae tenebris in lucem uitae traducendam. sed ut tantos profectus haberent cantores Euphorionis, quantos ante eos unus Ennius et post eos uix adaequabant magna illa temporis Augustei lumina, in eo potissimum est positum, quod haec studiorum ratio tota nitebatur ingeniis splendidissimis propositique optime tenacibus, ex senioribus maxime Furio Bibaculo et Valerio Catone, ex iunioribus Catullo Caluo Cinna Ticida Cornificio Ansere. quorum carmina cum celeriter in deliciis essent, summos reipublicae uiros mox rationi illi se addixisse uidemus, siue uero amore poesis iam magis culto suo habitu adlicientis ductos siue quia saeculum uocabatur nouis modis ludere tempusque oblectare hendecasyllabis similibusque. sed addebant Iulius Caesar, M. Brutus, Cornelius Nepos, Q. Mucius Scaeuola, C. Memmius totque alii uiri nobilissimi ipso nominis splendore plurimum et gloriae et gratiae nouae rationi, quae illa quidem aetate uix habuit ueros inimicos aduersariosque (nisi forte malos quosdam poetas more antiquo uersus facientes, quales inrisit Catullus Volusium Caesium Aquinum). nam ipse M. Tullius Cicero, etsi quae scripsit epe more Enniano fecit et

data occasione id quod nimium erat facileque ridiculum uidebatur in nouis poetis leni nimirum inrisione castigauit, tamen tantum abest ut inpugnauerit rationem illam (et longe aliae res aliaque studia erant ei agitanda), ut ipse more iam recepto horis subsesiciuis non solum luderet epigrammata amatoria (Plin. epist. VII 4), sed etiam elegiam componere adgrederetur. neque aliter est statuendum de M. Terentio Varrone Reatino, qui in saturis Menippeis fere intra annos 65 — 50 scriptis quae noua metra a scaenicis et Laeuio non adhibita habet ea omnia debet cantoribus Euphorionis. nam quamquam ipse (ut est homo mirifice inter uetera et noua medius, sed ut in illa multo magis inclinet animo) data occasione inridet recentes urbanos (d. r. r. I 2, 1) rariusqne eos adfert inter exempla ex poetis petita (cf. d. l. l. VIII 14 et VII 50, Miscell. nostra Crit. p. 16 sq.), tamen elegantiae poeticae captator non adeo sibi ipse inimicus erat, ut bona ab illis inuenta plane sperneret. immo refugiens quidem mollitiem et lusus amatorios et caecam quae uidebatur Alexandrinorum imitationem et porro in rebus sensisque uerum seuerumque Romanum prae se ferens, tamen lubenter et metra nonnulla (hendecasyllabos, glyconeos, galliambos) a nouis poetis accepit et seueriores rationes metricas; nam quamquam in uersibus iambicis et trochaicis inter ueterum licentias et seueritatem *τῶν νεωτέρων* fluctuare uidetur, haec diuersitas potius repetenda est ex uariis quibus saturae sunt scriptae temporibus; et ipsum Varronem in dies magis inclinasse ad nouiciam rationem probabile est (certum de hac re iudicium ferre prohibet et fragmentorum paucitas et id quod de temporibus singularum saturarum nil constat).

Quidquid id est, cauillationem quidem subierunt cantores Euphorionis et ipsi in ueterum contemptu significando minime parci (cf. in uersibus Hor. sat. I 10 praefixis *fastidia nostra*), non tamen acrem inpugnationem. quae inpugnatio una cum bello uehementissimo demum secuta est tempore proximo Augusteo, cum id quod Cicero et Varro polyhistor fortasse animo praesagiente aliqua ex parte praeuiderant euenit, h. e. cum maiorem semper nancti fauorem noui poetae ita iam tenuerunt animos ut prisci uates in dies magis obruerentur obliuione, cum uiris patriae amantibus ex increscenti nimium in modum Graecorum Alexandrinorumque in litteras patrias praepotentia inminere periculum uidebatur. sed de hac re disserere non est huius loci; nobis iam hoc solum restat, ut quinam a cantorum Euphorionis principalibus Catone Caluo Catullo transitus fuerit ad aeui Augustei uates paucis adumbremus.

Epyllion inter lyrica et epica medium etsi sui ipsius causa est excultum a nouis poetis, quibus ut praecipuum fabulas amatorias tractandi adminiculum semper in honore erat, simul tamen quasi quaedam praelusio habebatur grandis carminis epici digne aliquando elaborandi. Argonautica mente agitata (LXIV 24) quominus adgrederetur Catullus morte est prohibitus. suscepit opus P. Terentius Varro Atacinus, qui, postquam usque ad XXXVum aetatis annum more antiquo saturas et bellum Sequanicum scripsit, conuersa a. a. Chr. 47 ratione (fortasse paruo quem fetus illi iam inuenerunt fauore commotus) se ad Graecorum imitationem contulit et ut alia carmina didactica ita Apollonii Rhodii Argonautica libere uertit in sermonem latinum. et his non minus quam elegiis, in quibus magis proprios amores cecinit (Prop. II 34, 85), et gloriam adeptus est non paruam et in elegia proxime tetigit Cornelium Gallum quique hunc sunt secuti*). postquam Varro Atacinus in libera Apollonii uersione carminis epici iam pro temporibus excolendi facultatem saltim ostendit, hoc perfecit ille, cui soli ex cantoribus Euphorionis proprie uocatis (quorum simul antiquissimus erat) durare licuit usque ad temporis Augustei initium, Furius Bibaculus. is enim circa a. 40 (quantum diuinare licet) scripsit primus epos, quod materiem ex patria historia petitam forma nouicia secundum artem Alexandrinam tractauit: Caesaris, ut uidetur, in Gallia facta persecutus est in 'pragmatiae' siue annalium belli Gallici libris minimum undecim**), qui ut Vario ita mox Vergilio maxime praetulerunt facem ad paria uel similia epe.

---

*) mala aetatis praeeuntis obliuione Ouid. tr. IV 10, 53 elegiam a Cornelio Gallo ortam esse adserit. sed causas huius iudicii explorare difficillimum est.

**) de Furiis poetis lis inter doctos nondum diiudicata. A. Furii Antiatis, Lutatii Catuli amici, uersus nonnullos adfert Gell. XVIII 11 colore prisco adeo insignitos, ut huius nullo omnino pacto esse possint uersus in uniuersum sat elegantes et arte nouicia facti, quos ut Maroni obuersatos Macrobius passim (IV 1, 3, 4) laudat ex Furii annalibus. iam constat Furium Bibaculum non ita multo ante a. 30, quo Hor. sat. II 5, 40 eum ob tumorem inridet, scripsisse 'pragmatiam belli gallici' (cf. Acro et Porph. ad Hor. l. l.). hoc ego opus unum idemque puto cum annalibus Furii a Macrobio, qui breuissime adfert titulum, laudatis. nam nec Horatium exagitare Bibaculum, cui propria nimirum nescioqua causa succensuit, mirum est neque in huius uersibus fuisse nonnullos ob tumorem facile reprehensioni ansam dantes. ceterum quod hoc epos Furii tanto mox premebatur silentio, similis fortasse causa atque in Atacini elegiis, nempe et insequentium perfectio maior et Furii in Caesarem animus inimicus.

Inmortalia cantorum Euphorionis de litteris Romanis merita uix licet melius in fine paucis describere quam si dixero, omnes illos aeui Augustei uates in lyricis elegiacis epicis eminentes famaque tam celebratos plane illis niti illisque magistris ducibusque usos esse. perfecerunt hi posteriores admirabiliter artem cum hexametri tum uero distichi, remouerunt quidquid in uerborum structura et ornatu subdurum minusque gratum utpote in nouae artis initiis erat relictum, ampliorem sibi pepererunt argumentorum poeticorum copiam, magis magisque abiecerunt imitationem et aemuli Graecorum Alexandrinorumque extiterunt in partibus nonnullis superiores: quod ad hoc summum cacumen sine difficultate iam adducere potuere poesin patriam, unis solisque debebant cantoribus Euphorionis.

II.

De Catulli uita, ad quam enarrandam transeo, praeter perpauca ueterum scriptorum testimonia*) nihil nobis traditum est nisi quod ex ipsius poetae carminibus accurata interpretatione erui potest. in quibus tamen adhibendis caue ordinem certum chronologicum obseruatum esse putes; qua de re infra in cap. IV plura.

Hieronymus ad Euseb. chron. a. Abr. 1930 = ante Chr. 87 scribit *Gaius Valerius Catullus scriptor lyricus Veronae nascitur.* cum hoc, quem ex Suetonii copiis hausisse notum est, consentit in praenomine Apuleius apol. 10 *accusent C. Catullum* ectr.: quibus duobus testibus, quorum neuter ab altero pendet, fidem habere nos iubent sanae disquisitionis historicae praecepta omnia. nam Quinti praenomen, quod uulgo dant poetae nostro, non nititur nisi Plinii

---

*) extat in Catulli editione a. 1472 facta haec uita: *Valerius Catullus, scriptor lyricus, Veronae nascitur Olympiade CLXIII, anno ante natum Salustium Crispum, diris Marii Syllaeque temporibus, quo die Plotinus latinam rhetoricam primus Romae docere coepit. amauit hic puellam primariam Clodiam, quam Lesbiam suo appellat in carmine. lasciuiusculus fuit et sua tempestate pares paucos in dicendo frenata oratione, superiorem habuit neminem. in iocis apprime lepidus, in seriis uero grauissimus extitit. erotica scripsit et epithalamium in Manlium. anno uero aetatis suae XXX Romae moritur, elatus moerore publico.* haec non dubito quin doctus saeculi XV Italus consarcinauerit male ex Hieronymo et breuiore quadam Catulli uita simili illius Tibullianae, quam per medium aeuum circumlatam in ultima origine ad excerptum ex Suetonio factum redire uerisimile est. insunt nonnulla uerbis illis, quae nec tum Italus ullus scire potuit (ueluti de Clodia puella 'primaria') et mire ad Suetonium adludunt (ueluti in iudicio).

h. n. XXXVII 6, 81 codicibus nouiciis interpolatisque, unde Catulli libri pessimi (Datanus cum similibus) arripuerunt illud et Scaliger LXVII 12 (ubi uide) malam coniecturam finxit (cf. omnino Schwabius q. C. p. 5 sqq.). de nomine porro gentili constat ex Suet. Caes. 73, Porphyr. ad Hor. sat. I 10, 19, quibus fortasse accedunt Varro d. l. l. VII 50 (cf. Miscell. nostra crit. p. 17) et Charis. p. 97 K. nota est gens Valeria ex historia Romana; unde ortus nescioquis iam pridem in Gallia Transpadana fixisse uidetur sedem. certe Valeriorum late in illa regione sparsorum saepius mentionem faciunt tituli; familiae Catullorum casu non occurrit memoria antiquior, postea numquam plane est abolita (Eckhelii doctr. num. V 333, Gruteri inscr. 314, 3 et 480, 5, Plin. epist. IV 32). hoc uero cognomen ipsum 'Catŭllus' siue more prisco scriptum 'Catūlus' (quod per 'u' longam discernitur a 'Catŭlus': cf. quae Fleckeis. ann. 1883 p. 791 disputaui) et ex poeta ipso (cf. ad VI 1) constat et ex crebris aliorum scriptorum sic potissimum eum appellantium locis. de patria sua quamuis noster non uerbis disertis loquatur (XXXIX 13 Transpadanos uocat 'suos'), Veronensem tamen eum fuisse confirmant Ouid. am. III 15, 7 *Mantua Vergilio gaudet, Verona Catullo,* Mart. XIV 195, alii haud pauci, quorum nonnulli simpliciter eum uocant 'poetam Veronensem', ut Macrob. II 1, 8. denique nulla causa adest, cur fides Hieronymi annum a. Chr. 87 natalem Catullo adsignantis in dubium uocetur (Lachmani Hauptiique rationes postea, ubi de morte poetae disseremus, breuiter perstringentur).

Catulli familia diues et inlustris fuisse uidetur, siquidem Iulius Caesar Veronae commorans hospitio patris illius utebatur; eademque non procul a Verona in paeninsula Sirmione possedit uillam (XXXI). ceterum ex hac familia praeter patrem et unicum, ut uidetur, poetae fratrem in Troade anno fere 60 mortuum nouimus neminem. aeque ignota sunt omnia de pueritia primaque usque ad sumptam togam uirilem aetate, quam Catullum Veronae degisse ueri est simillimum: nec quibus magistris imbutus sit litteris scimus nec quando primum Romam se conuerterit. in hac autem urbe sedem suam fixit aliquot ante a. 60 annis (ut apparet ex carmine LXVIII[a] 34 sqq. circa hoc tempus scripto), fortasse a. 65. et probabile est non reipublicae capessendae aut fori usum nanciscendi causa eum Romam uenisse, sed ut totum sese dederet studiis poeseos, sicut permisit res eius familiaris (ex c. XLIV uidemus eum fundum possedisse Tiburtinum, nec ioci aperti, ut XIII 8, contrarium adserunt). Romam quippe contenderunt tum omnes, qui animo

altius euolante et perfici institutione litterarum et nomen honoremque consequi cupiebant; ut antea posteaque, sic illo tempore prouinciae maxime suppeditabant ingenia in litteris eminentia Romae, quae ex sua parte excolebat ea et laude gloriaque nusquam facilius inuenienda exstimulabat. una Gallia Transpadana tum Romam misit Cornelium Nepotem, Valerium Catonem, Furium Bibaculum, Quintilium Varum, Cornificium; quos praeter Bibaculum omnes utpote conterraneos inter Catulli nostri amicos fuisse eius carmina testantur. inter cuius ceteros familiares Romanos erant haud pauci uiri nobiles clarique, L. Manlius Torquatus (LXI 16), Hortensius Ortalus orator (LXV), Caluus supra iam commemoratus, Asinius Pollio (XII 6), ut alios minus quidem notos sed poetae nostro aeque caros, ut Veranium et Fabullum*), omittam. sic amicorum dulcium consuetudine fruens uitaeque urbanae gaudia deliciasque animo iuuenili percipiens Catullus incumbebat inpellente naturae indole studiis poeseos, ad quam tendenti idoneos magistros subsidiaque litteraria Roma abunde praebebat, donec ea femina, quae cum illius nomine in omne est coniuncta tempus, poetam scholae subtractum sui fecit iuris excitando in illo proprii ingenii ignem.

De Lesbiae persona quaestionem grauissimam (nam plurimorum carminum et intellectus et ordo chronologicus inde pendet) adorientibus nobis praemittenda sunt nonnulla magis in uniuersum spectantia. etsi alii poetae (uelut Horatius et Ouidius) saepe in poematis suis fictas libere puellas adloquantur nominibus mentitis, Catullum tamen (ut similiter Tibullum Propertiumque) non cecinisse nisi quae ipse sit expertus plane apparet ex eius carminum colore atque indole: adeo ubique et in personis occurrunt nobis imagines non uanae ac sanguine carentes sed uiuae uegetaeque et in dictis sensisque eam habemus ueritatem, quam nulla ars atque meditatio, sed sola uita procreat. amoris enim gaudia doloresque ut ipse animo percepit sic uersibus mandauit Catullus neque addens quidquam neque detrahens, sed semper quidquid cor mouit id exprimens solum: meditandi de his malis laetisque latiusque ea persequendi artem (ex. gr. Propertio familiarem) homo simplex non calluit. sic ex cyclo carminum ad Lesbiam pertinentium certissime nobis ratione procedentibus historiam amoris illius licet detegere.

---

*) nisi forte et hos amiculos dulcissimos ex eadem regione ortos iam a puero cognitos habuit dilexitque Catullus. ceterum carmina ad eos missa, quod ad tempus attinet, ita sunt distinguenda, ut ad annum 61 fere IX (XII), XIII et (ut suspicor) VI pertineant, ad a. 55 XXVIII et XLVII.

quae res sane permagnis inpedita foret difficultatibus, si rectum esset quod Ouidius dixit trist. II 429 *nec contentus ea* (Lesbia) *multos uulgauit amores, in quibus ipse suum fassus adulterium est.* uerum enim uero Ouidius pro suo proposito et exaggerauit nimis rem nec tempora distinxit. hoc enim ex reliquae poetae nostri uitae contemplatione satis certum est, omnes amores, quos praeterea ille sectatus est, post Lesbiam habuisse locum; et 'multi' illi amores (sic enim intellege 'adulterium', cf. Hor. od. I 33, 9 et 36, 19, alia) sunt Ipsimilla, Aufilena, Ameana, Iuuentius: in sui argumenti fauorem non nimis accuratum fuisse poetam Sulmonensem intellegis. itaque, si leuiores adulescentuli amores omittimus (LXVIII[a] 17), usque ad iter Bithynicum a. 57 factum una solaque Lesbia Catullum tenuit deuinctum: hanc sincere atque ex animo dilectam (cf. LXXII 3 sq.) cum ea fide (LXXXVII 3) amauit, ut praeterea nullam feminam attingeret. quam rem, si ipsius amatoris uerba non satis tuta uidebuntur, indubitatam reddit furor ille atque pertinacia, qua de retinenda sibi Lesbia bella pugnauit noster acerrima. hinc autem prudentibus et acutis iudicibus non potest esse ambiguum, quaenam carmina amatoria, in quibus tacetur Lesbiae nomen, ad hanc tamen pertineant: omnia poemata ad eam data siue de ea scripta colore sunt inbuta peculiari, qui non ita difficile possit agnosci, modo in huius poetae animum moresque te insinuaueris. accedit ad hanc rem, quae aliqua ex parte nititur sensu, accurata illa et seuera interpretatio: hac uti si nossent, numquam quin c. LXVIII[b] ad Lesbiam pertineat dubitatum esset, numquam de c. VIII tam mirificas protulissent opiniones. hac igitur uia procedentes ita de Lesbia disputabimus, ut singula carmina ex se ipsis explicata*) caute inter se nectentes huius amoris persequamur historiam, arcessitis quae aliunde accedunt testimoniis.

Feminam nuptam fuisse Lesbiam, conligitur ex LXVIII[b] 11 sq. (cf. et ad LI 14 sqq.), confirmatur plane eiusdem carminis uu. 106 sq., conuincitur loco Propertii II 32, 87 *haec quoque lasciui cantarunt scripta Catulli, Lesbia quis ipsa notior est Helena*; numquam enim Propertius Lesbiam cum Helena potius quam cum qualubet alia heroide comparauisset, nisi illa nupta eademque celebri loco nata fuisset. neque deest plane antiquom eius rei testimonium; certe huc refero quod ad Iuuen. 6, 7 scholia adnotant Pithoeana *matrona quaedam plangens caeca facta est,* quod ex eodem fortasse fonte

*) uidendus est ad singulos locos mox adferendos commentarius: hic summas ubique rerum proferemus.

atque illud in uita lectum 'puellam primariam Clodiam' profluxit. neque ulla sententia magis auersis Musis est excogitata quam qua Lesbiam meretriculam fuisse uulgarem quidam*) sunt opinati. nihil enim in omnibus carminibus ad Lesbiam spectantibus quod huic sententiae faueat adest, quae eam inpugnent diligenter intuenti reperiuntur multa. ueluti qui ceteros qui amores cecinerunt poetas latinos, puta Ouidium Tibullum Propertium, bene habent cognitos, non ignorant quam multi illi sint in querellis de puellarum suarum adsiduis nimiisque postulationibus. ipse quoque Catullus, cum postero tempore alios sectaretur amores, c. XXXXI enormi pretio sese uendere uelle Ameanam acerbissime queritur (cf. et CX); sed in tot poematis ad Lesbiam datis de hac re ne unicum quidem uerbum reperitur. neque hercle Allium, si de uulgo fuisset leno, tot uersibus magnificis (LXVIII[b]) celebrasset poeta; qui praeterea cum meretrice famae non consulente conueniendi locum aptum in quauis taberna fuisset inuenturus. nimirum ad Lesbiam recte aestimandam bene est distinguendum inter feminam, quae corpore faciat quaestum, et eam, quae effrenata libidine acta omnibus sese prostituat. ex Catulli poematis apparet, Lesbiam fuisse mulierem nuptam, nobilem, pulcram uenustamque (LXXXVI), facetam lepidamque (XXXVI), poesis amore flagrantem (cf. quae mox de eius nomine dicentur), sed eandem initio quidem non sine dubitatione animique scrupulis infidelem marito, mox liberius uiuentem nec uno amatore contentam et magis magisque corruptam omnium factam esse amicam. multis iam haec Lesbia in memoriam reuocauit Semproniam illam, de qua Sallust. Cat. 25, 2 scribit *haec mulier genere atque forma, praeterea uiro, liberis satis fortunata fuit; litteris graecis et latinis docta, psallere saltare elegantius quam necesse est probae, multa alia, quae instrumenta luxuriae sunt; sed ei cariora semper omnia quam decus atque pudicitia fuit; pecuniae an famae minus parceret haud facile discerneres; lubido sic accensa ut saepius peteret uiros quam peteretur; sed ea saepe antehac fidem prodiderat, creditum abiurauerat, caedis conscia fuerat, luxuria atque inopia praeceps abierat; uerum ingenium eius haud absurdum: posse uersus facere, iocum mouere, sermone uti uel modesto uel molli uel procaci: prorsus multae facetiae multusque lepos inerat.* neue mireris, feminam nobilem tam inmani modo atque in c. LVIII descriptum est potuisse deprauari, reminiscenda est itidem a multis comparata filia Augusti

*) ARiesii post alios opinionem hanc in Fleckeis. ann. 1872 p. 747 sqq. expositam reieci Anal. Catull. [Ienae 1874] p. 3 sqq., unde quae in rem erant hic repetiui.

Iulia, de qua Seneca d. ben. VI 32, 1 *admissos gregatim adulteros, pererratum nocturnis comissationibus ciuitatem, forum ipsum ac rostra, ex quibus pater legem de adulteriis tulerat, filiae in stupra placuisse, cottidianum ad Marsyam concursum, cum ex adultera in quaestuariam uersa ius omnis licentiae sub ignoto adultero pateretur* ('peteret' uulgo). neque talis morum deprauatio a fine liberae reipublicae aliena, ut Muciae, Pompei uxoris, exemplum (CXIII), fortasse et Postumiae (XXVII 3), ostendit.

Catullum Lesbiae amori, ubi semel hic mentem illius rudem et uero amore nondum tactam inuasit occupatamque tenuit, non leui animo indulsisse, sed secum pugnasse et reluctantem dei urguentis imperio cessisse nos docent uersus tenerrimi LXVIII^b 13 sqq.; neque postea iniuriae alienam uxorem appetendo factae memoria eum reliquit (LXVIII^b 38). sed frustra sese incusat temeritatis et licentiae uetitae, frustra a philosophia (a qua abhorruit mente) opem auxiliumque in aestu suo petiit (LI 13 sqq.): uis uehementiaque affectus eum mox adegit ad amorem suum Lesbiae profitendum in carmine LI, quod ex ode quadam poetriae Lesbiae Sapphus (quam Lesbiam Romanam maxime in deliciis habuisse hinc concludendum est) in latinam linguam est conuersum, nisi quod in fine unam strophen a plerisque non intellectam de suo adiecit poeta, in qua animi inter spem metumque dubii et suae sibi audaciae conscii statum egregie expressit. feminam quoque in initio certe probam honestamque uidemus per aliquod tempus officii erga maritum memorem restitisse precibus cupidi amatoris. qui quo magis intellexit, Lesbiam amori suo respondere amore (XCII), eo minus dubitauit ad sollemnes descendere artes, quibus tum oppugnabant mulieres pertinaciores (ueluti maritum eius ut fatuum deridet c. LXXXIII). hoc autem tempus, quo mutuis illi animis amant amantur clam et sine conueniendi secure occasione, dulcissimum c. I ob oculos nobis ponit. subuenit mox miseris domumque suam, ubi conuenirent exercerentque amores, aperuit Allius quidam (LXVIII^b 26 sqq.), communis fortasse amicus, certe poetae, qui postea huius temporis suauissimi in Allii domo peracti saepius recordabatur animo lubenti gratoque. sed breue fuit spatium illud felix, quod pauca poematica (V et VII) testantur et per quod non possunt non scripta esse carmina ad Fabullum et Veranium ex Hispania reduces spectantia (IX, VI, XIII), in quibus obiter puellae suae facit mentionem.

Acerbo fortunae casu amor ille subito disruptus est eo quod Catulli frater dilectissimus incertum quo modo in Troade mortem

obiit. quo dolore perculsus poeta noster siue patris orbati consolandi causa siue urbe relicta solitudinem petiturus contendit Veronam. hic quam diu sit commoratus nescimus; sed et tempus et artis poeticae studium paulatim lenierunt saeuum eius dolorem. et in carmine ad Malium quendam dato LXVIII[a], in quo primum aemulari studuit artem Alexandrinam parum et exercitate et feliciter, uulnere adhuc aperto aegrotum eum refugere lusus et amoris et poeseos uidemus; sed ipso uersus faciendi amore semel resuscitato mox his studiis nouis et ob difficultates adlicientibus incubuit strenue; cuius rei documentum extat conuersus in sermonem latinum Callimachi *πλόκαμος Βερενίκης*, carmen LXVI, quod praeposita epistula (LXV) Ortalo amico misit Romam. iamque etiam ad res Venereas suumque amorem sensim reflectere animum coepit. nuntiauerat ei incertum quis amicus, Lesbiam perfidam nec uno amatore Catullo iam contentam uiuere. quibus rumoribus etsi non multum tribuit poeta dolore etiamtunc zelotypiam mitigante (LXVIII[b] 95 sqq.), tamen est incitatus ut Romam rediret. quod consilium aperuit carmine LXVIII[b] pulcra arte composito, quod ad Allium quidem misit, sed quod per hunc etiam Lesbiam lecturam esse certo scit (cf. ibi comm. in fine). ceterum fratris erepti dolor ferus atroxque, quem prae se ferunt cc. LXVIII[a] et LXV et LXVIII[b], iam in tenerum lenemque mortui amorem abierat, cum anno 57 fratri in Troade sepulto iusta persoluit: intercedens temporis spatium non ita paruum dolorem illum recenti plaga saeuientem iam mitigauerat. itaque ab hac quoque parte eo peruenimus, ut annis fere 60 et 59 Veronae fuisse Catullum statuamus (unde initium amoris cum Lesbia annis 62 et 61 adsignatur).

Romam ubi rediit, rumores antea parui ductos ueros esse Catullus non sine acerbo dolore agnouit. cum enim puellam suam uellet conuenire, haec recusauit. ira simul ac dolore superatus ille ad eam misit iambos trucissimos (c. VIII, ubi u. comm.), a beati olim temporis recordatione incipientes certumque poetae consilium ualedicendi in omne tempus Lesbiae prae se ferentes, sed simul descriptione puellae nunc desertae desolataeque exhibita indicantes, ob atrox quoddam facinus eam ab omnibus uitari fugique. ueram autem causam, cur a Lesbia sit relictus, mox comperit: Rufum quendam, antea poetae amicum optimum, illa adamare coeperat. ad hunc Rufum missum est c. LXXVII, quo perfidum amicum ereptorum bonorum suorum omnium ita incusat Catullus, ut facile et de Lesbia agi et Rufum primum eam subripuisse intellegamus. sed hac incusatione non contentus acriora in illum tela

coniecit poeta, qualia acerbitas animi summa ei subministrauit. nam ut ridiculum redderet aemulum eiusque taedium moueret puellae, Rufum turpiter hirco laborantem finxit (LXIX). est omnino in hac altera, quae iam incipit, amoris illius parte haec ratio riuales inpugnandi a Catullo adhibita, ut homines, quos passim a Lesbia sibi praelatos uidit, siue ob corporis uitia siue ob morum deprauationem contemptos inrisosque redderet: quem poetam ob animi sensa tenerrima modo diliximus, eundem in hac re tam sui disparem in caeno sordibusque omnibus uersari ad opprimendos aduersarios miraremur, nisi indignationis odii irae stimulis ab amore feminae illius insano subditis eum exagitatum furere in propatulo esset. deinde nec hoc neglegendum est, plerosque riualium istorum re uera fuisse homines abiectos, feminae perditae amatores perditos. sed in hac puella sua cum nondum posset obliuisci illam primi temporis Lesbiam adhuc uerecundam totamque unius Catulli amori deditam, sed eam indignam haberet istis amasiis uilibus ac nequam quosque ipse ut se longe inferiores pati non posset sibi praeferri in amore, hinc iambis eius maledicis nata est rabies illa, qua inter Graecos Archilochum inuectum esse atque perculisse aduersarios suos animo nobis fingere consueuimus.

Sed praecepimus tempus mox insecutum. Rufo enim eo quo dixi modo inpugnato Lesbia siue ab hoc deserta siue hunc ipsa deserens in gratiam rediit cum poeta, qui gaudibundus ignoscere puellae infidae non dubitauit, ut declarat c. CVII, quod ille laetitia restitutae sibi amasiae recenti scripsit, paulo post non sine acerba illius perfidiae memoria ut persistat in fide admonens puellam deosque orans ut foedus amoris denuo ictum seruare ea possit, c. CIX. et uidetur breuissimum per spatium uetus amor rediisse, siquidem pristinum animi hilaritatem redolet c. XXXVI; quamquam iam tum dubitationes leues poetae animum intrauere (LXX); hoc praeterea adnotatione dignum est, mariti antea saepius commemorati inde a reconciliatione illa non fieri mentionem. uerum a fide, quam promiserat Catullo restituta, Lesbia non stetit. sequebantur iam bella cum riualibus atrocissima supra adumbrata: quo maiore cupiditate mulieris ob redintegratam notitiam tenebatur, eo minus alios huius amoris lectique socios tolerare ualuit. et ipse pugnandi ardor furorque magis magisque eum exacerbauit ulteriusque abripuit. huc pertinent carmina in Gellium (LXXIV, ubi u. comm., LXXX, LXXXVIII—XCI, CXVI, quibuscum coniunctum uidetur epigramma in Gallum LXXVIII), porro in Lesbium (LXXIX et forte LXXVIII^{b}) in Rauidum (XXXX), in Egnatium (XXXVII

et XXXIX). firma quippe per omnia haec bella tenebatur spe reducendae ad meliorem uitam mulieris; paulatim demum perspexit eam, quam appeti ab hominibus indignis putauit, ipsam indigne appetere amasios; et cum se ex sua parte omnia bona in Lesbiam contulisse sibi esset conscius (LXXXVII), sensim eius animum inuasit odium ingratae mulieris, quamquam illud etiam tunc pugnans cum amore. quae affectuum repugnantia ut magis incendit pessumdeditque poetam (LXXII, LXXXV, LXXV), ita eum finem habuit, qui relinquebatur unicus uiro quidem probo suique memori: aegre et uix tandem ex corde suo radicitus euolsit Catullus amorem turpis feminae iam se indignum (LVIII et LXXVI); utque ex uulnere accepto sanaretur, Memmium propraetorem in Bithyniam prouinciam est comitatus anno 57.

Iam haec Lesbia quaenam fuerit si quaerimus, fictum esse nomen ipsum constat diserto Ouidii testimonio hoce [trist. II 427] *sic sua lasciuo cantata est saepe Catullo femina, cui falsum Lesbia nomen erat.* in hac quoque re Alexandrinorum morem secuti esse uidentur poetae latini, ut puellas suas sub falsis canerent nominibus, non earum famae parcentes (quippe notae plerumque hae feminae erant et facile a peritis agnoscendae), sed ut magis eas secernerent a uulgo et ex uitae cottidianae labe submotas exemptasque quasi attollerent ad puras aetheris auras, ne ea quam ipsi praedicabant coloribus splendidissimis, si nimis facile cum uera compararetur, iaceret sorderetque*). sed eam legem in fictis his nominibus inponendis poetae amatorii (non satirici: Maduigius opusc. I p. 67) obseruabant, ut falsum nomen cum uero congrueret in syllabarum et numero et quantitate, ut agnouit Bentleius ad Hor. od. II 12, 13. eligebant autem illi nomina ea, quae indoli naturaeque amasiarum conuenirent. nam cum eis maxime feminis capi tenerique se paterentur, quae poeseos amorem aliquo modo prae se ferrent et, si non ipsae facerent uersus, tamen hos intellegerent magnique facerent uates, tamquam socias studiorum suorum ita eas praedicabant, ut nomina inderent cum poesi hoc uel illo modo cohaerentia. ueluti ex Apollinis cognominibus appellatae sunt Leucadia a Varrone Atacino, Lycoris a Cornelio Gallo, Delia a Tibullo, Cynthia a Propertio; magisque etiam aperta est res in Ouidii Corinna: poetriae Graecae nomen in puellam Romanam est translatum. eodemque plane modo Catullus suam mulierem uocauit Lesbiam siue Sappho,

*) cf. OIahnius in actis societatis litterarum Saxonicae 1 (1850) p. 420 sqq. dolendum est non extare opusculorum Iahnii minorum collectionem.

amcrem poeseos et uersus faciendi artem hoc nomine in illa praedicans. neque miraberis, hac arte tum instructam fuisse feminam Romanam, si recordaris aut Semproniae Sallustianae aut Cynthiae Propertianae. et potest ex fontibus uetustis hausisse Sidonius Apollinaris haec scribens epist. II 10 Sirm. [= II 14 p. 238 Bar.] *reminiscere quod saepe uersum Corinna cum suo Nasone compleuit, Lesbia cum Catullo, Caesennia cum Gaetulico, Argentaria cum Lucano, Cynthia cum Propertio, Delia cum Tibullo.* quod ut sit fictum, tamen non sine ratione Lesbiam uocitatam esse Catulli puellam, carmen LI ex Sapphus ode quadam conuersum aperit: certe amore Lesbiae poetriae illa flagrauit.

Quae femina sub ficto hoc nomine lateat, docet Apuleius, qui simile crimen ab accusatoribus obiectum sic diluit apol. 10 [p. 15 Kr.] *eadem igitur opera accusent C. Catullum, quod Lesbiam pro Clodia nominarit, et Ticidam similiter, quod quae Metella erat Perillam scripserit, et Propertium, qui Cynthiam dicat Hostiam dissimulet, et Tibullum, quod ei sit Plania in animo, Delia in uersu.* hanc autem Clodiam cum alii libertam aliquam uel seruam, utique meretriculam, esse putarent plane inprobabiliter, ut iam supra monui, contra alii certam quandam feminam nobilem et ex historia temporis illius bene notam agnoscebant; et postquam olim Muretus AStatius PVictorius [uar. lectt. XVI 1] primi rem perspexerunt, nostro saeculo praeeunte breuissime Hauptio [opusc. I p. 80] et accuratius inquirentibus Helbigio Iungclauseno Schwabio (q. C. p. 53 sqq.) aliisque plerique omnes in hoc consentiunt, Lesbiam Catulli fuisse Clodiam istam quadrantariam, ex Ciceronis maxime Caeliana notam. huius igitur historiam, in quantum opus erit, nunc enarrabimus.

Claudia siue (ut uulgo uocabatur) Clodia*), ex uetusta nobilique gente Claudiorum orta (filia quippe Appii Claudii Pulcri cons. a. 79), nata anno fere a. Chr. 94, soror maior P. Clodii tribuni plebis, incertum quo anno nupserat propinquo suo Q. Caecilio Metello Celeri, praetori a. 63 et consuli a. 60, uiro reip. amantissimo et senatus defensori acerrimo, sed eidem superbo fatuo inani (Cic.

*) Claudia uocatur unico loco, ubi ante a. 60 nominatim commemoratur, in epistula a Cicerone a. 62 ad eius maritum data, ad fam. V 2, 6. a. 60 cum frater P. Claudius Pulcher, ut tribunatum adipisceretur, ad plebem transiret seque iam Clodium appellaret (hinc explica Dionis uerba XXXVII 16 *Πούπλιός τις Κλώδιος, ὃν Κλαύδιόν τινες ἐκάλεσαν*), soror Claudia apud eum habitans et per omnia ab eius partibus stans uocabatur et ipsa Clodia, ipsis turpibus rumoribus de Clodio et sorore circumlatis huius transnominationis causam praebentibus.

amicus 'non hominem, sed litus et aerem et solitudinem meram' uocat, ad Att. I 18, 1, simul ad sterilitatem hominis adludens) minimeque apto marito eius feminae, quam indicant omnia perquam facetam lepidamque fuisse. dignam certe eam habebant amicitia sua T. Pomponius Atticus, uir integer atque elegans (Cic. ad Att. II 9 sqq. passim), atque ipse adeo Cicero; qui cum nondum cum fratre Clodiae inimicitias gerere coepisset, lubenter simul cum ea fuisse uidetur, illo praesertim anno 62, quo Metellus Galliae proconsul procul erat a Roma; unde miros illos de nuptiis inter Clodiam nostram et Ciceronem contrahendis rumores, de quibus narrat Plutarchus (Cic. 29), ortos esse probabile est. et saepius praedicat Tullius feminae formam Iunoniam et oculorum ardentium flagrantiam (cf. et p. Cael. 20, 49, d. har. resp. 18, 38), eam *βοῶπιδα* uocans, ad Att. II 9, 1 et saepius; qua appellatione simul satis maligne adludit ad fabulas quasdam, secundum quas P. Clodius cum hac potissimum sorore olim incestum fecisse narrabatur (Plut. Cic. 29, Cic. d. dom. 34, 94, p. Cael. 13, 32 et 32, 78, saepius; schol. Bob. ad Cic. Sest. 54 p. 304 Or. *Clodiam generis patricii feminam, sororem huius, cum qua et ipse infamis erat, ueteres litterae tradunt studiosam fuisse saltandi profusius et inmoderatius quam matronam deceret*). quidquid id est, nihil quod probosam reddiderit Clodiam nobis traditur ante a. 60, quo Metellus (qui a. 61 Romam redierat) consulatum gessit. tum demum de iurgiis inter maritos ortis aliquid scribit Cic. ad Att. II 1, 5 *ego illam* (Clodiam) *odi male consularem; ea est enim seditiosa et* ('ea' codd.) *cum uiro bellum gerit, neque solum cum Metello, sed etiam cum Fabio, quod eos mihi esse amicos moleste fert.* ecce Ciceronis amicitiam in odium conuersam. cuius rei causa ut fortasse Terentiae uxoris zelotypia (Plut. l. l.) erat, ita certo rixae illi exortae cum P. Clodio, a cuius parte stetit Clodia soror etiam contra maritum, qui eum ad plebem transiturum acerrime inpugnauit (Cic. p. Cael. 24, 60, d. har. resp. 21, 45, Dio 37, 51): hinc utpote in rebus ad remp. pertinentibus dissentiens a uiro consule 'male consularis' dicitur Clodia. quae anno insequenti, cum subito Metellus e uiuis abiret (cf. Drumannus h. R. II p. 380), facile incurrit in suspicionem ueneni ei dati ob has ipsas cum marito rixas: quo iure haec suspicio, in qua identidem promenda et Cicero (p. Cael. 24, 59 sq.) et Caelius*) postea

*) Quintil. VIII 6, 52 *allegoria, quae est obscurior, aenigma dicitur .. quo tamen .. utuntur .. et oratores nonnumquam, ut Caelius 'quadrantariam Clytemnestram et in triclinio coam, in cubili* ('cubilo' codd. probi) *nolam': namque et nunc quidem soluuntur et tum erant notiora, cum*

multi erant, in eam sit sparsa, dubium plane est: ab inimicis et excogitatam et peruulgatam illam esse equidem lubenter credo. molesto inuisoque uiro iam libera Clodia abhinc uixit apud fratrem in monte Palatino. ibi tum simul habitabat M. Caelius Rufus, inter oratores illius temporis nobilis, qui fere a. 88 (incertum quo loco) natus*) postquam tirocinio fori M. Licinio Crasso et Cicerone magistris peracto a. 61 Q. Pompeium Rufum proconsulem in Africam prouinciam comitatus est, a. 60 Romae coepit foro operam nauare accusando C. Antonium Hybridam (Cic. p. Cael. 31, 74 et 33, 78); quae causa locum habuit initio a. 59 (Cic. ad Att. II 12, 2, de dom. 16, 41). post hanc (Cic. p. Cael. 7, 18 et 30, 73) Rufus conduxit in Palatio domum ad P. Clodii insulam pertinentem. erat hic Rufus homo pulcher, uenustus urbanusque, libere uiuens: quid mirum, si mox fauente uicinia (maxime hortis communibus Palatinis, Cic. p. Cael. 15, 36) amore mutuo incendebantur Clodia et Rufus? qui amor quamdiu durauerit ignotum est; sed tum, cum exeunte a. 57 (Schwabius q. C. p. 66) Caelius L. Sempronium Atratinum accusauit, non solum finitus erat, sed etiam in interneciuum odium mutatus. cuius odii uim ipse Caelius sensit a. 56 ab Atratino iuniore inpellente Clodia reus factus de ui. qua in causa (locum habuit d. IV mensis Aprilis) et Caelius pro se locutus in actione cuius paucissima adesse fragmenta dolendum est, et Cicero, una cum M. Crasso eius defensor, in oratione pro Caelio seruata ita inuecti sunt in Clodiam, ut eius tamquam alterius Messalinae imago in omne tempus sit inusta turpitudinis nota foedissima. hanc Caelianam, inter Tullii orationum optimas referendam, quantumuis admiramur ob artem eloquentiae consummatam, tamen Ciceronem absoluere nequimus crimine, quod nimium indulserit irae aduersus Clodium et Clodiam, hunc exilii sui causam, illam in exulis familiam inimice se gerentem. nam Ciceroni si credimus, plane meretricis infamissimae pessimaeque uitam gessit Clodia: 13, 32 *quam omnes semper amicam omnium quam cuiusquam inimicam putauerunt*; 15, 36 *habes hortos ad Tiberim ac diligenter eo loco parasti, quo omnis iuuentus natandi causa uenit: hinc licet condiciones cottidie*

dicerentur, aenigmata sunt tamen. designatur dicto acerbo nimirum Clodia conuiuas quidem uestibus Cois pellucidis tamquam Venus maritima induta ad libidinem incitans (nam de coeundi uerbo non puto posse cogitari), sed in cubili cum marito rem habere nolens (refractariola). quibus non minus atque illo 'Clytemnestra' iam ante mariti mortem eam turpibus amoribus indulsisse innuitur, incertum qua fide.

*) cf. de hoc uiro libellus Wegehauptii 'M. Caelius Rufus' Vratislauiae a. 1878 editus.

legas; 16, 38 *nil iam in istam mulierem dico; sed si esset aliqua dissimilis istius, quae se omnibus peruulgaret, quae haberet palam decretum semper aliquem, cuius in hortos domum Baias iure suo libidines omnium commearent, quae etiam aleret adulescentis et parsimoniam patrum suis sumptibus sustentaret; si uidua libere, proterua petulanter, diues effuse, libidinosa meretricio more uiueret: adulterum ego putarem, siquis hanc paulo liberius salutasset?*; 20, 49 *si quae non nupta mulier domum suam patefecerit omnium cupiditati palamque sese in meretricia uita conlocans uirorum alienissorum conuiuiis uti instituerit; si hoc in urbe, in hortis, si in Baiarum illa celebritate faciat, si denique ita sese gerat non incessu solum sed ornatu atque comitatu, non flagrantia oculorum modo et libertate sermonis, sed etiam complexu osculationeque in salutatione [conuiuiis ut non solum meretrix procaxque uideatur]: cum hac si qui adulescens* eqs.*); 23, 57 *in eius modi domo, in qua mater familias meretricio more uiuat, in qua nihil geratur quod foras proferendum sit, in qua lustra lubidines luxuries, omnis denique inaudita uitia ac flagitia uersentur.* praeterea non solum turpe cum fratre Publio incestum obicitur, sed etiam cum gentili quodam Sex. Clodio cunnilingo rem habere Clodia insimulatur 32, 78 (cf. comm. ad LXXIX). denique Cicero mulierem perosam (ut et Caelius) ‘quadrantariae’ nomine designat, adludens ad rem sane quam obscuram; cuius appellationis uulgaris explicatio ‘quae se quadrante unicuique prostituit’ nulla ratione nititur, quamquam quod tradit Plutarchus (Cic. 29 *ἣν Κουαδρανταρίαν ἐκάλουν ὅτι τῶν ἐραστῶν τις αὐτῇ χαλκοῦς ἐμβαλὼν εἰς βαλάντιον ὡς ἀργύριον εἰσέπεμψε*) et ipsum fictum est aperte ab eo, qui rem ignotam utcumque explicare studuit. meliorem interpretationem suppeditat Cicero p. Cael. 20, 62 dicens *nisi forte mulier potens quadrantaria illa permutatione familiaris facta erat balneatori.* lauabantur enim Romae quadrante uiri (Iuuen. 6, 447, Sen. epist. 86, 9), uideturque Clodia aliquando una cum uiris lauasse: quae res sub Caesarum imperio non ita rara tum nouitate sua ita offendere potuit, ut hinc feminae procaci lasciuaeque cognomen illud inditum esse non sit ueri dissimile. hanc rem ita puto Ciceronem perstringere, ut frequenti balnearum usu bonam balneatoris amicam factam esse illam innuat. quidquid id est (nec hoc loco oportet uerba faciamus de obscenissima illa fabula, quae adumbratur 29, 69), hoc satis est memorabile, quod Cicero quantumuis summam eius

*) sic hunc locum difficillimum emendaui in actis gallicis ‘Revue de philologie’ a. 1884 p. 50.

inpudicitiam perstringens nihil tamen de Clodia Metelli uxore in medium profert: lasciuam illam inhonestamque uitam, quam, quidquid de Ciceronis inimica descriptione detrahimus, apertum est uixisse Clodiam, inde ab anno 59 repetamus, cum fratris exemplo malo inducta pudorem omnem plane ea abiecit magis meretricis procacis quam matronae uerecundae more se gerens.

Reliquam Clodiae uitam ut nescimus ita scire nil interest, siquidem iam redeundum est ad Catulli Lesbiam uidendumque, num huic (cui uerum nomen Clodiae fuisse supra uidimus) cum Clodia illa quadrantaria conueniat. sunt autem argumenta, quibus Lesbiam et hanc Clodiam pro una eademque habendas esse sumpserunt uiri docti supra laudati, haec:

I. et Lesbia et Clodia quadrantaria nobili loco ortae erant.

II. Clodia nupta erat Q. Metello Celeri, qui a. 59 medio mortem obiit: Lesbiae quoque maritum fuisse uidimus eumque idem fere circa tempus e medio cessisse ex eis quae de Catulli et Lesbiae post reconciliationem amore disseruimus ueri fit simile. hoc quoque optime conuenit, quod Catullus, qui ante iter Veronense clam aliena in domo exercuit amorem suum, hunc postea libere agitauit: nec Clodia ante mariti obitum neglexit uerecundiam.

III. anno 59 Clodia a M. Caelio Rufo oratore amabatur: Catulli Lesbia cum Rufo quodam rem habuit idque eo tempore, quo Catullus ex Verona Romam rediit, hoc est a. 59.

IIII. Catullus c. LXXIX (cf. ibi comm.) Lesbiam Lesbium quendam cunnilingum, h. e. Clodiam Clodium, sibi praetulisse dicit: Clodia quadrantaria et cum P. Clodio fratre incestum fecisse et Sex. Clodium gentilem turpissimae libidinis, quam Graeci *γλωσσοποιεῖν* uocabulo significant, explendae administrum habuisse dicebatur.

V. Lesbiae magis magisque deprauatae imago a Catullo exhibita congruit cum ea, quam de Clodiae uita libidinosa in Caeliana depingit Cicero quamuis exaggerans.

Quibus argumentis sat tutis ea sententia, qua unam eandemque feminam esse Lesbiam Catullianam et Clodiam Metelli uxorem censent, ad eam probabilitatis gradum, ad quem tales quaestiones adducere possumus, adducta est. nam dubitationes quaedam, quae possunt subnasci, facili opera tolluntur omnes. ueluti quod Clodia illa natu maior erat quam Catullus: tenuit eadem aequalem huius Rufum, et notum est quam multo periculosiores esse soleant hominibus adulescentibus feminae bellae aetate iam prouectae. neque quod Cicero ne unico quidem uerbo tetigit nobilissimum Clodiae

3*

amatorem, cuius uersibus illa etsi sub Lesbiae nomine latens tamen omnibus nota per totam Romam celebrata erat, mirum uideri potest, si et Catullum cum Caelio a Clodia abdicato in gratiam rediisse et tam hunc quam Ciceronem data opera ab orationibus suis procul habuisse sumimus eius mentionem, qui ex misellae feminae amore grauissimum necdum sanatum uulnus acceperat et tum absens degebat (cf. et comm. ad c. XLIX). mitto alias difficultates, quas ipsi sibi docti pepererunt mala interpretatione (ueluti quae falso ex LXVIII^{b} 102 de Lesbiae patre quodam conclusit Broukhusius).

Reliqua nunc est contemplanda uita Catulli, quem iam significaui uulneris ex amore illo inflicti sanationem sibi quaesiuisse itinere longinquo. nam C. Memmius, poeticae et ipse leuiter deditus et poetarum amicus (Lucretius ei suum de rerum natura carmen inscripsit; cf. et supra p. 19), cum uere a. 57 propraetor creatus in Bithyniam prouinciam abiret (Schwabius q. C. p. 159 sqq.), facile Catullus familiaris (ut uidetur) ab eo impetrauit, ut in contubernalium cohorte eum comitaretur. qua in cohorte etiam C. Heluius Cinna fuisse uidetur (ad X 30). et repperit, quantum coniectare licet, quam quaesiuit sanitatem in hoc itinere poeta, ignotas regiones uisendo mentem mirifice recreans exhilaransque. Bithyniam autem petens per Troada (ubi fratris tumulo iusta persoluit, CI, ubi u. comm.) cognouit Idam totamque illam oram fabulis celebratissimam simulque collegit materiam carmini LXIII. quod fortasse elaborauit Nicaeae (quod est caput Bithyniae), ubi maxime per hiemem a. 57/56 degit iucunda usus conuersatione contubernalium una cum eo in Memmii comitatu Roma profectorum. nam cum Memmio ipso, cuius natura in auaritiam contemptumque aliorum prona hic se ostendit pessime, rixae mox exortae sunt, cum propraetor plane neglegens cohortem sibi soli ex prouincia etsi non paupere tamen parum lucrosa conraderet diuitias. non uenerat quidem Catullus in Bithyniam spe lucri faciendi (longe alias causas itineris ei fuisse uidimus) itaque hac spe decipi omnino nequiit; sed cum ipsa res ferret, ut in terra semibarbara cohors penderet tota a praetore, ex. gr. in alimentis et habitatione, etiam is, qui non ditare se expilandis prouincialibus in animo habuit, malam tamen praetoris uoluntatem neglegentiamque supinam cum magno suo incommodo damnoque experiebatur: intellexit Catullus, quam diuersa sit species horum nobilium Romae se poetarum litteratorumque fautores gerentium et in prouinciis sibi solis consulentium, magnumque

illorum concepit odium; neque postea Romam reuersus omisit Memmio referre uicem carminibus acerbis X et XXVIII; in quibus quod lucrum nullum se retulisse queritur, se quoque consulto facit sperantem a praetore quod omnes contubernales ab eo sperabant, nimirum quo acrius iustiusque in eum possit inuehi. sed in hoc rerum statu, quidquid adamauit Nicaeam, laetabatur uere a. 56 aduenire tempus abeundi: ualedixit c. XLVI caris sodalibus Asiae claras urbes uisurus et hinc in patriam rediturus. qui reditus quonam modo usu uenerit nescimus; falso uulgo putant, poetam in Bithynia comparasse sibi phaselum eoque reuectum esse per iter in c. IV descriptum: hunc phaselum non fuisse Catulli pro certo potest haberi. hoc quoque, quamdiu in reditu commoratus sit ille, obscurum est; quamquam eum autumno a. 56 reuertisse Veronam (non uisa Roma) perprobabile est: qua laetitia animi elatus, licet itineris laboribus penitus defatigatus, salutauerit lacum Benacum, ubi in uilla paterna se refecturus erat, ostendit dulce poemation XXXI.

Hieme a. 56/55 Veronae degit Catullus de rebus interea Romae gestis per amicos certior factus (huc refero c. XLIX) iamque animo refecto alacrique partim studiis seueris deditus (tum maxime c. LXIV, si non perfectum, certe incohatum putauerim), partim aetati aliquem ludum concedens et nec iocum lepidum (XVII huic tempori adscribo) nec rumores fabulasque (LXVII) spernens. tum per aliquod tempus Caelius Rufus amicus Veronae degisse uidetur (fortasse hic est amicus ille, cuius cogitationes Catullus uult communicare cum Caecilio Nouicomensi, c. XXXV), quippe cuius fiat mentio in cyclo quodam carminum, quae hoc tempore scripta esse maxime est ueri simile. neque enim omnes feminas propter Lesbiae perfidiam perosus Catullus iterum amoris uim persensit in Aufilena, muliere nupta Veronensi (C 2 et CXI 2): huius fratrem tum amauit Caelius, ipsam una cum Catullo Quintius quidam (C). sed Aufilena, meretrix callida et uersuta, uafre delusit poetam abhinc in amoribus suis perquam infelicem (CX et CXI), sed se amandam tradidit Quintio, quem utpote amicum post c. LXXXII non amplius insectatus est noster, cito ab amore illo desistens.

Vere anni 55 Catullus Romam rediit ibique per sat longum tempus degit. tunc Calui familiarissimi orationi in Vatinium habitae (LIII, ubi u. comm.) interfuit cumque eodem saepius simul erat (L); tunc conuenit Fabullum et Veranium amicos ex Macedonia reuersos (XXVIII, XLVII); tunc Vari uisit lepidam amicam (X); tunc aestate siue autumno Camerium suum per totam urbem an-

helus anquisiuit (LV) cecinitque faustos Septimii amici et Acmes amores (XLV) miratusque est morum deprauationem in dies auctam (CXIII) praedicauitque Cinnae suae Zmyrnam (XCV); tunc denique incidit in nouom eumque sat acrem pueri belli amorem, de quo pauca uerba faciam oportet.

Romas tum uersabatur puer formosus ex nobili Iuuentiorum familia ortus (XXIV 1) in domo Aurelii cuiusdam, cuius hospitio utebatur eodem tempore etiam Furius Pisaurensis (LXXXI 3 sq.). exarsit in Iuuentio Catullus eiusque ocellos basiare cupiens scripsit uersiculos illos, qui pristinum carminum ad Lesbiam datorum ardorem spirant (XLVIII). aduersarium repulsuri Aurelius et Furius, quorum hic et ipse dilexit puerum, huic suspectum reddebant poetam uocando identidem parum pudicum. quos dolos sentiens et in iram inflammatus Catullus hominibus perosis respondet carmine omnium acerbissimo XVI; simulque Aurelium, in cuius tutela erat puer, ne hunc attingat impudice admonet (XV). itaque quem clam impugnare non ualuerant, amicitiae specie usi illi studebant remouere, reconciliaturi poetam cum Lesbia (quae una res Romae hunc amorem locum habuisse ostendit): bonorum istorum amicorum operam in hanc reconciliationem promissam ita ut fortius omnino nequiret recusauit noster carmine XI, quod aestate uel potius autumno a. 55 est scriptum, cum Romae Crassi aduersus orientem et Caesaris aduersus Britannos expeditiones omnium circumferebantur sermonibus. Furio autem, qui amici speciem adsumere pergens mutua ab eo rogauerat centum sestertia, non solum haec denegat carminibus saeuissimae inrisionis plenis XXIII et XXVI, sed etiam eidem perspecto mox absistendi a Iuuentio (XXI, ubi u. comm.) itidemque huic ipsi abdicandi Furium (XXIV) existit auctor. sed quidquid monuit, Furium potius diligere coepit puer (LXXXI) quam Catullum, qui potiundi eo conatum inritum esse uidens tandem destitit (XCIX).

Grauiores etiam rixas poeta Veronam reuersus gessit hieme anni 55/54. quo tempore C. Iulius Caesar, ut solebat hiemem degere in prouincia, Veronae hospitio patris Catulli usus (cf. infra) uersabatur cum magno comitatu uirorum militarium, qui gaudia et oblectamenta in castris diu intermissa captabant auide ut aliis in rebus ita in amoribus sectandis: Venus quam esset coniuncta Marti, tum boni Veronenses admirabantur, iuniores etiam indigne ferebant ob ereptas sibi amicas, quas pretiis enormibus larga manu datis facile sibi comparabant Caesariani praeda diuitiisque affluentes. cum horum aliquo contentio exoriebatur Catullo de Ameana qua-

dam puella Veronensi, nempe cum Mamurra praefecto fabrum, qui ingentibus opibus liberalitate Caesaris congestis ad mulieres Veronenses corrumpendas nimis feliciter utebatur. bilem oppido mouit poetae, cuius animus ex Iuuentii repulsa inritatior fuisse uidetur, quod Ameana nullum poscendi modum tenens, quippe a Caesarianis quidlibet flagitare et accipere consueta, ab ipso decem milia sestertium concubitus pretium postulauerat: non solum hanc Mamurrae amicam proscidit uehementissime (XLI—XLIII), sed etiam fautorem iusto indulgentiorem Mamurrae, Caesarem ipsum, cui ille opes tantas acceptas rettulit, irae plenus inuasit tam iambis illis nobilissimis (XXIX, ex cuius u. 12 de tempore huius amoris constat) quam carmine ueneni pleno LVIII, quo par nobile amicorum exagitauit uexauitque, licentia consimili eius, qua et Caluus et Furius Bibaculus (licet ob alias causas cum rep. cohaerentes) Iulium inpugnauere. non sine causa Caesar has inuectiuas in se ipsum derectas tulit indigne: nihil noster indignationem curans (XCIII) nouos iambos minabatur, cum et Caesar ipse et eius homines libere uiuendi ratione offendere ciues Veronenses non desisterent (LIV): quasi quendam praeconem publicae opinionis propria nimirum ira stimulante Catullus egit. maiorem in hac re se gessit unicus imperator quam inritatus nimium in causa pusilla stomachosusque poeta: *Valerium Catullum, a quo sibi uersiculis de Mamurra perpetua stigmata imposita non dissimulauerat, satis facientem eadem die adhibuit cenae hospitioque patris eius, sicut consuerat, uti perseuerauit* (Sueton. Caes. 73, cf. et Tac. ann. IV 34). facile sine dubio (fortasse patre amicisque monentibus) Catullus perspexit huius in uirum summum inuectiuae peruersitatem; eoque lubentius reconciliari se cum eo passus est, quod ipse uera diuini illius ingenii admiratione tenebatur (cf. XI 10). et, ut par erat, pepercit postea Caesari incessendo; sed non ualuit abicere simul Mamurrae odium, quem abhinc Mentulae sub nomine inpugnare perrexit (XCIV, CV, CXIV, CXV).

Aegrotantem corporisque mala ualitudine laborantem Catullum ostendit iam ipsa uehementia furorque frenis omnibus carens, quo in hac ultima uitae parte et de Iuuentio dimicans et ob personam uilissimam Ameanam iratus inuehebatur in aemulos aduersariosque; et uidere nobis uidemur rapidum quendam inritati facile animi progressum. erupit morbus ille consumpsitque poetam uere, ut uidetur, anni 54 Romam reuersum. quod tempus extremum pauca testantur carmina, quorum uerba tristia hominem male aegrotum ultro produnt (XXX, XXXVIII, LII, fortasse et LX). Romae

mortuum esse Catullum certo constat testimonio Hieronymi, publico eum maerore elatum esse in uita eius (supra p. 22 not.) traditur, incertum qua fide, sed non improbabiliter, siquidem honoris publice poetae nostro tributi documentum extat datum ei hymnum in Dianam componendi munus (XXXIV).

Restat ut paucis uerbis attingam de anno mortis quaestionem. nam Hieronymus ad a. 57 (alii codd. male ad a. 58) scribens *Catullus XXX aetatis anno Romae moritur* aperte est falsus, quippe cum haud pauca nostri carmina adludant ad res post a. 57 gestas, maxime ad a. 55. cum contra nihil inueniatur, quod pertineat ad annos sequentes, qui iambis Catulli, si uixisset, amplam materiam praebituri fuissent*), Hieronymi error ita corrigendus est, ut a. 54 ineunte Catullum e uiuis excessisse aiamus. — pulcre Ouidius [am. III 9, 61] Valerium nostrum in Elysio cum amicissimo Caluo facit coniunctum: *edera iuuenilia cinctus tempora cum Caluo, docte Catulle, tuo.*

III.

Ad Catullum poetam recte aestimandum inter eius poemata docta et leuiora bene est distinguendum. et ab hoc genere leuiore quod ipse sumpsit initium (certe ob has nugas eum iam a. fere 65 publice laudauit Cornelius Nepos, nec ante a. 60 ille Alexandrinorum imitator extitit), id optime nobis ostendit Catulli naturam indolemque: Sappho ceterique, quibus stat poesis aeolica, ob internam quandam cognationem maxime eum adlicuerunt attraxeruntque. ditissimam facultatis poeticae uenam ei indulserat beniuola natura; et adsiduis adulescentiae primae studiis ubi summam perfectamque metra graecanica pangendi artem facilitatemque nanctus est, habuit hoc ingenium splendidum iam formam aptissimam, in quam funderet omnia animi sensa, tristia laeta, tenera amara, lepida dicacia. nec uero ad poetam hunc natum et uersuum faciendorum artificem plane intellegendum neglegendus est Catullus homo. hunc quoque utique oportet suspiciamus bonum et probum, amabilem et candidum, nil ficti falsique in pectore gerentem et sine fucis sensus intimos prodentem, uenustum et pulcra omnia appetentem refugientemque contra inlepida et rustica, amicum bonorum et malorum inimicum, ad certas ueri honestique normas uitam moresque de-

*) hoc optime perspexit Iungclaussenus [l. l. p. 5], qui hinc incredibilem omni a parte Lachmanni Hauptiique opinionem refutauit, secundum quam Catullus a. 77 natus et a. 47 mortuus est.

rigentem; et si hos mores seueri iudices non usquequaque comprobabunt, de Romano agi, non de nostri temporis uate, ne obliuiscantur. ardens et uehemens animus Catullo erat; qui in ea quoque re uerum se exhibuit poetam, quod sanguine calido celerius moto mentis sensibus sobriis ereptis moderationis frena non facile patiebatur, tam in amore dulcissimo quam in odio acerbissimo nimius et, quo magis offendebatur oderatque, eo inritatior iamque irae fines nullos statuens. et ex hoc feruore naturae, quo (ut uidimus) corporis teneri uires ante tempus consumptae sunt, etiam uitia poetae nostri facile explicantur. uixit enim eo tempore et in ea urbe, ubi morum dissolutio atque licentia infinita aequales plurimos corruptione maxima infecerat, ubi nemo ne omnis generis sordibus, etsi non inbueretur ipse, tamen oculos mentemque adsuesceret cauere potuit: mirabimurne Catullum a malis prauisque hominibus siue inpugnatum siue lacessi se opinantem uti eius armis, quibus tum uel optimi uti et solebant, si necesse erat, et sane debebant, si effectu non carere uolebant? ne quis igitur temporum diuersitatem oblitus secundum recentis aeui placita Catullo a labe corruptionis inmuni uertat uitio carmina nonnulla sordidis uerbis rebusque plena: prouocatus ab inimicis, quos ex intimo animo despexit, homo ipse integer purusque inimicitias odiosas exercuit odiose, in contemptu significando quid efflaret pus atque uenenum parum curans. uerum est, eum naturae feruidae impetu abreptum interdum modum excessisse, maxime in inpugnandis ultro uiris tali contemptu indignis; sed quin hoc quoque ille sine fraude doloque malo fecerit dubitare nullo pacto licet. et excusant illum et acerba, quae in amoribus suis expertus est, et ualitudinis status extremis uitae annis in dies peior. sed ut eo unde degressus sum redeam, Catullus hoc ingenio, his studiis, hac natura praeditus non potuit non fieri id quod est factus, scilicet summus quem Roma umquam uidit poeta lyricus, magnis illis Graeciae in eodem genere luminibus aut nihil aut parum cedens; et si in Horatii carminibus lyricis artis consummationem admiramur desideramusque illud naturae infucatae bonum nullis studiis consequendum, contra in Catullo diligimus pulcrum et amabile ingenium ut arte non destitutum ita arti longe superius. nam in his carminibus minoribus poeta ita euoluit sine studiis longe inpensis pectoris cogitationes, ita tantummodo sicut res tulit ipsiusque animus inpulit loquitur, ita quae dicturus est sine negotio uersibus mandat, ut poematia sic leuiter plerumque et ex tempore in cartas coniecta miris deliciis oblectent propter sentiendi ueram sinceramque rationem et elegantiam iudi-

candi omne inlepidum rusticumque perosam et leporem uenustum hilarem iocosum et dicacitatem urbanam salsam acutam et metrorum artem perfectam et uerborum iucunditatem eam, quae carens ornatu quaesito (nec tamen eum fortuitum et a materia ultro suppeditatum spernens) ipsa sua natiua simplicitate animos nostros tenet. et in hac quoque re unicum hoc ingenium suam his carminibus inpressit notam, quod semper uarium semperque soli materiae cum maxime tractandae aptum congruensque est, duce natura sicut argumentum poscit sentiens loquensque et id quod agit toto animo totoque pectore agens. sed ne amore poetae mei disertior fuisse uidear, lubet adponere paucorum aliorum iudicia. Niebuhrii in praelectionibus de historia Romana [Berol. 1846 sqq., III p. 127] haec sunt uerba: *er sucht nicht die Worte, nicht die Formen: die Poesie stroemt aus ihm heraus, sie ist ihm dieselbe Sprache, derselbe Ausdruck, den das Beduerfniss hervorbringt, jedes Wort bei ihm ist Ausdruck des natuerlichen Gefuehls. Er hat ganz dieselbe Vollkommenheit wie die griechischen lyrischen Dichter bis auf Sophokles, und er steht ihnen gleich.* et similiter historicum Anglum Macaulay [Life I p. 468] iudicasse refert Munro: *An admirable poet. No Latin writer is so Greek. The simplicity, the pathos, the perfect grace, which I find in the great Athenian* [?] *models, are all in Catullus, and in him alone of the Romans.* quamquam, quod graecum uocat poetam Macaulay, recte est intellegendum: Italus enim qui est totus in cogitandi agendique modo (etiam in aceto et asperitate), idem in sentiendi altius tenerius humanius ratione longe supergreditur populares plurimos, quippe quem nascentem non minus placido uultu diua Musa uiderit quam olim felicioribus temporibus Sapphonem et Alcaeum similesque. sed, ut iam dixi, haec quadrant potissimum in partis primae tertiaeque carmina leuiora eademque minora.

Longe alia est facies partis secundae, in qua docta poemata (LXI—LXVIII^{b}) sunt collecta. de quorum ratione uniuersa iam in capite primo disserui; hic de Catullo disputaturus praemitto eum in hac parte non ad eum perfectionis gradum peruenisse quam in lyricis. cuius rei causae cum aliae sint (maxime suscepti etiamtunc noui difficultas multo maior), tum ea quod non propria natura noster adductus uidetur ad hoc genus colendum, sed magis scholae placitis. et quamquam in his doctae poesis speciminibus quoque multa pulcra Catulloque digna reperiuntur et pauca carmina (LXII et prae ceteris LXIII) omni ex parte egregia sunt, tamen (si in uniuersum rem spectamus) hic fasciculus non ita

nos tenet deuinctos quam poematia eum cingentia; et nocet plerisque opusculorum illorum sequentis temporis Augustei comparatio. licet autem in his poematis doctis — si a c. LXI recedimus, quod solo ambitu ad librum secundum pertinet et per se potius libro primo est adnumerandus*) — obseruare certum quendam progressum. sine dubio iam antea Catullus studiis priuatis praeter Sapphonem similisque etiam alios poetas graecos alexandrinosque tractauerat, etsi magis obiter; sed maiorem operam Alexandrinis potissimum nauare instituit demum ab a. 61 uel 60, adhortante maxime Ortalo amico (LXV). quorum studiorum fructus cum Callimachei πλοκάμου Βερενίκης in sermonem latinum conuersio (LXVI), tum uero carmina ab ipso nostro hac arte confecta LXV et LXVIII[a] et LXVIII[b] extant (cf. supra p. 28). ut autem LXVIII[a] a tempore primum parua cum arte (dolore nempe ingenium studiumque adhuc praepediente) est compositum, ita omnibus communis est quaedam cum in conformatione enuntiatorum iusto longiorum tum in doctrinae ostentatione et degressionum ambitu abundantia nimia, qualis esse solet discentium magis quam doctorum; parentheses c. LXV et maxime LXVIII[b] insertae iusto extensiores, distichorum ars rudis adhuc et inperfecta, interdum in singulis partibus conectendis durities quaedam inhabilis (cf. ex. gr. in LXVIII[b] unum illud ‘tum’ ad taedium usque repetitum 47, 61, 65, 91), sermo inter prosam orationem et nimis quaesita uerba fluctuans reperiuntur. luxuriam illam compescuere et anni et studia continuata; et quo maiorem operam cognoscendis penitusque inbibendis poetis graecis inde ab Homero usque ad Apollonium Rhodium Callimachum Euphorionem Catullus inpendit**), eo et in arte perfectior et in imitatione magis sui iuris est factus: in eis quae postea facta sunt poematis utriusque rei uestigia ubique cernuntur. nam ut hoc addam, ubicumque in eis Catullo hunc uel illum locum exemplarium graecorum obuersatum esse etiamnunc demonstrare licet, agnoscimus simul imitatorem non seruilem, sed qui ea, quae ex alienis hortis deduxit in suos, propriae indolis nota signauit ipsoque ingenii feruore imitationis uincula molesta plerumque disrupit; et longe errant docti nonnulli, qui ubique

---

*) hoc carmen ante LXVIII[b] scriptum (cf. comm.) docet, quam uere statuam ego (nam priores res latuit), a poesi Aeolica Catullum lento pede transisse ad Alexandrinam publice quoque colendam.

**) cf. diligens dissertatio Ienensis ‘de Catullo Graecorum imitatore’ a CPSchulzio conscripta 1871, Lipsiensis ‘de Catullo Callimachi imitatore’ Pauli Weidenbachii 1873 (Suessius ‘Catulliana’ p. 35).

rimantur Graecorum imitationes, obliti illi, quam multa (praesertim in uerbis et locutionibus) poetarum cum anteriorum tum nouiciorum studiis in commune poeseos latinae bonum iam cesserint Catulli tempore. sed ad recidendam eam quam dixi poematum circa a. 60 Veronae factorum abundantiam contulit etiam, ut suspicor, Calui amici usus familiaris: non solum Catullus magis conroboratus Callimachi praecepta de concisa in uerbis breuitate aliaque fecit sua, sed etiam Atticistarum, qui tum Romae in eloquentia uiguerunt, in descriptionibus neruosam seueritatem agnoscere tibi uideare in carminibus posterioribus. quam commutationem nobis ostendit iam c. LXIII; in quo etsi materia uerborum qui adsunt tinnitus molles et delicatulos postulauit, tamen ipsa a superfluo ornatu abstinentia et id quod omne studium in descriptione affectuum admirabili cum arte positum est demonstrant poetam nostrum factum esse aemulum rationis eius, cuius Caluus inter Romanos oratores acerrimus extitit propugnator. ceterum quod hoc c. LXIII inter omnia huius generis maxime placet principemque locum optinet, eadem est ex parte causa atque in nitido illo c. LXII (de cuius tempore nil conici potest): ipsa unius imaginis intra breues eclogarum fines conclusio prohibuit, quominus in his poeta incideret in ea uitia, quibus quod iam restat in hac parte c. LXIV (nam c. LXVII magis epigrammatis adscribendum) laborat. hoc enim epyllion longum, quod est quasi quaedam carminis epici praelusio, iterum degressionum uitio (in commentariis exposito) displicet eodem quo elegiae illae Veronenses. quamquam in ceteris omnibus hoc c. LXIV tot tantaque prae se fert artis excultioris uestigia, ut quin ultimum sit poema doctum a Catullo confectum dubitari nequeat: quantopere ubertas illa prior sibi ipsa quodammodo impedimenta parans molestaque hic temperata mitigataque est, quam robusta et matura simplicitas in singulis enuntiatis elucet, ad quantum perfectionis gradum adacta est ars illa picturae psychologicae (sit uenia dictioni nouiciae)! facile sentias, abiecta forma epyllii cum sua degressionum ex se pendentium inmixtione callida et adsumpta carminis epici continua narratione Catullum, si ei licuisset per fata exequi illud de Argonautis epos conficiendi consilium (LXIV 24), dignum Vergilii praecessorem fuisse futurum. uerum quidem est, in hoc quoque carmine reperiri, quae cum Augusteae aetatis perfectione comparata iaceant: carent hexametri interdum grata uarietate rhythmorum, impedita nonnumquam est oratio repetitis eisdem uocibus (ut 'cor', 'pectus', 'animus', 'mens', quod multi iam obseruarunt). sed haec omnibus procul

dubio erant communia cantoribus Euphorionis et in cultioris poesis initiis lubenter excusantur. quorum reliquorum poetarum nouorum carmina docta si hodieque adessent, suspiceremus puto ut Catulli fere proprium id, propter quod etiam carmina ab arte nondum consummata displicentia tantopere tamen legentes delectant, scilicet propter uere poeticum fabularum tenerrima poesi plenarum (ut Laudamiae et Ariadnes) intellectum descriptionem ornatum; quibus rebus Catullum tantum superasse ex. gr. Cinnam (cf. et carmina 'Ciris' et 'Culex' inscripta), quantum superat uerus poeta umbratilem, omnes habet probabilitatis numeros. neque illud mirandum est, quod docta carmina ut in uocibus nonnullis dictionibusque nimis prosam orationem sapiunt, ita in enuntiatorum constructione Ennii et Lucretii*) simplicitatem magis quam Vergilii artem interdum redolent: nam sunt cantores Euphorionis omnino medii inter priscos illos et uates Augusteos. — iam significaui, ubicumque in carminibus minoribus doctorum horum studiorum uestigia apparent, sponte sese hunc ornatum obtulisse plerumque poetae non quaerenti.

Eadem differentia inter poemata docta et leuiora etiam obseruanda est in s e r m o n i s contemplatione. itaque (si omittimus c. LXI inter utrumque genus ita medium, ut et uitae cottidianae dictione saepius utatur neque tamen altioris orationis flosculis exquisitis careat, et porro LXVII magis, ut iam dixi, epigrammatis simile) pars secunda per omnia se ostendit in sermone participem eiusdem doctrinae intentaeque curae, quam in ceteris carmina illa prae se ferunt. et hic ad ea, quae supra p. 17 sq. in uniuersum exposui accedunt singula haud pauca. ueluti studia in linguam inpensa apparent in ἅπαξ λεγομένοις, quorum post Plautum nemo fere poetarum latinorum habet plura. collegit ea diligenter sed non plene FTeufelius in dissertatione Friburgensi a. 1872 'de Catulli, Tib., Prop. uocibus singularibus' inscripta. loquor hic de parte secunda. difficillimum est autem, cum tam pauci scriptores una cum Catullo florentes nobis seruati sint (cantorum Euphorionis nemo) et qui antea fuerunt poetas plerosque nisi ex fragmentis non nouerimus, ubique accurate definire, quid ad Catullum primum inuentorem sit referendum. neque abhorret a probabilitate,

---

*) sine iusta ratione nonnulli statuunt Lucretium obuersatum uel imitatione expressum esse hic illic nostro; cf. Munro [critic. p. 72 sqq.] et contra JJessen in libello 'ueber Lucretius und sein Verhaeltniss zu Catull' Kiliae a. 1872 edito. eo anno, quo Catullus est mortuus, Lucretii carmen nondum a Cicerone erat editum.

eum ex tragicis priscis (Ennio Pacuuio Attio) nonnulla adsumpsisse altioris stili uocabula, dilectum nimirum habentem et peruersas uerborum fictiones acriter fugientem. huc refero ex. gr. quae nunc singularia sunt uerborum maxime composita *raucisonus, clarisonus, multiuolus, omniuolus, unanimus.* et in carmine LXIII ob metrum plane peculiare eum nec a Laeuii nouationibus (eadem adhibita cautela) abstinuisse putauerim (cf. comm.). et horum exemplo secundum studia Alexandrina ipse fortasse nouauit *falsiparens* LXVIII^b 72, *unigena* LXVI 53 et LXIV 300, pauca alia. ex eisdem studiis profluxit, quod ex. gr. LXIV 18 *nutrices* pro 'mammae' et ibid. 11 *Amphitrite* pro 'mare' (cf. LXVI 70 *Tethys*) ponitur; profluxit etiam illud, quod uocabula graeca haud pauca, quae sermoni patrio adcommodata uidebantur, aut primus recepit noster aut (nam hic quoque modo dicta ualent) a tragicis iam recepta adsumpsit (adnoto ex parte II ex. gr. *amaracus, barathrum, bombus, calathiscus, conchylium, crocinus, ephebus, euans, hyacinthinus, leaena, nothus, onyx, orgia, parthenice, strophium, tympanum*); profluxit denique quod non solum multa nomina propria eorumque adiectiua habet graece formata (ut *Nereine, Minois, Daulias, Amphitryonides,* porro *Androgeoneus, Protesilaeus*), sed etiam in flectendis uocibus formas graecanicas multas (ut *Cybeles, Phasidos; Minoidĭ, Tethyĭ; Thesea, Pelea, Minoa; Nereidĕs; Chalybon; Thyadas,* similia): quibus in rebus cantores maxime Euphorionis exemplo fuisse temporis Augustei uatibus uerum est. — hic etiam quaerendum est, num data opera Catullus uerba formasque priscas ut ornamentum adsciuerit, id quod antea Callimachus et postea inter Romanos Vergilius fecerunt. negandum hoc puto; immo quae huc pertinere uidentur, aliter sunt explicanda (cf. quae mox proferam de lyricis). et falsum est quod dicunt, Attidem prae ceteris priscarum dictionum quaesitarum esse plenum; nam illud synonyma cumulandi studium hinc alienum. — iterum graecorum exemplarium imitatio cernitur in adsumptis permodice tamen (nam omnino non amat eas noster) figuris rhetoricis rarioribus (nam de uulgaribus mox uidebimus), maxime ea quae ἀπὸ κοινοῦ uocatur*); quamquam hae et in lyricis ex parte reperiuntur.

---

*) simplicem eius formam habes ex. gr. XXIII 26 et LI 15; longe artificiosiorem XXX 3, LXIV 336, LXVIII^b 28, XCV 2, quibus locis uice copulae repetita per anaphoram uox aliqua ('iam', 'qualis', 'isque', 'nam') ultro effecit ut iam uerbum fieret ἀπὸ κοινοῦ; cuius anaphorae usus exquisitus maxime in c. LXII cernitur. et similiter pro copula etiam adhibetur figura artificiosior epanastrophes, ut XXIII 16, LXIII 13, 60.

In hac autem parte, qua de lyricorum sermone agitur, apertior plerumque expositio nostra erit. praemitto, inter poemata leuiora et docta non usquequaque tam seueram differentiam esse, ut non utrumque genus interdum inter se misceatur confundaturque. ueluti extant in lyricis pauca carmina maiore cum arte facta et in rebus et in sermone leuiter tincta eruditione graeca coloreque transmarino; et in his recurrunt nonnulla eorum, quae supra doctorum uersuum propria esse dixi (ut ex compositis *aurifer**), *buxifer, lasarpicifer*, *pinnipes, plumipeda, sagittifer, septemgeminus*, ex formis graecanicis *Cycladas* et *Arabas*); nihilominus in uniuersum certi apertique limites duo illa genera distinent. sed ut a re in confinio posita incipiam uice inuersa, simplicitatem Catullo innatam et in hac parte ubique regnantem decet rhetorices, qua praeterea nondum scholiasticae institutioni inserta Catullus adulescentulus non inbutus erat, usus parcissimus: non adsunt fere nisi figurae eae, quas duce natura uel in sermone cottidiano paululum se extollente sua sponte unusquisque habet promptas, scilicet conduplicatio et simplex (ut XIV 16, cf. Sapph. fr. 109; III 3, LVIII 2; LXII 22; LXVI 40) et artificiosior, omnium maxime anaphora passim obuia et reuocatio (ad LXIV 62), et quae cum his cohaerent paronomasiae species, ut quam uulgo uocant figura etymologica (ad LXI 113) et traductio (ad III 13 et IX 10): haec et siqua sunt eiusmodi alia iam apud poetas graecos nondum arti studentes reperiuntur inde ab Homero, quibus utpote naturale quoddam decus poesi addentibus nec docti Alexandrini abstinuerunt. — alium ornatum non minus domi natum carmina Catulliana adsciscunt sibi ex adamata inde a priscis temporibus allitteratione, quam haec leuiora magis admittunt in formulis traditis (ut XXIX 7 *superbus et superfluens*), poemata docta magis anquirunt studiose (cf. ex. gr. LXIV 262); cauendum est tamen, ne in hac re artificiosiorem putes poetam (ueluti LXIV 239 *mente tenentem* et similia passim obuia non sunt quaesita); cf. de allitterationis ornamento Naekius mus. Rhen. III (1829) p. 324 sqq., EWoelfflinus acta acad. Bauar. 1881 (uol. II fasc. 1), CZiwsa in libello cautissime adhibendo 'die eurythmische Technik des Catullus', Vindob. 1879. — ab his ut transeamus ad ea, quae sunt magis minutorum poematum, certa eorum proprietas cernitur in sermonis cottidiani specie cultiore ea, quam urbanam uocitabant, ut tamen paululum supra prosam ora-

*) cf. omnino FSeitzius in dissertatione Bonnensi a. 1878 'de adiectiuis poetarum latinorum compositis'.

tionem sese extollant (huc ex. gr. refer illud 'que .. et', de quo dixi ad I 6). nec minimam gratiam Catulli uerba inde nanciscuntur, quod Terentii et siqui alii casta castigataque lingua latina excellunt propriam puramque dictionem referunt. quam poeta noster Veronae educatus ex anteriorum illorum lectione (praeter Terentium tragicosque supra dictos Ennio maxime et Lucilio haud mediocrem operam nauasse uidetur) addidicit magis quam uiuo usu penitus inbibit. unde, quidquid postea Romae urbanorum hominum in circulis uersatus excoluit sermonis elegantiam, remansit tamen ex illa pueritiae ratione aliquid magis priscum quam ex. gr. habent Ciceronis epistulae habueruntque sine dubio Calui carmina. et in Catulli uerbis dictionibusque haud paucis quod primaria significatio purius quam alibi apparet, ex usu loquendi prouinciali uetera diutius retinente non ita difficile explicatur. hinc etiam non mirandum est quod intercurrunt, quibus puerulus adsueuerat, uoces prouinciales, auribus illae (ut in cap. IV uidebimus) ingratae urbanis, ut XCVII 6 *ploxenum* et fortasse *basium, basiare (basiatio), grabatus, cuniculus* (cf. Suessius, Catull. p. 46). ad sermonem autem familiarem referenda sunt et deminutiua plurima (supra p. 18), quorum usus apud nostrum latissime patet*), et uocabula graeca communi plerumque usu inde a Lucilio et Attio in linguam latinam recepta (ut *carpatinus, carta, catagraphus, cinaedus, crepida, epistolium, elleborus, mimice, mnemosynum, palimpsestus, papyrus, pathicus, phasellus, platea, podagra, raphanus, talentum, zona* et *zonula*). neque in eius carminibus, quae inuectiuas continent, ex sermonis cottidiani forma uulgari uerba et dictiones infimae plebis proprias adsumere dubitabat noster, hoc quoque una cum ceteris (Caluus fr. 19 M. *pedicator Caesaris*), ueluti *cacare, caprimulgus,*

*) de deminutiuis cf. LSchwabii liber Gissae 1859 editus, GMuellerus 'de linguae latinae deminutiuis' Lipsiae 1865; qui recte adnotant animi maxime affectus deminutione exprimi et ex loci uniuscuiusque conexu tam quam ex uocis primitiuae significatione nasci differentias et plurimas et subtilissimas, auraria ubique statera pendendas: modo dulcem amorem, modo odium et contemptum, tum lepidam tum salsam inrisionem, etiam infirmam inualiditatem exprimunt, saepe ad ornatum faciunt. et ut 'Horatius in carminibus fere nulla, in satiris et epistulis permulta, Vergilius in eclogis plurima, in Georgicis et in Aeneide rara' (Muellerus p. 15) habet deminutiua, sic Catullus eorum longe plura in breuibus poematis adhibet, pauciora multo in doctis (ueluti in c. XVII uersuum 26 habes exempla quinque *ponticuli, acsuleis, bimuli, tremula, tenellulo,* contra in LXIV 407 uersuum non plus quam septem *lectulus, munuscula, labellum, frigidulus, aridula, languidula, nouellae.* exempla accurate composuit FHeussnerus, 'obss. gramm. in Cat.', Marburgi 1869, p. 35 sqq.

confutuere, *defututus*, *diffututus*, *expatrare*, *lancinare*, *lotium*, *inrumare, pedicare, salaputtium, scortillum*, quarum multas ille solus nunc quidem praebet. sunt alia haud pauca, quae ex linguae familiaris cottidianae uulgaris indole explicantur in his carminibus, ut pronomen possessiuum sine ui praepositum (ex. gr. LIII 3 et LV 2), 'est (sunt)' sub certis tantum legibus omissum; nam eisdem fere condicionibus, quas enumerauit Ritschelius prolegg. p. CIX sqq. [= opusc. V p. 361 sqq., cf. et opusc. II p. 608 sqq.], illud abest, maxime in illo 'pote' et 'neque (nec) mirum', in certis formulis (LXII 3), in enumeratione descriptioneque, ut XXII 8, LVII 6 sqq., LXIII 72, LXIV (184) 186: quae obseruatio quam magni haud raro sit momenti in rem criticam, ultro apparet (cf. etiam CPSchulzius 'de Cat. Graec. imit.' p. 7—9). porro ut comici secundum usum plebis (cf. Brixius ad Plaut. Trin. 709) Catullus quoque substantiua uerbalia in *io* desinentia in deliciis habet, ut *adprobatio, aestimatio, ambulatio, argutatio.* et haec quidem de multis hic attulisse sufficiat; nam cetera commentarii suppeditabunt. extant autem praeter eas, quas iam attuli, super his rebus dissertationes Conradi Hupe 'de genere dicendi C. Val. Catulli', Monasterii 1871; Adolphi Reeck 'de Catullianorum carminum re grammatica et metrica', Vratislauiae 1872, Gustaui Overholthaus 'syntaxis Catullianae capita duo', Papenburgi 1875.

In prouincia educatus Catullus a tenera puerita adsueuit etiam priscae orthographiae, quam in uita posteriore quoque retinuit, ut fieri solet in re minoris momenti. et est sane illa res minuta et pusilla; nec miror quod mihi uestigia priscae scribendi rationis apud nostrum exploranti seruantique homines nonnulli etiam docti (nam indoctos, qui medii aeui librarios 'ingenuom' similiaque finxisse putant cum Ernestio, non moror) haec ut inutilia obiecerunt. uitio uertant talia eis, qui nil aliud callent; ego (ut Scaliger quoque Lachmannusque has quisquilias minime spernentes) sic semper sensi, nihil critico uero esse neglegendum et, quidquid extet scriptum traditumque, explicari debere, siue id sit magnum siue uero paruom: historicorum nomine (et quid interest inter hos et philologos?) indigni mihi uidentur, qui difficilem Ausonii locum minore cura dignum censent quam uel Aeschyli uel Horatii: de Athenarum in genus humanum meritis an de 'i' longa inscriptionum disseras nil refert, modo id quod agis prudenter ingeniose fructuose agas. sed Catullus quomodo scripserit uocabula, ubique accurate explorare difficillimum est eo, quod in **V** paucae tantum reliquiae priscae orthographiae supersunt: ut iam in antiquitate, sic etiam per medium

aeuom scribas formis insolitis substituisse uulgares notasque, si intellegerent, et, si non intellegerent, illas corrupisse siue aliter legisse, uel mediocriter in his rebus uersati sciunt: quae hodie supersunt, aut effugerunt casu illorum manus aut sub corruptelarum inuolucris latent. nec credibile est, ea ab grammatico quodam aeui Frontoniani de suo in textum inlata: restituit talia, qui in antiquissimis poetae exemplaribus contractis repperit. quam parum sit tribuendum in his rebus codicibus quantumque regnet ibi casus, ex. gr. hinc apparet, quod, cum LXVII 23 et 26 et 30 accuratum inter 'gnatus' et 'natus' formas discrimen a poeta obseruatum uideamus idque etiam LXIV 119 et 349 et 400 et XC 3 adsit, tamen non solum LXII 21 (nam 22 recte se habet) et LXVIII[b] 80 breuior forma pro plena (quam reponendam puto), sed etiam LXIV 298 plena forma contra metrum a librariis est reposita. priscum illud nominatiui 'uo' paucis locis, cum pro accusatiuo pluralis haberent, conseruabant scribae: LIII 3 *meos Caluos*, LXI 54 *nouos maritos,* LXVII 54 *equos* habet V (cf. et XXXI 1 *seruo,* LXIII 92 *tuo*, LXIV 288 *accuos,* LXI 204 *uolunt* pro *uolt*), LXII 60 *aequom*, LXII 40 *conuolsus* (cf. et LXIII 5 et LXIV 257), LXVIII[b] 84 *uolturium*; et certum est, Catullum ubique 'uo' pro 'uu' scripsisse, sed nolim eo usque procedere, ut ubique contra codices 'uoster' restituam, cum 'uo' in 'ue' iam ante eum mutari coeptum esse constet: ut eo uti sane potuit, ita non debuit Catullus (cf. supra p. 6 in titulo Pompeiano 'uestreis'). — *quoi* (Neuius II p. 228) saepius indicatur corruptela *qui* (cf. ad Corn. 1): nimirum 'o' in medii aeui initio sic haud raro scripsere, ut illi 'u' inderetur, hoc modo QŬI (quae causa, ut hoc obiter addam, etiam erat cur *nouus* siue NŬUS tam saepe in *tuus* uel *suus* corrumperetur); cf. et XVII 14 *cuiiocum* ex *quoicum* corruptum (CII 1 et CVII 1). — *quom* rarissime latet in corruptelis, ut XXX 5 et LXVI 27: plurimis longe locis nouicium illud aeui imperatorii *cum* in V adest. — *optumus* et *optimus, lubet* et *libet*, similia, ipse potest uariasse Catullus; quamquam 'u' probabile est saepius a scribis mutatam esse in 'i'; qui et pro 'u' loco illius 'y' posita Caesarum aetate hanc ipsam y et mox medio aeuo 'i' substituerunt plerumque (cf. tamen XXXI 5). — plurima adsunt uestigia prisci illius 'ei' pro 'i' longa scripti (cf. omnino Ritschelius opusc. II p. 632 sqq., Lachm. ad Lucr. p. 245). intacta manserunt genetiui XXVII 15 *Romulei,* LV 13 *Herculei,* LXI 1 *Heliconiei,* ib. 199 *Africei,* LXIII 91 *Dindymei,* LXIV 278 *Pelei,* LXV 14 *Itylei,* datiuus LXXVII 3 *mei* (= mi), uocatiuus XXIII 1 *Furei,* porro

pluralis LXI 225 *bonei* et LXXVI 26 *dei* (ibid. 12 *des*). et hinc ut proficiscamur, si tot locis V *dii* habet, ecquis iure me reprehendet, si ubique *dei* restitui? in scriptura maiuscula adeo E et I inter se sunt similes, ut librario DEI formam insuetam non concoquenti ultro oculis offerri sit uisum DII. et sic saepius 'ei' abiit in 'ii' ut LXI *abeit* in *abiit*, LXVII 48 *mendacii* (unde XIII 6 *ex siunquam* feci *sei inquam*; nam *sei* habes traditum XXXIX 2). alibi T pro I legere sibi uidebantur, unde IV 23 *maret* pro *marei*, LV 16 *lucet* pro *lucei* extat (cf. et LVII 9, LXIII 10, XCVI 1, ubi 'i' correctura superscripta turbas mouit, etiam LXVI 86). alibi 'ei' in 'e' cessit (ut LXIV 164 *aures*, LXIII 1 *celere*), alibi in 'u' (ut LXVI 79); locus quippe et uox ipsa offerebant corruptelam (cf. LXI 203 *ludere* pro *ludei*, ibid. 215 *insciens* pro *inscieis*). essent talia inputanda casui (quamquam mirus est casus sic sibi constans, cum talis constantia bene quadret in hominem librarium ita ut potuit litteras in dubiis et ignotis dirimentem et transformantem), nisi pauca saltem certa adessent exempla priscae scripturae, quae facile explicant uitia cetera. quae uoces simpliciores quam *ne* et *ni*? sed pro hac si totiens in V legitur *ne* et *nec*, pro illa *nec*, nonne Lachmanno nobisque accedes priscum illud 'nei' reponentibus, ubicumque fauent codices? extat adhuc *ni* pro *ne* positum in ipso V LXI 146. notum est ex Ritschelii opusc. II p. 622 sqq. disputatione (cf. et Lachm. ad Lucr. p. 117), *nei* communem fuisse formam particularum negatiuae et condicionalis, quae Catulli tempore paulatim coeptae sint distingui *ne* et *ni* scribendo: poetam puerili consuetudini inhaesisse indifferenter *nei* (*ni*) pro *ne* et *ni* usum, eo minus est mirum, quod illo puero Veronae illa inter *ei* et *i* et *e* fluctuatio nondum certo discrimine fixo erat sublata; habet noster ut accusatiuos pluralis in *is* sollemnes (quae formae haud raro in V conseruatae, ut I 4 *acris* et 19 *tristis*) atque eosdem nominatiuuos (cf. ad LXIV 14, Lachm. ad Lucr. p. 56), ita priscos ablatiuos rariores, ut LXVIII^b 84 *capiti*, XLIV 4 *pignori*; et hinc formae, quales sunt X 16 *hominis* et XLV 24 *libidinis* et LXVIII^b 58 *cineris*, explicandae. itaque non semper *ei* adhibuit Catullus, sed inter *ei* et *i* fluctuauit, sonum etiam ut puto interdum secutus; sed pro qualubet 'i' longa Attii fere modo posuit *ei*, non inbutus scilicet scientia earum regularum, quas Lucilius, Nigidius Figulus Varroque de eius in uariis formis uocabulorum usu praeceperant, nisi quod discrimen quoddam carmen ultimum LXIV 164 et 176 ostendit (de re ipsa fortasse alibi dicam; cf. interim Usenerus mus. Rhen. XXIV p. 104 sqq.). itaque,

4*

etsi librarii (ubi sententias intellexere) multa secundum uulgarem rationem inmutauere, tamen negari nequit, etiam poetam ipsum minime sibi constitisse ubique; quae inconstantia non erit mira ei, qui inscriptiones temporis illius inspexerit*). — eadem est obseruatio circa consonarum geminationem, de qua, quae praef. uol. I p. XLV olim disputaui, nuper correxi facta accurata de tota illa re disquisitione, quam habes in Fleckeis. ann. 1883 p. 774 sqq. (maxime 791 sq.): negari nequit tot in **V** uestigiis extantibus, Catullum a puerili institutione haud paucas uoces etiamtunc scripsisse consona simplici, quas Romae iam gemina scribere solebant, ut ipsum nomen suum *Catūlus*, porro *sāculus, conscribīlare, cachīnus, flāma* (l. l. p. 798), *sōlers*, *pōlex*, *furcīla*, *Thēsalia*, alia. — talia igitur et ex certa historiae linguae latinae notitia eruenda et liberaliter agnoscenda sunt, nec propria inscientia opprobrio uertenda editori religioso neque has quisquilias infra se censenti, minime ei qui ἔκδοσιν criticam instituit. — ceterum ex ea quam dixi certa notitia facile cauetur, ne quae nec Catullus admittere potuit recipiantur, ut 'af' pro 'ab' (LXIV 189, LXVI 63).

De Catulli ratione metrica restat ut paucis exponam (de qua post LMuellerum praef. Cat. p. LIX sqq. nuper peculiari libello exposuit Baumannus in programmate Landsbergensi a. 1881). et in uniuersum quidem Catullus sociique ea quae Ennius incohauerat excoluerunt, partim maiore diligentia artisque respectu usi, partim ex Alexandrinorum placitis nouam limam addentes. de synaloephe Ennius (ex parte, ut uidetur, eis qui uersus Saturnios condiderunt praeeuntibus) ita praeceperat suoque confirmauerat exemplo, quo magis poemata recederent a sermonis cottidiani specie, eo magis abstinere ea debere ab ingrata utique auribus cultis uocalium elisione. unde in omne tempus saturis (plane ut comoediae) maximam licentiam utpote sermoni proximis concesserat, in epicis contra eandem cohercuerat restrinxeratque. hanc regulam in uniuersum tenuere omnes poetae sequentes, pro sua quisque indole et poeseos genere cum maxime culto modo seueriores modo neglegentiores: in humilioribus carminibus magis admisere, in altioribus magis uitauere. et sic Catullus plurimas elisiones habet in

*) ceterum uide ne ubique rimeris illud 'ei', ut post meam editionem interdum est factum. uelut LXIV 200 *qualis sola*, ubi requiritur *quali*, non latet *qualei*, sed ex dittographia prouenit uitium. et nullius pretii sunt, quae CPSchulzius Herm. XIII p. 57 addidit, profecta ex rei palaeographicae criticaeque ignorantia ea, qua disputatio illa alibi in censum uocanda omnino laborat.

epigrammatis (quinque in uno uersu LXXIII 6), multas in lyricis, longe minores in doctis poematis, etiam in his cum artis progressu inde a c. LXVIII^{a} usque ad LXIV (cf. LXVIII^{b} 112 quattuor elisiones) et cum breuiorum longiorumque opusculorum differentia. ipsae autem synaloephae, quibus Catullus indulsit, durae saepe uiolentaeque; nam ut saepe longas uocales (etiam monosyllaborum) delitescere passus est ante breues, ita ne a creticorum quidem et iambicorum uocabulorum elisione abhorruit; quamquam hiatum non alibi admisit nisi sub specie legitima (LV 4, XCVII 1), loci huic regulae repugnantes cum sint corrupti facillimeque emendentur; cf. omnino de his rebus LMuellerus d. r. m. p. 276 sqq. — nouam uero uiam inierunt Catullus et aequales in caesuris, quibus grammatici Alexandrini non ita pridem maiorem curam inpendere coeperant, cum ea quae priores poetae sensu tacito ducti in eis obseruandis secuti erant ad certas artis regulas reducerent. et quantum in re difficillima non tam ex ipsorum praeceptis (haec enim posteriorum scholarum placitis depulsa sunt tantum non omnia) quam ex uiuo qui abhinc optinuit usu cognoscere licet, caesuram docti illius temporis Romani ibi statuisse uidentur euenire, ubi rhythmus legitimus facta ob uocabuli finem interruptione infringatur: duo cum sint genera potissima rhythmorum, unum quod adscendat (ut ◡ ∠) et alterum quod descendat (ut ∠ ◡◡), quorum utrumque in adaequatis inter se pedibus uocabulisque iusta et sonora careat modulatione, quae praeterea ad uinctae et solutae orationis differentiam efferendam intendenda sit repugnantibus inter se accentibus metrico et grammatico, ex ipsa natura huius repugnantiae, quae in rhythmis adscendentibus fiat in initio fineque uersuum et contra in descendentibus in mediis eisdem, caesuram in metris illis (iambicis similibusque) post thesin, in his (dactylicis comparibusque) post arsin — nam uulgares hic retineo appellationes — debere locum habere rectissime concluserunt; ceterum quae hinc existant uarietates caesurarum minuendas cohercendasque esse et aurium in certis uersuum partibus (maxime circa medium) requiem desiderantium iudicio et generibus poeseos uariis (plane ut in synaloephe) et ipsis denique metris breuioribus longioribus. itaque uersus quales elapsi sunt Ennio certa scientia carenti *poste recumbite uestraque pectora pellite tonsis* et *sparsis hastis longis campus splendet et horret* tamquam prodigia dira iam refugerunt docti poetae. hinc hexametri, quibus maxime profuerunt obseruationes illae, arte multo maiore conformati. a quibus incipientes breuiter metra Catulli percenseamus:

I. hexameter dactylicus [cc. LXII, LXIV]:

–́ ⏔ –́ ⏔ –́ ⏔ –́ ⏔ –́ ⏔ –́ ⏒

caesurarum longe frequentissima est ea quae fit post arsin tertiam siue quintum semipedem (semiquinaria), rarius multo eae quae fiant post arsin quartam (ut LXIV 85) et secundam (LXIV 21), sed ut haec semiternaria et semiseptenaria coniuncta paulo saepius reperiatur: gratam illam Vergilii Ouidiique uarietatem nondum adsecutus est noster. ceterum ex eis quae supra disputaui elucet nec caesurae bucolicae (nam LXII 1 facta post 'iuuenes' interpunctione potius restituenda est hephthemimeres) nec ei, quae fit post tertium trochaeum, ullum esse in docta poesi latina locum. nam quae huius adferuntur exempla longe aliter explicanda: nam ut ceteris locis adsunt aliae caesurae uulgares, ita LXIV 141 et 404 habes seminonariam, quae et ipsa perite adhibita est pulcherrima, et LXIV 206 et LXVIII[a] 39 ante 'que' incisio fit, ut restet unicus uersus LXIV 115, qui cum certo consilio caesura caret omni. quod ad singulos pedes attinet, praeualent longe (ut par est illa aetate) spondei (ex centenis uersibus ei qui spondeis onerantur sunt 61, ei qui plures habent dactylos 7, mixti 32), sed ut medium multo magis uersum optineant: plerumque per dactylum fortiter incipiens cum grauitate procedit per spondeos hexameter Catullianus; cf. Drobischius dissertationis 'ein statistischer Versuch ueber die Formen des lat. Hexameters' p. 99 sqq. in quinto pede Catullum sociosque cum amore quodam miro posuisse spondeum (id quod apud priores coaeuosque Lucretium et Ciceronem fit omnino rarissime), iam supra p. 13 dixi; cf. omnino diligentissima disputatio AViertelii in Fleckeis. ann. 1862 p. 801 sqq., et de hexametri exeuntis conformatione LMuellerus d. r. m. p. 210 sq. (de uersibus hypermetris cf. LXIV 298, LXVI 77, CXV 5).

II. distichon elegiacum [LXV—CXVI]:

–́ ⏔ –́ ⏔ –́ ⏔ –́ ⏔ –́ ⏔ –́ ⏒

–́ ⏔ –́ ⏔ –́ ‖ –́ ⏖ –́ ⏖ ⏓́

in pentametro cum maxime in censum ueniat pars altera, cuius ea in carmine perfecto est condicio, ut statu quieto toti disticho conueniens non plus quam semel ab accentus metrici et grammatici discordia sit concitatior, hanc artem summam in Ouidio maxime admirandam neutiquam adsecutus est Catullus (id quod ex distichorum in longioribus poematis condendorum initiis facile excusatur), quippe qui saepissime finem faciat in uocabulo plus quam bisyllabo, nec solum modo tolerabili (ut *hospitis officium*), sed etiam minus placenti (ut *detulerat barathrum* et *uolturium capiti*). neque

talia, qualia sunt XCII 2 (4) *dispeream nisi amat*, ob eandem causam placent; et prorsus singulariter legitur LXXVI 8 *dictaque factaque sunt,* quamquam ibi monosyllabum ex enclisi aliquatenus defenditur. multo minus expectari debet a Catullo, ut elegiarum (nam in epigrammatis ultro sumus patientiores) disticha arte illa paene diuina, qua aeui Augustei uates, ita conformauerit, ut unumquodque quasi quoddam aedificium in se perfectum consummata singularum partium bene congruentium symmetria splendeat neque ex altero pendeat; cf. OFGruppius libri 'die roem. Elegie' p. 346, EEichnerus in programmate Gnesensi a. 1875.

III. trimeter purus [IV, XXIX] a cantoribus Euphorionis nouatus:

⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ ⏒́

caesura locum habet post thesin siue tertiam siue quartam (interdum post utramque simul). errant qui XXIX 3 metrum uiolatum esse putant per spondeum (cf. ibi comm.).

IV. trimeter Archilochius [LII]:

⏓ –́ ⏑ –́ ⏓ | –́ ⏑ –́ ⏓ –́ ⏑ ⏒́

V. trimeter Hipponacteus siue claudus (choliambus, scazon) inde a Laeuio et Cn. Matio familiaris Romanis, neque tantum in carminibus maledicis adhibitus [VIII, XXII, XXXI, XXXVII, XXXIX, XLIV, LIX, LX]:

⏓ ⏑́⏑ ⏑ (⏑́⏑) ⏓ (⏑́⏑) ⏑ (⏑́⏑) ⏑ –́ – ⏒́

arses solutas habes XXII 19, XXXVII 5, LIX 3. caesurae eaedem atque in trimetro puro.

VI. tetrameter iambicus catalecticus siue uersus septenarius [XXV]:

⏓ –́ ⏑ –́ ⏓ –́ ⏑ –́ ‖ ⏓ –́ ⏑ –́ ⏑ –́ ⏓

ut prisci scaenici (quibus multo est seuerior), Catullus quoque hunc uersum tamquam ex duobus colis, nempe dimetris iambicis acatalectico et catalectico, constantem ita adhibuit, ut quartus pes incideret in uocabuli finem. unde non de caesura, sed de incisione uel pausa loqui praestat.

VII. uersus Phalaecius siue hendecasyllabus a cantoribus Euphorionis donatus litteris latinis, quae admodum eo delectabantur [passim in plurimis carminibus obuius]:

⏒́ ⏒ –́ ⏑⏑ –́ ⏑ –́ ⏑ –́ ⏓

de primo pede tam iambo et trochaeo quam spondeo cf. comm. ad Corn. 4. caesura plerumque post arsin tertiam, saepe post secundam, interdum post quartam (etiam has utrasque simul); cf. et comm. ad XLII 2. — de c. LV, ubi sat singulari ratione pro dactylo uersibus fere alternis positus est spondeus, uide commentarium.

VIII. IX. uersus glyconeus:

–́ ⏒ –́ ⏖ –́ ⏑ –́

et pherecrateus:

–́ ⏒ –́ ⏖ –́ ⏒

quos utrosque habes XXXIV et LXI, et ita quidem ut glyconei XXXIV 2, pherecratei ibid. u. 4 pes primus ex iambo, itemque pherecratei pes primus LXI 198 et 228 ex spondeo constet (semel praeterea huius dactylus ex spondeo ibid. 25, ubi cf. comm.). iunguntur hi duo uersus systematis *κατὰ συνάφειαν* (unde explicatur in fine uersuum synaloephe XXXIV 11 saepiusque in LXI obuia); et in XXXIV quidem tribus, in LXI autem quatuor *κώλοις* glyconeis accedit unum pherecrateum; nam Lachmanni (kl. phil. Schr. p. 88) opinio, qua in c. LXI strophae sint compositae ex duobus systematis ternorum binorumque uersuum, sane nimis et artificiosa neque uero necessaria est, si artem criticam recte adhibemus.

X. uersus Priapeus compositus *κώλοις* glyconeo et pherecrateo *κατὰ συνάφειαν* (synaloephen in incisione habes XVII 4, 11, 24, 26), qui reperitur XVII et fragm. III, IV:

–́ ⏒ –́ ⏖ –́ ⏑ –́ ‖ –́ ⏒ –́ ⏖ –́ ⏒

XI. uersus asclepiadeus maior [XXX]:

–́ – –́ ⏖ –́ ‖ –́ ⏖ –́ ‖ –́ ⏖ –́ ⏑ ⏓́

Sapphus imitatione quoniam Catullus hoc metrum nouauit, perprobabiliter Lachmannus [kl. phil. Schr. p. 95] eiusdem exemplo (Hephaest. p. 114, 119) binorum uersuum strophas adesse statuit in carmine Catulli, qui in uersu difficiliore interdum (4, 8, 11, 12) incisionem et priorem et alteram non in fine uocabuli fieri admittebat.

XII. strophe Sapphica [XI, LI] composita *κατὰ συνάφειαν* (cf. XI 11, 19, 22) ex ter repetito uersu Sapphico hendecasyllabo

–́ ⏑ –́ ⏓ –́ ⏖ –́ ⏑ –́ ⏒

cum adiuncto uersu adonio –́ ⏖ –́ ⏒. trochaeum in secundo pede habes XI 6, 15, LI 13. caesura plerumque post tertiam arsin, interdum siue secundam siue quartam (etiam utrasque simul).

XIII. uersus galliambus [LXIII] ex Alexandrinorum (fortasse Callimachi) imitatione excultus *τοῖς νεωτέροις*:

⏕ –́ ⏑ –́ ⏑ –́ –́ ‖ ⏕ –́ ⏑ ⏖́ ⏑ ⏓́

in priore parte soluitur interdum et prima arsis (ut proceleusmaticus euadat) et secunda (ut tribrachys), neque tamen utraque simul, ne scilicet intolerabiliter cumulentur breues syllabae. ob eandem causam numquam prima alterius partis arsis distrahitur; in sede

autem illius paenultima perraro et tantum certo cum consilio habetur iambus, regnat fere (ut conuenit fracto mollique uersui) tribrachys. item rarissime in incisione synaloephe (ut 37).

Alias autem strophas quam quae fiunt aut systematis aut uersu intercalari, quem habes in LXII et LXIV inde a u. 323 (et aliter in LXI; scripsit de eo nuperrime CZiwsa stud. Vindob. III p. 298 sqq., IV p. 271 sqq., qui non recte huc traxit etiam minorum carminum repetitiones mere rhetoricas) non adhibuit Catullus, cui sine ullo iuris aut uerisimilitudinis specie docti nonnulli obtrusere illas recentiorum philologorum delicias nec iucunditatis quidquam nec fructum habentes.

Alia huc pertinentia cum adferenda sint in commentario (ut de synizesi et dialysi), hic in fine digitum intendam in morem nostri fortasse et ipsum placitis tum scholasticis debitum, quo breuis syllaba in arsi ante duplicem consonam producitur (nam productio in uocibus graecanicis paulo diuersa, cf. ad LXII 4), ut IV 9 *Propontidá trucem* (exempla passim praebet comm.).

IV.

Catulli carmina, qualia ex antiquitate ad nos tradita nunc in codicibus leguntur, si oculis perlustramus obiter, neminem fugit tripartita operis uniuersi diuisio: praecedunt quae breuioribus metris lyricis sunt scripta, medium optinent opuscula longa et docta, finem faciunt epigrammata. nec ullus umquam dubitauit quin huic ordini certum subsit consilium. iam olim PCrinitus de poet. lat. c. 27 docuit *opus suum ad Cornelium Nepotem misit . . . diuiditur autem in libros tres, ut primus lyricos, secundus elegiacos, tertius epigrammata contineat.* et aptum certe a prima ad secundam partem transitum facit c. LXI a metris illi et ab ambitu huic adscribendum. non seruant autem singulae partes in carminibus suis certum ordinem, siue eum chronologicum siue a personis, ad quas data sunt opuscula, rebusue siue a metris petitum. et in prima quidem parte omnia tam inter se mixta atque confusa sunt, ut poeta nihil nisi solum illud ‘uarietas delectat’ spectasse iure sit uisus plerisque: praeposuit quidem carmina ad Lesbiam missa utpote fama omnium maxime nobilitata (a c. I totus hic liber traxit passeris nomen; cf. comm. ibi in fine), sed ita ut I et III et V et VII ad pulcherrimum in amore illo tempus pertinentia consulto discinderet interiectis alienis plane II et IV et VI, in reliquis quoque etsi non tam data opera (ueluti cohaerent XLI—XLIII) tamen aliqua ex parte uariationi consulens; quamquam quo magis processit in

componendo in unum opuscula, eo magis eum par est obsecundasse casui, quo illa (iam ante seorsum plerumque edita) sese ei obtulerunt: nimius est in indagando poetae quodam consilio ubique perspicuo RWestphalius [p. 1 sqq.]. multo minus in secunda et tertia parte ordinem consiliumque agnoscere licet, certe si refugimus artificia. iam haec moles diuersissimorum carminum a sola forma metrica soloque opusculorum ambitu in tres partes distributa sic ut nunc in codicibus extat unico uolumine comprehensa a poeta nullo pacto potest esse edita*). continet prima pars nunc quidem (nam olim plura complexa est) paulo plus quam 800 uersus, media LXI—LXVIII[b] fere 1170 (uide infra), tertia 330: euadit summa plus quam 2300 uersuum. tanto ambitu unum uolumen umquam fuisse apud Romanos, postquam Ennius apud eos usum uoluminum Alexandrinorum instituit (cf. quae dixi in Fleckeis. ann. 1882 p. 785), credi nequit; nullus librorum Lucretianorum, qui sunt omnium notorum longissimi, numerum 1500 uersuum attingit.

Catulli carmina minora pleraque omnia primum seorsum edita esse nec Romae solum, sed etiam in prouincia (XLIII 7) innotuisse apertum est. iam si poeta in carmine ad Cornelium praemisso loquitur de lepido nouo nugarum suarum 'libello', quem dono mittat amico quemque non cito periturum speret, non potest non ipse collectionem sparsorum antea poematum instituisse. uox enim 'libellus' ut de singulis opusculis seorsum emissis paulo longioribus (ut 'libellus Culicis, Nucis', sim.), ita de collectis in unum poematis adhibetur; sic Ouidius Amorum, sic Martialis epigrammatum libros singulos uocant deminutiue et cum tenerorum uersuum respectu 'libellos' (cf. et Birtius l. l. p. 29 sq.). sed ne unicus quidem locus extat, ubi tam ingens uolumen 2300 uersuum per deminutiuum designetur. porro Catullus in praefatione illa uix de 'nugis' suis (cf. comm.) locutus esset, si is quem ad Nepotem misit libellus etiam continuisset seriorum studiorum fructus nunc in medio positos. agi igitur in praefatione illa de solis cc. I—LX uno libro comprehensis recte plerique intellexere. cui rationi quae ab aliis sunt opposita parum ualent; ueluti quod dicunt, Catullum reconciliatum Caesari non recepturum fuisse uersus maledicentissimos in hunc factos. sed ut cetera singillatim antea edita ita illae in Caesarem inuectiuae adeo innotuerant, ut poeta ab editione omnium

*) tractauere hanc quaestionem EBruncrus acta societ. Fennicae VII p. 601 sqq., Ellisius comm. Cat. p. 1 sq., Suessius p. 23, CPSchulzius 'Catullforschungen', 1881, Birtius libri 'das antike Buchwesen' p. 401 sqq. (et hic quidem, ut est in re critica insipidae temeritatis, infelicissime).

poematum excludere eas omnino nequiret, nequis quod suo iure ibi quaereret frustra quaereret. eadem hercle cum probabilitate obicient poetae, quod carmina Lesbiae tenerrimum amorem profitentia post missam feminam illam receperit! sunt haec nimirum somnia doctorum nimis nasutorum nec simpliciter iudicare ualentium*). sobrio iudicio si hanc quaestionem tractamus nec ipsi nobis difficultates parantes ea scire uolumus quae scire non est datum, ueluti cur Catullus hoc illudue poema receperit**), causa iusta non est cur uerbis disertis carminis praefatorii diffidentes hunc libellum ab ipso Catullo compositum complexum esse negemus nugas illas cc. I—LX. — grammatici ueteres nullam huic quaestioni lucem affundunt, quippe qui aut simpliciter nomen ponant poetae aut singula carmina ex rebus appellent (*C. ad coloniam*, *in epithalamio*) uel e metro (*C. in hendecasyllabis*), numquam libros commemorent. — hoc quoque cauendum est, ne medii aeui turbas his quaestionibus inmisceamus: II 1—3 et LV 13[a]—22[a] (ut taceam de LI 13—16), etiamsi nos in eis tractandis erraremus, tamen ab ipso Catullo pro fragmentis esse relicta oppido foret inprobabile. — congregata autem antiquitus in unicum uolumen carmina minuta ad medium aeuum peruenisse statuimus in exemplari quodam, cuius pars extrema eademque externa (damnis ea quibuscumque maxime exposita, unde fines operum antiquorum haud paucorum amissi) cum perisset, nunc exitus carminis LX (cf. ibi comm.) una cum eis poematis, ad quae pertinent fragmenta I—IV (cf. ibi comm.), desideratur. his quae perierunt ex probabili computatione adiectis hoc uolumen continuit fere uersus 900, h. e. ea erat longitudine, quae Catulli tempore nihil miri habet in lyricis (nam aeuo Augusteo sane haec uolumina plerumque breuiora). est autem non inepta

*) EBrunerus de Leutschius CPSchulzius tantum carmina 14 prima putant a Catullo edita esse in lepido nouo libello, rationibus usi et per se peruersis et ob id, quod tam paruum uolumen, quale efficiunt 14 carmina, cogitatione uix licet fingere. eidem putauerunt, huius siue praefationem siue epilogum (Schulzius) fuisse fragmentum illud II 4—6 (apud nos). quid quod uel huic collectioni secundum illos pulcherrima carmina continenti insunt, quae cur his poeta inseruerit minime intellegimus (c. VI)?

**) ceterum seuerum iudicem Catullum in eligendis recipiendisque fetibus suis extitisse, ex ea una re apparet, quod eorum, quae ante Lesbiae amorem (h. e. ante a. 62 uel 61) lusit, ut ipse dicit LXVIII[a] 17, et ob quae iam Nepotis laudem tulit, ne unum quidem documentum huic libello indidit. ea quae elegit sine dubio digna habuit receptione nec quippe omnibus nota excludere ualuit. licet de huius electionis seueritate mouere dubitationes (non iustas ex mea sententia); sed res tamen ipsa non mutatur inde.

hercle coniectura, qua statuunt Catullum hunc librum edidisse, cum morbo adgrauescente mortem sentiret adpropinquare (cf. Schwabius q. C. p. 297). mirati sunt, quod huius rei uersus ad Cornelium praefatorii nullum prae se ferant indicium. sed aliud est amicos male memores officii admonere (XXX, XXXVIII), aliud ad uirum fidei spectatae mittere donum gratum cum breui dedicatione, a qua par est afuisse querellas omnes. et, ut uerum fatear, lubenter hoc equidem mihi persuadeo, aspectum lepidi sui noui libelli ultimum attulisse gaudium poetae male aegroto, qui pro se ad locum communem iam abituro ut hoc qualecumque opus sit uicturum rogat a Pallade librorum tutrice. sed qua anni 54 parte editus sit libellus, erui nequit; Buecheleri de hac re coniecturam incertam uide ad XXV 1 (nec rectius alii c. LIII arcessiuerunt).

Antequam pergam, breuiter testem adhuc ignotum nec tamen contemnendum proferam, qui sententiam illam plane comprobat, qua compluribus uoluminibus collectionem Catullianam qualis hodie extat distributam fuisse censemus. leguntur apud Martialem I 61 inde a uersu primo haece:

Verona docti syllabas amat uatis,
Marone felix Mantua est,
Censetur Apona Liuio suo tellus
Stellaque nec Flacco minus eqs.

audiamus interpretem nouissimum IFlachium: 'syllabas] scil. hendecasyllabos. cf. X 9, 1 *undenis pedibusque syllabisque*'. hic tamen locus ex addito 'undenis' lucem syllabis affundens non perspicio quid conferat ad explicandum nostrum, in quo spero omnes semel monitos mihi adsensuros esse ineptissimum illud nudum 'syllabas' expulsuro; legas ex certa mea emendatione 'sittybos': de quibus cf. MHauptius opusc. III p. 411. ponuntur poetice indices uoluminum pro his ipsis: Verona laetatur compluribus quae extant uoluminibus Catulli sui operum. potest hoc exquisitius dictum per se sufficere; sed coniecturam, cur sententia uulgaris 'Verona gaudet Catullo' sic potissimum sit expressa, mox proferam.

Contemplaturis nobis reliqua cc. LXI—CXVI quaerendum est, num probabile sit, ea quoque a Catullo ipso esse in unum collecta. qua in re id iam suspicioni praebet ansam, quod deest omnis praefatio neque tamen ante c. LXI (in huius quidem initio uoluminis) aliquid olim periisse probabile est, cum hoc c. LXI, ut iam dixi, aptissime agmen ducat: obuia est coniectura, Catullum etiam librum siue alterum siue secundum missurum fuisse ad amicum quendam (nam LXV ad solum LXVI spectat). deinde uero,

quod in primo libro agnoscere equidem nequeo id in eis quae restant non possum non agnoscere: numquam Catullum sentio recepturum fuisse debile illud atque elumbe poema LXVIII[a], numquam permissurum ut illae de fratris morte querellae bis extarent. idemque de paucis quibusdam epigrammatis statuo. post mortem igitur poetae illa composita esse censeo; et hic in uerbis Martialianis uestigium quoddam ueri odoratus mihi uideor. scilicet Veronensibus omnia uatis sui clarissimi opuscula digne unita extare cupientibus post eius obitum ab amico quodam (Veronensi et ipso fortasse) reliqua poemata mihi uidentur esse collecta. sed quicumque fuit is qui collegit ea, hoc nunc indagandum est quomodo composuerit. Birtius fieri potuisse negat, ut epyllion longum LXIV alio modo quam proprio uolumine ederetur. calidius hoc ille, ut alia multa. nam etsi iam antea a Catullo ipso erat emissum posteaque eius ἔκδοσις peculiaris non deerat fortasse (de his rebus nil scimus), tamen in editione commode iam carmina restantia complectente (et has omnium maxime adhibitas esse, his scriptores longe plurimos ad nos peruenisse uerum est) epyllion illud cum aliis opusculis a metro dissimilibus non potuit non consociari. qualium uoluminum miscellaneorum exemplum sufficit protulisse siluarum Statianarum libros. igitur redactor ille hoc egit unum, ut Catulliana undique congesta apte adcommodateque disponeret. continet c. LXI (si lacunas explemus: cf. comm.) uersus 240, LXII itidem suppletis quae interciderunt fere 90, LXIII 93, LXIV olim (ut suspicor ex hiatibus detectis) 415, LXV 24, LXVI 94, LXVII 48, LXVIII totum 162: habemus 1170 fere uersus. iam cum epigrammata sequentia complectantur 330 uersus (paruas quasdam lacunas nolo urguere), aut unum librum oppido spissum 1500 uersuum ex his carminibus efficere licuit aut, si hic liber iure meritoque displicuit, ita recte distribuere, ut uno (iam secundo) uolumine comprehenderentur cc. LXI—LXIV (= 840 fere uu.) et altero (iam tertio) cc. LXV—CXVI (= 660 uu.). neque sane aptiorem ille inuenire potuit distributionem, siquidem elegiae omnium optime coniungebantur cum epigrammatis: utrorumque forma est eadem per disticha. iamque in his opusculis olim artius coniunctis ultro intellegimus, cur LXVII potius epigrammatis adscribendum et LXXVI inter elegias magis referendum tam parua cum cura sint conlocata. — ex eis quae supra de fragm. I—IV disputaui elucet me sic statuere, in antiquitate poemata quidem Catulli non fuisse nota plura quam aut ipse in libro I edidit aut post eius obitum in libris II et III sunt collecta (nam de fragm. V cf. comm.).

Quam inmortalitatem Catullus poematis suis optauit, ea abunde contigit illis, quippe quae per saecula proxime sequentia semper studiose legerint, semper summo in honore habuerint Romani. et iudicia quidem perpauca adsunt; notabile est illud, quod Velleius Paterculus II 36 de aeui Ciceroniani poetis claris dicens profert *auctoresque carminum Varronem ac Lucretium neque ullo in suscepti carminis noui opere* ('suspecti operis sui carmine' cod.) *minorem Catullum:* inter priscorum sectatores et τοὺς νεωτέρους, quorum instar nominatur Catullus, aequa lance laus distribuitur. neque defuerunt qui in sermone hic illic nonnulla reprehenderent, ut C. Asinius Pollio (amice sine dubio) illud 'pugillaria'; cf. Charis. p. 97, Hauptius opusc. II p. 67. sed amor poetae nostri maxime cernitur in studiis, quae insequentis temporis Augustei uates in cognoscendis penitus eius operibus posuere: hic dux, hic magister erat ad poesin tendentibus, huius praesertim (ut et ingenio proximorum, Calui maxime) docta opuscula adsiduis curis tractauerunt earumque uestigia multa in scriptis suis reliquerunt*) Vergilius non solum in eclogis sed etiam in Georgicis atque Aeneide (prae ceteris adamauit c. LXIV), nec non Propertius (HMagnus in Fleckeis. ann. 1877 p. 418), porro Ouidius (cf. AZingerle libri 'Ovid u. s. Verhaeltniss zu den Vorgaengern' I p. 49 sqq.), tum auctor consolationis ad Liuiam, deinde Lygdamus (SKlemannus 'de libri IIIii carminibus, quae Tibulli nomine circumferuntur' p. 48 sqq.), denique auctores Culicis Dirarum Lydiae maximeque is qui scripsit Cirin, carmen centonis fere in modum ex Catullo et Vergilio consutum ideoque interdum etiam ad rem criticam utile (PLM. II p. 186 sqq.): in horum omnium scriptis multa et certae meditataeque imitationis uel aemulationis et incertae ultroque se offerentis recordationis uestigia occurrunt, quae in commentario deprehendes ubique adnotata. nec tum deerant, qui, quamquam elegiarum ratio inde a Varrone Atacino et Cornelio Gallo inmutata esset, hic quoque sequi maluerunt (quantum diiudicare nobis licet) Catullum Caluumque, ut C. Valgius Rufus, elegiarum (cf. schol. Veron. ad Verg. ecl. 7, 22) et epigrammatum auctor, et Domitius Marsus eisdem notus saepeque una cum Catullo commemoratus (Teuffelii HLR. § 242, 3). lyrica autem Catulliana secuti sunt diligentissime, qui similiter luserunt: Priapeorum auctores diuersos et Vergilium

*) cf. in uniuersum ADanyszius in dissertatione Vratislauiensi a. 1876 'de scriptorum, imprimis poetarum Romanorum, studiis Catullianis' inscripta.

adulescentulum in libri catalepton epigrammatis (PLM. II p. 162 sqq.) plurima ex hac parte adsumpsisse uidemus (cf. Suessius libri 'Catulliana' p. 7 sqq.). eo magis mirum esset, Horatium non commemorasse summum Romanorum poetam lyricum nisi obiter et cum quadam inrisione (sat. I 10, 19 de Demetrio simio *nil praeter Caluum et doctus cantare Catullum*) et adeo oblitum esse praecessorum ut audacter sibi attribueret gloriam Aeolii carminis ad Italos modos deducti (Od. III 30, 13; epist. I 19, 23 et 32 sqq.), nisi laesi proprii amoris excusatio caderet in eum, qui sibi conscius erat lyricorum genera multo et plura et maiore cum arte excoluisse: bilem mouit Horatio, qui ceteroquin (ut docti quidem poetae Augustei omnes) easdem in poesi normas legesque et sequebatur et commendabat (cf. supra p. 12, et contra comm. ad LXIV in fine) quique lecti studiose Catulli maxime in epodis signa exhibet, bilem inquam ei mouit, quod tanto fauore publico fouerentur carmina Catulli Caluique et contra sua ipsius neglegerentur (cf. supra p. 15). sed hoc aequalium eius iudicium ex parte certe comprobauere tempora sequentia. casui adscribo, quod in parietibus Pompeianis nulli uersus Catulliani sunt reperti. Seneca utrique amore aequo deuinctus non solum in epigrammatis (PLM. IV p. 55 sqq.), sed uel in tragoediis haud raro Catulli memoriam nobis suscitat (cf. ad XXXI 5, XXXIV 15). et Petronius Horatii curiosam felicitatem e longinquo admiratus in suis poematiis, quae satiris inspersit, Catulli metra saepius adhibuit. et quidquid Caesius Bassus Horatium lyricum laudibus extulit (ex cuius iudicio pendet Quintilianus X 1, 96 mirifice Catullum cum Bibaculo ut iambographum laudans iamque pergens *at lyricorum idem Horatius fere legi dignus*), scholasticos parum curauerunt qui ingenium arti praetulerunt. Martialem summo uatis Veronensis amore admirationeque flagrantem uocare possis poetam Catullianum: adeo exemplaris sui scatet et in totis carminibus et in singulis locis tam imitationibus quam recordationibus, adeo et ingenio et uersus condendi facilitate eum longo nimirum interuallo sequitur; cf. RPaukstadtius in dissertatione Hallensi a. 1876 'de Martiale Catulli imitatore' (AZingerle in libello 'Martials Ovidstudien', Oenop. 1877, p. 6). Plinius iunior ut inter alia carmina etiam his 'nugis' operam dedit, quas inscripsit 'hendecasyllabos' (IV 14, ubi § 3 *his iocamur, ludimus, amamus, dolemus, querimur, irascimur, describimus aliquid modo pressius modo elatius*) aperte Catullum sequens (ibid. § 5), ita alibi (IV 27) narrat de Sentio (siue Serio) Augurino, qui in 'poematis' hoc protulit specimen, quod ex nostra emendatione adscribemus:

canto carmina uersibus minutis
his, olim quibus et meus Catullus
et Caluus ueteresque. sed quid ad me?
unus Plinius est mihi priores:
mauult uersiculos foro relicto
et quaerit, quod amet petatque amari.
ille Opilius, ille quot Catones!
i nunc, quisquis amas, amare noli.

et alio loco [I 16, 5] idem Plinius refert de Pompeio Saturnino multiplicis ingenii homine: *praeterea facit uersus, quales Catullus aut Caluus, re uera quales Catullus aut Caluus. quantum illis leporis, dulcedinis, amaritudinis, amoris. inserit sane, sed data opera, mollibus leuibusque duriusculos quosdam, et hoc quasi Catullus aut Caluus.* et alii haud pauci, quanta auctoritate floreret Catullus, tum ostendere. passeri Lesbiae Stella opposuit columbam Violentillae (cf. comm. ad c. I); nec aliter fortasse et Unicus (Mart. XII 44) et Sulpicia Caleni uersus fecerunt. sic uixerunt Catulli carmina minuta, cum interim docta eius poemata obliuione obrui coepissent. iam enim qui uiribus ad exemplum τῶν νεωτέρων conroboratis poesin Romanam ad summum adduxerant cacumen, Vergilius prae ceteris Ouidiusque, ita ipsi exemplum atque norma in omne tempus erant facti, ut ueterum illorum epyllia eclogas elegias similiaque rarissime hic uel ille amator doctus inspiceret. unde in poetis epicis iam sequentibus pauca omnino reperias, quae iure quidem ex Catullo ipso possint putari deriuata: Lucanus, Silius Italicus, Valerius Flaccus, Statius, porro ex satiricis Persius et Iuuenalis, quamquam nouerunt sine dubio Catullum et interdum cum eius recordatione hac uel illa locutione siue imagine usi esse possunt uideri, tamen altiora quidem studia uix prae se ferunt. sed minutorum carminum etiam tum mansit honos atque auctoritas, cum imperante Hadriano litterarum colendarum mutatio illa euenit, qua prisca et obsoleta in deliciis erant. testantur illorum apud homines elegantes memoriam uiuam inscriptiones nonnullae, cum eae quas ad c. III commentarius exhibebit, tum notum illud ad Priapum poema (in Meyeri Anth. lat. 1704; cf. de eius origine uere antiqua MHertzius anall. ad carm. Horatt. hist. part. III p. 19), quod ut Horatii ita Catulli imitationibus plenum est*): dedit, ut

*) etiam leuiores imitationes huius carminis utile est comparare. ueluti u. 3 sqq. *da mihi ut pueris et ut puellis fascino placeam bonis procaci lusibusque frequentibus iocisque dissipem curas animo nocentes* uerba

suspicor, a materia quidem imitationi ansam potissimam nobile illud Priapeum in fine libri I Catulliani positum (fragm. III et IV), quamquam a forma praeplacuerunt hendecasyllabi sane commodiores. nimirum eo aeuo, quod Apuleio Frontone Gellio maxime est nobilitatum scriptoribus, non potuit non placere is poeta, qui in sermone suo magis ad priscos quam ad nouos (h. e. ex sensu posteriorum) siue Augusteos poetas accedit. neque casu hercle contigit, quod haud paucae uoces a Catullo ex uitae cottidianae dictione magis uulgari sumptae recurrunt apud Apuleium. qui quamquam accurate legit Valerium (testantur eius scripta et uincta et soluta oratione composita omnia), tamen quae in uerbis cum eo communia habet potius instaurato tum prisci sermonis usui debet. Gellius autem ex testimoniis notum est quam amauerit (cf. et XIX 9, 6; VI 20, 6 *elegantissimus poetarum*) seduloque legerit uatem Veronensem, quam intentam curam inpenderit uerbis eius disceptandis et recensendo textui tum temporis ualde corrupto. illo enim spatio etiam grammaticorum studia laete florentia profuerunt Catullo: tum puto extitisse commentatorem illum, cuius uestigia nos deprehendimus ad I 1 not., IV 1, LXVI; et ad eundem in ultima origine fortasse redeunt pauculae illae glossae ad nostrum pertinentes, quas collegit Hauptius opusc. III p. 642. circa finem autem saeculi p. Chr. secundi ut litterarum studia magis magisque sunt facta exilia atque arida, ita Catullus paulatim euanescere coepit ex memoria Romanorum. ultimus grammaticorum, quem ipsum haec carmina triuisse nunc quidem scimus, est Horatii commentator Pomponius Porphyrio Frontonianus (adfert ut alium locum ita ex libri primi fine deperdito fragmentum alibi non traditum). scriptorum autem posteriorum, qui quidem nobis noti sunt, quos certum sit legisse integra Catulli poemata, non habeo nisi forte Prudentium et Claudianum; hic enim tam ingenio quam doctrina eminens in fescenninis suis similes fetus Catullianos aperte respexit. sed nec Ausonius, quamquam praefationem ad Cornelium fortasse ex Anthologia quadam cognitam habens, totum Catullum legerat nec aut Sidonius Apollinaris aut Dracontius aut Luxorius aut Boethius aut Maximianus; qui si quando ad nostrum adludere uidentur nominantue eum, non propriis studiis uiaque derecta illa adsumpsisse

---

ultima adludunt ad c. I 10, unde 'iocisque' ad commendandam emendationem ibid. u. 6 haud paruum confert. — data occasione moneo, in carmine illo u. 46 adesse lacunam sic fere explendam *Cupido* ⟨*flaccens, et tristis sine mentis igne*⟩ *Bacchus.*

sunt putandi. et sine dubio grammatici post saeculum II uiuentes non ex ipso hauserunt nostro, sed ex fontibus Gellii tempore uel antea compositis (ut Terentianus Maurus una cum ceteris metricis ex Caesio Basso); et apparet Macrobium, Martianum Capellam, Iulianum Toletanum, Isidorum tantum fando legendoque cognouisse Catulli nomen, non ex ipsius operibus. sic mero casu Catulli carmina in abdita quadam bibliotheca forte fortuna seruata ad medium peruenerunt aeuum. per quod quibus fatis ea sint iactata, enarrant prolegomena tomi prioris.

LIBER PRIMUS.

Carmen ad Cornelium.

1. Quoi dono lepidum nouum libellum. habet aut certe habere se fingit poeta ante se uolumen a bibliopola missum tale, quale e librariorum manibus uixdum prodiit: quod cui amico iam dedicet circumspicit. 'nouum' illud uocat usu hominum nondum tritum, sed quasi intactum nitens splendensque (cf. u. 2), nisi praestat de ipsarum cartarum cogitare nouitate, quippe quae recens aduectae sunt ex officinis Alexandrinis necdum longo situ putrefactae (cf. Stat. silv. IV 9, 7 *noster* [libellus] *purpureus nouusque carta* cum opposito u. 10; uide et XXII 6); fortasse tamen simul etiam aliud aliquid obuersatum esse Catullo ostendit cum hoc 'nouum' coniunctum asyndetice (cf. ad XLVI 11) 'lepidum'. hoc enim 'lepidum', etsi et ipsum possit aliqua ex parte referri ad habitum externum iucundum (Plaut. Pseud. I 1, 26 *tabellis lepidis lepida conscriptis manu,* LXXVIII 1), multo magis internas designat uirtutes: plenum salis et facetiarum; cf. VI 17 *lepido uersu;* Mart. XI 20, 9 *lepidos libellos.* itaque 'nouum' praeterea indicare uidetur librum, qualem antea non tulerunt litterae latinae, in suo genere primum; quo sensu etiam Ciris auctor dixit u. 100 *nouum uolumen* (in quo noua materia tractatur). 'libellum' autem audire primum uolumen (c. I—LX), cuius nugas ineptiasque hic simul designat deminutiuum, supra p. 58 monui. 'dono' hic explicemus oportet 'dedico' siue 'mitto' (hoc enim solemne uocabulum, LXV 15) ob u. 8: similiter Mart. III 2, 1 *cuius uis fieri, libelli, munus?* (subicitur u. 6 *Faustini fugis in sinum: sapisti*); ceterum 'dono' ipso modo significat, neutiquam deliberare diutius poetam, qui alioquin coniunctiuum posuisset (cf. ad LXIII 55), sed potius rhetorica interrogatione derecte quaerere. 'quoi' Itali restituere ex 'qui' in **V** tradito: formam illam longe supra Augusti tempora usitatam saepissime (I 3, XXIV 5, LXVII 47; cf. supra p. 50) in 'qui' mutauere librarii, quippe qui semper non intellectas sibique insuetas formas priscas deprauauerint fere eodem modo; neue 'qui' olim dandi casu locutos esse Romanos putes ('quoi — qui — cui', ut ex. gr. 'quom — qum — cum'), id quod erant qui sibi persuaderent, uetat et formarum ambiguitas et disertum Quintiliani [I 7, 27] testimonium: cf. Buecheleri de declin. lat. [Lipsiae 1866 p. 59] libellus. ut hoc semel addam: Catullus non potuit non scribere etiam 'nouom' (ut ubique 'uo' pro 'uu'), nos uero in editione nostra haec similiaque ibi tantum restituimus, ubi aperta codicum indicia admone-

bant. — **2. arido modo pumice expolitum.** de more pumicandi siue pumice laeuandi frontes cartarum superiorem et inferiorem ad amouendas papyri inaequalitates cf. Ouid. trist. III 1, 13; Lygdam. 1, 10; Mart. I 66, 10 et 117, 16 (etiam circumcidebantur ad eundem finem libri: testim. uol. I ad h. l.). unde apparet 'expolitum' fere ut XXII 8 'aequata' ualere 'laeuatum': Ouid. trist. I 1, 11 *nec fragili geminae poliantur pumice frontes, hirsutus sparsis ut uideare comis.* 'aridus' ex natura sua audit pumex itidem apud Mart. VIII 72, 3 *morsu pumicis aridi politus* ex nostri u. imitatione (Plaut. Aul. II 4, 18). errant qui Catullum feminine 'arida pumice' scripsisse etiamnunc putant (cf. testim. uol. I ad h. l.); Seruio enim, homini in adferendis locis Catullianis neglegentissimo, fides nulla. — interrogationi derecte instanterque propositae 'quoi dono' more non ita raro (bene Vulpius conligit C 5 *cui faueam potius? Caeli tibi* et Hor. epod. 12, 21) non minus instanter et sine mora respondetur: — **3. Corneli, tibi,** scil. dono. cuius responsionis quae esset natura, bene sensit Ausonius (praef. ad Drepan. fil. XXIII 1—3] '*cui d. l. n. libellum*' *Veronensis ait poeta quondam inuentoque dedit statim Nepoti:* ne momentum quidem de eo, cui dono mittatur libellus, dubitatur. quibus ex Ausonii uerbis etiam Cornelium illum certo edocemur non fuisse alium quam Cornelium Nepotem, historicum notissimum. hic Nepos (de quo uidendus Teuffelius HLR. § 198) Catulli erat conterraneus, unde potissimum orta uidetur familiaritas. — **3, 4. namque tu solebas meas esse aliquid putare nugas.** lusus meos facetiasque (cf. u. 1 'lepidum') non carere suo pretio, non ultimo loco ponendos esse semper censuisti (per sermones data occasione declarasti); saepe sic 'aliquid esse' (ut graecum τι εἶναι) adhibetur: Cic. Tusc. V 36, 104 *quos singulos sicut operarios barbarosque contemnas, eos aliquid putare esse uniuersos,* hoc est magni pretii habere. errauit autem Plinius (testim. ad h. l.), cum metrum utpote durum in uoce 'meas' emolliendum putauit; nam Catulli tempore in primo uersus phalaecii pede iambon uel trochaeum ponere leges scolasticae permiserunt et saepe sibi permisit Catullus (LMuellerus de re metr. p. 162 sq.); qua in sede inde ab Augusti tempore exortae seueriores normae spondeos fecere legitimos. 'nugas' autem (de uoce cf. Ritschelius opusc. II p. 424), ut etiam 'ineptias', appellabant Romani minora carmina lyrica et epigrammata, quae utpote plerumque forte nata ludere magis inque cartas conicere se fingebant quam multo studio elaborare limaque subigere (ut fiebat in epicis et elegiacis); primi igitur uoluminis potissimum poematia (quamquam et tertii finis hinc non abhorret) designat poeta: cf. II 1 *si qui forte mearum ineptiarum lectores eritis;* Mart. II 86, 9 *turpe est difficiles habere nugas et stultus labor est ineptiarum;* idem IV 10, 1 *dum nouus est, rasa nec adhuc mihi fronte libellus . . . caro perfer leue munus amico, qui meruit nugas primus habere meas* et saepius; Luxor. in Anth. lat. 442, 3 [PLM. IV p. 387] *nostri libelli cur retexis paginam nugis refertam friuolisque sensibus et quam tenello tiro lusi uiscere?* — **5, 6. iam tum cum ausus es unus Italorum**

omne aeuum tribus explicare cartis. ad 'iam tum' melius 'putabas' quam 'putare solebas' subintelleges; agitur fortasse de beniuola Catulli commemoratione in Nepotis opere facta, eo fere modo quo hic post Catulli mortem in uita Attici [12, 4] Iulium Calidum honorifice nominauit. usu uenit autem teste illo 'iam tum' commendatio illa haud paruo ante hoc carmen tempore, fortasse adulescente Catullo circa a. 65 (Schwabii q. C. p. 295; ad LXVIII[a] 17). quod est alicuius ad iustam interpretationem momenti. dicuntur enim Cornelii Nepotis chronicorum libri aliunde quoque cogniti (paruas reliquias habes Halmianae editionis pgg. 119 sq.), quos tres fuisse conligitur ex nostro loco. nam non recte AStatius opinatus est, 'tribus' hic aequare 'paucis' (ut LXXIX 4): nec per se ob summam ambiguitatem neque in tam concinna oppositione 'omne — tribus' ullo modo id credibile est. 'carta' (quae fuisse uidetur per totam antiquitatem melior scriptura, ut graecorum χ per simplicem 'c' reddebant Romani) hic denotat 'uolumen' siue librum tamquam totius operis partem, cum fuerit uolumen ut ex multis cartis siue paginis conglutinatum tamquam una continua carta: Serenus Sammon. 721 [PLM. III p. 140] *tertia namque Titi simul et centesima Liui carta docet* (= liber CIII[us]); similiterque singulas satiras suas, scil. primo seorsum editas, 'cartas' uocat Hor. sat. I 4, 101 (cf. et Ouid. trist. I 1, 4 et Wattenbachius libri 'd. Schriftwesen i. Mittelalter' p. 142[2]). tribus igitur libris Nepos ausus est (utpote in re difficillima neque, ut statim uidebimus, adhuc temptata) 'omne aeuum' siue totam inde a primis temporibus historiam omnium nationum (quod confirmant fragmenta) 'explicare' siue digerere et ordinare secundum chronologiam; continuisse Nepotis chronica breuem omnium gestorum per singulos annos enumerationem iam Niebuhrius [praelectt. de hist. Rom. I p. 35 ed. Berol.] uidit. ad uerba cf. Val. Max. praef. libri I *quis enim omnis aeui gesta modico uoluminum numero comprehenderit;* Stat. silu. IV 7, 54 *omne mundi senium;* Cic. Brut. 3, 13 *libri quo iste omnem rerum memoriam breuiter ... complexus est* et ibid. 4, 15 *ut explicatis ordinibus temporum uno in conspectu omnia uiderem* (utrumque de consimili Attici libro annali). iam illud quaeritur, quo iure Catullus scripserit 'unus Italorum'; nam et a M. Terentio Varrone tris annalium libros itidemque unum librum annalem a T. Pomponio Attico compositos esse constat. uidemus autem ex Bruto [5, 19], non ante a. 54 Atticum scripsisse illud opusculum; et Varronis opera ad historiam et antiquitates pertinentia cum intra annos 60—48 cadant, eum nec ipsum istiusmodi breuem conspectum, qualis fere finitis maioribus studiorum monumentis confici solet, ante a. 54 edidisse probabile fit (de Varronis annalibus cf. Ritschelii opusc. III 447). uere igitur Catullus in amico praedicat, non solum quod primus, sed etiam quod adhuc unus Italorum tale opus adgressus est. 'Italorum' interpretari licet 'eorum qui latine locuntur' (Seruius ad Aen. I 109) tacita Graecorum oppositione (unde ex. gr. de Apollodori chronicis cogitat Ellisius); sed simul, nisi fallor, hoc inest 'hominum non

proprie Romanorum', ut non sine superbia poeta Transpadanos suos celebret. — **7. doctis, Iupiter, et laboriosis.** exclamatio 'Iupiter' (utramque formam 'Iūpiter' producta prima naturaliter longa et 'Iŭppiter' eadem, iam sola positione longa, correpta probam puta) uaria pro cuiusque loci natura exprimens hic declarat admirationem, qua suspicit poeta operis et doctrinam, quae nisi summa est non potest in tam breui enumeratione separare memorabilia et superflua, et laborem in uoluendis maxime plurimorum auctorum libris positum. audiunt enim cartae 'laboriosae (cf. Mart. XI 6, 3 *uersu laborioso*) propterea quod opus multo labore est confectum; nugasque uendidit Gellius [IX 12] scribens *C. Caluus in poematis 'laboriosus' dicit, non ut uulgo dicitur 'qui laborat', sed 'in quo laboratur': 'durum' inquit 'rus fugis et laboriosum'*. nimirum ita est distinguendum: homo laboriosus est qui laborat, res autem laboriosa ea, in qua laboratur (laboris plena). — **8, 9, 10. quare tibi habe quicquid hoc libelli qualecumque quod patrona uirgo plus uno maneat perenne saeclo.** in uerborum ualde corruptorum initio Itali restituerunt quod uulgo est receptum: 'quare habe tibi, quicquid hoc libelli, qualecumque'. quae restitutio duplici nomine est falsa. nam cum in sollemni loquendi formula, qua aliquem hanc illamue rem tamquam priuam et peculiarem habere iubebant quaque etiam in diuortio maritus loquebatur ad mulierem 'res tuas tibi habe', certus usus pronomen praeponendi inde a primis temporibus (nam qui locum Plauti Pers. IV 4, 111 ad uulgatam defendendam accersunt, coniecturam Guietianam amplexi sunt in loco sic potius corrigendo *tibi eam habe centum mineis*) usque ad ultima (cf. ex. gr. Symm. in Val. I 9 *tibi habe, uetustas, redemptas saepe centurias*) semper optinuerit causam ob perspicuam (nam proprietatis notio postposito pronomine euanescit et dilabitur), friuolum est poetam ab hoc certo usu recedentem facere ex coniectura. unde traditum 'quare tibi habe' sic olim sanandum putaui ut rescriberem 'quare *tu* tibi habe': in quo quam praeclarum sit et ui graui plenum illud 'tu', facile persentiscis (cf. u. 3). dicit poeta: 'quod cum ita se habeat (de 'quare' semper fere consecutiue apud Cat. posito cf. ad LXXVI 10), tu, utpote tam beniuolus harum nugarum iudex, libellum datum donatum dedicatum accipias propriumque habeas'. non minore difficultate laborant uerba proxima. nam quidquid opposuit nuperrime Suessius [Catull. p. 13 sq.], non potest haec per asyndeton copulatio 'quicquid, qualecumque' defendi ex eis quae disserentur postea ad XLVI 11. copulantur haec interdum disiunctiue (Prop. II 1, 15) aut in singulis enuntiati membris uariandae orationis gratia (Sulpiciae el. 2, 17—19; 4, 7), copulantur etiam per 'et' in accurata distinctione (Tac. ann. XIV 55 *quidquid illud et qualecumque tribuisset*, hoc est et numerum et genus donorum), unde Itali nonnulli praue hic coniecerunt 'q. h. libelli et qualecumque'. quo autem, quaeso, duorum synonymorum siue asyndetica siue per copulam coniunctio spectat quam ut communis utrique notio ex duplicatione augeatur intendaturque? tali autem modo modestiam

suam extulisse num putandus est Catullus? quam in rem suffecit illud 'hoc libelli'; nam saepe 'hoc' cum genetiuo partitiuo ita coniungitur ut de rei quam genetiuus indicat pretio aliquid detrahatur, ut apud Cic. ad fam. II 8, 3 *quom hoc ad te litterarum dedi*, quod recte Kuehnerus [gramm. lat. II p. 316] explicat 'hanc breuem teque uix dignam epistulam'; et sic 'hoc libelli' interpretamur 'hunc nugatorium paruumque fetum'. potest quidem ad hoc bene nec plane superflue accedere additum aut 'qualecumque est' aut 'quidquid est'; recteque conferunt ad hoc Priap. 2, 9 et Mart. III 1, 1 (quos locos ex nostro expressos esse inepte, ut in dictione de triuio sumpta, statuerunt nonnulli), ad illud autem Lucr. II 16 *degitur hoc aeui* (= paruum spatium) *quodcumque est,* Aen. I 78, Censor. 1, 5 *quodcumque hoc libri est,* idem 21, 5 *hoc quodcumque caliginis,* alia; sed nulla ratione utrumque, et 'quicquid' et 'qualecumque'. iam enim excedentis omnem modum atque ineptae putidaeque modestiae significationem exhiberet poeta. quamquam talia, si non sentiuntur, difficile demonstrantur. non ueremur autem, ne quis Taciti loco adlato nixus 'quicquid' ad ambitum libelli, 'qualecumque' ad pretium spectare putet; nam de ambitu maiore minore nulla plane excusandi causa erat, et inest haec notio iam illi 'hoc libelli'. neque mitigatur uitium illud, si 'qualecumque' ad uersum sequentem trahimus ('qualecumque quod maneat', hoc est 'quod, cuicuimodi est, maneat': cf. ex. gr. Prop. III 21, 16 et 23, 9): quomodocumque distribuis, manet triplex illa modestiae significatio Catulli simplicitate indignissima. itaque si alterutrum loco debet cedere, remouebimus 'quicquid' iam ab ipso uersu, qualem in initio emendauimus, damnatum. usus sum olim uaria lectione, quae in G habetur, 'mei' ad hanc coniecturam 'mei hoc libelli'; postea perspexi, 'hoc libelli' suapte natura non tolerare additum 'mei'. quamquam persisto in ea sententia, qua hanc scripturam ex altero codice Belgico petitam strenue adhibendam esse dixi (uol. I p. XLI not.). corruptus est funditus hic uersus atque lacunosus, ecce adest illud 'mei' nulli glossae suspitioni obnoxium (glossae enim nusquam inter uarias illas lectiones): quis homo serius hic casum subesse putabit? mihi nunc in 'mei' latere uidetur 'mel', quod sede sua depulsum in marginem migrauit; cumque in V extaret 'libelli .·. mei', ipsius uocis 'libelli' alteram lectionem adesse sibi persuasit qui G scripsit. blandifice nimirum sic Catullus uocat amicum: cf. Caelius apud Cic. ad fam. VIII 8, 1 *C. Sempronium Rufum, mel ac delicias tuas;* Mart. X 68, 5 *κύριε μου, μέλι μου*, Apul. apol. 9 *florea serta, meum mel, et haec tibi carmina dono.* et quamquam in adlocutione dixerint 'meum mel' (cf. et Plaut. Poen. I 2, 154), tamen notum est etiam omitti possessiuum; uelut 'mea rosa' bis habens Plautus (Asin. III 3, 74 et Bacch. I 1, 50) semel simplex 'rosa' (Men. I 2, 9) adhibet; et Catullus ipse, cum ceteri 'mi ocelle' dicant, nudum 'ocelle' ponit L 19; et sic inter 'uita mea' et 'uita' uariant. sed iam reponenti mihi 'tibi habe, mel, hoc libelli' haec subnata est dubitatio, num illa magis a nobis intellegi possent, qui interpungendi ratione exculta utimur,

quam a lectoribus antiquis, qui ne 'mel hoc' artius coniungerent cauendum erat scriptori. fortasse nimis ego sum anxius; sed 'mel' tenens cum iterum rem perpenderem, hoc uocabulum ad lacunam in uerbis 'quare tibi habe', quam olim resarciui 'tu' inserendo, spectare suspicabar: apparet dulci affectui, quo ductus Catullus hunc libellum donauit Nepoti, bene conuenire etiam blandificam illam amici appellationem. quo perspecto denuo inuestigandum erat, quid illi 'quicquid' fieret. quam uocem si solita in omnibus quae a radice pronominis 'qui' descendunt formis corruptione (plerumque ex conpendiis scripturae, hic fortasse sequentis illius 'qualecumque' respectu nata) adfectam statuimus, non absonum erit reponere 'quidem' recta, nisi fallor, oppositione hac: tu nunc dominus quidem sis libelli; quem tamen, qualiscumque est, Minerua in longum tempus conseruet. restat iam u. 9, quem non minoribus in difficultatibus uersantem itidem docti multis uexauerunt coniecturis. ex quibus duae sunt dignae mentione. AStatius inserto 'ē' siue 'est' uoluit 'qualecumque quod est, p. u.', non male: Phaedr. app. epil. 1 *hoc qualecumque est, Musa quod ludit mea*; nam 'quod' postpositum minime a Catulli more abhorret: cf. LI 5, LXII 13 et 14, LXIV 8, 66, 216, LXVII 21, LXVIII[b] 91, LXXVI 9. sed quoniam 'qualiscumque' etiam omisso uerbo substantiuo 'esse' relatiue per appositionem accedere potest ad 'quod' (praeter locos Propertii supra adlatos cf. Ouid. a. a. II 284 et trist. I 1, 46), erit qui malit cum Italis 'o patrona' (O siue post D siue ante P periit facile). quamquam 'o' in altiore paulo affectu adicitur, cui in hac simplici adlocutione non esse uidetur locus. restituimus igitur in hunc modum uerba omnium facile difficillima:

quare, mel, tibi habe quidem hoc libelli;
qualecumque quod est, patrona uirgo,
plus uno maneat peremne saeclo.

iamque quaeritur, quaenam sit patrona illa uirgo, in qua explicanda multi inde a saeculo XV desudarunt docti. alii eam Musam, alii Pallada sumunt. sed de Musa quominus cogitemus, sat grauis ratio prohibet. etsi enim scholiasta ad Apoll. Rhod. III 1 scribit: '*Ριανὸς δέ φησι μηδὲν διαφέρειν ἢ μίαν ἢ πάσας ἐπικαλεῖσθαι τὰς Μούσας λέγων οὕτως: πᾶσαι δ' εἰσαΐουσι, μιᾶς ὅτε τοὔνομα λέξεις* neque hercle huius usus desunt exempla, tamen hic non legitur 'patrona Musa', sed quae est plane incerta dubiaque et cuius uariae fingi possunt species 'patrona uirgo'. intellegimus pluralem LXV 2 *doctis uirginibus*, cum praesertim u. 3 statim subiungatur 'Musarum', et LXVIII[b] 1 *deae* in sollemni exordii inuocatione; intellegimus Sulpiciae [PLM. V p. 93] u. 11 (*Musa*) *precibus descende clientis et audi* (nam Calliope ibi et iam ante accuratius descripta est et mox diserte nominatur): nudam illam et nulla re accuratius depictam singulariterque positam patronam uirginem uereor ut ullus Romanus agnouerit Musam. Pallada igitur adsumpserunt recte. at indignum est hac dea tale patrocinium: quomodo (cf. ex. gr. Handius, obss. p. 25) quaue fronte libelli nugarum et lasciuiae pleni patronam

poeta inuocat seueram illam uirginem Mineruam, sapientiae deam? quam et ipsam praeterea parum recte designari incerto uirginis nomine. sic haud pauci uidentur sensisse, siquidem multae temptatae sunt coniecturae ('patrima' et 'patroa' et 'paterna uirgo'; porro ab Handio 'patrone per te', a Bergkio 'patroni ut ergo', alia), quas singillatim refutare nil attinet. nam quamquam Cornelius patronus etiam nostri temporis doctis nonnullis placuit, qui in rimandis imitationibus nimis longe progressi accersierunt Mart. III 2, 5, tamen Nepos, qui suis quidem scriptis amicum commendare et sermonibus identidem praedicare potuit, omnino caruit facultate immortalem reddendi Catullum. missis ergo nugis uideamus, num uere Mineruam hic non ferendam clamauerint. consistebant quidem in illius utpote omnium artium patronae templo Auentino etiam scribae siue poetae (Festus p. 333) ob honorem Liuio Andronico habitum (cf. et Prelleri myth. Rom. p. 259), scribit quidem hinc Ouidius fast. III 833 *mille dea est operum, certe dea carminis haec est*: nihilominus patrona poeseos neque erat neque habebatur Pallas Musis licet amica. neque uero ut carminum suorum fautricem inuocat eam Catullus, sed tamquam huius libelli conseruatricem. et libelli patronam uirginem ueteres certe lectores non potuerunt intellegere aliam quam Mineruam, quippe cuius unius hoc esset officium. quam interpretationem unice a grammatica admissam adeo spretam esse mirabar, cum uidi eam iam dudum propositam a Scaligero (cf. et Pohlius lectt. p. 13), qui recte prouocat ad Iuuen. 3, 219 *hic libros dabit et forulos mediamque Mineruam*, ubi designatur deae προτομή siue simulacrum dimidiatum, quod in omnibus bibliothecis dedicabatur. fingebantne sibi hanc bibliothecarum praesidem Mineruam tamquam Memineruam siue memoriae deam? quidquid id est, nihil iam referre apparet, quidnam hic libellus contineat: omnium operum semel in bibliothecas receptorum aeque conseruatrix dia Pallas. iam inde a Sullae tempore extiterat apud doctos diuitesque Romanos cura bibliothecarum; in quas recipiebantur delectu facto praecipui spectatique auctores (cf. ex. gr. Sueton. Tib. 70). fortasse igitur, similiter atque Horatius sibi satis superque beatus uidetur, si Maecenatis iudicium eum inseret lyricorum uatum ordini siue *κανόνι*, Catullus quoque sibi exoptat, ut receptus inter probatos scriptores etiam post mortem uitam uiuat diuturnam, ut libellus hic tam nitidus (u. 2) non in plebis perueniat manus inlotas laxasque scombris det tunicas, sed duce Minerua in bibliothecis seruatus a canis saeculis peruoluatur (XCV 6 et 8). de huius autem uoti uerbis, qualia praefert u. 10, cf. Callimachi fr. 121 *πουλὺ μένωσιν ἔτος*; Cinnae fr. 4 *saecula permaneat nostri Dictynna Catonis*; Hor. od. I 32, 2 *carmen quod et hunc in annum uiuat et plures*; Sueton. uita Hor. *scripta ... probauit mansuraque perpetua* (sic recte codd.) *opinatus est*; Ciris 100 *atque nouum aeterno praetexite honore uolumen.* et cum ex multis scriptoribus possint adferri similia, addam exitum sat memorabilem Iliados latinae [PLM. III p. 59], ubi Calliope adhuc carminis cursum moderata ut lyram deponat

admonetur iamque pergitur *ades inclita Pallas* (scil. opusculi conseruatrix) *tuque faue cursu uatis iam, Phoebe, peracto* (scil. in carmina futura). ceterum quod pro forma uulgari 'perenne' tenue codicis **O** uestigium secuti scripsimus 'peremne', memores fecimus et etymologiae (nam ab 'amnis' deriuandum est uocabulum, quod indicauit primitus continuo fluentia) et exemplorum nonnullorum (cf. Osannus ad Cic. de rep. VI 23, 25 p. 406).

I.

1. Passer, deliciae meae puellae. passer non erat animal contemptum apud ueteres; a quibus illum inter auiculas gratas iucundasque (cf. Plaut. Capt. V 4, 5) receptum fuisse recte IGHuschkius [analecta litter. p. 64] inde collegit quod inter blandificas appellationes ab amantibus inuicem datas etiam passerculi nomen inuenitur (cf. Plaut. Asin. III 3, 76 et 104). cum autem auiculae sollemnia fuerint amantium dona (cf. Prop. III 13, 32; Ouid. met. X 261), coniecerit aliquis*), hunc passerem utpote Catulli munus puellae fuisse in deliciis; qua uoce notum est designari, quidquid cordi nostro carum acceptumque est (cf. ex. gr. Verg. ecl. 2, 2 *Alexin, delicias domini*, Val. Max. I 5, 3 *catellus, quem puella in deliciis habuit,* Mart. I 7, 1). esse puellam, cuius nomen ipsum neque in hoc neque in tertio carmine extat, non aliam quam Lesbiam, ut facile intellegitur ab omnibus qui Catulli uitam et carmina (in quibus *mea puella* saepius recurrit nec nisi ad Lesbiam referri potest) pernouerunt, ita senserunt ipsi iam ueteres lectores (cf. infra in c. III). — **2. quicum ludere.** de ablatiui pronominis relatiui forma 'qui' cf. Kuehnerus gr. l. I p. 399, Neuius II 231. lusus ille in eis quae secuntur describitur: — **quem in sinu tenere, quoi primum digitum dare adpetenti et acris solet incitare morsus.** puella passerem tamquam absentem amasium adprimit fouetque sinu; quod uocabulum proprie (ut hic) uestis est, sed transfertur etiam ad partem pectoris a ueste sinuosa obtectam, unde ex. gr. Ouid. epist. 3, 114 *te tenet in tepido mollis amica sinu.* interim passer rostro inuadit manum, quae adprimit, cuius puella animali iam morsuro porrigit digitum aliquem: huius partem primorem (est enim 'primus digitus' accipiendum pro primore digiti parte — *digitulis primoribus* dicit Plaut. Bacch. IV 4, 24 —, quemadmodum saepe 'primus' adhibetur: *primis labris* Cic. d. n. d. I 8, *primis* [pedis] *digitis* Ciris 212, *primos artus* Ouid. met. VIII 397, *primae palmae* Val. Flacc. IV 490: *τὸ ἄκρον τοῦ δακτύλου* hanc partem summam uocant Graeci) dum auiculae dat iterumque rostrum inpressurae retrahit, efferat instigatque eam cupidius uehementiusque morsuram. est autem 'digitum primum' com-

---

*) certe scholiasta Barthianus ad Iuuenal. VI 8, ex fonte antiquo sine dubio hauriens, haec habet: *amicam Catulli tangit, quae propter edomitum passerem mortuum, sibi missum ab adultero, in tantum fleuit, ut oculos corrumperet.* cf. et infra ad III 15.

mune obiectum uerborum 'dare' et 'adpetenti'. ad hoc 'adpetenti' (scil. per rostrum), quod ualet 'prendere cupienti' siue 'inuolanti', cf. Ouid. a. a. III 568 *nec dominae teneras adpetet ungue genas*, Liuius VII 26, 5 (ales) *os oculosque hostis rostro et unguibus adpetit* (forma subrustica 'atpetere' procul arcenda a Catullo, saepius cum in V 'ad' et 'at' sint confusa). difficilia explicatu sunt uerba 'acris incitare morsus', ad quae cf. Ouid. halieut. 44 de pisce *morsu nec comminus acri deficit* (Cic. de sen. 15, 51 *auium minorum morsus*); uulgo enim ad illa subintellegunt 'cuius', quod ex praemisso 'quoi' ipse poeta grata neglegentia eliciendum reliquerit lectoribus (ut similiter X 12 sq.). magis certe usitatum fuisset 'et quem ad acres morsus incitare solet'; neque sufficit ad defendendum Ouid. epist. 19, 114 *incitat et morsus error uterque pares,* hoc est 'dolorem in nobis commouet'. aptius comparabimus Stat. Ach. I 170 *catulos apportat et incitat ungues* (= excitat in se eorum ungues lacessendo); quo loco difficultates omnes submotas equidem puto nec opus esse coniectura a Iacobo Maehly proposita 'excitare'. uerba autem 'in sinu tenere' porroque 'acris incitare morsus' facile in animum uocant imaginem amatoris puellae suae iocis blanditiisque in feruida oscula acrisque lusus incitati. passer igitur absentis amasii partes apud Lesbiam explet. quam sententiam confirmant uu. sequentes: tum Lesbia sic ludit, cum amoris dolore cruciata animi curas uult fugare: huic desiderio passerculus, amantis fortasse donum, paululum satisfacit. quomodo etsi explico uersus tenerrimos, tamen longe remotus sum ab eorum opinione, qui obsceni aliquid in hoc passere odorabantur. inde a Politiano enim, qui breuiter in eam rem digitum intenderat [misc. cent. I c. 6], passerem (cui aui hic nocuit sollemnis fama salacitatis) salaces quidam reconditorum leporum indagatores non desierunt sibi fingere monstruosae lubidinis apud Lesbiam ministrum [Huschkii anal. litt. p. 63 sqq.]. quos tamen minime praecessit (ut putauerunt nonnulli) Martialis, qui I 109, 1 *Issa est passere nequior Catulli* et VII 14, 4 *Lesbia nequitiis passeris orba sui* dixit: ex usu dicendi Martialiano nequitiae uocabulum mollitiem ad teneros lusus aptam designat; neque eiusdem XI 6, 16 *donabo tibi passerem Catulli* huc facere, docuit Leutschius [Philol. X p. 735]; uide et Pohlius [lectt. p. 24]. — **5, 6, 7. cum desiderio meo nitenti karum nescio quid lubet iocari et solaciolum sui doloris.** noto illo adfectum ipsum ad id quod affectamus transferendi usu 'desiderium' siue rem desiderii (Hor. od. I 14, 18) siue personam desideratam significat, quemadmodum Graecos *πόθος* adhibere adnotauit AStatius: Cic. ad fam. XIV 2, 2 *mea lux, meum desiderium .. mea Terentia* et ibid. in fine 4 *ualete, mea desideria,* Petron. 139 *tu desiderium meum, tu uoluptas mea* (similiter 'spem suam' carum caput uocant amantes: Plaut. Stich. 583, Astrabae fragm. apud Varr. d. l. l. VI 73). sic autem cum de persona cogitemus, facile accedit 'nitenti', haud rarum splendidae pulcritudinis attributum: Plaut. mil. 1003 *nimis nitida femina,* Cat. LXI 193, Hor. od. I 6, 13 et II 5, 18. amasiae igitur formosae,

cuius desiderio maceratur miser Catullus, lubet karum (de qua orthographia cf. Brambachii liber de orthographia maior p. 211) nescioquid 'iocari', hoc est, si uulgarem interpretationem sequimur, cum quacumque re grata dilectaque ludere. est huius uocis 'iocari' iusta interpretatio difficillima propterea quod hoc 'aliquam rem iocari' sua utitur significatione certa hace 'per iocum aliquid dicere' (cf. ex. gr. Cic. ad fam. IX 14, 4; Ouid. trist. II 497 *mimos obscena iocantes* = obscena dicta per iocum proferentes), nusquam designat 'iocose agere' uel 'ludere', quod potius exprimitur dictione 'iocari aliqua re'. manifestum est autem, non posse ad similitudinem locutionum 'dulce loqui' similiumque (Kuehneri gr. lat. II p 211) illud 'carum iocari' explicari, cum passiuae notionis adiectiuum 'carus' non contineat obiectum, ut ita dicam, internum, sed tantummodo extra nos positum: potes dicere 'gratum iucundumque iocari' (= iocum siue tibi siue aliis placentem iocari), non tamen 'carum iocari', quod quocumque modo studes explicare te ludit. sumit Lesbia, ut fallat dolorem, rem hanc uel illam in deliciis habitam, quicum lusitet: hanc sententiam ex traditis apicibus saluo latinitatis genio elicere equidem despero. uidendum est autem, num haec difficultas cohaereat cum ea, quam offert uersus insequens. in cuius initio posita uox 'et' iure optimo mouit dubitationem. Lachmannus conligens XXXVIII 7 hoc 'solaciolum sui doloris' tamquam alterum nominatiuum per 'et' accedere putat ad uerbum 'lubet'. quod neque sententia (nam 'carum nescioquid' et 'solaciolum' minime sunt res diuersae, sed potius hoc ad illud per appositionem accedit) neque uero grammatica permittit, secundum quam uerba 'libere' et 'licere' non coniunguntur cum aliis substantiuis tamquam subiectis quam cum neutris pronominum uel adiectiuorum quantitatem indicantium ('quid, quod, quae, quicquid, id, ea, multa, omnia' cet., qua de re cf. exempla apud Neuium II p. 625 sq.), unde XXXVIII 7 *paulum quid lubet allocutionis* et LXI 139 *tibi quae licent sola cognita* facile explicantur simulque intellegitur, nostro loco recte 'carum nescioquid lubet' dici, falso 'lubet solaciolum'. coniecere igitur pro 'et' Itali 'ut' uel 'in', FIacobsius 'es', Handius 'est' (u. 7 post 1 AStatius, post 8 simul 'et' in 'sit' mutans Munro male traiecerunt); et ipse quidem olim Italorum 'in solaciolum' recepi comparans ex. gr. 'in solacium' Taciteum [Agric. 6] locosque a Maduigio [opusc. I p. 167] congestos; nunc ubi 'iocari' non posse retineri iam certo intellexi, ita derigendam esse sentio loci emendationem, ut uno remedio utraque difficultas tollatur. discant enim adulescentes data occasione certam artis criticae regulam, in quam millies peccatur, scilicet cauendum esse ne locum labe adfectum hic illic attrectemus, sed quoad eius fieri licet intra unius uocis ambitum siue potius intra paucas litteras cohibeamus remedium (nisi certa ratione constat uitium uitium traxisse). quoniam igitur remoto 'et' remanet 'iocari', temptandum est num forte sanata 'iocari' uoce integrum possit stare 'et'. correctum puto 'iocari' ob resarciendum metrum a librario

quodam siue grammatico pro eo quod in uetusto eius exemplari lectum erat 'ioci', cui ego unicam 'q.' litterulam addens scribo: 'karum nescio quid lubet, iocique et solaciolum sui doloris', hoc est, cum puellae placet res aliqua grata, quae ei sit et ioco et solacio (germanice: 'als Zeitvertreib und Troestelein für ihren Liebesharm'); cf. ex. gr. Seneca de tranq. a. 17, 4 *mens est ad iocos deuocanda*, et sic Martialis I 14, 1 leonum *delicias lususque iocosque* coniungit loci nostri memor (supra p. 65). habet autem Catullus 'que — et' etiam XXVIII 5 *frigoraque et famem,* XLIV 15, CII 13; idemque eodem modo XXXVIII 8 ad praecedens 'paulum quid lubet allocutionis' per adpositionem facit accedere 'maestius lacrimis Simonideis'. ceterum uox 'solaciolum' praeter nostrum locum in una postremae aetatis inscriptione (CIL. VIII 7427 *uitae dulce solaciolum* de coniuge) casu nimirum legitur. 'dolor' autem hic indicat maxime desiderium dulcis doloris plenum, ut L 17 (cf. Hauptii opusc. I p. 214) et alibi, ueluti Ouid. epist. 13, 104 *tu mihi luce dolor, tu mihi nocte uenis*; 'cordolium' etiam hoc ardens amoris desiderium olim uocitabant. et pulcra hinc oritur uu. 5—7 imago amantium mutuo desiderio flagrantium. — 8. **credo ut cum grauis acquiescet ardor.** ardor siue ignis, quo comburitur amantium pectus (cf. LXVIII^b 13), 'grauis' uocatur utpote morbus urguens premensque, qualem fere sibi finxerunt amorem ueteres; itaque ut 'morbus grauis' (Ouid. met. VIII 878) similiaque, sic 'grauis amor' Prop. III 21, 2 et 'grauis cura' Verg. Aen. IV 1 dixerunt. et quemadmodum morbus saeuiens adhibitis lenitur remediis, ita hic iocis illis lusibusque (alibi aliis modis, ueluti uino) amoris dolor 'acquiescet' siue 'ponet': Ouid. a. a. II 489 *medicamina fortia praebe: illa feri requiem sola doloris habent,* Tib. I 2, 4 *infelix dum requiescit amor*, Plin. epist. IV 21, 4 *magno tamen fomento dolor meus adquiescet.* sed iterum spinae criticae in uersus initio, ubi 'ut cum' stare nequit. hic quoque uiam olim initam (Bapt. Guarinus 'ut tum gr. acquiescat', Schraderus 'uti gr. acquiescat', alii etiam uiolentius plura inmutauerunt) sic relinquimus, ut religioni nobis sit attrectare futurum 'acquiescet'. quod hoc unico modo fieri licet ut pro 'ut cum' restituamus 'tum'; pro quo cum corruptela omnium uulgatissima exaratum esset 'cum', supra 'c' corrector scripsit 'u.t'; etsi enim plerumque per 'ut', tamen interdum etiam per 'ū' uel 'u.' indicatur uaria quaedam lectio; quas uarias lectiones non intellectas hic illic in ipsum uerborum contextum inrepsisse, norunt qui codices multos manibus triuerunt (cf. ad LI 1). et hoc 'tum' cum emphasi dictum apprime ad rem facit. nam nudum illud 'credo', quod siue orationi insertum siue in enuntiati initio positum (cf. ex. gr. Heindorfius ad Hor. sat. I 3, 54) aut simpliciter adfirmat aut leniter dolet aut fortiter inridet pro loci cuiusque conexu, hic libenter recipit particulae, quae ad superiora spectat, additamentum: Cat. LXXXIV 6 *credo, sic mater .. dixerat;* Lydia 69 *tum credo fuerat Mauors distentus in armis.* bene ergo poeta in hac parenthesi adicit: talibus lusibus si puella indulget, tum sane (nihil dubito in tam mellita auicula) eius

dolor mentisque ardor aliquantisper potest mitigari. — **9, 10. tecum ludere sicut ipsa possem et tristis animi leuare curas.** uulgo interpretantur: utinam et mihi liceret, sicut dominae tuae licet, tecum facere delicias et inde mei ardoris quietem accipere. hoc autem 'utinam' (quod in eis uotis, quae effici possunt, tam saepe quam adicitur omittitur, ut ad Cornel. 9) numquam ibi omittitur, ubi de effectu desperatur; Kuehnerus gr. l. II p. 139 solum locum nostrum adfert (nam Maduigius gr. l. § 347, b not. 2 a Benoistio adlatus nihil omnino ad rem); et quos locos Scaliger iam ex parte et Sanctius Mineruae IV 7 fin. adferunt, aut alieni plane (ut Tib. I 10, 11) aut aliter sunt explicandi (Ouid. epist. 10, 77; Verg. Aen. IV 678 et XI 161: ubi in protasi supplendum 'si' et in apodosi fit conclusio). itaque si in lectione 'possem' id quod est 'utinam' abesse nequit neque 'ut', in tempore praesenti usitatum apud priscos, in eius locum succedere potest (alioquin conieceris 'tecum ut ludere'), nihil restare uidetur quam ut 'possim' reponatur auctore Verburgio, cum praesertim totum hoc carmen tum demum suam habeat uenerem, si id quod optat poeta fieri omnino licet. ceterum melius 'sic ut' scribetur, ut et huic uersui sua adsit caesura et uitetur singulorum pedum uocabulorumque congruentia. 'ipsa' hic est domina passeris siue Lesbia. ut enim Graecis αὐτός et αὐτή, sic Romanis 'ipse' et 'ipsa' est erus et era (ut Plauti Cas. IV 2, 11 *ego eo quo me ipsa misit*); isque usus e familia et consuetudine domestica latius percrebuit optinuitque etiam in rebus amatoriis; eodemque modo dixerunt etiam 'ipsimus' et 'ipsima': cf. M. Hertzius Mus. Rhen. XVII p. 324 et Buechelerus ad Petron. p. 74 edit. maioris. uulgus autem 'isse' et 'issa' hinc effecit transtulitque blandificam amantium adpellationem postea etiam ad animalia, unde Martialis I 109, 5 *Issa est deliciae catella Publi* (quae non esse debuit Bergkio causa, ut apud Catullum hic et III 7 'Issa' tamquam passerculi nomen restitueret; cf. Paukstadtius p. 5 sq.). iam 'curae' sunt amoris cruciatus (cf. LXIV 72 et 95, Tib. I 5, 37 *temptaui curas depellere uino*); quae dicuntur 'tristes' (ut Tib. I 7, 43) non tamquam 'tristem reddentes', sed ad intendendam substantiui notionem similem, quem usum exposuit Dissenus ad Tibulli I 1, 62. 'leuare' (= facere ut adquiescant) nec ipsum sine morbi respectu est positum: Cic. ad Att. I 18, 1 *curam et angorem animi mei .. leuasti,* Prop. I 9, 34, Ouid. tr. IV 6, 16. uidentur hunc u. ob oculos habuisse Verg. Georg. IV 531 *tristes animo deponere curas* et Mart. XII 34, 9 *et tristis animi cauere morsus.*

Verba admirabili arte (quam nonnulli coniecturis male sanis pessumdederunt) in unum uerborum ambitum inclusa ob oculos nobis ponunt Catullum et Lesbiam inuicem desiderantes, ut tamen felicior sit puella, quae, cum uelit ardentem cupiditatem solari, habeat saltim quicum lusitet dulcem suum passerem; cuius ope ut sibi quoque adsit solacium optat adulescens. nobile atque celebratum poemation, quod et Martialis sibi imitandum proposuit [I 109] et Arruntius Stella ex Statii siluis nobis notus eodem teste [I 7], utpote libri principium (nisi forte

a primo uocabulo uelis repetere) huic uolumini dedit nomen 'passeris'; neque enim aliter explicanda puto praeeuntibus doctis haud paucis (uelut Osanno ad falsi Apulei de orthogr. p. 82 et Leutschio Philologi X 735) uerba Martialis [IV 14, 13 sq.] *sic forsan tener ausus est Catullus magno mittere passerem Maronem* (cf. et XI 6, 16), quam ut 'passere' totum nugarum libellum significari aiam. nam Paukstadtius, qui minus probabilem profert uerborum illorum interpretationem, cum obiecit 'at Catulli libellus non incipit a carmine de passere, incipit ab epigrammate ad Cornelium', neglexit exemplum ipsius Martialis sui, qui praefat. ad libr. IX dedicationis epigramma 'extra ordinem paginarum esse' dixit. re uera igitur hic Catulli libellus a carmine de passere suum sumpsit initium. unde, cum praesertim poemation iam insequens numerum proprium nouumque flagitaret, ita a uulgari consuetudine recessi ut praefationem ad Cornelium extra numeros ponerem et huic carmini principem adsignarem locum.

II.

Ad carminis superioris u. 10 in V sine interstitio adhaeserunt tres uersus hi: **tam gratum est mihi quam ferunt puellae pernici aureolum fuisse malum, quod zonam soluit diu ligatam.** in quibus apparet tangi Atalantae, Schoenei filiae, fabulam, quam narrant Apollod. III 9, 2 et Ouid. met. X 560 sqq. et Hyginus fab. 185, alii (cf. Prellerus mythol. gr. II p. 306, 355). erant autem tria mala aurea, quae a Venere data sibi Hippomenes inter currendum in terram iecit, ut Atalantae illa capturae impetum tardaret, propterea grata acceptaque uiragini, quod iam ante initum cursus certamen formosum adulescentem aspiciens dubitauit illa, malletne superari an uincere, eiusque coniugium sibi optauit (belle rem depinxit Ouidius l. l.; cf. et Theocr. 3, 40). et uicta est tam sua ipsius uoluntate quam adliciente Veneris munere ποδώκης δῖ' Ἀταλάντη, quam Hesiodus uocauit (schol. Iliad. II 764). aureola (LXI 160) mala (quae alii aliunde Venerem sumpsisse narrant: schol. ad Theocr. 2, 120 et 3, 40, Ouid. l. l.) dubitare potes, ex aurine metallo constitisse dixerit poeta (ut plerique tradunt) an fuisse ea quae uulgo mala citrea siue Hesperidum uocant (cf. IHVossius ad Verg. ecl. 6, 61, Priapeum 16, 1, append. Vergil. epigr. 9, 25 sq.), siquidem 'aureolum' attributum ad colorem spectare posse docet Anth. lat. 321, 4 et 349, 2 [PLM. IV p. 303 et 311]: hoc ut sumamus suadet ipse scriptorum Romanorum consensus. ceterum cf. de his malis citreis VHehn libri 'Kulturpflanzen und Hausthiere' p. 209². hoc igitur malum aureolum (nam quae tria erant secundum fabulas, ea poeta totum Veneris donum respiciens singulari numero commemorat) 'zonam soluit diu ligatam', hoc est, causa erat ut cingulum uirgineum (de zona cf. ad LXI 53), quod illa tot aliis petitoribus deuictis longum per tempus insolutum gestauerat, solueretur iustis scilicet nuptiis factis. debetur autem 'ligatam' Prisciano et Catulli codici Belgico: V praebet uitio non ita raro 'negatam'; quae scriptura propter

summam ambiguitatem ('aliis petitoribus' fere addendum erat, ut additur datiuus apud Claudian. fescenn. 1, 37 *et seminudo pectore cingulum forti negatum solueret Herculi* de Hippolyte) reicula est, stabilitque illud 'ligatam' saeculi p. Chr. n. secundi inscriptio illa Priapo dedicata Anth. lat. M. 1704 (cf. supra p. 64), ubi u. 48 sq. legitur *te uocant prece uirgines pudicae, zonulam ut soluas diu ligatam.* de dihaeresi, quam saepius C. habet in 'soluo' et 'uoluo' uocabulis, cf. LMuellerus d. r. m. p. 262.

Hos igitur três uersus a carmine superiore abhorrere sentiebant omnes, qui recto iudicio utebantur. nam ut constructionem grammaticam 'tecum ludere (si) possem — tam gratum est' aliquo modo sustentare possis: quid Catullo misero, quem absentis Lesbiae desiderium macerat quique huius passerem in solacium sibi cupit, cum Schoeneide laeta uotoque potita intercedit similitudinis? ut porro passerem comparare liceat cum malis aureis: quid fiet, si illo fruitur poeta? mala Atalantae tulerunt nuptias: quid auicula Catullo? non (quod expectares) Lesbiae amorem, quo iam gaudet ille quamquam etiamtunc cum curis mixto, sed solacium: quae comparatio est ridicula. ne igitur bella imago omnibus numeris perfecta, qualem offert c. I, foedaretur deturpareturque, seiunxerunt pannum illum iam Itali (et quidem antiqui codicis testimonium ficticium in partes uocantes Alex. Guarinus et Perreius), quos secuti sunt recentiorum plerique.

Miro autem casu accidit quod post c. XIV 23 legitur in V poemation trium uersuum itidem imperfectum et abruptum atque abhorrens plane ab eis quae antecedunt secunturque, scil. hoc: **siqui forte mearum ineptiarum lectores eritis manusque uestras non horrebitis ammouere nobis**, in quibus poetae sibi et leuiori carminum generi non nimium tribuentis apparet modestia, maxime in solita illa formula 'siqui forte', qua ex. gr. Martialis ad librum suum dixit *sicui forte legēris* II 1, 7. cogitat autem ille de omnibus, quorum in manus forte fortuna uolumen peruenit, in uniuersum quidem, sed eos qui inspicere et legere librum uelint specialiter adloquitur, unde mira illa enuntiati conditionalis 'siqui forte eritis' (pro 'erunt') comformatio. 'ineptias' autem, ut ad Cornel. 4 'nugas', uocat hanc collectionem carminum maiorem partem ludicrorum: Mart. XI 1, 13 *sunt illic duo tresue, qui reuoluant nostrarum tineas ineptiarum* (quos Suetonius de gramm. 21 commemorat Melissi libros 'ineptiarum' siue 'iocorum', utpote prosa oratione conscriptos, uix licet comparare). et ex eadem modestia etiam profluxit hoc 'non horrebitis', hoc est, non reformidabitis et refugietis ('horrere' cum infinitiuo iunctum habes ex. gr. Verg. Aen. II 12) 'nobis' scil. tam incultis uos tam elegantes homines et tantum expolita respicere consueti 'manus uestras ammouere', id est, libellum nostrum uelle siue dignari in manus sumere atque examinare, quemadmodum similiter Ouid. met. X 254 *saepe manus operi tentantes admouet* (non est cogitandum, ut fecit in uersione sua Heysius, de libello inpuris manibus attrectando). ultro

autem apparet hos uu. esse factos tum, cum C. hunc libellum emisit. 'mearum, nobis': LXVIII^{b} 117 sq., LXXXIII 1, 3, CVII 3 sq.

Pannum post I 10 et post XIV 23 extantem cum alii alio uoluissent transponere (illum post c. XXXVIII Froehlichius; hunc idem ante c. XVI 1, post c. XVI 13 Auantius) neque conaminum praemium rettulissent, extiterunt duo critici alias sane minime felices, Pleitnerus [de Cat. epith. p. 90] et Klotzius [em. Cat. p. 14], qui quamquam ueris falsa admiscentes ita illos in unum carmen coniunxerunt, ut posteriorem ante priorem conlocarent. uideamus de sententia, quam illi explanare supersederunt. tantum gaudii ex lectorum gratia et fauore sè concepturum esse innuit Catullus, quantum olim concepit ex malo aureo Atalante. reprehenderunt nonnulli totam hanc comparationem, nimis illi inmorantes uersui ultimo, cuius sententiam non perspexerunt. ut puella Schoeneia specie quidem impigre cursum solitum peragens tacito tamen pectore gaudet tam auro ipso quam quod eo sublato iamiam uinci se sentit, ita poeta modestus, qui non bili facere plausum uidetur, dissimulanter corripitur laetitia fauoris oblati: par scilicet aut simile praemium utrique futurum: nuptiae Atalantam manent ex pomo aureo, ex fauore semel inuento poetam gloria perpetua. omnis igitur comparationis uis in 'gratum', cetera ad ornandam faciunt imaginem, ut saepius apud Catullum, apud quem cf. LXV 19 sqq. cum autem hanc laetitiam quamquam fortasse aliquando futuram iam nunc reuera percipere sibi uideatur, in hac cogitatione totus tempus praesens 'tum gratum est' ponit, ubi secundum seueram normam 'erit' expectamus: quid in hoc genere concessum sit, docet ex. gr. Phaedrus [II 9, 10 sqq.]. haec igitur poetae animo fere obuersata esse ratus amplexus sum Pleitneri Klotziique suspicionem, ut tamen non accederem eis in ipsa carminis sic concinnati conlocatione. illi enim inter praefationem ad Cornelium et c. I posuerunt, et neglegentes id quod supra exposui, a passere incipere libellum Catullianum, neque curantes ordinem a poeta institutum in uoluminis huius initio (cf. supra p. 57), secundum quem carmina eandem materiam tractantia I et III dirimenda sunt interposito alieno opusculo, et sibi ipsi difficultatem procreantes in explicanda duplici quam faciunt transpositione. immo tres uu. priores 'siqui forte — ammouere nobis' mero casu a scriba quodam (fortasse eius libri, ex quo fluxit V) omissi postea errore animaduerso in fine quaternionis post c. XIV 23 uidentur additi signo ueri ordinis adiecto, quod mox euanuit siue neglectum est. uix autem opus est ut adiciam, etiam alios poetas interdum duplici carmine praefatorio (et ad eum, ad quem libellus est missus, et ad lectores) instruxisse libros suos; cf. tamen ex. gr. Mart. XI 1—2 et Luxorii epigrammata [PLM. IV p. 387].

III.

1, 2. Lugete, o Veneres Cupidinesque et quantum est hominum uenustiorum. inuocat poeta omnes amoris atque uenustatis deos deasque

quique his propitiis nati sunt homines, ut passerculi tam amabilis uenustique mortem lugeant, hoc est, corde doleant. nec Venerem ut eam quae gaudeat passeribus tamquam sacratis sibi auiculis, sed ut omnis gratiae pulcritudinisque deam adpellat; neque idem plurali 'Veneres' utitur sterili cum doctrina (siue quod mater Idalia compluria habuit cognomina siue quod diuersas Veneres fuisse mythographi narrant: Cic. d. n. d. III 23, 59), sed quod in sola Venere quamuis huius agminis principe minime se continet, sed ceteras quoque deas dominae illi consimiles conparesque, puta ante omnes Gratias, una compellat; et eodem modo, quamquam unus prae ceteris Cupido ab hominibus colebatur, tamen omnes eius fratres, quotquot minus noti uulgo delituerunt, Iocum atque Lusum quique sunt alii Ἔρωτες (Claudian. de nupt. Hon. 72, Hor. od. I 19, 1 *mater saeua Cupidinum*), simul accersit ad luctum. facile autem quid inter singularem 'Venus et Cupido' et hunc pluralem intersit perspicies comparatis inter se XXXVI 3, ubi Lesbia suis scilicet unius rebus consulens singulari utitur, et XIII 12, ubi pluralis recurrit cum eadem quam hic habemus significatione generali (Mart. IX 11, 9 et XI 13, 6 eodem modo utitur plurali). non possumus autem accedere eis, qui pluralem 'Veneres' ex adsimilatione uocis subsequentis 'Cupidines' prouenisse dicunt (cf. KPSchulzius Fleckeis. ann. 1882 p. 205); nam de sola multitudine agi, manifestum reddit uox 'quantum': omnes, quotquot et quicumque (tam di quam homines) sunt, qui uenustatis sensum habent, concientur. amat autem Catullus 'quantum' et 'quidquid' coniungere cum genetiuo partitiuo: habes 'quantum' et 'tantum' IX 10, LXXXVIII 4, V 13, XIV 7, XCIX 6, 'quidquid' VI 15, XXXI 14, XXXVII 4 (cf. et VI 5 et 14, XXVIII 4, XXXVIII 7, XCI 10); uide Haasium ad Reisigium not. 530 et praelectt. II p. 28 sqq. cohaerere inter se 'Veneres' et 'uenustiorum', primo apparet optutu; quarum uocum cognationem iam ueteres senserunt (Cic. d. n. d. II 27, 69; Quintil. VI 3, 18): dicitur uenustum id quod ueneris gratiaeque est plenum. cuius conexus memor Plaut. Stich. II 1, 5 *amoenitates omnium uenerum atque uenustatum adfero*; habetque poeta noster uenustissimus in deliciis hoc uocabulum, modo tantum ad externam corporis speciem cultumque referens non sine inrisione (XIII 6, LXXXIX 2, XCVII 9), modo ad coniunctum cum hoc insitumque animo a natura pulcri amorem atque ineffabilem illam sensuum dictorumque gratiam et suauitatem (ut XXII 2, XXXV 17, LXXXVI 4). ad comparatiuum 'uenustiorum' caue suppleas 'quam ceteri uenusti', sed potius 'quam uulgus hominum' similiter ut IX 10 *beatiorum*, unde 'uenustiores' hic sunt ei qui uel paululum uenustatis sensu sunt imbuti. 'lugete quantum est' (non 'estis'), ut XXXI 14 *ridete, quidquid est* (Dissenus ad Tib. I 2, 35). — iam ubi u. 3 per asyndeton explicatiuum (ut et u. 15) causa inuocationis est reddita, u. 4 haec causa ita inlustratur, ut prioris ad passerem carminis uersus primus repetatur. recte Verburgius: 'uenustatem repetitio ista non exiguam habet. passer, inquit Catullus, puellae meae est mortuus; non passer

quidam de uulgo passerum, sed passer iste, deliciae puellae meae, quem dudum, amici, nouistis e carmine, in quo uersiculus iste *p. d. m. p.* est positus'. profluxit hoc ex more poetae nostri, quo 'de eisdem eadem dicit saepius aliorumque carminum memoriam uenuste repetit' (Hauptius opusc. I p. 79): cf. inprimis XXXVII 12 et VIII 5. et est repetitio rhetorica (reuocationi non dissimilis, cf. ad LXIV 62) comparanda cum LVIII 2. — **5. quem plus illa oculis suis amabat.** oculos ueteres tamquam rem pretiosissimam uenerabantur; unde praeter Graecos (iam AStatius cp. Callim. h. Dianae 211 *Ἀντίκλειαν ἶσον φαέεσσι φιλῆσαι,* Leutschius Theocr. 11, 53) Plaut. Curc. I 1, 15 *oculissimum ostium* (ubi Paul. p. 179, 8 *oculissimum: carissimum*), ibid. I 2, 28 *oculissimus homo,* mil. IV 1, 37, Ter. Ad. IV 5, 67 *di me, pater, omnes oderint, ni magis te quam oculos nunc ego amo meos*; Cat. XIV 1, LXXXII 2, CIV 1; unde etiam per oculos iurabant (Plaut. Men. V 9, 1; Petron. c. 133, alia). — **6, 7. nam mellitus erat suamque norat ipsam tam bene quam puella matrem.** 'mellitus', siue mellis instar dulcis suauisque, ad exprimendam summam iucunditatem adhibet Cat. XLVIII 1 et XCIX 1, Plaut. Cas. I 1, 47 *mea mellilla*, Cic. ad Att. I 18, 1 *mellitus Cicero*, Apul. met. V 6 *blanditiis astruit: 'mi mellite, mi marite'*, Hor. sat. II 6 32 *hoc iuuat et melli est.* deinde ipsa uerborum distributione admonente interpretandum est: et dominam suam cognitam habuit aeque quam uirgo aliqua matrem suam. nam 'ipsam' cum sit 'dominam' (ad I 9), plane tamquam substantiuum recipit additum 'suam', ut habes in inscriptione Orelliana 4923 *Claudiae .... Gellius Zoilus issae suae* (Ellisius male 'suam' absolute positum accepit, qui usus tantum in amantibus optinuit; cf. ad LXVIII[b] 78). unde apparet, quam male olim Itali 'ipsa' scripserint, quod cum 'puella' iungendum esset. quin immo dubito, num hic 'puella' sit cogitanda Lesbia, lubentiusque dictum puto de quauis uirgine in matris gremio educata. obuersata esse poetae uerba Sapphus [fr. 75 N., 38 B.] ὡς δὲ παῖς πεδὰ μάτερα πεπτερύγωται censet Leutschius [Philol. X p. 737]. 'nosse' interdum de animalibus dicitur, quae hominibus assueuerunt, ut Mart. IV 30, 4 de piscibus *qui norunt dominum manumque lambunt.* — **8. a gremio illius mouebat.** pro composito 'demouebat', ut Ouid. met. IV 264 *nec se mouit humo*; 'illĭus', ad LXVII 23. — **9. circumsiliens modo huc modo illuc.** Sen. apocol. 9 *modo huc modo illuc cursabat,* Tac. a. XII 1 *ipse huc modo modo illuc promptus.* circumsiliendi uerbum uno loco nostro sensum habet circumuolitandi, casu sine dubio (alio sensu extat Iuuen. 10, 218). Plin. h. n. X 38, 111 *saliunt aliae* (aues), *ut passeres.* — **10. ad solam dominam usque pipiabat.** 'ad' hic non ualet 'apud', sed passerculi oculos ad Lesbiam conuersos indicat: LXI 212 *dulce rideat ad patrem.* 'usque', semper. 'pipiabat' uerissime Is. Vossius restituit ex tradita in V lectione 'piplabat', unde Itali effecerant 'pipilabat'. nam ut 'l' in 'i' (nemini ignota est harum litterularum confusio frequentissima) paulo facilius mutamus quam 'i' inserimus, ita haec uox 'pipiare' denotat in uniuersum minutarum auium (etiam infantium) pro-

prium sonum tenerum (Colum. VIII 5, 14; Tertull. adu. Val. 15 et monog. 16); quocum coniunctum est 'pipare', sed diuersum a significatione 'pipilare' (= resonare; cf. infra Anth. lat. Mey. 1459) et 'pipulare' (= conuiciari). non curauit nimirum Catullus grammaticos, qui proprios animalium sonos accurate distinguentes passerem fecerunt titiantem (PLM. V p. 365 et 367, Sueton. ed. Reiff. p. 254). — **10, 11. qui nunc it per iter tenebricosum.** etiam animalia post mortem 'abire hinc in communem locum' (Plaut. Cas. prol. 19) et eisdem quibus homines legibus apud inferos uti, adamata ueteribus erat opinio: Ouid. am. II 6, 49 *colle sub Elysio nigra nemus ilice frondet udaque perpetuo gramine terra uiret: siqua fides dubiis, uolucrum locus ille piarum dicitur, obscenae quo prohibentur aues* (cf. Naekius Val. Cat. p. 75 sq.); neque recipiebantur nisi quae iustam nancta essent sepulturam (cf. carmen pseudouergilianum Culex). abeundi autem uerbum quamquam in hac re usitatius est (Phaedr. IV 20, 16 *abiturus illuc, quo priores abierunt*, Hadrianus [Spart. 25] *quae nunc abibis in loca pallidula*; postea christiani 'abire ad superos' dixere, ut CIL. VIII 7427), hic tamen praeplacuit 'ire' propter sequens 'per iter' (Ouid. am. III 13, 12 *it per uelatas annua pompa uias*), hoc est, per uiam illam longam, a limine Orci quae duxit ad undas Acherontis. quodsi passerem per hanc uiam facit migrantem eo, unde non est reditus, non dubitare se significat tacite poeta, quin Charontis cumba receptus ille inter Elysii incolas locum sit habiturus. Simmias Anth. Pal. VII 203, 4 *ᾤχεο γὰρ πυμάταν εἰς Ἀχέροντος ὁδόν.* et de hac ipsa uia Ouid. met. X 54 *trames arduus, obscurus, caligine densus opaca*; cf. et Apul. met. VI 18. — **12. illuc, unde negant redire quemquam.** describitur hoc uersu (praeter Senecam in Anth. lat. Mey. 1704, 11 adsumpto) *τόπος ἄνοστος* siue *ἀνέκβατος Ἄϊδος εὔνη* (Opp. Hal. IV 392), quem Graeci pariter et Romani simili modo sic designabant. iam Dousa fil. contulit Philetae fragm. 4 Schn. *ἀτραπὸν εἰς Ἀΐδεω ἤνυσα τὴν οὔπω τις ἐναντίον ἦλθεν ὁδίτης* (Theocr. 12, 19; 17, 120); Verg. Aen. VI 425 *ripam inremeabilis undae*; Seneca Herc. fur. 865 *nemo ad id sero uenit, unde numquam, cum semel uenit, potuit reuerti* et 1550 *Stygiumque litus, unde te nullae referent carinae* et 1773 *uadis ad manes iter habiturus unum*; Prop. IV 11, 2, Apul. met. VI 17, aliaque. recte autem 'illuc unde' legi (cf. Hor. sat. I 1, 108; Cic. Lael. 26, 100), non 'illud', ex eis quae iam disputata sunt elucet. — **13. at uobis male sit, malae tenebrae Orci.** nunc poeta 'fato maledicit iniquo' (Anth. lat. Mey. 1376, 6), particula 'at' (de qua cf. interpp. ad Verg. Aen. II 535, Handius Turs. I 441 sq., Kuehnerus gr. l. II p. 693 et Cat. XXVIII 14) introducens execrationem, cuius sollemnis est formula 'male sit tibi' (ut contra 'bene tibi sit'). cohaerent autem a sententia 'male malae' (germanice 'doch Dir mein Fluch, fluchwuerdige Finsterniss des Orcus'): est traductionis quam rhetorici uocant figura, ut statim u. 15; et sic LXI 19 et 179. Orcum hic non pro deo, sed pro uniuerso inferorum orbe habuerim: Lucr. I 115 *an tenebras Orci uisat*, CIL. I 1009, 21

tenebris tenentur Ditis aeterna domu, Prop. IV 9, 41 *Stygias tenebras,* Hor. od. IV 7, 25 *infernis tenebris.* — **14. quae omnia bella deuoratis.** est perpetua in carorum specie formaque eminentium morte praematura querella inde a Venere Adonin deplorante (Bion id. 1, 54 τὸ δὲ πᾶν καλὸν ἐς σὲ καταῤῥεῖ) usque ad Theklam Schillerianam ('das ist das Loos des Schoenen auf der Erde'): Claudius Quadrigarius [Gell. XVII 2, 16] *haec maxime seruatur* (= obseruatur: 'uersatur' uulgo) *deorum iniquitas, quod .. neque optimum quemquam inter nos sinunt diurnare* (= diu uiuere); Ouid. am. II 6, 39 *optima prima fere manibus rapiuntur ab atris* (sic enim corrigimus); Seneca ad Marc. c. 12. 'tenebrae deuorant', ut Anth. lat. Mey. 1179, 2 *nunc rapior tenebris.* 'omnia bella' ('bella' substantiue, ut LXIV 405, Naegelsbachius stil. lat. p. 847), pulcra, ut Varro in Bimarco (Non. 248, 7) uerbis ludens *bellum ita geris, ut bella omnia domum auferas,* hoc est, ui rapias, plane ut: — **15. tam bellum mihi passerem abstulistis.** 'tam' cum emphasi dictum est absolute (aliter XXII 17, ubi ad priora pertinet); nam causam execrationis simul et raptae auis indicat uox 'bellum' ad 'omnia bella' spectans. 'mihi', olim domino; ad I 1. — **16. o factum male, io miselle passer.** sollemnis in rebus aduersis exclamatio 'o factum male' (Terent. Phorm. 751, Cic. ad Att. XV 1, 1 *o factum male de Alexione,* itidem uixdum mortuo), ut contra in rebus prosperis 'o factum bene'; construitur autem 'o' cum accusatiuo in his exclamationibus (XXVI 5, XLIII 8, LVI 1, CVII 6). deinde in V extat 'bonus ille passer', unde Itali ex parte egregie 'miselle' effecere, perfecit autem Lachmannus metro consulens emendationem pro 'bo' reponendo 'io'; nam 'o', quod uulgo scribebant, propter hiatum in hoc quidem metro breui intolerabile est; et ut 'o' exclamationi in uniuersum factae conuenit, sic 'io' magis decet mortui inuocationi fortiori. est enim 'misellus' usitatum mortuorum attributum: Petron. c. 65 *sacrum nouemdiale seruo suo misello faciebat, quem manumiserat mortuum,* Apul. met. VIII 1 *misella .. manes adiuit,* Tertull. de test. an. 4 *cum alicuius defuncti recordaris, misellum uocas eum.* sed cum ex 'io miselle' euasisset 'bonus ille', miro casu accidit ut etiam in initio librarius aliquis 'bonum factum' reponeret pro 'o factum', quod ab Italis recte restitutum egregie confirmauit inscriptio statim adferenda. — **17, 18. tua nunc opera meae puellae flendo turgiduli rubent ocelli.** 'opera' hic fere adaequat 'culpa'; conferunt ex. gr. Nepotis Lys. 1, 3 *sic sibi indulsit, ut eius opera in maximum odium Graeciae Lacedaemonii peruenerint* (originem indicat idem Alcib. 6, 2 *et aduersas superiores et praesentes secundas res accidisse eius opera*). oculi turgidi habebantur deformes (Plaut. mil. IV 3, 15); et ex hoc turgore rubent ocelli, quos intellege palpebras; locutionem insolentiorem (nam per se rubor oculorum est internus, ut laus Herculis 34 *morte rubent oculi*) tuetur auctor Lydiae 72 *Aurora suos etiam plorauit amores atque rubens oculos roseo celauit amictu.* cf. Prop. I 21, 3 *quid nostro gemitu turgentia lumina torques,* idem I 8, 14 *et tua per me lumina deiectis turpia sint lacrimis;*

Ouid. am. III 6, 57 *quid fles et madidos* (lege *nitidos*) *lacrimis corrumpis ocellos* et ad locum nostrum adludens Iuuen. 6, 7 *nec tibi, cuius turbauit* (lege *turpauit*) *nitidos extinctus passer ocellos.* ceterum, si quo alio loco, hoc apparet deminutiuorum amor, quo cantores Euphorionis flagrabant, siquidem simul et adiectiuum et substantiuum formatum est deminutiue, quod rarissimum est (cf. XXV 2 *imula oricilla,* LXIV 316).

Hoc quoque carmen ualde erat nobilitatum: ob oculos habuerunt Ouidius am. II 6, Stella (Mart. VII 14, 5: cf. supra ad c. I), Statius silu. II 4 et fortasse Septimius Serenus (Rutil. Namat. ed. LMuell. p. 46, fragm. 11 et 12); nec sine eius recordatione scriptus est titulus quidam a. 1865 in Gallia repertus, quem saeculo p. Chr. n. alteri ob litterarum formas attribuunt harum rerum periti. a Mommseno [Hermae I p. 68] editum hic repetam:

Quam dulcis fuit ista, quam benigna,
Quae cum uiueret, in sinu iacebat
Somni conscia semper et cubilis.
O factum male, Myia, quod peristi!
Latrares modo, siquis adcubaret
Riualis dominae licentiosa.
O factum male, Myia, quod peristi!
Altum iam tenet insciam sepulcrum,
Nec seuire potes nec insilire
Nec blandis mihi morsibus renides.

cf. et Anth. lat. Mey. 1460, 1 *ereptam uolucrem Cupido luget,* ibid. 1459: *Dis auibus. Lusciniae Philumenae, ex auiario Domitiorum. selectae, uersicolori, pulcherrimae, cantatrici suauissimae, omnibus gratiis ad digitum pipillanti, in poculo Murhino caput abluenti, infeliciter submersae. heu misella auicula! hinc inde uolitabas, tota garrula, tota festiua! latitas modo inter pulla Leptynes loculamenta, inplumis, frigidula, clausis ocellis! Licinia Philumena deliciae suae, alumnae carissimae, quam in sinu pastillis alebat, in proprio cubiculo lacrumans posuit. haue, auis iocundissima, quae mihi uolans obuia blando personans rostello toties cecinisti 'salue'. caue, auis, auia Auerna: uale et uola per Elysium!*

In cauea picta saltans quae dulce canebat,
Muta tenebrosa nunc iacet in cauea.

ceterum suapte natura plane dubium est, quo tempore hoc poemation sit scriptum. sed Westphalio post a. 60 compositum illud putanti propterea fidem non habeo, quod tum longe alia et grauiora agenda erant Catullo quam mortem passerculi deflere, bella scilicet cum riualibus pro puella sua pugnanda. neque alio quam primo amoris illius tempore suaue hoc carmen prouenisse statuerim, hoc est, fere eodem quo cc. V et VII spatio.

IV.

1. Phasellus ille, quem uidetis, hospites. quaeritur ante omnia, quemnam poeta haec uerba faciat loquentem. non dubitant uulgo, quin

ipse Catullus ex itinere Bithynico a. 56 redux in Sirmione paeninsula (c. XXXI) nauem, cuius ope reditus est factus, amicis ostenderit in lacu Benaco positam et simul uiam a se factam narrauerit; quippe in propatulo uidebatur hoc, non mero casu nauem Bithynicam hic nominari, sed eam aliqua parte coniunctam esse cum poetae rebus. cuius opinionis postremus defensor acerrimus extitit Munro [critic. p. 9 sqq.]. huic tamen sententiae obstant haud pauca infra disceptanda, in quae primus Westphalius [p. 172 sq.] digitum intendit; qui poetam nostrum, ita ut olim in Bithynia ei conuenisset cum phaselli domino, Rhodi demum nauem conscendisse iamque in portu quodam Adriatico nauiculam egregiam praedicare hospitibus censet. et uidit ille nonnulla rectissime; sed in summa quaestionis ulterius progrediendum est negandumque omnino, hoc carmen ad Catulli iter pertinere, ut ad u. 25 ostendetur. utor enim, quo nemo ante me usus est, miro fortunae fauore, quo his tenebris lucem affundens exoptatam Iunilius commentator, sine dubio ueteribus in Catullum scholiis adhibitis, haec tradit in Hageni schol. Bern. Vergil. (cf. testim. uol. I) *quem* (phasellum) *habuit hospes Serenus.* quis ille Serenus fuerit, nescitur, neque curamus quod uetus commentator eum hospitem dixerit u. 1 deceptus: Serenum ipsum, quem nemo posteriorum grammaticorum finxit, sed transsumptum ex prioribus probisque fontibus propagauit, esse dominum nauis u. 19 commemoratum mihi constat, qui praeterea eum negotiatorem Italicum et Catulli popularem amicumque fuisse conicio. et amici rogatu in nauiculam Dioscuris iam dedicatam poeta fecit hoc carmen in sacello figendum, fortasse longo ante ipsius iter Bithynicum tempore (certiora de hoc erui nequeunt). 'phasĕllus' (haec enim scriptura a V exhibita et apud alios quoque scriptores obuia quamquam non tam constanter quam in similibus uocibus graecanicis, ut 'pilleus, culleus, nummus', aeque bona quam altera 'phasēlus') erat nauigium, quod a similitudine fabae traxerat nomen et inter nauem longam actuariamque medium ob celeritatem maxime celebrabatur; uaria illius genera erant, non solum in lacuum, sed etiam in maris usum; cf. praeter Richium, lex. antiqq. s. u., Nonius p. 534, 23 (qui ph. uocat 'nauigium Campanum') *Sallustius hist. lib. III .. 'cohors una, grandi phaselo uecta, a ceteris deerrauit'... Sisenna hist. lib. IIII 'prores actuariae, tragi grandes ac phaseli proni* ('primo' codd.). consuetum etiam hominum priuatorum nobilium in itineribus maritimis uehiculum eum fuisse, docet Cic. ad Att. I 13, 1 et XIV 16, 1; neque dubium est quin et mercaturae seruierit idem. 'quem uidetis', utpote e sacello iuxta lacum posito conspicuum; ut Verg. Priap. 2, 3 [PLM. II p. 158] *agellulum hunc, sinistra et ante quem uides.* 'hospites', qui sacellum intrant; ut secundum notum usum tituli graeci ξένε habent et ξένοι; cf. apud Latinos Cic. Tusc. I 42, 101, Varro Eumen. fr. 12 Buech., Priap. 30, 4, CIL. IX 60 *hospes consiste et lege.* — **2. ait fuisse nauium celerrimus.** constructione non ita rara iamque apud Plautum obuia (larga exempla dedit Kuehnerus gr. l. II p. 517) pro uul-

gari 'se fuisse celerrimum', id quod (omisso 'se') ex corruptela habet V una cum scholiasta Verg. Bernensi, redarguente Vergilio in Sabino. 'ait', contendit, ut statim u. 15. de 'celerrimus' ad subiectum 'phasellus' relato cf. Kuehnerus gr. l. II p. 21. hanc autem celeritatem quam maxime celebrandam mira metri ex puris iambis constantis ope totum carmen egregie depingit citato suo decursu. — **3. neque ullius natantis impetum trabis nequisse praeterire.** omnium nauium se superare potuisse cursum celerem. sic enim 'impetus' saepius, ut Liuius alicubi *quinqueremis praeterlata impetu,* Enn. ann. 379 V. *labitur uncta carina, uolat super impetus* (carinae) *undas.* 'illius' exhibet V, ut et in Vergilii Sabino inter 'illius' et 'ullus' fluctuant codd.: scripsitne Cat. prisca et librariis insolita forma 'ulius' (cf. supra p. 52)? idem deinde V 'natantis tardis'; et quamquam recte uidentur restituisse Itali 'trabis' (quam uocem inde ab Ennio ann. 598 apud poetas indicare nauem, notissimum est), de 'natantis' tamen uocabulo a nuperrimis editoribus patienter retento dubitari potest. nec enim de currente naui umquam natandi uerbum (ut nandi, cf. ad LXIV 2) adhibetur, sed de ea tantum quam ferunt aquae (cf. Verg. Aen. IV 398, nec dissimiles loci Prop. II 25, 24 et IV 1, 116); et si coniunctum 'natans trabs' notionem efficere nauis statuimus, uide ne in solita praesertim uocis 'trabs' metonymia parum proficiamus; certe mihi natans trabs semper mouit imaginem tigni ab undis circumiacti molisque lente se mouentis. quodsin noue dictum esse illud censes, iterum languidissime se habet propterea quod uniuscuiusque nauis uel tardissimae est 'natare' siue uehi; quis poetam ferret germanicum sic scribentem 'den schnellen Lauf eines jeden fahrenden Schiffes', quis non flagitaret 'eines jeden noch so raschen Schiffes'? nimirum id quod est 'impetus' intendendum est ex addito uoci 'trabis' epitheto, quod friget plane iacetque, si ex uoce superflua constat neque adiuuat imaginem, in hoc nimirum carmine actionis plenissimo. haec nescio an causa fuerit antiquis editoribus, cur reponerent 'uolantis impetum alitis', secuti Vergilium, qui in Sabino *uolantis impetum cisi* iterumque mox *opus foret uolare* scripsit. dixeris: nimirum ut 'cisi' ita 'uolantis' necessario mutauit Vergilius, qui parum circumspecte uocem mox iterum lectam reposuit. quid uero, si hoc ille fecit auctore Catullo, qui artis excultae nondum compos interdum non refugit earundem uocum repetitionem molestam (cf. V 11 et 13 *sciamus* et *sciat*)? mihi quidem haec parua (ut in uerborum artifice Catullo) offensio, quae a diuersa paululum significatione mitigatur, uidetur bene compensari eo quod 'uolantis' id ipsum, quod poeta Catullus sibi debet uindicare, exprimit; imagine enim ab auium alis sumpta nauis rapide (praesertim uelis plenis) currens dicitur 'uolare': Ouid. epist. 6, 66 *illa* (Argo) *uolat, uentus concaua uela tenet*; 'natare' et 'uolare' similiaque saepius in codd. confusa. ad 'praeterire' cf. Verg. Aen. IV 157 *iamque hos cursu, iam praeterit illos.* 'neque nequisse', ut mox 'negat negasse'; similes lusus prisci saepius habent, ut Lucil. XXX 28 *quem scis scire tuas omnes m. notasque*;

duplex negatio loco fortioris adfirmationis posita inde a Catulli demum tempore inualuit. — **4, 5. siue palmulis opus foret uolare siue linteo.** palmula siue palma (neque enim deminutiuum, quod hic quoque est sermonis poetici, quidquam de re detrahit), transsumpta de brachio humano manuque imagine, proprie est infima remi pars (Fest. p. 220, Vitruu. X 8, 6), sed ut graecum ταρσοί secundum figuram partis pro toto ipsum indicat saepe remum, ut apud Laber. 53 R. *nec palmularum pulsu nec portusculi*, Verg. Aen. V 163 *stringat sine palmula cautes.* 'uolare' hic paulo aliter quam u. 3 ualet 'celerare', ut Hor. od. I 37, 16 *ab Italia uolantem remis adurgens.* 'foret', esset, ut semper apud nostrum. ceterum iam Muretus intellexit, hunc locum obuersatum esse Ouidio trist. I 10, 3 scribenti *siue opus est uelis, minimam bene currit ad auram; siue opus est remo, remige carpit iter. nec comites uolucri contenta est uincere cursu: occupat egressas quamlibet ante rates.* Minuc. Fel. 29, 8 *in naui, cum uelis tumentibus uehitur, cum expansis palmulis labitur.* — **6, 7. et hoc negat minacis Adriatici negare litus.** testem praestantiae suae nauicula adfert confectum iter, ut tamen eas tantum persequatur regiones, quas ut periculosas superasse in laudem suam uertere potuit; narraturque iter illud ordine inuerso, ut ab eo loco, ubi nunc est positus phasellus, ascendatur ad pristinam eius patriam. 'negat negare', ait clamare; quales lusus captabant prisci maxime scriptores, ut ex. gr. Lucil. inc. fr. 74 M. *si me nescire hoc nescis.* 'Adriaticum' omisso 'mare' rarissime (cf. *Adriacumque patens late* Ouid. fast. IV 501) legitur; sic 'Ionium' nudum habes (Draegerus synt. I p. 49). quod quo iure 'minax' (cf. Ouid. epist. 17, 85 *saeuum minaxque aequor*) uocetur, docet Horat. od. I 33, 15; III 3, 5 et 9, 22; maxime uero eiusdem litora infamia promunturiis periculosis, non solum Acrocerauniis (Hor. od. I 3, 20), sed etiam saxis Timaui, quae uocat Verg. ecl. 8, 6 quaeque fortasse phasellus siue portum aliquem Venetum siue Eridanum intraturus superauerat (Verg. Aen. I 242 sqq., Claudian. in III cons. Hon. 119 sqq.). — **7, 8. insulasue Cycladas Rhodumque nobilem.** 'ue' nouam introducit itineris partem. in Adriam uenerat phasellus siue per Ionium (quod nullas difficultates praebens omittitur) siue superato Isthmo Corinthiaco ex mari (Myrtoo uel) Aegaeo per Cycladas indicato, cui coniunctum est (unde 'que' copula) mare Carpathium per Rhodum circumscriptum: utrumque aequor tempestatibus saeuis notum (Stat. Ach. I 390 et 675, Hor. od. I 14, 20 et 35, 8). Rhodos ('claram' uocat Mart. IV 55, 6, Horat. od. I 7, 1, qui alibi habet *centum nobilem Cretam urbibus*) audit 'nobilis' incertum utrum tamquam mercaturae in Asia minori emporium primarium an ob artes an ut studiorum (maxime scholarum rhetoricarum) sedes ab adulescentibus Romanis tum in dies magis frequentata. — **8, 9. horridamque Thraciam Propontida trucemue Ponticum sinum.** in mare Carpathium uentum erat iuxta oram Asiae minoris, quae iterum utpote sine laboribus praeteruecta neglegitur, per Hellespontum ex Propontide, quae ex situ suo 'Thracia' et ut Thracia (Thrace uentorum patria; cf. Hom.

Il. XXIII 229 sqq.) 'horrida' uocatur; Hor. od. III 24, 40 *horrida aequora.* priores autem editores cum 'Propontida' a 'Thraciam' separassent ad sequentia adicientes, primus Lachmannus [ad Prop. p. 253] deleto commate haec tria uerba in unum membrum coniunxit, cui alterum trium uerborum membrum 'tr. P. s.' concinne esset oppositum (nam quod praeterea 'Thraciae' ut magis 'suaue' flagitauit, neglexit illud 'lepidum nouum libellum' similiaque apud nostrum; cf. ad XLVI 11). cuius mutationis causam praecipuam equidem habeo eam, quod nudum 'Propontida' non potest adiungi prioribus sine copula, qua nullum colon caret; non aut eam, quod Thracia substantiue non ponatur apud poetas (Lachm. ad Lucr. V 30), cui regulae nec ratio nec exempla (Ou. met. VI 435) constant, aut eam, quod non terra continens testis nauigationis adferenda sit (quidni enim horridum Thraciae litus significari dicamus?). 'Propontidā' in arsi sequente 'tr', ut mox 18 'impotentiā freta', quam licentiam saepius sibi indulget poeta noster. ceterum resedit adhuc uitium in nuperrimis editionibus, in quas Lachmanni inuexit auctoritas, cum iamdudum recte esset remotum. nam licet falso Itali 'Rhodumue' scribentes discinderent cohaerentia, suo tamen iure eidem 'horridamue' reposuerunt; haec enim pars tertia cum prioribus (omissis eis quae interiacent) minime cohaerens utique per particulam disiunctiuam separanda erat, ut semper hic fit in nouis partibus; neque symmetria quaedam, quam deprehendisse sibi uidebantur, adesse omnino potest repugnante sententia. in Propontida uecta erat nauicula per Bosporum ex Pontico sinu siue, ut uulgo uocatur, Ponto Euxino, qui ob ferocem naturam suam 'trux' siue ἄξενος audit, ut *Histri truces undas* commemorat Sen. Med. 764 (Hor. od. I 3, 10 *truci pelago*). — **10. ubi iste post phasellus antea fuit comata silua.** omisso adiectiuo uel participio ὑφ' ἕν iungitur 'post phasellus', is qui postea factus est ph.; ut habet Verg. Aen. I 198 *ignari sumus ante malorum,* Tacit. Agr. 10 *nullis contra terris* (plura dat Kuehnerus gr. l. II p. 165, Draegerus synt. hist. I § 79). 'ubi' de litore intellege Ponti Euxini; accuratius mox locus designatur. ex compluribus quamquam arboribus compacta nauis tamen carinam potissimum respiciens uere se olim arborem fuisse iactat. nam 'silua' rara omnino significatione de una aliqua arbore est accipiendum; cuius usus testes habes Stat. Theb. VI 259 (281) *refuga silua* et Mart. XI 41, 3; saepius pluralis 'siluae' complures singulas arbores indicat (ut Hor. od. I 12, 9 et epist. II 2, 45). 'comata', frondosa, ut Hor. od. I 21, 5 *nemorum coma* ibique Lambinus (cf. et 'crinitur' cum eadem metaphora dictum Stat. silu. IV 5, 10). 'iste' secundum naturam suam δεικτικῶς accipiendum. — **11, 12. nam Cytorio in iugo loquente saepe sibilum edidit coma.** Paphlagoniae montes illi ob lignorum maximeque buxi copiam inlustres, qui ab urbe Cytoro acceperunt nomen, procurrunt in mare Euxinum. quod V habet 'citeorio', id ex correctura ortum est 'o' priore supra 'e' posita (ut legitur statim 'citheri' in V). 'loquens' dicitur frons arboris uentorum motu susurrans (cf. praeter Verg. ecl. 8, 22,

Auson. epist. ad Paul. 24, 14 *cumque suis tremulum loquitur coma pinea uentis*); quae loquellae acrius perflante uento sponte euadunt in sibilum, cuius sonum ingratum hic depingit allitteratio 'saepe sibilum'; qua uoce de frondum strepitu utitur Tiberianus 1, 4 [PLM. III p. 264]. — **13. Amastri Pontica et Cytore buxifer.** Amastris, olim Sesamos uocitata (hoc nomine una cum Cytoro commemorata apud Hom. Il. II 853) iuxta Cytorum ad Pontum Euxinum est posita in confinio Bithyniae (cf. Strabo p. 544). Verg. Georg. II 437 *iuuat undantem buxo spectare Cytorum*; Plin. h. n. XVI 16, 28; Vibius Seq. p. 28 Oberl. *Cytorus buxo potens.* ceterum quod hic inuocantur loca, ex Graecorum maximeque Alexandrinorum imitatione fluxit in poesin Romanam (supra p. 17), in qua praesertim apud posteriores creber eius rei usus exstitit. nam cum apud poetas omnia eo tendant ut res quam uiuidissimis coloribus depictae legentium oculis subiciantur, tales subitae rerum inanimatarum adlocutiones ut ex maiore animi adfectu profluunt ita et maiorem adfectum excitant apud eos, qui iam diutius accuratiusque animum ad res illas aduertere coguntur; ueluti pulcherrime utque miserationem eandem, qua commotus Aeneas locutus est, in nobis excitet dicit Verg. Aen. II 56 *Troiaque nunc staret Priamique arx alta maneres.* hic autem maiori *πάθει* inde locus, quod iam phasellus se conuertit ad patriam ut olim sic nunc quoque caram dilectamque, quam tamquam testem generosae stirpis praestantiaeque inuocet. — **14, 15. tibi haec fuisse et esse cognitissima ait phasellus.** tibi (de duobus, cum Amastris et Cytoris una sint regio) et olim in iugo et nuper in mari eam tenenti bene esse nota, quae in gloriam suam proferet nauicula. uocis 'cognitus' comparatiuum bis habet Ouidius, superlatiuum unus hic Catullus (Neuius II p. 121). — **15, 16. ultima ex origine tuo stetisse dicit in cacumine.** ultima, ad quae reminiscendo uel perscrutando penetramus, eadem sunt prima, ut ad idem redeant Cornel. Nep. Att. 1 *Pomponius Atticus ab origine ultima stirpis Romanae generatus* et Verg. Aen. I 372 *prima repetens ab origine pergam*; hic 'ex' longum tempus, per quod inde a primo natu in robustam stipitem durauit arbor, indicat; utiturque uerbis illis nauis memor pueritiae ibi actae, antequam caesa et fabricata euasit phasellus. Klotzius [emend. p. IIII] 'u. e. o.' ad priora traxit, ut inde a 'tuo' incipiant dicta nauiculae; quod posset probari, si 'se cognitissimum' legeretur. prius hoc 'tuo' magis refer ad solum Cytorum. cf. LXIV 1 *Peliaco prognatae uertice pinus.* — **17. tuo imbuisse palmulas in aequore.** hoc alterum 'tuo' ad Amastrin magis spectat, ad quam posito in aequore nauis remos 'imbuit', hoc est sensu translato (nam principalis nudum flagitat ablatiuum), initiauit usu, exercuit, experta est; cf. ad LXIV 11. — **18. et inde tot per impotentia freta erum tulisse.** 'inde' non ad tempus refero (= ex illo; multo minus 'ultima ex origine', 'inde', 'nouissime' gradum temporis indicant, ut 'primum, tum, postremo'), sed ad originem et primum usum: et materia et institutione cum tam egregius esset, facile phasellus superauit maria,

illa inmodica siue aestuosa et rabida; quamquam perspicua tamen insolentiore translatione (*impotens aquilo* Hor. od. III 30, 3 aut Cat. XXXV 12 *impotens amor* non plane conferri possunt) freta audiunt 'impotentia'; cuius simile extat unum *imperiosius aequor* Hor. od. I 14, 8. 'tot', descripta nimirum u. 6 sqq. 'erum', scil. nauis; Ouid. trist. I 10, 22 *hac dominum tenus illa secuta suum.* ex hoc autem u. certo conligitur, non de suo itinere loqui Catullum, quippe qui teste c. XLVI, cum ex Bithynia domum rediret, non naui sit usus sed pedibus peragrauerit Asiam minorem (fortasse, quamquam de hac re nil constat, Rhodi demum nauem aliquam conscenderit). itaque Catullum quidem phasellus neque per Ponticum sinum neque per Propontida uexit. haec ingenue agnoscere decet neque amplius, quia hic de regionis Bithynicae naui sermo est, de Catulli itinere cogitare. quasi non Pontica nauigia ob materiae praestantiam prae ceteris fuissent nobilia (Hor. od. I 14, 11 et 35, 7). — **19. laeua siue dextera uocaret aura.** semel 'siue' est positum, ut Hor. od. I 3, 17 *tollere seu ponere uult freta* (Kuehnerus gr. l. II p. 954). 'uocat' omne id quod ut utamur adhortatur (Verg. Aen. II 668 *uocat lux ultima uictos*) atque inuitat (cf. ex. gr. Ouid. rem. 532 *quaque uocant fluctus, hac tibi remus eat*); accipitque illud suam ex conexu significationem. hic cum de medio itinere ('erum tulisse') sit sermo, nil illud sibi uult nisi 'cum uentus modo a dextra modo a sinistra parte flans quocumque modo in usum uocandus esset'; quam nauigandi uento mutabili condicionem notum est iniquiorem esse; Hor. epod. 16, 21 *quocumque per undas Notus uocabit aut proteruus Africus.* aliis sane locis haud paucis (ueluti Verg. Aen. III 356 *et aurae uela uocant,* Stat. Theb. V 468 *clementior auster uela uocat*; cf. Soph. Phil. 466 καιρὸς γὰρ καλεῖ πλοῦν) semper sermo est de expectato uento, quo tandem flante licet proficisci; sed inde minime conprobatur, hic 'uocaret', ex conexu longe alio et defensum satis et perspicuom, falsum esse; quae erat opinio Lachmanni ad Lucr. p. 178 conicientis 'uagaret' (prisce pro 'uagaretur'), utique male, cum uagans aura non sit aura mutabilis. — **20, 21. siue utrumque Iupiter simul secundus incidisset in pedem.** cf. Cic. Phil. XIII 1, 1 *siue Sulla siue Marius siue uterque.* dicitur hic plenus uentus tota simul uela recto flamine inplens; nam eo metonymiae genere, de quo exposuit Hauptius opusc. II p. 171, Iuppiter pro uento ponitur (Enn. apud Varr. d. l. l. V 65 *Iuppiter ... qui uentus est et nubes, imber postea*) hoc unico loco, quantum uidetur; nam aliis locis (ut Hor. od. I 22, 20) magis caelum denotat. quamquam hoc antiquitus erat usitatum, Ioui omnia ad caelum pertinentia adtribuere (ut Hom. Il. V 91 Διὸς ὄμβρος); nec dissimile est Paneg. lat. p. 191, 15 ed. m. *Iuppiter moderator aurarum.* nisi forte quem Graeci uenerabantur Ζεὺς οὔριος obuersabatur Catullo. 'incidisset', nempe cum ui multa, cum tacita uentorum lateralium parum adiuuantium oppositione (Verg. Georg. II 107 *nauigiis uiolentior incidit eurus*). 'pes' in sermone nautico teste Seruio ad Aen. V 830 est funis, quo tenditur uelum (cf. et Isid. XIX 3, 4);

melius definiuit IVossius ad h. l. ita: 'pedes sunt funes, quibus interiores ueli anguli puppim uersus adducebantur. religatis itaque ad utrumque latus pedibus et uento pone adflante, tum nauigatio maxime erat secunda tumque nauis currit .. ἐξ ἀμφοῖν ποδοῖν. uno autem pede nauigabant, si uentus esset obliquus; quippe si a sinistra flaret, tum dextrum adducebant pedem, sin autem a dextra, sinistro solum pede utebantur' (cf. et Richius lex. antiqq. s. u.). hic 'pes' simpliciter pro uelo ponitur, ut Verg. Aen. V 830, Lucan. V 427 et VIII 185; uehebaturque phasellus *pede aequo* (Ouid. f. III 565) siue *aequatis uelis* (Aen. IV 587); Schwabius cp. Nonn. Dion. 232 ἰσάζων ἑκάτερθε νεὼς πόδας (de uariis uocis 'pes' translationibus cf. et GGerberus libri 'die Sprache als Kunst' I p. 376). — **22. neque ulla uota litoralibus deis sibi esse facta.** ut fieri solebat in magnis periculis ab nautis in medio mari tempestate deprensis uel in saxum inlisis, ut deis marinis eisque maxime, qui in proximo litore templa habebant celebria, unde praesens auxilium sperari posset, dona pro salute uouerent; Verg. Georg. I 437 *uotaque seruati soluent in litore nautae Glauco et Panopeae et Inoo Melicertae* (Ouid. tr. I 2, 1 et III 9, 7, Cic. d. inu. II 31, Eratosth. catast. 35). Schwabius cp. Colluth. 202 Ἀφροδίτην πολλάκις ἀκταίοισιν ἱλασκόμενος θυέεσσιν ἔπλεεν Ἑλλήσποντον et Orph. Arg. 346 ἀκταίους τε θεούς. quales dei praeter Neptunum et Dioscuros et Venerem marinam sunt Palaemon, Phorcus, Portunus, Leucothea, alii. sua igitur praestantia bonisque uentis usum sine malis fatis utque uotis nullis in uia esset opus se ad finem peruenisse praedicat phasellus. 'sibi', a se, ut XXII 4, XXXV 18, XXXVII 13 (Kuehnerus gr. l. II p. 239). — **23, 24. cum ueniret a marei nouissimo hunc ad usque limpidum lacum.** id quod in V legitur 'nouissime' extiterunt qui defenderent referentes ad extremam itineris partem, cum nauis ex mari Adriatico inueheretur in Padum et hoc Mincioque in lacum Benacum perueniret. sed rectissime inde ab AStatio haud pauci iam senserunt id quod RKlotzius [emend. p. X] sic expressit '(hoc) tantum iter non erat, ut dicendum esset: hunc ad usque limpidum lacum'. male deinde et sine ratione nouissime demum nauis dicit se nulla uota (quae praeterea non de unicis uotis accipi possunt) fecisse, quippe quibus ut in tuto securoque itinere fluuiali neutiquam opus esset; nam de uotis ex. gr. in aequore Carpathio factis et in litore Veneto solutis cogitare non licet, cum uoueatur numinibus eis quae in litore proximo habeant sedem. quam hercle saniore iudicio olim dederunt Itali 'nouissimo', id est extremo siue Ponto Euxino, ut iam tota phaselli uia designetur! nam 'nouissimus' (ad cuius uocis historiam cf. Varro d. l. l. VI 59 et Gellius X 21) etiam Cat. pro eo quod est 'ultimus' siue 'extremus' adhibet LX 4 *nouissimo in casu*; Ouid. trist. III 13, 27 *terrarum pars paene nouissima Pontus Euxinus,* Val. Flacc. V 77, Tac. Agr. 10 *ora nouissimi maris.* saepissime autem, ut in aliis codd., ita in V 'o' et 'e' confusas esse, res est in uulgus nota. limpidum lacum intellegunt plerique omnes Benacum, qui est Veronam inter et

Brixiam cuiusque uirides et pellucidas aquas, quisquis uidit, numquam obliuiscitur. sed ad has undas digne describendas num sufficiat uox simplex 'limpidus' dubito: claras purasque esse eas (Vitr. VIII 7 *aqua limpidior*), frigida admodum laus est. maior lacui Benaco oritur difficultas inde, quod quomodo ex mari Adriatico peruenerit eo phasellus non ita patet. coniecit quidem IHOrtius (cf. Zumptius Philologi XII p. 754), ut ex Schwabii quaestt. p. 173 sq. didici, 'Athesim et Mincium fluuios fossa nauigabili inter Veronam et Vallaticum ducta, cuius reliquiae hodie dum conspicuae sint, coniunctos fuisse'. sed hoc dum certo erit demonstratum, dubitare licebit num antiquo tempore ulla ex Adria in lacum Benacum perueniendi extiterit facultas naui praesertim maritimae. interim tutius erit cogitare de quouis alio lacu siue naturali siue arte facto et prope litus sito; etenim lacus uocabulum etiam ualere de portu, docet Stat. Theb. VI 21. sed optime, ni fallor, interpretabimur de stagnis pertinentibus ad diuitis cuiusdam Transpadani uillam ad oram Hadriae positam; nam uel tum, si illud constabit, hoc tamen, num hic designetur omnino Benacus, in dubio erit apud eos, qui Catullum narrare de suo ipsius itinere nolunt credere. quidquid id est, limpidae lacus undae opponuntur turbidis lutulentisque aequoris aquis. — **25. sed haec prius fuere.** hoc est 'olim', ut LI 15, Ciris 33. praeteriere igitur pauci saltem anni ex itinere illo: quomodo haec in Catullum a. 56 reuersum mortuumque a. 54 quadrant? 'fuere' sensu praegnanti, ut in illo Verg. Aen. II 325 *fuimus Troes, fuit Ilium et ingens gloria Teucrorum*; Tib. II 5, 79 *haec fuerant olim, sed tu iam, mitis Apollo* eqs. — **25, 26. nunc recondita senet quiete.** hoc est remoto ab aequoris turbinibus proptereaque securo otio; Lucr. VI 73 *placida cum pace quietus*, Verg. Aen. I 249 (ubi etiam praecedentia fortasse ad nostrum c. adludunt) *nunc placida conpostus pace quiescit,* quod est dictum secundum illud Ennii de equo *nunc senio confectu quiescit* (ubi inepte 'non' pro 'nunc' LMuellerus). 'senet', uerbum priscum pro 'senescit' (cf. LXII 79 'tardet', LXIV 119 'tabet', Lucilius 'lentere'), de naue dicitur, ut apud Prop. III 7, 35 *haud ulla carina consenuit.* — **26, 27. seque dedicat tibi, gemelle Castor et gemelle Castoris.** sollemni more omnes res, quae iam munere suo functae erant, deis consecrandi eis, quorum tutela tam personae quam res ipsae adhuc fruebantur, etiam hanc nauiculam erus dedicat Dioscuris tamquam principalibus nauium tutoribus (Hor. od. IV 8, 31) et nautarum numinibus amicis (Cat. LXVIII[b] 25; Hor. od. I 3, 2 et 12, 29; Prop. I 17, 18); potuit etiam consecrari uel Neptuno uel Veneri marinae; nec aut uota deis litoralibus facta aut Dioscuri in oris maritimis culti (Eurip. Iph. Taur. 272) ad hanc rem faciunt. nam nauis quod non dedicata dicitur, sed ipsa sese dedicat, inde repetendum uidetur quod hoc carmen pro titulo figebatur in pariete sacelli iuxta lacum positi, unde quod non (ut fere fieri solebat) rostrum nauiculae, sed tota ea consecrabatur explicatur. Castorem et Pollucem promiscue appellabant (Seru. ad Georg. III 89 *ambo licenter et Castores*

et Polluces uocantur), sed ita tamen ut Pollucis nomen saepius neglegeretur (cf. et Barthius ad Stat. silu. IV 6, 15), praeualeret Castoris, unde ex. gr. templum fratribus commune uulgo audiit 'aedes Castoris' (Cic. Verr. I 49, 129); cf. Prop. II 26, 9 *quae tum cum Castore fratri excepi*, Hor. epod. 17, 42 *Castor fraterque magni Castoris*; quo loco, plane ut nostro, geminatio siue traductio indiuisum par fratrum indicat.

V.

1. Viuamus, mea Lesbia, atque amemus. 'uiuere' sensu praegnanti ualet 'uitae gaudiis frui': Copa 38 *mors aurem uellens 'uiuite' ait, 'uenio'*; CIL. I 1010 *fortuna spondet multa multis, praestat nemini: uiue in dies et horas, nam proprium est nihil.* nec minus 'amare' absolutum indicat 'amoris gaudiis frui', ut Peruig. Ven. 1 *cras amet qui numquam amauit.* — **2. rumoresque senum seueriorum.** rumores pluralis denotat sermones malos uituperationisque plenos: Sallust. ap. Non. p. 385, 2 *rumoribus aduersa in prauitatem ... declinando corrumpebant*; Liuius XXII 39, 18 *si aduersus famam rumoresque satis firmus steteris.* senes autem ut perpetuo sunt 'seueri' (titulus CIL. III 962, 2 *senem seuerum semper esse condecet: bene debet esse puero, qui discet bene*), ita hic sunt austeri morum castigatores et prisci rigidique minorum censores: Prop. II 30, 13 *ista senes licet accusent conubia duri: nos modo propositum, uita, teramus iter*, Ouid. fast. IV 310 *rigidi senes*, Nep. Epam. 2 *tristem et seuerum senem.* comparatiuus hic solito more, 'nimis seuerorum'. — **3. omnes unius aestimemus assis.** dictiones 'rem non assis facere' (XLII 13), 'asse rem uenditare' (XXXIII 8), 'assem ualere' (Petron. 77) et similia (Cato *quod non opus est, asse carum est*) minimum pretium rei et uilitatem summam denotant (*uilem redigatur ad assem* Hor. sat. I 1, 43). propter 'omnes' hic additur 'unius' (nulla apud Romanos magis in deliciis erat oppositio): omnes eiusdem pretii habeamus infumi. Vulpius cp. Sen. epist. 123, 11 *istos tristes et superciliosos alienae uitae censores, suae hostes, publicos paedagogos, assis ne feceris.* ceterum Suessius [Catull. p. 4 not.] non male adnotat, quantopere pretium pecuniae paulatim sit deminutum, inde apparere quod Plauti tempore 'non terunci facere', Ciceronis 'non assis f.', Petronii 'dupondii non f.' dixerint. — **4. soles occidere et redire possunt.** 'sol' et pluralis 'soles' interdum diem et dies significat (ut apud Graecos ἥλιος et ἥλιοι); Lucr. VI 1219 *illis solibus*, Verg. ecl. 9, 52. etsi igitur magis ex more erat sic loqui 'soles ire (perire) et redire (uenire) possunt', tamen uoce 'sol' etiam in illo usu genuinae significationis uestigia seruante facile id quod Phoebi est proprium (cf. ex. gr. Liuius XXXIX 27, 9 *nondum omnium dierum sol occidit*) transferebatur ad spatium diurnum a Phoebo decursum, ut simili translatione VIII 3 *fulsere soles*, eo magis quod et hoc 'dies occidit' non insuetum est. — natura aeterna et homo mortalis saepius inter se opponuntur: Burmannus ad Lotich. II p. 687 (cf. I p. 226) confert Mosch. 3, 106 sqq. *αἰαῖ ταὶ μαλάχαι μὲν ἐπὰν κατὰ κᾶπον*

ὄλωνται, ἠδὲ τὰ χλωρὰ σέλινα τότ' εὐθαλὲς οὖλον ἄνηθον, ὕστερον αὖ ζώοντι καὶ εἰς ἔτος ἄλλο φύοντι. ἄμμες δ' οἱ μεγάλοι καὶ καρτεροὶ, οἱ σοφοὶ ἄνδρες, ὅπποτε πρᾶτα θάνωμες, ἀνάκοοι ἐν χθονὶ κοίλᾳ εὕδομες εὖ μάλα μακρὸν ἀτέρμονα νήγρετον ὕπνον. cf. et Minuc. Fel. 11, 3 et 34, 11; alia. — **5. nobis cum semel occidit breuis lux.** breue quod in luce degimus spatium. nam ut homo 'in lucem editur', ita et 'luce priuatur', unde 'lux' et 'uita' synonyma; et huic uitae in luce siue terris actae opponitur nox Orci. Orellius syll. inscr. 7375 *qui hospitio lucis fructus est annis XXXVIII.* 'nobis' etsi praecipue ad u. 6, tamen simul ad colon secundarium 'cum — lux' pertinet. 'breuis lux', ut VII 7 'tacet nox': rarius omnino hi uersus phalaecii in uoculam monosyllabam praecedente uoce plus quam monosyllaba finiunt (LMuellerus praef. Cat. p. LXXI). — **6. nox est perpetua una dormienda.** nox mortis (ut Hor. od. I 28, 15 *omnes una manet nox*), quam finxerunt se siue in sepulcro dormire (ut in titulo Orell. 4808 *eo cupidius perpoto in monumento meo, quod dormiendum et permanendum hic est mihi*) siue apud inferos, ut habet Seneca Phaedr. 219 *qui mersus semel adiit silentem nocte perpetua domum.* de eadem re Ouid. epist. 10, 112 *aeterna nocte* et 14, 74 *nox perennis,* Hor. od. I 24, 5 *perpetuus sopor*, idem od. III 11, 38 *longus somnus,* Sil. Ital. VIII 141 *di longae noctis* (ex Graecis cf. ex. gr. Anth. Pal. XII 50, 8 *τὴν μακρὰν νύκτ' ἀναπαυσόμεθα*). ad coniunctum illud sine copula 'perpetua una' cf. ad XLVI 11; Cic. in Pis. 14, 33 *ut omnes execrarentur, male precarentur, unam tibi illam uiam et perpetuam esse uellent*, unde illud 'unus (et) perpetuus' in execrationum formulis usitatum fuisse docemur eandem sententiam ueteribus adamatam, qua ob uitae breuitatem uita frui iubebant, habes ex. gr. apud Prop. II 15, 23 *dum nos fata sinant, oculos satiemus amore: nox tibi longa uenit nec reditura dies,* Tibull. I 1, 69 sq., Hor. od. I 4, 15 sq., alias. et simili conclusione noster: — **7. da mi basia mille, deinde centum.** 'basia (oscula) dare' semper unam habet praebendi notionem, numquam patiendi (errauit Ellisius de Ouid. epist. 13, 120, ubi uide NHeinsium). uocabulum 'basium' nemo Romanorum (quibus 'sauium' et 'osculum' usitata erant) adhibuit ante nostrum, qui fortasse ex Gallico sermone (cf. supra p. 48) nouauit; post eum tam uinctae quam solutae orationis scriptores haud pauci in usum uocabant, ut tamen semper illud sermonis cottidiani magis esset proprium: cf. Hauptius opusc. II p. 106 sqq., Suessius Cat. p. 46. de ultimae aetatis differentiis a grammaticis factis (ueluti 'basia iungit amor, pax oscula, sauia lectus') cf. PLM. IV p. 441. 'deinde' duabus syllabis, ut 'dein' una (pronuntia 'dinde, din'): LMuellerus d. r. m. p. 265. cum autem magnum numerum in uniuersum ut 'trecenti' ita plerumque 'sexcenti' uoce designent, interdum poetae potissimum etiam 'mille' et 'centum' adhibent. quas inter uoculas non sine consilio hic uariasse uidetur poeta: mille basia semper excipiuntur eisdem centum simili cum requie et intermissione, qua in mari uidemus maiores undas interrumpi minoribus: maiora uiribus exhaustis deficiunt

in minora, minora robore recollecto resuscitant maiora. — **8. dein mille altera, dein secunda centum.** 'alter' (ut et 'secundus') in duplicato eodem numero, ut Verg. ecl. 3, 71 *aurea mala decem misi, cras altera* (scil. decem) *mittam*, Hor. epist. I 6, 34 *mille talenta rotundentur, totidem altera*; cf. 'alterum tantum' ex. gr. Minuc. Fel. 13, 4. — **9. usque** haec altera mille et secunda centum basia Lesbia iubetur dare, hoc est tertia, quarta mille et centum atque sic sine fine. — **10. cum milia multa fecerimus.** scil. basiorum: cf. ad LXI 203. 'facere' usu uulgari siue pro 'perficere' (Iustin. XI 8, 2 *quingenta stadia uno cursu fecit*) siue potius pro 'parare' uel 'comparare' (cf. 'rem, lucrum, diuitias, magnas pecunias facere', sim.), quod et praecedens 'da' et subsequens 'conturbabimus' commendat. minus mihi adridet ratio, qua 'facere' pro 'efficere' accipiunt quamque exposuit Nipperdeius [opusc. p. 69]; minime ea qua explicant 'summam subducere', cum de certa quae iam fit summa non agatur. sed utique nulla causa mutandi (Heinsius 'fixerimus'). 'fecerīmus', ut est in perf. coniunctiuo et fut. II 'i' anceps (Neuius II p. 510). — **11. conturbabimus illa, ne sciamus.** dictio e negotiatorum sermone adsumpta: in unum confundemus omnia, ut rationes iam non certo expediri possint, harum diuitiarum copia nemini constet. nimirum facile quae sunt parta, facile despiciuntur et dissipantur. dicitur 'conturbare rationes' (cf. Terent. Eun. V 2, 29 sq.), 'rem familiarem', etiam simpliciter 'conturbare' (Petron. 81, Iuuen. 7, 129) de eo, qui se iam non soluendo esse, sed deficere declarat; cf. Turnebus Aduers. XXII 23. 'ne sciamus' ipsi, qualia opposita interdum grata cum neglegentia omittuntur. sed cur scire nolunt amantes? non solum ut dispersis prioribus opibus adquirantur nouae eodem modo, sed multo magis ex superstitione illa, qua felix non numerat bona sua, ne fastu elatus lacessat Nemesin; unde numerationem recusat ille apud Ouid. met. XIII 824 uerbis *pauperis est numerare pecus.* Muretus dicit: 'nostrates quidem rustici poma in nouellis arboribus crescentia numerare hodieque religioni habent'. — **12. aut nequis malus inuidere.** deinde nimiae diuitiae excitant inuidiam non minus fugiendam eorum, quibus mala mens ad liuorem inclinat; cf. ad VII 12. Ouid. trist. I 1, 29 *nequis malus audiat,* et saepius sic 'malus' substantiue, ut XXIX 21, Hor. sat. I 4, 3 *quod malus ac fur.* — **13. cum tantum sciat esse basiorum.** Priap. 52, 11 *quare, si sapiet, malus cauebit, ne tantum sciat esse mentularum,* ubi codd. male 'sciet', ipsa ratio cum doceat coniunctionem causalem melius se habere quam temporalem; unde non accedimus Buechelero [mus. Rhen. XVIII p. 401] apud Catullum potius 'sciet' reponenti. 'tantum basiorum' pro 'tot basia' noto usu. ceterum Priapei imitatio etiam refutat ORibeckii et GRichteri [mus. Rhen. XVIIII 363] suspicionem, qui nescio quam strophicae responsionis umbram secuti hunc uersum exulare iusserunt. quamquam fatendum est, uocis 'scire' repetitionem poetae neglegentiori excidisse. — de imitationibus cf. ad VII 12.

VI.

1—3. Flaui, delicias tuas Catullo, nei sint illepidae atque inelegantes, uelles dicere nec tacere posses. ignotum nobis Flauium (suspicionem quandam promam ad c. XIII) poeta iubet sibi dicere nomen puellae ab eo amatae. etenim 'deliciae' errant, qui appositionis tantum loco dici putant pro persona uel re amata; quod etsi casu nimirum nunc locis longe plurimis (Cat. I 1, III 4, XXXII 2) inuenitur, habet tamen Apul. apol. c. 9 [p. 14 Kr.] *et Critias mea delicia est et salua, Charine, pars in amore meo, uita, tibi remanet*; qui 'delicias' hic interpretantur 'gaudia' siue 'uoluptates', neglegunt u. 2 utique ad personam referendum (in quo attributa illa tam animi morumque quam corporis habitusque turpitudinem denotant, ut X 4), siquidem uoluptates parum apte inuenustae et inelegantes dicuntur. 'nei' prisce pro 'ni' (supra p. 51). summas uiris doctis mouit difficultates mira enuntiati condicionalis forma 'ni sint, uelles nec posses'. non desunt quidem huius formae exempla (quae congessit Kuehnerus gr. l. II p. 924, Draegerus synt. II p. 721²), sed ut longe diuersa sint. suspicio ex indiciis u. 6 sqq. patefactis uenerat Catullo, Flauium rem habere cum femina aliqua, et amico tacente porro coniecit, non dignam esse illam, cuius notitiam Flauius cum sodalibus communicet; neque poeta u. 15 scripsit 'quidquid habes turpis amiculae' (ut debuit, siquid iam habuit compertum), sed potius ita ut decuit eum qui certi nihil scit 'quidquid habes siue boni siue mali'. hanc igitur suspicionem qui in protasi promit, is in apodosi pergens per inperfectum solummodo respicit ad tempus praeteritum: tum mihi interroganti uera dixisses. uerum enim uero totius huius carminis consilium in eo positum, ut eruatur nomen amiculae, ostendit poetam in tempore praesenti totum uersari mente et cogitatione (cf. 5 *diligis* et *pudet*, 7 *clamat*, 12 sqq., 16 *dic*). subtili igitur eius quod latinitas postulat sensu Heinsius et Reisigius [praelectt. p. 524] restituerunt 'uelis' et 'possis'; quibus accedens scripsi id ipsum, quod non intellectum ansam dedit corruptelae 'ueleis dicere nec tacere posseis'. in quibus 'uelis dicere' non periphrasin putauerim simplicis 'dicas' (cf. Lucr. II 642 *ac uirtute uelint patriam defendere terram*, Ouid. met. II 745 *fida sorori esse uelis*, Phaedr. I 29, 6 *cur sic mentiri uelit*), sed potius 'uelis' adaequare 'cupias', ut u. 16; iamque 'possis' explicandum 'a te inpetrare possis ut taceas', plane ut LXVIIIᵇ 1 *non possum reticere ... sed dicam*: bella et elegans si sit puella, Flauium uix se contenturum esse quin omnibus narret amores suos ponit poeta. de qua amantium felicium cupiditate narrandi Vulpius apte comparat Terent. Eun. III 3, 5 sqq., Ouid. a. a. II 625 sqq.; adde Prop. I 9, 33, Plat. symp. 182 D λέγεται κάλλιον τὸ φανερῶς ἐρᾶν τοῦ λάθρᾳ. denique breuiter dicendum est de eo usu, quo Catullus, etiam ubi alios (non solum ubi se: cf. ad VIII 1) adloquitur, se non per primam sed per tertiam personam, ut aiunt grammatici, commemorare in deliciis habet: cf. VII 10, XI 1, XIII 7, XIV 13, XXXVIII 1, XLIV 3, XLIX 4, LVI 3, LVIII 2,

LXVIII^a 27, LXVIII^b 94, LXXII 1, LXXIX 3, LXXXII 1. et in uniuersum quidem cum possit dici, multa cum emphasi maximeque iusta elatum superbia siue fiducia (cf. Verg. Aen. I 48, II 79, V 354, VI 510) eum qui uerba faciat sic loqui, tamen huius affectus maioris accuratior explicatio ex loci cuiusque natura petenda est; ueluti hic est insinuantis se blande (= mihi, quem semper carum tuum amicum uocabas). nimirum curiosus Catullus, scire cupiens certiora, omnes in hoc carmine admouet machinas, quibus Flauium ad aperienda secreta impellat. ceterum similes adlocutiones suimet ipsius iam Sappho (fr. 1, 20 et 59) et Callimachus (epigr. 23, 1 Schn.) habent. — **4, 5. uerum nescio quid febriculosi scorti diligis: hoc pudet fateri.** quo melius id quod uolt consequatur, fingit se poeta iam certius diffidentem de amici iudicio. 'uerum', sed profecto ita ut suspicor est (Kuehnerus II p. 686). 'nescio quid', contemptim, ut Cic. ad Att. VII 2, 8 *litterularum nescio quid*, ubi deminutiuum intendit contemptum, ut hic uox 'scorti'. 'febriculosus' (quod uocabulum nunc non comparet ante Catullum, post eum diuersa cum significatione adhibuerunt Gell. XX 1, 27 et Fronto p. 155, 19 N.) est is qui saepe febricula (unde illud descendit) laborat et proinde morbidus siue maceratus et pallidus est; et ad turpem pallore macieque faciem corpusque hic referendum (cf. LXXXI 4; Priap. 32, 1 sqq. *uuis aridior puella passis, buxis pallidior,* uide cetera); cum eodem despicatu poeta nescioquis germanus 'bleichsuechtige Dirne'. diligendi uerbum hic nimirum ad Veneris uulgiuagae amorem spectat, ut apud Petron. 126 *in extrema plebe quaerit quod diligat*, LXXXI 2. 'pudet', omisso 'te' utpote ex conexu facile supplendo, ut Hor. epod. 11, 7 *nam pudet* (me) *tanti mali.* — **6, 7. nam te non uiduas iacere noctes nequidquam tacitum cubile clamat.** 'nam' in occupatione, 'nam si rem omnino neges'; cf. Seyffertus schol. lat. I § 22 et Kuehnerus gr. l. II p. 720. cubile siue lectus totus (non cubiculum, quae est posterioris demum aetatis significatio, cf. LXI 107, LXIV 163, LXVI 21, LXVIII^a 29) clamat siue manifesto demonstrat (Cic. de fin. II 20, 65 *clamat uirtus,* in Verr. II 42, 104 *tabulae clamant*; cf. LXVIII^b 6 *loquatur*), te non solum per noctes iacere. nam a magis suetis dictionibus 'uiduum cubile, uiduus torus' et hoc profluxit, ut ipsa nox sine tori participe peracta dicatur 'uidua': Ouid. epist. 18, 69 *tot uiduas exegi frigida noctes,* Petron. 133 *an contentus fuit uidua pudicaque nocte.* de accusatiuo temporis priscis maxime scriptoribus usitato (Enn. ann. 338 V. *sollicitari te, Tite, sic noctesque diesque,* Catull. XLV 4, LXIII 57 *breue tempus*) cf. Holtzius synt. prisc. lat. I p. 218 sqq. 'tacitum' Muretus oxymoron esse explicat: 'frustra, inquit, cubile tuum tacitum est utpote inanimum; ipsum enim, quamuis tacitum, clamat'; conligitque Cic. Cat. I 8, 21 *cum tacent, clamant* (hoc Porph. ad Hor. epist. I 11, 28 uocat cacozelon) et Cic. diuin. in Caec. 6, 21 *etiamsi taceant, satis dicunt.* sed his locis de hominum silentio arguto sermo est: quamuis qui possunt loqui nolint et aspernentur, tamen satis perspicue hoc ipso silentio locuntur. qui lusus in cubili per

se tacito ineptus absurdusque est. neque quidquam proficiunt qui 'nequidquam tacitum' sensu cum passiuo (de quo tacetur) ad priora referunt ante 'cubile' interpungentes; quod a sententia non minus peruersum est. ergo mutatione paene nulla reddidi poetae 'te non uiduas iacere noctes nec quidquam tacitum', hoc est, et nihil quietum silentemque, qualis esse solet qui in nocte solus cubat, sed multo cum lecti strepitu, qualis fit in bello Venerio (cf. Ouid. am. III 14, 26 *spondaque lasciua mobilitate tremat,* Iuuen. 9, 77 *testis mihi lectulus et tu, ad quem peruenit lecti sonus et dominae uox*). nam ut 'nec quisquam' pro 'et nemo' adamabant Romani, sic etiam 'nec quidquam' pro 'et nihil' adhibebant ita quoque, ut 'quidquam' adaequaret 'omnino' uel 'ullo modo'; sic Caecil. 207 Ribb. *nec, quem dolum .. commoliar, scio quidquam* (= ullo modo), Plaut. As. IV 11, 40 *nequid sui membri commoueat quicquam,* Enn. ann. 428 *neque corpora f. langiscunt quicquam.* 'nequaquam' Statius Heinsiusque uoluerant minus grate omissa copula. utrumque, 'uiduas' et 'nihil tacitum', explicant iam uu. sqq. — **8. sertis, Asyrio fragrans oliuo.** manifesta concubitus facti indicia prae se fert cubile sparsis ubique sertorum reliquiis et efflans adhuc acres odores. serta autem maxime e rosis Veneri sacris facta intellege (Cic. Tusc. III 18, 43 *sertis redimiri iubebis et rosa*), quibus uiolae aliique flores admixti (ibid. V 26, 73). quibus sertis ut coronati erant amantes Veneris festa agentes (cf. ex. gr. Apul. met. II 16), ita in eisdem cubabant: Seneca epist. 82, 3 *qui in odoribus iacet*, ibid. 36, 9 *in rosa iaceat*; Philostrat. epist. 54 (28); Hor. od. I 5, 1 *quis multa gracilis te puer in rosa perfusus liquidis urguet odoribus grato Pyrrha sub antro,* ubi cum rosis stratis itidem coniuncti sunt liquidi odores, quorum usum sic exponit Muretus: 'in hac quoque palaestra luctaturi prius odorato aliquo oleo corpora perungere solebant, ut hac ratione et libidinis excitaretur ardor et taeter ille sudantium membrorum halitus depelleretur'. et eandem ob causam etiam lecti ipsi perungebantur (Ciris 512 *thalamus Syrio fragrans accepit amomo*). ut 'olea' et 'oliua', sic 'oleum' et 'oliuum' sunt idem (semper erant qui hoc pro illo ponerent: Lucr. II 391, Varro apud Char. p. 139, 15 K., Verg. ecl. 5, 68); sed ut oleum etiam sensu ampliore pro cuiusuis plantae arborisue odoriferae suco ponitur (cf. ex. gr. Plin. h. n. XIII 1, 2 sqq.), sic et oliuum interdum quoduis unguentum fluidum designat, ut apud Prop. III 17, 31 *odorato ceruix manabit oliuo,* Pers. 3, 44. dicit Plin. h. n. XII 26, 129 *dat et malobathrum Syria, .. ex quo promitur oleum ad unguenta*; quamquam et aliorum rorum odororum fertilis Syria, quos passim commemorant poetae. 'asirio' habet V, pro quo uulgo 'ac Syrio'; sed potest (nisi forte 'a' ex 'et' ortum statuas uitio in scriptura langobardica non ita raro) hoc ipsum 'Asyrio', ex Catulliana scribendi ratione (supra p. 52) pro 'Assyrio' positum, retineri, ut adsit nimirum asyndeton illud enumeratiuum, de quo cf. ex. gr. Nipperdeius ad Tac. ann. IV 43 quodque ab huius loci indole minime abhorret. 'Syrius' et 'Assyrius' sine ullo discrimine dicebant non solum poetae,

sed etiam scriptores prosae orationis (Herod. VII 63; Strabo XVI 1; Cic. de fin. II 32, 106; Sueton. Caes. 22), cuius rei causam dilucide exposuit Noeldekius Hermae V 443 sqq. denique 'flagrans' habet V perpetua illa iam antiqui aeui confusione, qua fragrandi uerbum aut in flagrandi aut in fraglandi commutabant indocti nimirum librarii; et quidquid de differentia monuerunt grammatici (Nonius p. 438, 17; Seru. ad Aen. I 436; Probi app. p. 201, 19 K.) commutare pergebant medio aeuo, ut nec antiquissimi codd. a uitiis in hac uoce sint inmunes; cf. Fleckeis. ann. LXXVII p. 191; XCIII p. 386; CV p. 112. ceterum 'fragrare', quod hoc unico loco primam syllabam correptam habet, cum ablatiuo est iunctum ut LXVIII^b 104; cf. Kuehnerus gr. l. II p. 212. — **9. puluinusque peraeque et hic et ille attritus.** puluinus hic pro lecto ipso, in quo cubatur, siue culcita pilis plumisue effarta. qui lectus duos capiebat ita quidem, ut in parte interiore (prope parietem) femina, mas in exteriore iacerent (Salmas. ad script. hist. Aug. p. 64); unde Ouid. am. III 14, 32 *cur pressus prior est interiorque torus*, Prop. II 17, 3 *quotiens desertus amaras exegi noctes fractus utroque toro* (= utraque tori parte), consol. Liuiae 328 (coniugem) *quaeris et in uacui parte priore tori*, Suet. Caes. 49 *spondam interiorem regii lecti* ('regiae lecticae' codd.). hinc facile 'hic et ille' (= uterque) explicatur; quamquam quod in V extat 'hec et illo' potius ex 'heic et illeic' ortum uidetur. toto igitur cubili pariter uolutatus est Flauius (Prop. I 14, 21; idem II 29, 35 *apparent .. toro uestigia presso, signa, uolutantis coniacuisse duos*, ut scribo). 'attritus', nimium premendo laesus corruptusque, hoc uno loco de lecto dictum uidetur; non dissimilis est Lucr. IV 1128 *teriturque thalassina uestis assidue et Veneris sudorem exercita potat.* — **10, 11. tremulique quassa lecti argutatio inambulatioque.** lectus (hic intellege spondam) et ipse monstrat signa, tremens debilisque factus concussione nimia; Hor. epod. 12, 11 *iamque subando tenta cubilia tectaque rumpit*, ubi Porphyrio *tenta cubilia lectum dicit restibus siue fasciolis subtentum.* uulgo autem lectum putant esse tremulum inter Flauii concubitus ipsos. sed his num forte Catullus interfuit testis, ut ille apud Prop. I 10? quid tum sibi uult hoc poemation, si certo scit poeta amici furta? cur non dixit 'me teste (siue oculato siue aurito) negare non potes'? inepta haec ratio tota. uisum uenerat Catullus amicum, tam ex cubili quam ex ipsius Flauii habitu quid esset rei intellexerat, frustra eum pertinacius dissimulantem ad fatendum inpellere studuerat: curiosus et ardore noscendi amasiam flagrans hoc epistolium domi scripsit. describere igitur non potuit lectum nisi qualem ipse uiderat, senio et languore tremulum: ruptus multifariam edit acutum sonum (cf. LXVIII^b 32 *arguta solea*) idemque inambulat siue uibratur agitaturque, nimirum siquis casu aut exploraturus tangat: ita penitus Flauii operibus Veneriis, quae perpessus est, pristinam firmitatem amisit pessumdatus. utrumque aperta cum hyperbole iocose dictum 'argutatio' et 'inambulatio' noue adhibuit Catullus. restat 'quassa'; quod qui pro 'quassi' positum ad 'lecti' referendum adseue-

rant, non sunt hercle digni refutatione. et eiusdem farinae est illa explicatio, qua illud aut 'quatiendo effecta' aut 'fracta' (ex Quintil. XII 10, 29) adaequare uolunt. quibus nugis missis tu sensu simplici agnosce genus mendorum non ita insolitum. nam scriba quidam de quasso olim lecto agi intellegens hoc ipsum reposuit loco alterius uocis a litteris simillimae. 'lassa' ego puto prouenisse a Catullo; quod commendat 'l' ter geminata, 'tremu*l*ique *l*assa *l*ecti'; quo lecti flaccidi mollities fragilis belle describitur (cf. Plaut. Stich. 4, 1, 16 *si res lassa labat*). — **12. nam inista pr(a)eualet nihil tacere.** haec V ('ni ista' G) corrupte; nec adhuc quod omni a parte placeret erutum est. Scaliger coniecit 'nam, ni stupra, ualet n. t.', unde 'stupra' retinentes Hauptius 'nam nil stupra ualet, nihil, tacere' et anonymus Anglus 'nam mi stupra u. n. t.', alii denique alia maioribus cum mutationibus ab omni arte abhorrentibus (ex. gr. Munro 'Mani, stupra uales n. t.'). et sententia quidem aperte est haece 'nam quod nunc proferre potes, ex sertis odoribus lecto non concludi posse de amoribus furtiuis: tu corporis tui misera condicione hos dissimulare omnino nequis'. de 'nam' cf. ad u. 6. iam illud 'ista' addubitandi iusta causa non est, quippe quod cum contemptu respiciat priora (= amores tuos); nec in reiecto per anastrophen 'nihil' fortius sic elato offensio est (Ter. Heaut. I 1, 25 *humani nihil*). restant igitur praeter metrum correctione indigentia 'in (ni)' et 'pr(a)e'. litterula 'i' bis addita et 'r' mutata in 's' (quae saepe confusae in scriptura langobardica) repono: 'nam mi ista ipse ualet nihil tacere'. est enim 'ipse' dominus cubilis siue Flauius (I 9, LXIV 43); et 'tacere' cum respectu illius 'clamat' u. 7 dictum est. desideraueris 'uales', ut aliquando coniecit Schwabius. sed ita locutus est apte, ni fallor, poeta iocose frontis grauitatem atque seueritatem quandam induens. — **13. cur? non tam latera ecfututa pandas.** stabiliuntur in u. 12 posita. 'cur', scil. ita statuam, inquies (cf. XXIV 7), ut similiter XCII 3 *quo signo?*, Suet. Tib. 59 *non es eques. quare? non sunt tibi milia centum,* Ennius epigr. 1, 3 (p. 162 Vahl.) *nemo me dacrumis decoret nec funera fletu faxit. cur? uolito uiuos per ora uirum.* 'ecfututa', futuendo exhausta, ut Priap. 26, 7 *ecfututus ut sim confectusque macerque pallidusque* et in cantilena apud Sueton. Caes. 51 *aurum in Gallia ecfutuisti.* de 'ec' forma, quam numquam fere librarii reliquere intactam plerumque in 'et' corrumpentes, cf. Neuius II p. 766 sq. latera utpote in uenere mota (cf. 'latus lateri conserere') sunt etiam sedes roboris masculi: Priap. l. l. 11 *defecit latus,* Ouid. am. III 11, 14 *amator inualidum referens emeritumque latus.* 'pandere latus' quid sit, nec uocis etymon nec exempla aperiunt. unde de 'pandare' uerbo cogitauere nonnulli sane quam aptissimo, contulitque Huschkius [anal. p. 46] Cic. or. 18 *et uirili laterum flexione,* quae est opposita dissolutae effeminatorum uel exhaustorum curuitati, et Quintil. XI 3, 122 *pandant enim posteriora.* quamquam cum hic omnino melior sit coniunctiuus (Kuehnerus gr. l. II p. 923), uidendum est num 'panda', quod V praebet, ortum sit ex 'pandes'. — **14. nei tu quid facias**

ineptiarum. nisi stultum amorem secteris; cf. 'ineptire' VIII 1; saepius de amore 'stultitia', ut Plaut. Cist. I 1, 64, Most. V 2, 35, Trin. II 4, 108. — **15. quare, quidquid habes boni malique, dic nobis.** ergo cum iam dissimulare nequeas, amiculae qualiscumque nomen ede. in eadem re Hor. od. I 27, 17 *quidquid habes, age, depone tutis auribus,* hoc est, quamcumque amicam possides tenesque (cf. Burm. ad Ouid. am. III 12, 6 *cum multis uereor ne sit habenda mihi*). sed inepte, si V audimus, adiectum est 'boni malique'; in quo usus quidem neutrius 'bonum malumque' (= bona malaque femina) apertus est utpote ex 'quidquid' profluens (Prop. I 9, 34; 13, 12 et 36; II 22, 18), sed copula 'que' absurda. compara XV 10 *infesto pueris bonis malisque,* hoc est, sine discrimine omnibus, tam bonis quam malis: copulam in magna copia indifferenter habita usu uenire agnosces, agnosces nostro loco, ubi sententia flagitat 'siue pulcram siue foedam feminam diligis', necessario debere restitui particulam disiunctiuam 'ue' sexcenties a scribis cum 'que' permutatam: 'boni maliue'. — **16. uolo te ac tuos amores ad caelum lepido uocare uersu.** uehementer cupio (cf. XXXV 5, XLIV 10, Stat. silu. I 5, 9) te et feminam tuam (nam de amasia semper 'amores' pluralis, cf. X 1, XL 7, XLV 1, LXIV 27, ut de puero XV 1) celebrare carmine iocoso facetoque (cf. ad Corn. 1, et de singulari collectiuo rariore Verg. G. III 339 *quid pascua uersu prosequar*), amicum nimirum incitans et de promissi fide fortasse securus postremo adiecit Catullus, quo certius induceret talis praemii cupidum. sed quod dixi 'celebrare', utcumque elicui ex uerbis intellectu difficillimis. in uulgus notae sunt locutiones 'ad caelum tollere (ferre, efferre)', 'ire (abire) ad caelum', 'caelum tangere', 'esse (poni) in caelo' similesque; sed omnes uerbi 'uoco' significationes dum perpendo, quam hic subesse dicam non inuenio; ueluti nihili sunt comparata a Vulpio Ciceroniana 'uocare ad uitam, salutem, utilitatem, exitium et uastitatem' (hoc est, adducere in statum salutis, cett.): ad caelum uocare potest ex. gr. Iuppiter deos in terris uersantes ad concilium accersens. scripsitne poeta 'ad cenam' (cf. Terent. Andr. 453)? quod non intellectum esse a librariis nil mirum est in addito 'lepido uersu'; quo, nisi fallor, Catullus epistolium quoddam significauit, in quod iam mente paratum habuit salem facetum ex re ipsa petitum. sed ut posset et uocare eos ad cenam et epistolium scribere, utique oportebat illum scire nomen amasiae. et fortasse promissa bona cena maius huic Flauio incitamentum quam carmen aeternum! ceterum uide ad c. XIII.

VII.

1, 2. Quaeris, quot mihi basiationes tuae, Lesbia, sint satis superque. artissime hoc carmen cum c. V cohaeret. quo accepto Lesbia per epistolium quoddam iocose ex amasio quaesiuerat, quot tandem uellet basia; difficile enim, ex eius uerbis definire numerum. cui interrogationi iam respondet. ad illud 'quaeris' recte Vulpius confert Prop. II 1, 1; II 31, 1; III 13, 1. uox 'basiatio' non conparet ante Catullum,

qui finxisse uidetur (cf. XLVIII 6 *osculatio*); ex quo mutuatus est solus Martialis II 23, 4 et VII 95, 17. hic quoque argutior Ellisius: ualet illud 'b. t.' nil nisi 'basia a te data'. forma uulgaris 'satis superque' (cf. contra u. 10) nec a poetis plane aliena, ut docet Hor. epod. 1, 31 et 17, 19. — **3. quam magnus numerus Libyssae harenae.** nota est de 'harena' uoce per se multitudinem minimarum partium significante ideoque pluralem non admittente C. Iulii Caesaris in libro de analogia primo disputatio (Gell. VIII 8), quam haud pauci plurali 'harenae' usi non agnouerunt. Ennod. c. I 74, 1 *numerum qui nouit arenae*; cf. Kuehnerus gr. l. II p. 315. 'Libyssus' uox ante Catullum sermoni latino ignota sumpta siue ex Pind. Pyth. 9, 105 siue Callim. hymn. Apoll. 85. Aen. IV 285 *litus arenosae Libyae*, Ouid. met. II 237; Hor. od. I 28, 1 *numeroque carentis harenae*. — **4, 5, 6. lasarpiciferis iacet Cyrenis oraclum Iouis inter aestuosi et Batti ueteris sacrum sepulcrum.** in 'Cȳren(a)e' praeeunte Callimacho (hymn. Ap. 72 et 93, epigr. 21, 5) 'y' corripuerunt inter Latinos soli Catullus et auctor elegiae ad Messalam 61 [PLM. II p. 170]. intellege autem 'in Cyrenis' (Kuehnerus gr. l. II p. 351); nam inter 'Cyrenae' pluralem et singularem 'Cyrene' hoc intercedit discriminis, quod ille totam quam uocant prouinciam Cyrenaicam, hic solam urbem designat (Sall. hist. II 101 Gerl. *in nouam prouinciam Curenas missus*; Mela 1 22 *prouinciam quam Cyrenas uocant*; Cic. pro Planc. 5 et 26; Nepos Ages. 5, 8; Liuius passim); a quo usu raro ita recesserunt ut urbem pluraliter efferrent (PLM. l. l., auctor prologi Rudentis, Plin. hist. n. V 31). huius terrae Cyrenaicae urbes maxime distantes (teste Plinio l. l. CCCC milibus passuum) sunt Cyrene et Ammonium, inter quas sitae sunt ex parte uastae illae formidulosaeque harenae Libycae (de quibus cf. ex. gr. Sallust. Iug. 81 et Curtius V 7, 5 sqq.), quae plantam proferunt sine cultu in locis cetera sterilibus desertisque (Strabo p. 133) crescentem, laserpicium uel lasarpicium (utraque forma proba: Ian. ad Plin. uol. III p. 91, 32), de quo cf. Plinius h. n. XIX 38 *laserpicium, quod Graeci σίλφιον uocant, in Cyrenaica prouincia repertum, cuius sucum laser uocant magnificum in usu medicamentisque* (plura Salmas. ad Solin. p. 249, Rhodius ad Scribon. Larg. p. 127, Hemsterhus. ad Poll. p. 1026, VHehn p. 168²); lexicographus ap. Osannum ad Apulei de orthogr. p. 69 *οἱ Κυρηναῖοι τὸ σίλφιον μέγα τι καὶ ἐξαίρετον ἔχοντες ἐδίδοσαν Βάττῳ· καὶ οὐκ ἐξῆν ἄλλῳ κεκτῆσθαι. ἐχάραττον δὲ καὶ ἐπὶ μὲν τὰ ἑνὸς μέρη τοῦ νομίσματος τὸν Ἄμμωνα, ἐπὶ δὲ τοῦ ἑτέρου τὸ σίλφιον ὡς μέγα* (attulit Ellisius). 'lasarpicifer' formatum est secundum graecum *σιλφιοφόρος*. iam ut ad duas illas urbes reuertamur, Ammonium in media eremo Libyca situm (hodie 'Siwah' uocatur) celeberrimum erat templo Ammonis, quem deum Aegyptiacum (Pauly, Encycl. real. I p. 861 sqq., Roscherus lex. myth. p. 287) eundem cum Ioue suo fecerunt Graeci Romanique (cf. Prelleri myth. gr. I p. 110; Ouid. met. V 327 sqq., Lucan. IX 511 sqq.); et cum hoc templo coniunctum erat oraculum non minus fama celebratum (cf. praeter Curtii l. l. Herod. III 26, Strabo 50), quod Prop. IV 1, 103

his uerbis commemorat *hoc neque arenosum Libyci Iouis explicat antrum*; pro 'Libyci' noster ponit 'aestuosi', in summum terrae illius deum transferens epitheton proprie ipsi terrae conducens (Syrtes et Calabriam notum est uocari ab Horatio 'aestuosas'), translatione adeo sane dura insuetaque, ut prompta sit suspicio, 'aestuosi' mala proxime praecedentis 'Iouis' adsimilatione ex 'aestuosū' corruptum esse idque legisse Propertium: recte oraculum siue templum ipsum dicitur 'aestuosum'. altera autem urbs, Cyrene, circumscribitur conditoris sui Batti (de quo cf. Herod. IV 150 sqq., Iustin. XIII 7) sepulcro ibi posito (Pindar. Pyth. 5, 125), quod 'sacrum' uocatur propter cultum, quem Cyrenaei solito antiquitatis more instituerant Batto tamquam heroi (Pind. l. l. ἥρως λαοσεβής). de uoce 'sacrum', pro qua accuratum loquendi genus 'religiosum' desiderat, cf. Reinii liber 'das Privatrecht u. d. Civilprocess d. Roemer' p. 186 not. audit autem Battus 'uetus' ut ad priscam antiquitatem pertinens, quemadmodum et 'antiqui' uocantur ei, de quibus narrant fabulae: Prop. II 32, 47 *Latias ueteres*, ibid. 54 *antiqui Deucalionis*, Mart. XII 62, 1 *antiqui rex magne poli*, Terent. Maur. 1 *ueterem uirum*, alia. — **7. aut quam sidera multa, cum tacet nox.** ab antiquissimis inde temporibus ad significandum numerum innumerum non solum harenam (ut Hom. Il. IX 385), sed etiam coniunctas cum hac stellas proferre solebant: cf. praeter LXI 199 sqq. Genesis 22, 17 *multiplicabo semen tuum, sicut stellas caeli et uelut harenam, quae est in litore maris*; Plato Euthyd. 294; Ouid. trist. I 5, 47; alia. porro cf. *muta nocte* LXVIII[b] 105, *nocte silente* Ouid. epist. 15, 178; Tib. Priap. 2, 2; Stat. silu. I 1, 95 similiaque. — **8. furtiuos hominum uident amores.** scil. tamquam testes: Stat. Ach. I 643 *admouet amplexus: uidit chorus omnis ab alto astrorum et tenerae rubuerunt cornua Lunae*; Iuuen. 8, 149 *nocte quidem, sed luna uidet, sed sidera testes intendunt oculos*; Val. Flacc. VIII 50 (Hor. od. II 8, 10, epod. 15, 1). Muretus cp. Plat. epigr. ἀστέρας εἰςαθρεῖς ἀστὴρ ἐμός· εἴθε γενοίμην οὐρανὸς ὃς πολλοῖς ὄμμασιν εἴς σε βλέπει (cf. Wilamowitzius Hermae XIV p. 164). de amoribus 'furtiuis' siue occultis (ad LXVIII[b] 96) cf. Verg. Aen. IV 171; Ouid. fast. VI 573; Tib. II 5, 53; alia. — **9, 10. tam te basia multa basiare, uesano satis et super Catullo est.** uulgo 'te' putant esse accusatiuum obiecti (cf. FHaasii praelectt. II p. 84): nam 'basia basiare' cum dictum sit per figuram quam uocant etymologicam (cf. Lorenzius ad Plauti mil. glor. 95 et infra ad LXI 110 *gaudia gaudeat*), secundum 'te basiare' recte se habere 'te basia basiare', quemadmodum apud Catonem [d. r. r. 134, 139, alias] legatur *te bonas preces precor*. sed haec nimirum est formula ex antiquissimis temporibus tradita: Catulli aetate uereor ut aliter dicere licuerit quam 'alicui basia basiare'. quodsi c. V 7 et huius poematii u. 1 Lesbia est ea quae oscula dat, equidem, quoniam illud 'satis est' recipit eam constructionem quam uulgo uocant accusatiuum cum infinitiuo (Kuehnerus gr. l. II p. 512), 'te' habuerim pro accusatiuo subiecti, hoc modo: tot basia si tu basias uesano Catullo satis superque

est. in quibus more latino datiuus in medio positus in utramque partem spectat; quod nos interpungendi ratione hodie recepta utentes uix satis dilucide possumus indicare (ut et V 5). 'uesanus' (a sanitate remotus: cf. ORibbecki symb. ad partic. lat. p. 8) hic est qui amore furit; cf. C 7. 'satis et super' ob metrum est dictum pro uulgari formula 'satis superque', ut similiter (adnotante Suessio) Ouid. met. IV 429 *satisque ac super.* ceterum modestus Catullus prae Propertio, qui II 15, 50 *omnia si dederis oscula, pauca dabis.* — **11, 12. quae nec pernumerare curiosi possint nec mala fascinare lingua.** 'quae', quippe quae. numerus ille indefinitus arcet inuidiam in finito facile obuiam. 'curiosus' haud ita raro (etiam apud bonos scriptores) in malam partem designat eos qui in aliis cupiunt scire quae scire nihil ad eos attinet; iam Muretus attulit Plauti Stich. I 3, 44—54 *sed curiosi sunt hic quam plures mali, alienas res qui curant studio maxumo, quibus ipsis nulla est res quam procurent sua .... nam curiosus nemo est quin sit maliuolus.* 'pernumerare', singula numerando conficere summam; quo sensu primario nunc casu non extat uox illa (alibi cum diuersa paululum significatione lecta) nisi apud Ulpian. dig. XXXVII 9, 1 § 24. 'mala lingua', lingua malorum siue inuidorum; ut loco noto Vergilii ecl. 7, 28 *ne uati noceat mala lingua futuro,* ubi cf. IHVossius. hoc 'nocere' sibi uult uox 'fascinare'; quae ut alibi ualet 'uisu toruo laedere' (Verg. ecl. 3, 103), ita utpote cum graeco *βασκαίνειν* cohaerens de uerbis per nimiam quae maliuole tribuitur laudem nocentibus hic adhibetur. recte enim Muretus [uar. lect. IX 3]: 'uetus erat opinio, periculum esse aliquod a fascino, ubi quis inpensius aut laudaret ipse se aut praesens ab alio laudaretur. ... ex ea opinione receptum erat, ut in laudando plerumque adderent uocem *praefiscine* aut *praefiscini,* qua inuidiam et fascinum a se amolirentur ac deprecarentur'. uidenda omnino OIahnii dissertatio 'ueber den Aberglauben des boesen Blickes' inserta relationibus academiae saxonicae [cl. philol. VII, 1855, p. 28 sqq.]; Prelleri myth. Rom. 205, 442, 545. in hoc altero colo mente suppleas 'possit' caueasque, ne pro ablatiuo accipias 'mala lingua'. — ad carmina V et VII non ipse Catullus postea XVI 12, sed saepius adludit Martialis, VI 34, 7 (basia) *nolo quot arguto dedit exorata Catullo Lesbia: pauca cupit qui numerare potest*, porro XI 6, 14 et XII 59, 3.

VIII.

1. Miser Catulle, desinas ineptire. talia soliloquia ut saepe apud Catullum (XLVI 4, LI 13, LII, LXXVI 1—16, LXXIX), ita apud alios scriptores haud pauca extant; uide ex. gr. Ouid. met. VII 11 sqq. et Verg. Aen. IV 534 sqq.; quamquam in his solummodo ibi, ubi maior adest affectus, ea quae loquitur persona ad se ipsam uerba derigit; Catullus uero uehementissime commotus per totum carmen se adloquitur, ita nimirum ut, ubi Lesbiam appellat, de se tamquam tertia persona dicat (u. 12—18). 'miser', non ut quiuis amans (ad XLV 21), sed ut a

Lesbia desertus et totus infelix adflictusque. 'ineptire' explicat Cic. de or. II 4, 17 *ineptus ... quod non sit aptus, idque in sermonis consuetudine perlate patet; nam qui aut tempus quid postulet non uidet aut ....*, *is ineptus dicitur:* tempus ut Catullus desisteret ab amasia flagitauit, tempus non intellegendo uerendum erat ne ineptus et esset et uocaretur. uoluit Heinsius 'desine, a, ineptire' et u. 2 'duce'; sed cf. de hoc coniunctiuo adhortatiuo siue iussiuo priscis magis usitato Kuehnerus gr. l. II p. 140, Draegerus synt. hist. I p. 285; saepius eum habet C., ut XXXII 7, XXXIV 21 et 24, XLVI 4, LXI 91, LXIII 19. — **2. et quod uides perisse perditum ducas.** prouerbialis dictio, ut Plaut. Trin. 1026 *quin tu quod periit perisse ducis?*, germanicum 'verloren ist verloren'. — **3. fulsere quondam candidi tibi soles.** ut V 4, hic quoque 'soles' ita sunt 'dies', ut tamen multum restet primariae significationis. opponuntur autem tacite 'candidi' siue felices olim dies eis qui nunc sunt atris siue tristibus (cf. ad LXVIII^{b} 108); Enn. trag. 280 R. *atque hoc lumen candidum claret mihi,* Hor. sat. I 9, 72 *huncine solem tam nigrum surrexe mihi*, Ouid. ex P. II 1, 25 *tu mihi narrasti, cum multis lucibus ante fuderit adsiduas nubibus auster aquas, numine caelesti solem fulsisse serenum,* Sil. Ital. XV 53 *sed current albusque dies horaeque serenae.* — **4. cum uentitabas, quo puella ducebat.** bene AGuarinus 'ex frequenti profectione ad amicam (uentitabas) felicitatem suam arguit poeta'. uocis 'ducebat' aptam explicationem frustra quaerebant. nam missa decipiendi notione nec illa significatio, qua 'ducere' ualet 'attrahere' (cp. Plaut. Bacch. 1205 *ducite nos tamquam addictos*) quaque adeo nonnullis est 'adesse iubere' uel 'uocare', subesse omnino potest; semper attraxit puella poetam, qui uentitare tantum eo potuit quo permiserunt tam res quam domina. quam ducem fuisse omnium amasii factorum consiliorumque, ut alii uolunt, respuit illud 'uentitabas quo', quod translate accipi non patitur. optime simplici illo ueri aptique sensu, quem hodie pauci possident, olim Dousa filius Heinsiusque dederunt 'dicebat', hoc est, constituebat, iubebat adesse; Prop. III 23, 15 *aut dixit* (puella) *'uenies hodie, cessabimus una' ... garrula cum blandis dicitur* ('ducitur' itidem codd.) *hora notis*; Iuuen. 3, 12; Hor. od. I 9, 20. dicuntur autem aperte amantium conuentus in Allii domo facti (cf. LXVIII^{b}): ibi poetae fulserunt dies felices. — **5. amata nobis, quantum amabitur nulla.** obscurum mihi olim erat, cur a more illo, quo se ipsum in hoc carmine adloquitur, poeta subito desciscens 'nobis' (= mihi) ponere uoluerit; unde conieci 'uobis' (= tibi), quod postea uidi (nemo enim recentiorum editorum adnotauit) iam a Fruterio coniectatum esse. neque soluerunt dubitationem aut Ellisius ad LXIII 61 et Plaut. merc. IV 3, 1 sqq. prouocans aut Benoistius inepte hanc inter primam et secundam personam uicissitudinem magni affectus esse monens; nam omnia ut exempla adlata ostendunt (cf. et Verg. et Ouid. l. l.), secunda persona hunc praefert affectum maiorem; a quo, cum in toto regnet carmine, quomodo desciscere potuit Catullus ita ut ad primam personam transiret

in hoc maxime uersu, ubi sane dulcissimus praeualet affectus? sed tamen me falsum fuisse coniecturae, interim ipse melioribus ductus rationibus perspexi. nam 'uos' ubicumque 'te' adaequare uidetur, duorum pluriumue appellatio adest; et 'nobis' pro uero plurali si habemus, potest soliloquium siue potius iam dialogus sic fingi usu uenire, ut Catulli animus (cf. Hor. sat. I 2, 69) ad corporalem, ut ita dicam, Catullum uerba faciat, similiter ut XLVI 5 *linquantur Phrygii, Catulle, campi: ad claras Asiae uolemus urbes*; quod in amore, qui tam animi est quam corporis, non male fingi uidetur. repetitur hic u. infra XXXVII 12, ut tamen 'nobis' ibi non aptum in 'tantum' sit mutatum. ceterum uere hoc de se praedixit, nullam umquam tantum a se amatum iri quantum amata erat Lesbia; hanc animo et mente dilexit, in ceteris postea solam expleuit libidinem. — **6. ibi illa multa tum iocosa fiebant.** 'ibi', in domo Allii, 'tum' diebus illis felicibus; alibi sane 'ibi tum' per pleonasmum quendam (nam et 'ibi' ualet 'tum') coniunctum legitur, ut aequet interdum graecum τότε δή; cf. interpp. ad Ter. Andr. I 1, 79. 'iocosa' (substantiue, ut III 14 *bella*) de deliciis lusibusque Veneriis; Hor. epist. I 6, 66 *uiuas in amore iocisque.* 'ille', pathetice ubi effert (= clarus atque insignis), praeponere solet noster, ut XLV 12, LXIII 25, C 3. 'fiebant', ut in epist. Sapphus 133 *ulteriora pudet narrare, sed omnia fiunt* (de concubitu). — **7. quae tu uolebas nec puella nolebat.** 'non nolle', non auersum esse, ut Cic. Verr. II 74, 182. 'uelle' et 'nolle' lasciui aliquid habent, ut apud Auson. epigr. 36 (39), 1 *hanc uolo quae non uolt, illam quae uolt ego nolo*; Plaut. mil. 972 *cupio hercle equidem, si illa uolt*; Ouid. am. III 7, 5 *cupiens pariter cupiente puella.* belle et decore 'uelle' de uiro agente, 'non nolle' de puella patiente. — **8. fulsere uere** cetr. haec in recordatione totus commotusque poeta ex intimo pectore profundit, confirmans quae u. 5 posuerat. amat enim C. tales repetitiones adfirmandi causa factas: cf. (praeter XIII 1 et 6 sq., XXIV 5 et 8 et 10) XVI 1 et 14 (eiusdem generis sunt XXXVI 1 et 20, LII 1 et 4, LVII 1 et 10), XXIX 2 et 5ª et 10, XXXVIII 1 et 2, LVI 1 et 4, LXX 1 et 3, LXXVI 13 et 14, LXXX 5 et 8, XCIV 1. — **9. nunc iam illa non uult, tu quoque inpote...** non iungendum est 'nunc iam' ut uulgo faciunt et alibi sane reperitur, sed 'nunc' oppositum est illi 'quondam' et cohaerent 'iam non' (= non amplius). 'nolle' (cf. Tib. I 4, 15 *negare* et graecum ἀναίνεσθαι), difficilem esse et reluctari cupitis tuis. lacunam Auantius suppleuit ita 'tu quoque inpotens noli', hoc est: tu qui amore uesanus moderari tibi nescis nunc eam sperne'; quod arrisit plerisque, cum 'non uult' (cf. u. 7 'non nolebat') et 'noli' (cf. 'tu uolebas') sibi respondere uiderentur. mihi contra ab oppositione 'inpotens' uidetur abundare recteque dedisse Scaliger 'inpotens ne sis': illa cum reluctetur, tu quoque ne eam appetas inmoderatus; cf. Ter. Heaut. II 3, 130 *noui quam esse soleas inpotens* (nam quod post hoc 'ne' sequitur 'nec' u. 10, cf. Kuehnerus gr. l. II p. 146). — **10. nec quae fugit sectare nec miser uiue.** bene AStatius cp. Theocrit. XI 75 τί τὸν

φεύγοντα διώκεις et Callim. ep. 32, 5 *χοὖμος ἔρως τοιόσδε· τὰ μὲν φεύγοντα διώκειν οἶδε, τὰ δ' ἐν μέσσῳ κείμενα παρπέταται.* persequitur hoc Hor. sat. I 2, 105 sqq. 'miser', ut X 33 *molesta uiuis* (= es). — **11. sed obstinata mente perfer, obdura.** hoc est, animo perseueranti (ut saepius *obstinato animo* Accius trag. 84 Ribb., Liuius III 47). 'perfer', quod in hac tantum formula absolute ponitur, cum 'obdura' (= animum firma) more prisco per asyndeton iungitur; contra per copulam Ouid. am. III 11, 7 *perfer et obdura* (a. a. II 178, trist. V 11, 7) et Hor. sat. II 5, 39 *persta atque obdura.* — **12. uale puella.** iamque firmus certusque, qui sibi uidetur, poeta in omne tempus ualere iubet puellam; neque est dubium, quin uere iubeat ille et ex animi sententia; quamquam mox, quid se ipso nesciente cupiat intimo corde, facile declarat idem. nota est formula illa renuntiandi, interdum etiam male precandi (cf. XI 17), qua in diuortio quoque utebantur (Plaut. Amph. 928); cf. ex. gr. Tib. II 6, 9 *castra peto ualeatque Venus ualeantque puellae.* — **13. nec te requiret.** non ad te rediet, ut Verg. Aen. VI 366. — **nec rogabit inuitam.** decora cum reticentia: hic supple conuentum, alibi noctem siue amplexus; Prop. I 5, 32 *non inpune illa rogata uenit,* Ouid. am. I 8, 43 *casta est quam nemo rogauit,* ibid. II 3, 5 *facilisque rogantibus esset.* — **14. cum rogaberis nulla.** scil. a me. uulgari potissimum usu 'nulla' pro 'omnino non'. bene Hauptius [opusc. I p. 75 sqq.] 'dum abstracta deuitant et concreta sectantur et omnia cum subiecto aut obiecto orationis, quoniam haec maximi momenti sunt, quantum fieri potest artissime coniungere student, aduerbiorum loco, quorum quasi minus uigent notiones, et adiectiua et pronomina saepe numero posuerunt, in qua re Romani maiore licentia usi sunt quam Graeci, cum negatiuis quoque particulis pronomina nonnumquam praeferrent'; cf. praeter comicos hoc genus maxime adamantes (Holtzius synt. prisc. scr. I p. 409, Naegelsbachius stil. p. 263[7]), infra XVII 20, Cic. ad Att. XV 22 *ab armis nullus discederet,* id. Verr. II 17, 43 *hereditas quae nulla debetur,* Ciris 177 *nulla colum nouit.* (inepte Rossbergius 'nullei', quasi meretrix fuisset Lesbia). — **15. scelesta, uae te.** interiectio, quam bene recuperauit Venator (codd. solita cum confusione 'ne' pro 'ue', unde ex 'ne te' alii alia uoluere elicere, ueluti AStatius 'nocte', cum 'nulla' quod esset iungendum), hic cum accusatiuo iuncta (ut Plaut. Asin. II 4, 75 et Senec. apocol. 4, 3; cf. et Caper gr. lat. K. VII p. 101, 6 et Hauptius opusc. I p. 79) miserationem exprimit (non execrationem, ut fit in datiuo 'uae tibi'). 'scelesta' licet sensu proprio utpote iniuriam sibi inlatam respiciens adhibere potuerit poeta (cf. Ouid. rem. 299 *sceleratae facta puellae*), recte tamen uulgo totius loci respectu accipere uidentur pro 'misera', ut habent Caecil. com. 231 Ribb. *o infelix, o sceleste,* Plaut. Cas. III 5, 34 *scelestissimum me esse credo,* Mostel. III 1, 1 *scelestiorem ego annum argento fenori numquam ullum uidi*; sed cf. infra. — **quae tibi manet uita.** qualis uita, ut nunc a te geritur, ita etiam posthac certa est tibi. nam manet nos siue expectat res futura, manet

nobis siue durat id quod iam nostrum est (cf. ex. gr. LXXVI 5; Verg. Aen. I 257). tristis igitur et desolata tum Lesbia aeuom degit. — **16. quis nunc te adibit.** pro consueto magis 'ad te'; ut Enn. trag. 306 Ribb. *quid te adirier abnutas?* 'nunc', post ea quae acciderunt; cf. infra. — **cui uideberis bella.** uenusta et amabilis; cf. ad LXIX 8. hoc, Lesbiam nunc misso Catullo iam nemini placituram esse, adeo nimium est et insani fere prae dolore amatoris, ut flagitet aliam explicationem; cf. infra in fine. — **17. cuius esse diceris.** quis te suam dominam uocabit, ut antea Catulli eras puella. Vulpius cp. Prop. II 8, 6 *nec mea dicetur, quae modo dicta mea est* et Ouid. am. III 12, 5; quibus locis agitur de amasia in ore hominum circumlata; sed Catulli Lesbia postea sane multum celebrata tum paucis amicissimis innotuerat. — **18. quem basiabis, cui labella mordebis?** ut mihi fecisti. iam enim ingratae perfidaeque omnia illa iocosa in memoriam reuocantur, quae dulcia olim ei in Catullo fuere, basia praesertim ex c. V et VII nota. Muretus cp. Plaut. Pseud. I 1, 63 *iocus ludus, sermo suauis, sauiatio, compressiones artae amantum compares, teneris labellis molles morsiunculae* et Hor. od. I 13, 12; adde Tib. I 6, 14, Ouid. am. III 24, 34, Apuleius [PLM. IV p. 104] 7 *demente morsu rosea labia uellicet.* hic subito abrumpit C. deliciarum olim factarum mentionem (in qua quid fere sit solitum sequi, legas praeter Apuleium apud Lucret. IV 1109 sqq.); nec potest magis seuere austereque agere uirum propositi tenacem quam eo quod imaginis blandissime adlicientis dulcedinem a se arcens in ordinem sese redigit. — **19. at tu, Catulle, destinatus obdura.** in quibus explicatione iusta caret uox 'destinatus', quae numquam ad personas relata designat eum, qui certus est persistere in eo quod sibi proposuit (nec quidquam confert comparatus ex. gr. Liuius XLII 48 *consilia destinata ad bellum*, constituta de bello c.; et apud Curt. V 10, 5 *Bactrianos ad omne obsequium destinatos* sententia aperit esse interpretandum 'qui possunt destinari'; cf. Naegelsbachius stil. p. 216[7]; et utique notio illius 'promptus' nil ad nostrum locum). hoc qui olim agnouerunt Itali foedo cum hiatu reponentes 'obstinatus', in iustissima offensione sine dubio plures sectatores nancti fuissent, si facile obuiumque remedium fuisset praesto. quod et mihi nunc demum reperire, nisi me fallit animi, contigit. suspicor enim causam corruptelae in hac lectione genuina 'destinasti ut, obdura' fuisse insuetiorem uoculae 'ut' conlocationem (Lucil. VI 10 M. *canes ut,* Ouid. am. III 11, 12 *seruus ut,* Hom. Il. XI 72 *λύκοι ὥς*).

Restat, de toto carmine ut uideamus. quod poeta primo puellae amatori renuntiantis dolore correptus ita in cartas coniecit, ut certum renuntiandi et ipsum amasiae consilium pronuntiet quidem, sed simul quam tacito pectore speret reconciliationem patefaciat. scriptos esse hos uersus a Catullo uixdum Verona Romam a. 60 siue potius 59 reuerso, ostendit cum beatorum dierum in Allii domo peractorum (u. 4—8) recordatio, in quibus praedicandis etiam id quod paulo ante est scriptum

c. LXVIII^{b} multum est, tum uero temporis praesentis et praeteriti oppositio. cum enim u. 3 'quondam' et u. 9 'nunc' legamus, nostro iure ubinam per medium spatium poeta sit commoratus quaerimus. cui quaestioni non aliter licet respondere quam ut iter Veronense medio illi spatio adsignemus. uu. 16—18 autem, si qui alii, hoc etiam ostendunt, carmen octauum eo tempore esse scriptum, quo Catullus nondum alios Lesbiae amatores tamquam aemulos impugnare erat coactus. nam si iam antea alium nescioquem a Lesbia in amore sibi praelatum cognosset, numquam hercle uersus illos adiecisset, qui miro modo imaginem nobis in animum uocant feminae plane destitutae. unde autem haec imago? uetulane facta erat Lesbia (cf. Hor. od. I 25, Claudian. in Eutrop. I 90 sqq.)? at haec non ultro dimittit cupidum etiamnunc flagrantemque amatorem (u. 9 *illa non uult*). et, ut hoc obiter addam, non alii in toto Catullo uu. apertius demonstrant, non fuisse meretriculam Lesbiam, ad quam nimirum u. 16—18 nullo modo dari potuerunt. qui sic demum perspicui sunt, si hoc carmen missum statuimus ad matronam scilicet honestam (quam quidem poeta putabat), cui certi quos transilire non licuit fines obiecti essent quaeque utpote uiro inamato nupta amatore misso iam tristem uitam peragere uideretur. quamquam ne sic quidem tristis illa condicio, quam depingunt uu. 15—18, omni a parte explicatur. nonne enim, etiamsi statuimus desiderio atque dolore correptum poetam exaggerare nimis et taeterrimis coloribus uti, hoc tamen nimio atque paene inepto modo dictum uidetur, nunc remoto Catullo iam neminem aditurum, iam neminem bellam habiturum esse puellam? mihi, quo saepius hos uersus perlego, hoc magis ei triste aliquid indicare uidentur, quod Lesbiae acciderit quodque in omne tempus maculam ei inusserit. meliusque hi uu. intellegi posse mihi uidentur, si eo tempore Verona Romam rediisse statuimus Catullum, quo Q. Metellus Celer uixdum e uiuis excesserat, premente Clodiam ueneni dati suspicione. re comperta poeta statim obtulerat opem auxiliumque amasiae: repulsam tulit a femina (fortasse alius amatoris subsidio freta). iratus igitur noster quippe recusationem non intellegens hos iambos in Lesbiam facit, tristem uitam et infamia coopertam, quam iam uictura sit, ei ob oculos ponens. nimirum cur a Lesbia desertus esset, Catullus adhuc nesciit: a Rufo ereptam sibi esse amasiam paulo post demum didicit.

IX.

1, 2. Verani, omnibus e meis amicis antistans mihi milibus trecentis. De Veranio (sic enim per unam 'n' et V praeter hunc locum semper scribit et confirmant inscriptiones ceterique testes) nihil plane constat nisi hoc, eum una cum Fabullo in Hispania fuisse (XII 14 sqq.); quod iter Hispanicum ante a. 61 usu uenisse, adsunt tenuia licet uestigia (cf. ad u. 10 et infra ad c. XIII). 'antistare' (V solito uitio ex pronuntiatione orto 'antistas' habet: Ritschelius opusc. II p. 715, Corssenus de pronunt. I p. 252) uel 'alicui' uel rarius 'aliquem' latine dicunt:

Nepos Arist. 1, 2 *quanto antistaret eloquentia innocentiae,* Quadrigarius ap. Gell. IX 13 *qui .. uirtute ceteris antistabat* (magis priscorum est proprium uerbum); unde apparet 'mihi' non esse datiuum comparationis, sed potius ad LXXXVI 1 *mihi candida* esse explicandum 'secundum meam aestimationem'. iam intellegimus 'antistans milibus trecentis' (de 'trecentis' ut numero magno infinito cf. ad XI 18, porro XLVIII 3 *usque ad milia basiem trecenta*), cum sententia sit eadem quae habetur in Cic. Bruto 51, 191 *Plato mihi unus instar est omnium,* ubi attulit OIahnius Anth. Pal. VII 128, 3 *εἷς ἐμοὶ ἄνθρωπος τρισμύριοι*, sed non intellegitur 'omnibus e meis amicis'. sumunturne ex uniuersa amicorum turba trecenta milia, quibus carior sit Catullo Veranius? ineptum hoc uidetur praesertim ob additum 'omnibus' (quot tandem milia amicorum habuit poeta?). 'sunt quidem nonnulli amici cariores, sed maiori eorum parti tu praestas in amore meo': num ita loquimur ad carum caput? at, inquiunt, cur tu non coniungis 'ex o. m. am. trec. milibus', ut hoc ad illud accedat per appositionem (ex omnibus, quorum habeo trecenta milia; cf. Kuehnerus gr. l. II p. 485)? nimirum repugnat huic rationi latinitas, quae non admittit omnino 'antistare ex omnibus' pro datiuo 'omnibus' siue accusatiuo 'omnes'. unde etiam concidit mira Pfeifferi interpretatio 'milibus' secundum Aristoph. nub. 430 explicantis. non igitur casu factum esse puto quod **O** omittit illud 'e'; quod **G**, ut saepius, de suo adiecisse uidetur. unde ego interiectionem haud raro omissam et hic in adlocutione affectus plena aptissimam addens legerim 'omnibus o meis amicis antistans'. — **3. uenistine domum.** pathetice (ergone reuera rediisti), quasi credere nequeat C. nuntium beatum. nec minus pathetice respondetur u. 5 'uenisti', ex imitatione hoc quidem poetarum graecorum, ut habes in Theocriti idyll. 12, 1 et 2 *ἤλυθες, ὦ φίλε κοῦρε;.. ἤλυθες.* cf. CPSchulzius, 'de C. Graec. imit.', p. 37, qui recte hunc quaerendi et per idem uocabulum respondendi usum perquam adamatum fuisse Catullo agnouit cp. XII 6, XXXVII 7 et 9, XXXX 6 et 7, LXII 8 et 9, LXXVII 4 et 5, LXXXVIII 4 et 5, CIV 1 et 3. iamque domum illam omnemque quam domus praebet suauitatem persequitur: — **3, 4. ad tuos penates fratresque unanimos anumque matrem.** ad quae cf. XXXI 7 sqq., porro Domitii Marsi epigr. (ap. Philarg. in Verg. ecl. 3, 90) u. 2 *unanimi fratres sicut habere solent,* Verg. Aen. VII 335 *unanimos armare in praelia fratres,* Stat. Theb. X 727 et ad XXX 1. 'anum' (quod omnium lenissime reposuit Faernus, uiolentius antea Itali 'senemque') adiectiue accipias, ut LXVIII^b 7 *carta anus* et LXXVIII^b 4 *fama anus*; bene Klotzius [emend. p. XI] contulit Curtium III 11, 25 *in gremio anus auiae,* Suet. Ner. 11 *anusque matronas*; Mart. XI 23, 14 *sed quasi mater anus.* — **5. o mihi nuntii beati.** pro genetiuo singularis recte habent Lachmannus ad Lucr. p. 326 et Buechelerus de declin. lat. p. 38 comparans graecum *ὢ τοῦ εὐαγγελίου*; et sic semel legitur Lucan. II 45 *o miserae sortis* (Kuehnerus l. l. p. 305). nam de nominatiuo pluralis in hac uoce, nisi de pluribus nuntiis agitur, insolito uix

cogitare licet (cf. LXXXIV 10, nam LXIII 75 *nuntia* diuersus), cum praesertim 'o' in exclamatione semper a nostro coniungatur cum accusatiuo (ad III 16). — **6. uisam te incolumem.** ereptum ex multis quae tibi inminebant periculis; sic Augusto ex Hispania redeunte dis operantur *integro* (sic enim scribo) *gaudens mulier marito* et *matres iuuenum nuper sospitum* Hor. od. III 14, 5 sqq.; Iuuen. 12, 16. — **6, 7. audiamque Hiberum narrantem loca facta nationes.** Hispaniae uarias regiones, quas pugnantes peragrastis et diuersas quas ibi cognouistis gentes cum moribus institutisque suis. apte Ellisius cp. Cic. ad Quint. fr. II 16, 4 *quos tu situs, quas naturas rerum et locorum, quos mores, quas gentes, quas pugnas .. habes!* tam ex hoc 'facta' quam ex illo 'incolumem' intellegimus Veranium et Fabullum militasse in Hispania. — **8. ut mos est tuus.** 'ut amas accurate narrare ea quae uidisti' potius quam 'secundum morem tuum narrandi, suauem nimirum'. — **applicansque collum.** ceruices meas tibi admouens brachiisque te amplexus, ut facere solent osculaturi: Petron. 24 *uocatumque ad se in osculum adplicuit.* Ellisius cp. graecum *ἀνακλᾶν τὴν αὐχένα* (Aristaen. I 16, Lucian. d. m. 3, 2). — **9. iocundum os oculosque sauiabor.** os tuum, quo tam iocunde narras, et oculos caros mihi redditos. apte cp. Turnebus Hom. Od. XVI 15 *κύσσε δέ μιν κεφαλήν τε καὶ ἄμφω φάεα καλά*, Muretus Cic. ad fam. XVI 27, 2 *tuosque oculos, etiamsi te ueniens in medio foro uidero, dissauiabor*; adde consol. Liuiae [PLM. I p. 105] 34 *collaque dans* (filio ad amplectendum) *oculos illius ore premam*; Plin. h. n. XI 146 *hos* (oculos) *cum exosculamur, animum ipsum uidemur attingere.* adamabant coniunctum hoc 'os oculosque' non solum poetae (Verg. Aen. VIII 152, Ouid. Ibis 155), sed etiam prosae scriptores, ut Liuius III 26, 4, anon. de uir. illustr. 29, 2 *ora oculosque.* — **10, 11. o quantum est hominum beatiorum, quid me laetius est beatiusue.** o uos omnes, quotquot estis homines paululum felices (cf. ad III 2), ut de rebus laetis iudicare ualeatis, uos testes inuoco, num quis me felicior esse possit. cf. infra CVII 7 *quis me uno uiuit felicior*; Terent. Eun. V 8, 1 *o populares, ecquis me hodie uiuit fortunatior.* nam quod neutro usus est, quasi non tantum homines, sed etiam fortius quidquid sensu non caret in testimonium uocetur, cf. ex. gr. Cic. de leg. I 2, 6 *quid tam exile quam isti omnes?* aliaque plurima; et saepissime ablatiuus personae a comparatiuo neutrius pendet. quod ad repetitionem 'beatiorum — beatius' attinet, ea quaesita est, plane ut LXI 145 sq. *petit — petitum,* LXXXII 2 et 4 *si* (*seu*) *quid carius est oculis*; maximeque comparanda est sollemnis nostro traductionis species haec XXII 14 *infaceto infacetior*, XXXIX 16 *inepto ineptior*, LXVIII^{b} 47 *altus altior*, XCIX 2 *dulci dulcius* et 14 *tristi tristius.* etsi potuit hic disiungere poeta, ut utrumque, et laetitia et beatitudo, magis efferretur, tamen recte sensisse uidentur Itali, cumulata synonyma multo se habere melius, indeque scripsisse 'beatiusque': saepe in V 'ue' et 'que' confusa. — ceterum Iungclausseni sententiam, qua Veranii et Fabulli iter Hispanicum ante a. 61 factum est, stabilitur eadem

obseruatione, qua utemur ad XIII 11 sq.: idem circa tempus, quo c. III, hi uersus scripti sunt, h. e. anno fere 61.

X.

1. Varus me meus ad suos amores. de hoc Varo (quem V solita cum confusione mutauit in Varium) nihil certi constat; nisi quod illum non esse diuersum ab eó, ad quem c. XXII datum est, omnem habet probabilitatem; et ex hoc c. XXII uidere licet, Varum et ipsum (ut par est in Catulli amico) poeseos fuisse, si non studiosum, at certe idoneum existumatorem. multi olim docti Alfenum Varum ictum (cf. ad XXX 1) agnouisse sibi uidebantur. magis speciosa est altera sententia, qua Muretus aliique cogitabant de Quintilio Varo Cremonensi, qui teste Hieronymo a. a. Chr. 24 e uiuis decessit quique, ut erat amicus natu maior Horatii (od. I 24; a. p. 438 sqq.) Vergiliique, ita Catulli sodalis aetate minor fuisse sane potest (Schwabius l. l. p. 289 sqq.). ad 'amores' cf. VI 16. — **2. uisum duxerat e foro otiosum.** 'uisere, ire uisere (uisum) ad aliquem' propria est dictio de languentium maxime uisitatione, id quod ad Ouidii am. II 2, 21 *ibit ad adfectam, quae non languebit, amicam uisere* NHeinsius larga copia exemplorum (ut Ter. Hec. I 2, 114, Lucr. IV 1236) stabiliuit. Catullum forte nil agentem perque forum uagantem Varus obuiam factus inde secum abduxerat (de 'secum' omisso cf. Fritzschius ad Hor. sat. I 6, 101) ad amicam suam. iam ipsum ducendi uerbum consilium quoddam uidetur innuere. — **3. scortillum, ut mihi tunc repente uisum est.** deminutiuum, quod hoc loco solo extat, aliquid detrahit de turpitudine uocis 'scortum' (aliquantum similis scorti), ut et in 'meretricula' uoce fit. 'repente', a quo uocabulo cultiorum poetarum plerique omnes abstinent, statuunt hic esse 'statim' siue 'extemplo', perperam illud et sine exemplo iusto. semper enim (ut et LXIII 28) id quod subito atque etiam inexpectatum accidit denotat. explicat quidem Muretus 'quantum ego ex primo aspectu iudicare potui' (simili errore AStatius 'ut' pro 'ubi' accepit), sed neque 'repente' est 'primo aspectu' neque omnino adhuc uiderat Catullus puellam, siquidem hic nondum potest commemorari id quod inde a u. 5 *huc ut uenimus* demum locum habet. quodsi 'tunc' spectat ad 'duxerat' siue id quod inter uiam est factum, 'uisum' ineptum esse apparet repetitumque librarii culpa e u. priore loco alius cuiusdam uoculae a litteris simillimae (sic enim saepe errabatur). si Catulli esse statuimus 'ut mihi tunc repente dixit', ecce subito nonnulla adhuc obscura inlustrantur. nunc enim laus illa u. 4 amicae illi inpudentiori data fit Vari nec iam est Catulli, cuius antea sat miro modo uidebatur esse: Varus inter uiam poetae plane rei ignaro et quid tandem hoc apertum sibi uellet stupenti aperuit, habere se amicam, quae esset quidem scortillum, sed sane nec lepore nec gratia careret. sed ut stupuit poeta, ita lectores hac ipsa uoce 'repente' stupemus, quid Vari fuerit consilium quaesitantes. quod etsi Catullus amico parcens et tantum leniter auri-

culam uellens non diserte patefecit, non ita difficile tamen apparet. nam si postea u. 14 ambo, et Varus et amica, quaerunt, num lecticarios Bithynos sibi comparauerit C., tacito cum risu perspicimus bonum Varum, cum amica aegra ad Sarapidis templum uellet ferri, sumptibus faciendis imparem uti uoluisse auxilio Catulli sui, quem nimirum utpote in Bithynia uersatum lecticam possidere certus esset. — **4. non sane illepidum neque inuenustum.** commendare studet puellam Varus amico omnis uenustatis atque leporis amatori. cf. XXXVI 17. 'non sane', non ita, minime; cf. Kuehnerus gr. l. II p. 601. — **5. huc ut uenimus.** ad amicae domum; Hor. sat. II 2, 128 *ut huc nouus incola uenit.* — **incidere nobis sermones uarii.** animaduerte argutum de amasia ipsa silentium. uulgo dicebant 'incidimus in uarios serm.', exquisitius illud (cf. ad u. 19), hoc est, obtulit se nobis de uariis rebus confabulatio; Plin. epist. IV 22, 5 *incidit sermo de Catullo Messalino.* Ouid. met. IV 39 *uario sermone.* — **6. in quibus, quid esset iam Bithynia.** inter alia de hac re, quid tandem terrae nunc esset B. (ad propositum enim callide flectunt sermonem Varus et amica). Hor. epist. I 11, 7 *scis Lebedus quid sit.* 'iam' cum respectu prioris status, de quo nihil certi constat; sed fortasse terra illa, quae post Nicomedis III mortem (a. a. Chr. 74) est facta Romanorum, primis annis parum lucrosa prouincia erat, utpote bellis Mithridaticis et piratarum depraedationibus exhausta. hoc persequuntur uerba proxima: — **7. quo modo se haberet.** in quo statu (bonone an malo) illa uersaretur; Nepos Dion. 2, 4 *quaesiuit a medicis Dion quemadmodum se haberet,* Cic. ad fam. III 1, 1 *si ipsa resp. tibi narrare posset, quomodo sese haberet.* pro D cum legisset scriba P ('quomopose'), correctura 'do' suprascripta genuit libri V lectionem 'quomodo posse'. — **8. ecquonam mihi profuisset aere.** num qua me ditasset pecunia (nam 'aes' omnino de nummis, ut Moreti u. 82 *domum grauis aere redibat,* Sall. Iug. 34 *serui aere parati,* unde in Senecae dial. 2, 14 corrige *scis emi aere uenalia*). optime autem AStatius 'ecquonam': sollemni illius 'ec' in 'et' deprauatione V 'et quonam' praebet non apte, siquidem nec derecte quanta pecunia inde redundasset quaeri potuit et melius haec interrogatio (ad quam sensim tetenderant) tamquam noua prioribus adiungitur. — **9. respondi id quod erat.** ut res se habebat (secundum ueritatem), ut Petron. 111 *ratus scilicet, id quod erat, desiderium extincti non posse feminam pati* et saepius. — **9, 10, 11. nihil neque nec in ipsis nec praetoribus esse nec cohorti, cur quisquam caput unctius referret.** uulgo scribunt 'nihil neque ipsis', scil. Bithynis, quorum terra nimis pauper esset (nec sane aliter 'ipsis' explicari potest); confertque Gronouius Liu. VI 30 *eodem anno Setiam, ipsis querentibus penuriam hominum, noui coloni adscripti.* sed quod olim monui, Bithynos, qui nihil referant, inepte una cum magistratibus Romanis eorumque cohorte commemorari, id hercle Munro [critic. p. 32] non remouit eo quod post 'cohorti' plenius interpungens nouum enuntiatum formauit 'cur .. referret?' incredibiliter plane nulloque cum emo-

lumento sententiae. nam remanet illud, quod Bithyni nihil possidere, Romani nihil apud eos sibi comparasse, unde c. u. referrent, dicendi sunt. omitto commentum AStatii 'mihi neque ipsi'. Westphalius uoluit 'nihil neque ipsis nunc praetoribus' eqs., male et 'nunc' multo fortius adaequare putans illud u. 7 'iam' et extra sedem uitii procedens. iam cum palaeographicae rationis gnaris pateat, in scriptura 'nihil neque nec in ipsis' duplicem adesse lectionem 'nec in' et 'neque ipsis', ego hanc alteram grammatici cuiusdam uel monachi correcturam esse ratus ex priore scriptura 'nec in' elicui, quod omnes difficultates uere dissoluit, 'nihil lucelli nec .. esse nec cohorti'. solebant enim 'lucellum' uocare particulas illas, quae de praetorum praeda contingebant amicis et ministris: Cic. in Verr. III 30, 71 *Apronio, deliciis praetoris, lucelli aliquid iussi sunt dare: putatote Apronio datum, si Apronianum lucellum ac non praetoria praeda uobis uidebitur* et ibid. 44, 106 *docuerunt uos quid lucelli fecerit homo non malus, familiaris praetoris, Apronius,* infra XXVIII 6 et 8. alteram in u. 10 corruptelam iam olim uere detexit Muretus. nam etsi pluralem 'praetoribus' de nouis qui in ea prouincia quotannis se excipiunt praesidibus intellegimus, tamen et hoc nimium est per se, ne praetorem quidem quidquam inde referre, nec Catulli, qui quod ceteri frustrati sunt spe imputat praetoris sibi soli prouinciam expilantis auaritiae, sententia esse potest. quasi uero, etiamsi res ita se haberet, aegre ferret C. praetorem suum nil rettulisse! denique hoc 'nihil lucelli nec praetori nec cohorti erat, cum praesertim eis esset praetor inrumator' absurdum est. optime igitur Muretus 'nec quaestoribus esse'. quaestorem enim cum suis ministris comitibusque (hos enim comprehendit pluralis) et praetoris quae propria est cohortem bene sociari obuium est, cum, licet sint ab officiis diuersi, tamen omnes a praetore pendeant. praeterea quaestores, siqui alii, ob ipsum munus sane facillime ditare se ualebant paululum tantum fauente praetore. cohortem autem praetoriam hic non tam turbam scribarum adcensorum medicorum haruspicum intellege quam praecipue amicos comitesque, hoc est, adulescentes nobiles tam reipublicae capessendae causa quam spe lucri praetores in prouincias comitari solitos. qui, si praetor faueret eis uelletque, quantum sibi compararint haud raro diuitiarum, manifestum est ex Cic. in Verr. II 10, 27. unguenta autem cum non ita paruo aere constarent, is qui caput unctum habebat inter opulentiores iure numerabatur: Lucil. apud Non. p. 423, 1 *en* ('eti' uel 'etit' codd.), *quos diuitiae producunt* (in lucem), *et caput ungunt horridulum,* Plaut. Pseud. I 2, 84 *numqui quispiam est tuorum tua opera hodie conseruorum nitidiusculum caput?,* Hor. sat. II 2, 127 *quanto aut ego parcius aut uos, o pueri, nituistis,* Cic. Verr. II 22, 54 *ita palaestritas defendebat, ut ab illis ipse unctior abiret.* denique cf. CGracchus ap. Gell. XV 12 *zonas quas plenas argenti extuli* (Roma), *eas ex prouincia inanes retuli.* alterum 'nec' gradationem continet (= nec uero). — **12, 13. praesertim quibus esset irrumator praetor nec faceret pili cohortem.** constructione illa

κατὰ σύνεσιν post 'quisquam' sequitur 'quibus', quod cum pro 'cum eis' sit positum, in altero colo 'nec f. p. cohortem' neglegentius addito 'praetor' ἀπὸ κοινοῦ priori colo additum et ipsum est subiectum (male Benoistius cp. Maduigii gr. l. § 323[a]). recepi enim ex **O** 'nec': male et asyndeto hic quidem intolerabili 'non' G praebet; nam quod Ellisius cp. Caecil. com. 220 Ribb. *praesertim quae non peperit, lacte non habet,* hoc alterum colon est nimirum apodosis; nec iam opus est subuiolenta Gronouii mutatione 'non faciens'. 'irrumator' hic non tam is est qui turpissimis libidinibus seruit quam qui summa cum incuria cohortem tractauit. sic enim, ut acerrimum significet contemptum, inrumandi uerbum ut conuitium etiam XVI 1, XXXVII 8, LXXIV 5 (XXVIII 10 quoque, ut infra uidebimus) legitur. itaque quasi nulla adesset cohors de praetoris beniuolentia occasionem diuitias faciendi expectans, nihil comites curauit Memmius (de quo cf. supra p. 36), sed sibi omnia corripuit. in uerbis igitur 'nec faceret pili cohortem' (cf. XVII 17) cohortis uox et iam illo 'quibus' comprehensa et post u. 10 iteratur multa cum ui: ne amicos quidem comitesque propiores (nam de quaestoribus ceterisque ministris minor querella) respexit Memmius. ad illud autem uulgi per uocem 'inrumare' conuitium uidetur adludere Lucilius apud Non. p. 394, 15 *praetor noster adhuc* [*athuc* Leid. 1 m. 1] *quam spurcus ore, quod omnes extra castra ut stercus foras eiecit ad unum,* quae uerba pertinent ad Scipionem in bello Numantino castra hominibus inutilibus purgantem; cui uicem reddiderunt milites, seuerae iam disciplinae adsuescere coacti, imperatorem contemptissime tractantem uocando 'inrumatorem'; cedant ergo uerba tam a metro quam a sententia inexplicata in 'nos terit heic quasi spurcos ore'. — **14. at certe tamen, inquiunt.** uno quasi ore, quippe qui ne iam spes ad nihilum recideret timerent; inutile est quaerere, quomodo hoc factum sit, dixeritne mulier Varusque uultu idem significauerit an contra. 'at certe', at minimum. — **15, 16. quod illic natum dicitur esse, comparasti ad lecticam hominis.** hoc est, lecticarios. sunt enim 'homines' serui (cf. ex. gr. Plaut. Men. V 5, 49 *homines arcesse*); appellabantque Romani seruos pro singulorum prouincia ut plerumque per 'a' (ex. gr. 'a ueste', 'ab unguentis') ita interdum per 'ad' (ut 'ad argentum', 'ad cyathum'); cf. Marquardti antiqq. priuat. I p. 141 sqq.[2]; sumebantur autem lecticarii ex hominibus robustissimis, ex Syris potissimum et Cappadocibus, etiam ex Bithynis, ut ex nostro loco discimus: Marquardtus l. l. p. 146. hoc 'ad lect. hominis' per appositionem accedit ad prius 'quod i. n. d. esse', hoc est, id quod terra illa (ut aiunt) prae ceteris progignit large (Cic. Verr. II 2, 5 de Sicilia *id non apud eos nasci .. putaremus*). quidquid domi natum et inemptum est, uili constat pretio; unde suo quodam iure Catullum, etsi lucri non compotem, tamen data occasione paruo aere sibi comparasse lecticarios concludere potuerunt. nam falso lecticarum usum in Bithynia prima extitisse ex hoc loco (ut uidetur) collegit scholiasta Vallae ad Iuuen. 1, 121 et 6, 351 (cf. Hauptii opusc. III p. 578); immo ut in cetera

Asia (cf. C. Gracchus apud Gell. X 3), ita in Bithynia potentes solebant hoc uehiculo uti; Cic. in Verr. V 11, 27 *nam ut mos fuit Bithynorum regibus lectica octaphoro ferebatur.* fortasse Catulli tempore, quo lecticarum usus modo Romae increbuerat, Bithyni potissimum ad portandas eas sumebantur. de accusatiuo rarissimo 'hominis' cf. Neuius d. f. l. I p. 257, Buechelerus decl. lat. p. 29; supra p. 51. — **16, 17. ego, ut puellae unum me facerem beatiorem.** simularem siue fingerem (CVII 9 *et se facit esse uenustum,* Plaut. asin. II 2, 84 *facio me facetum atque magnificum uirum,* Sen. epist. 44, 1 *tu mihi te pusillum facis*) 'unum', prae ceteris Memmi comitibus (cf. LVIII 2), 'beatiorem', opulentiorem (cf. XXIII 27, Hor. od. III 7, 3) siue potius eum, cui melius fortuna consuluisset (cf. mox 'maligne'). — **18. 'non' inquam 'mihi tam fuit maligne.** non adeo mecum egit fortuna maligne, siue, non adeo res mihi erat tenuis et parca (cf. *maligne alere corpus* Sen. de ira II 19, *maligne plorare* Petron. 42); dictum est hoc ad similitudinem locutionis 'male est mihi' (Kuehnerus gr. l. II p. 7); et amat hoc genus loquendi populare (Holtzius synt. scr. pr. II p. 6 sq.) noster; cf. III 13, XIV 10, XXIII 5 et 15, XXXVIII 1 et 2. de constructione 'non tam ut non' Schwabius cp. Cic. in Verr. IV 43, 95 *numquam tam male est Siculis quin aliquid facete et commode dicant.* — **19. prouincia quod mala incidisset.** contigisset mihi pr. parum lucrosa (siue ob incolarum penuriam siue ob praetoris auaritiam). cf. Hor. sat. I 7, 11 *quibus aduersum bellum incidit,* Prop. I 15, 28 *siquid forte tibi durius inciderit,* Plaut. Men. V 2, 121 *ei derepente tantus morbus incidit* (hypallagen minus recte uocat Ruddim. instit. p. 394). — **20. non possem octo homines parare rectos.** non saltem seruos octo ualerem emere proceros robustosque (cf. LXXXVI 2, *recta senectus* Iuuen. 3, 26, *seruitia rectiora* Suet. Caes. 47). portabatur lectica siue a sex (hexaphoros) siue ab octo seruis (octaphoros: Marquardtus l. l.). 'parare', pro 'comparare', etiam omisso 'aere', ut Cic. ad Att. XII 19, 1 *cogito .. hortos aliquos parare.* — **21. at mi nullus erat neque hic neque illic.** bene Burmannus [misc. obss. V 1, 7] 'quae uerba non scortillo dixit, sed (ut saepe in comoediis ad spectatores conuertitur sermo) haec ad lectores dicuntur'. de 'at' cf. Fritzschius ad Hor. sat. I 5, 60. neque (nunc) Romae neque (olim) in Bithynia; Ellisius cp. Cic. ad Att. IX 7, 2 *ero in Formiano, ne aut ad urbem ἀπάντησις mea animaduertatur aut, si nec hic* (Formiis) *nec illic* (Romae) *eum uidero, deuitatum se a me putet.* — **22. fractum qui ueteris pedem grabati.** nec lecticam possidebat, sed tantum lectulum illum pauperiorum proprium (de grabato cf. ex. gr. Moreti 5 *membra leuat sensim uili demissa grabato,* Richius lex. antiqq. s. u.), sed eum ipsum uno pede debilem ob uetustatem (quam iocose inridet Lucil. VI 9 M. *tres a Deucalione grabati*). XCVII 6 *ploxeni ueteris.* — **23. in collo sibi collocare posset.** hoc est, subcollare (cf. Suet. Claud. 10 et Oth. 6). est adnominatio, qualem amant prisci poetae, quasi 'collocare' a collo sit deriuatum; sic Plaut. Asin. III 3, 67 *hic istam colloca cruminam in collo plane.* 'posset',

scil. si iuberem. — **24. hic illa, ut decuit cinaediorem.** tunc (LXIV 269) puella, ut nimirum consentaneum erat in femella scortorum magis simili. nam 'decent' non solum quae ornant, sed etiam ea quae secundum natiuam rei alicuius indolem fiunt eique sunt conuenientia; Ouid. a. a. III 502 *trux decet ira feras.* uocis 'cinaedus' et de femina usum (cf. tamen Priap. 40, 4 *pathicae puellae*) et comparatiuum unus sibi permisit Catullus (quantum quidem hodie scimus). sed cauendum est ne celerius cinaedam siue mollem (Plin. epist. IX 17, 2) siue inpudentem (Mart. VI 39, 12) interpretemur breuiter. nec enim alia dici potest cinaeda nisi quae clunes agitat (Iuuen. 11, 164), ut puella cinaedior sit ea quae magis inclinat natura ad feminas quiduis facere patique paratas, hoc est scorta. inpudentiae enim notio ex re ipsa redundat. quippe hominem alienum et tunc primo uisum, quasi iam multos per annos habeat in amicis familiarissimis, illa et statim rogat officium et blandissime ('mi Catulle') adloquitur. — **25, 26. 'quaeso' inquit 'mihi, mi Catulle, paulum istos commoda; nam uolo ad Sarapim deferri.** 'commoda' correpta ultima positum semel apud Plaut. Cist. IV 2, 76 certum est post Ennium a nullo poeta cultiore adhibitum esse uel adhiberi potuisse (nam illud 'pută' etiam apud posteriores obuium formulae est instar: LMuellerus d. r. m. p. 340). hinc iam inde a saec. XV coniecturarum seges larga; ueluti proposuerunt AStatius 'nam uolo commode ad S.' (hoc 'tempore commodo' hinc alienum), Scaliger 'commodo nam' (nec a metro nec a sententia probandum), Burmannus [misc. obss. V 1, 9] 'commoda: enim' (et sane 'enim' saepius apud priscos praeponitur), Doeringius 'istos da: modo nam', omnium blandissime Ferdinandus Handius [obss. p. 54] 'istos: commodum enim uolo'. supplendum enim ad 'istos' ex sermonis familiaris consuetudine relictum est 'cede' uel 'mutua'; plane ut LV 10 *Camerium mihi* (scil. date); et 'commodum' apte designat 'hoc ipso tempore' (quo scil. aegrota femella pedibus nequiit ambulare); cf. Plaut. Stich. II 3, 40, Merc. I 2, 106, Ter. Phorm. IV 3, 9. ceterum non illepide hercle nec inepte meretricula cupit nobilium matronarum instar lectica deferri (puta ex regione editiore, in qua habitabat) ad templum Serapidis longe extra pomerium situm (Dio LIII 2, LIV 6). de Serapide siue Sarapide (utraque forma proba, nisi quod illa Romanis, haec Graecis magis usitata fuisse uidetur) cf. Prellerus myth. Rom. p. 724 sqq.; languoris sine dubio remedium inde erat petitura Vari amicula (Varro Eumen. fr. 12 et 36 Buech., Cic. de diuin. II 59, 123). male autem se habet uulgata lectio 'ad Serapim'. etenim 'ire (ferri, uenire, sim.) ad templum dei deaeue alicuius' dicturi Romani omittere solebant illud 'templum', ut Hor. sat. I 9 35 *uentum erat ad Vestae* (Kuehnerus gr. l. II p. 175); numquam 'ire ad deum' dicebant. unde ego 'ad Serapis (Sarapis)' reddidi Catullo (formam 'Serapi' non sat tutam putans; cf. OSieuersius in Ritsch. act. soc. Lips. II p. 80); mirorque Ellisium mihi opponere potuisse locos alienissimos Ouid. am. II 2, 25 (ubi 'ad Isin' ualet 'apud I.' siue 'in Isidis templo') et Iuuen.

14, 260 (ubi 'ad Castorem' est 'iuxta, prope C. templum'). — **27. mane me, inquio puellae.** erat haec uitae cotidianae dictio, qua nimis celerantem ut retardaret abitum audiretque narranda monebant uel etiam uerba interrumpentem in ordinem redigebant, ut Afran. com. 95 Ribb. *mane, Serui, quaeso, nisi molestum est, pauca sunt,* Plaut. mil. 1404 *mane, dum narra,* Ter. Andr. IV 1, 34 saepiusque. sed neque in hac formula usitatum est addere 'me' in aliis sane non ita rarum (cf. ex. gr. Plaut. Amph. I 3, 48 *nunc te nox, quae me mansisti, mitto*) neque uero credibile est, 'mane' breuiata altera syllaba, ut a comicis, ita a Catullo etiamtunc adhibitum esse; intra pauca enim multoque usu trita uocabula licentia ista constitit apud posteriores (cf. LMuell. d. r. m. p. 340). coniecerunt Pontanus 'minime', Statius 'mane inquii' (cum hiatu mihi certe ingrato), Bergkius 'mi anime', Munro 'meminei', alii alia; ex quibus nihil placet mihi, qui 'mane' aptissimum retinendum et 'me' a latinitate damnatum ita remouendum intellego, ut simul uitium prosodiacum uocis 'mane' tollatur. unde nunc scribendum censeo 'mane, em, inquio'. interiectio enim 'em', quam accurata disputatione tractauit ORibbeckius symb. ad part. lat. p. 29 sqq., iungi amat cum imperatiuis, quibus, etsi multo rarius, etiam postponitur (Ter. Phorm. I 2, 2 *accipe, em*), neque fere (ut omnes interiectiones) cum uoce sequenti per synaloephen coalescit; adhibet autem uocem illam Cat. LV 12, ubi uide. deinde antiquos editores et **O** secutus dedi 'inquio' (cf. Neuius d. f. l. II p. 612), cum tempus praesens in hac uiuida narratione multo sit aptius perfecto et praeterea habeatur u. 14 et 18. — **28. istud quod modo dixeram me habere.** 'istud', res de qua loquimur, serui. 'dixeram', scil. antequam me interrupisti. nam summopere conturbatus poeta, dum haec loquitur, quaerit aptam responsionem inde quod uerba sua priora nondum ad finem perducta finxit (cf. 'mane'); quo modo cum nil se proficere intellegeret neque melius quidquam reperiret, sine iusto enuntiati fine subicit: — **29. fugit me ratio.** oblitus sum memoriae culpa uerum rei statum. Scaliger cp. auct. ad Herenn. II 16, 24 *qui se propter uinum aut amorem aut iracundiam fugisse rationem dicet, is animi uitio uidebitur nescisse, non inprudentia,* ibid. 40 *in mentem mihi si uenisset, Quirites, non commisissem ut in hunc locum res ueniret .. sed me tum ratio fugit,* Muretius etiam Plaut. Amph. I 1, 227 sqq. iamque per anacoluthon subicit iterum abrupte quidem, sed ut enuntiati initium 'istud' (seruos) et finis 'parauit' aliquo modo cohaereant: — **29, 30. meus sodalis, Cinna est Gaius, is sibi parauit.** dicitur C. Heluius Cinna Catullo amicissimus, de quo cf. ad XCV. mentis confusionem, qua haec quasi per interualla erumpit C., bene exprimit et illud 'Cinna est Gaius' ad 'meus sodalis' ab eo, dum nomen aliquod quaerit, quasi parentheseos loco adiectum et iterum id quod nomine feliciter reperto cum quadam affirmatione additur 'is'. et fit sane perquam iocculariter haec appellatio Cinnae (quem Hauptius opusc. I p. 72 hinc recte conclusit una fuisse in Bithynia; cf. eius fragm. 3): ille in eadem plane

quam Catullus condicione uersatus iam Varos cum amicabus lecticam rogaturos quomodo arceret circumspicere debuit. sic festiue nimirum poeta laborans amicum iocundum iocum habet ludumque. non infrequenti autem more postponitur praenomen siue nomini siue cognomini (non his utrisque iunctis), ut in elog. Scip. I *Cornelius Lucius,* Plaut. merc. prol. 10 *Macci Titi,* Enn. ann. 305 V. *Cethegus Marcus* (Marquardtus antiqq. priu. I p. 92); quocum cohaeret quod praenomine omisso etiam nomen post cognomen ponebant (cf. interpp. ad Tac. dial. 1, 1). 'gaius' postquam in 'gauis' abiit, scriba hinc de suo effecit uocem saltim latinam 'grauis'; unde non intellecta mendi origine ORibbeckius elicuit formam 'Gauius', primariam illam quidem (cf. Mommseni dial. Ital. inf. p. 253), sed uix Catulli tempore adhuc seruatam. 'Gaius', trisyllabe, ut apud Mart. V 14, 5 (cf. et IV 16, 1). — **31. uerum utrum illius an mei, quid ad me?** sed quid ad me pertinet, sitne istud Cinnae an mei. quod 'mei' est genetiuus pronominis personalis propter oppositionem pro consueto multo magis 'meum' positus (Kuehnerus gr. l. II p. 435); nam longius accersitum uidetur, 'serui' et 'sint' suppletis 'mei' pro nominatiuo pluralis possessiui habere. Augurinus apud Plin. epist. IV 27, 4 et Mart. XII 30, 1 *quid ad me?*, Cic. ad Att. XII 17. — **32. utor tam bene quam mihi pararim.** excusare studet mentis quam fingit obliuionem illo *τὰ τῶν φίλων κοινά.* 'utor' scil. 'isto', quod conexus facile suppeditat. utique expectandum est autem 'quam si'; neque enim sic quidem 'si' umquam omittitur, cum 'tam' ualeat 'aeque', ut 'uelut' et 'tamquam' comparata sint aliena (cf. Kuehnerus II p. 966). unde Statius olim 'paratis' proposuit, scil. 'seruis', quod mihi ob ipsam mutationem substantiui subintellegendi displicet (placeret 'parato', scil. isto). sed quod ipse temptaui 'ceu mihi pararim', recte monuerunt non conuenire huic dicendi generi; uox enim 'ceu' priscis scriptoribus non nota altioris postea stili erat. uide an poeta dederit 'quam ipse si pararim'. ad totam sententiam cf. ex. gr. Plin. epist. III 19, 8 *accipiam a socru, cuius arca non secus ac mea utor,* Cic. de off. III 14, 58 *uenales quidem se hortos non habere, sed licere uti Canio, si uellet, ut suis.* — **33. sed tu insula male et molesta uiuis.** sic G, contra O 'sed tulsa male'. uulgo scribunt 'tu insulsa male'. et nota in uulgus res est, 'male' pro adiectiui quocum iungitur ratione modo 'parum' modo 'ualde' adaequare: adiectiuum si bonae notionis est, 'male' detrahit ('male fortis', parum fortis); contra hoc intendit, si illud aliquid mali continet ('male insanus', oppido insanus). nec insolita est anastrophe; cf. Hor. sat. I 4, 64 *rauci male* (= ualde), ib. II 5, 45 *ualidus male* (= parum). sed rectissime Schraderus [emend. p. 14 sq.] monet, insulse scortillum uocari 'insulsum', quippe quod per se salsum admodum fuerit, cum poetam gloriosiorem statim mutuom rogaret id quod ille suum iactauerat; nec enim 'insulsus' idem quod 'inpudens'. neque C. est is, qui talem leporem dissimulet. coniecit igitur Schraderus 'salsa male et molesta', hoc est, cum incommodo meo atque molestia iocosa es. quis hoc reprehenderit?

nisi quod multo leniore uel potius nulla cum mutatione litterulis traiectis (lectum fuisse uidetur in V 'tulsa' supra 'tu' illis 'mu' scriptis) euadit 'tu, mulsa, male et molesta'. nam hoc 'mulsa', nota ex Plauto appellatio blandifica (Cas. II 6, 20, Stich. V 5, 14 *mulsa mea*; de 'mea' omisso cf. ad Corn. 8), hic ita adhibetur ut respondens illi 'mi Catulle' poeta non nimis honorifice (cf. germanicum 'Schaetzchen') femellam adloquatur. iam intellegimus quidem 'molesta uiuis', hoc est, inportuna (cf. LXVIII[b] 96); aequat enim 'uiuere' fere 'esse', cf. Plaut. mil. 678 *liberum autem ego me uolo uiuere,* Men. V 5, 10 *ne ego homo uiuo miser,* Hor. epist. II 2, 157, Tib. II 6, 53. sed difficile est dictu, quomodo 'male uiuis' sit accipiendum, quod neque ad prauitatem morum neque ad miseram rerum condicionem (Hor. sat. I 4, 109; epist. I 17, 10) pertinere apertum est; et num uere aliquando temptauerim hanc interpretationem 'parum calles mores elegantiores, a quibus talis rogandi impudentia aliena est', ipse ualde dubito ob certi exempli absentiam; nec bene aduerbium et adiectiuum iunguntur. recepi ergo Guarini coniecturam 'mala et' (malae et, male et), hoc est, metuendae es calliditatis: cf. Brixius ad Plaut. mil. 190, Cat. XXXVI 9, LV 10 *pessimae puellae* (germanice seruata allitteratione uertas 'doch du, Liebchen, bist lose und laestig'). — **34. per quam non licet esse neglegentem.** quae non permittis (Kuehnerus gr. l. II p. 406) eis, qui tecum locuntur, non nimis ponderare uerba sua, minus accuratos atque obliuiosos esse. Heinsius ad locos, quales sunt Cic. ad Att. I 17, 6 *quo in genere mihi neglegenti esse non licet* coniecit 'neglegenti'; uerum enim uero hic adest generalis sententia nec de se uno loquitur poeta (cf. Kuehnerus l. l. p. 500). — pauca habes poemata magis siue iucunda a uerborum arte minime illa quaesita siue a sensibus lepida. nam praetoris sui auaritiam exagitaturus poeta sub specie eius, qui amara lento temperet risu, narrat quam male et sibi sit inlusum falsa illa opinione, qua tamquam Croesus alter ex prouincia rediisse putabatur, et ipse inluserit spei amicorum; simulque femellae cuiusdam sane non illepidae (quidquid poeta eam pro molesta increpat) callida uersutia iocose describitur suaui illa festiuaque sermonis urbani facetia, cui totum carmen miram debet uenustatem.

XI.

1. Furi et Aureli, comites Catulli. Furius et Aurelius, Catulli riuales in amore Iuuentii, ut ab hoc sectando reuocarent, illum cum uetere suo amore Lesbia reconciliare studebant; cf. supra p. 38. quam in rem cum multa uerbosaque animi officiosi testificatione tamquam deditos illi deuotosque amicos et quiduis eius gratia facere patique paratos sese poetae obtulerant sequestres. quorum mentem bene perspiciens Catullus in huius carminis prologo (1—14) non minore uerborum cum strepitu per tacitam inrisionem praedicat propensam illorum in se uoluntatem, deinde in fine pro multis magnisque officiis oblatis eos rogat unum et paruolum munus, quo mandato et quanti eos aestimet ostendit

et Lesbiae reconciliationem procul a se arcet. 'comites' breuiter integrae protaseos loco: 'qui estis futuri comites'; quos nimirum illi in litteris suis se significauerant. erat enim haec quasi quaedam formula, qua ueteres testabantur amicitiam, ut paratos se esse dicerent earum caput in remotissimas quasque terras multo cum labore periculisque comitari; praebebat haec testificatio poetis praesertim ansam commorandi in harum regionum longinquarum adituque difficilium descriptione; cf. Hor. od. II 6, 1 sqq. et epod. 1, 11 sqq., Prop. I 6, 1 sqq., Ouid. am. II 16, 21 sqq., Mart. X 20, 7, Stat. silu. III 5, 19 et V 1, 127. 'Catulli', cari amici uestri, quem me in litteris appellatis. — **2. siue in extremos penetrabit Indos.** elogium Traiani 3 [PLM. V p. 401] *extremos penetrauit uictor ad Indos,* Sen. Oed. 113 *extremos comes usque ad Indos,* Verg. Georg. II 123, Hor. epist. I 1, 45. iam ab Homero Od. I 23 Aethiopes ἔσχατοι ἀνδρῶν uocantur. quamquam Vulpius recte adnotat, omnes gentes ad oceanum positas dici extremas. 'in Indos', in terram Indorum. — **3, 4. litus ut longe resonante Eoa tunditur unda.** eo usque, ubi. nam 'ut' usu rariore quidem sed certo localiter pro 'ubi' siue 'qua' adhibetur, Cat. XVII 10, Cic. Arat. 2 *ut prius illae chelae,* German. Arat. 233, Verg. Aen. V 331 *caesis ut forte iuuencis* (Diomed. p. 408 K.); cf. Lachm. ad Prop. p. 238, Hauptius opusc. II p. 198 (de Ouid. met. I 15 dissentio). sed errant qui hoc ex Alexandrinorum imitatione (nam Graeci quoque ὡς pro ἵνα) fluxisse putant; quod non recte ORibbeckius [com. fragm.[2] p. CXII] obiecit mihi in Naeuii Lycurgo 3 *arbuta ut nata* ('uineta' codd.) *sunt* restituenti, siquidem etiam in Pomponii u. 171 R. *in terram ut cubabat* aliter accipi nequit. 'Eoa unda' (*Eois aquis* Ouid. fast. VI 474, *Eoi maris* Tib. II 2, 16, Mela III 3, 60 *India non Eoo tantum pelago adposita*; 'e' anceps est ad graeca ἑῷος et ἠῷος) quia una est notio cohaerens, facile (Kuehnerus gr. l. II p. 179 sq.) huc accedit 'longe resonante', quocum praeter LXIV 52 et Homericum πολύφλοισβος cf. Verg. Georg. I 358 *resonantia longe litora.* 'tunditur', feritur, ut Priscian. perieg. 785 *fluctibus Aegaei primis quae* (tellus) *tunditur alti,* Prop. III 18, 1, Tib. II 4, 10, Verg. Aen. V 125. — **5. siue in Hyrcanos Arabasue molles.** quos terras remotas indicaturus coniungit etiam Verg. Aen. VII 605. 'molles', luxurie diffluentes; Manil. IV 654 *nec procul in mollis Arabas terramque ferentem delicias,* Tib. II 2, 4 *Arabs tener* (ibi cf. Broukhusius et Dissenus). recepi autem ex **O** 'Arabasue' (**G** 'arabaesq;', quod nimirum est 'arabasq;' cum 'e' olim suprascripta); nam et particulam disiunctiuam commendant cetera membra et formam 'Arabas' ea quae congessit Neuius d. f. l. I p. 319[2], quibus adice ex. gr. Hor. od. I 35, 40 et epist. I 6, 6, Sen. Oed. 117, Apul. flor. 6. — **6. seu Sacas sagittiferosue Parthos.** Sacae, gens Scythica Persis a septentrione uicina, tam constanter ab optimis codd. 'Sagae' scribuntur (cf. Mela III 3, 59, Plin. h. n. VI 17, 50, Curtius V 9, 5, VI 3, 9, VII 4, 6, VII 9, 17 et 19, Claudian. d. c. Stil. I 157), ut haec pro latina forma non haberi nequeat; unde cum **V** 'sagax' prae-

beat, cum Italis 'Sagas' erit reponendum. de Parthis eorumque arte ex equis uersis in hostes retrorsum iaciendi sagittas cf. Verg. Georg. III 31, Prop. III 9, 54 et IV 3, 66, Sen. Oed. 118, ubi legendum *uidit et uersas equitis sagittas tergaq. instanti metuenda Parthi.* cf. et Aen. VIII 725 *sagittiferosque Gelonos.* ceterum quod 'in' omissum est (Kuehnerus gr. l. II p. 421 sqq.), fieri licuit propterea quod latine tam 'terram' quam 'in terram penetrare' dicitur. — **7, 8. siue quae septemgeminus colorat aequora Nilus.** siue in mare, quod per septem ora (Verg. Aen. VI 800 *septemgemini turbant trepida ostia Nili*, Ouid. met. I 422 et V 187 et XV 753, alia) se effundens Nilus, ut est niger limosusque (Verg. Georg. IV 291 sqq.), 'colorat' siue longe lateque colore caeruleo infecto atrat; unde eius *ora fugantia pontum* commemorat Manil. III 274; cf. et Stat. Theb. VIII 360 sqq. uulgo 'qua' legunt, ut Prop. III 22, 16, sed non minus rectum est traditum 'quae'; mare Aegyptium tamquam limen ipsius terrae propterea hic nominatur, quod colore nigro Nili (ob aquas lutulentas atrasque 'Melo' dicti) longe lateque infectum iam procul adnuntiat oram Aegyptiacam. sic enim pluralem 'aequora' intellege, quem iterum habes LXIV 7: lata planities ponti longe extenti designatur. cf. et LXIV 360 *flumina*, LXIII 48 *maria* et 88 *marmora*, ibid. 7 et 40 *sola*: Draegerus synt. hist. I § 5, 6. — **9. siue trans altas gradietur Alpes.** pedes superabit Alpes (quarum quam partem significet, num ex. gr. Cottias, non claret), ut perueniat in Gallias. 'altae' cum tautologia quadam, cuius uix conscius erat Cat., dicuntur Alpes, quippe quae teste Seruio ad Aen. X 13 iam per se altos montes in sermone Celtico designent. — **10. Caesaris uisens monumenta magni.** ut adeat aspiciatque in Gallia tropaea, quae Caesaris uirtus sibi posuit uictoriis reportatis urbibusque expugnatis: Ennius ap. Cic. de fin. II 32, 106 *namque sibi* (sic ego: 'tibi' codd.) *monumenta mei peperere labores,* Cic. pro Marc. 4, 11 *tropaeis et monumentis tuis adlatura sit finem aetas,* Prop. IV 6, 17 *Actia Iuleae pelagus monumenta carinae,* Curtius IV 13, 12 *dignam uetere gloria maiorumque monumentis fortitudinem,* Symmach. laus Grat. c. 9 *quod ambo* (Rhenus et Tiberis) *principum monumenta gestetis*; sic et Horatium suspicor dedisse epod. 9, 25 *Africanum, cui super Carthaginem uirtus tropaeum* ('sepulcrum' codd.) *condidit.* 'uisere', adire ad uidendum, ut Prop. III 22, 15 *uisenda est ora Caystri*, Ouid. met. I 94 *peregrinum ut uiseret orbem.* 'uisens' pro 'uisurus', ut Verg. Georg. III 517 *it tristis arator maerentem abiungens f. m. iuuencum.* — **11, 12. Gallicum Rhenum, horribile aequor ultimosque Britannos.** notum est Rhenum tum fuisse confinium Galliae Germaniaeque, unde, cum trans eum habitauerint Germani, recte uocetur 'Gallicus'. est autem propositi, quo enumerat regiones longinquas, poeta ita tenax, ut post Galliae campos hos quoque locos tamquam monumenta commemoret Caesaris, qui primus a. a. Chr. 55 Rhenum transgressus est (Caes. b. g. IV 17 sqq.), hinc superato freto in Britanniam properans. neque enim dubium est quin prior, non altera Caesaris a. 54 expeditio hic innuatur.

nam etiam gentes antea nominatas, Indos Hyrcanos Arabas Sacas Parthos Aegyptios, propterea a Catullo commemorari, quod eodem a. 55 M. Crassus et A. Gabinius summis uiribus maioreque omnium spe bellum orientis populis inferendum pararent bene admonuerunt ThMommsenus [hist. rom. III p. 319[4]] et Schwabius [quaestt. p. 128]. quamquam de Catullo uel in hac uel in illa parte militaturo nihil hinc conligitur: nationes longinquas nominaturus sumpsit ille eas, quas tum maxime celebrabant hominum sermones. 'horribile aequor', tempestatibus saeuum nauibusque Caesaris ualde inimicum (cf. b. g. IV 29), tam certa emendatione rescripsit stabiliuitque disputatione accuratissima Hauptius [opusc. I p. 98 sqq.], ut plura de hoc loco disserere superfluum sit neque attineat uel commemorare uel refellere conamina Anglorum, qui certatim et quasi pro patria ex tradito 'horribilesque' coniecturas extundebant ex parte ualde ineptas. cf. Seneca epigr. 36, 1 [PLM. IV p. 71] *semota et uasto disiuncta Britannia ponto*; Cat. XXIX 4 *ultima Britannia,* Hor. od. I 35, 29, Verg. ecl. 1, 66. ceterum notandum, quam egregia arte ab Indis extremis ad ultimos in altera orbis parte Britannos processerit poeta. — **13. omnia haec.** scil. loca; Liuius XXVI 20 *Scipio omnibus, quae adeunda agendaque erant, mature aditis peractisque* eqs.; cf. et Liu. XXI 7, 8 *nec quicquam* pro 'nec locum quemquam'. — **quaecumque feret uoluntas caelitum.** quidquid (cf. ad XCI 10) dei iubebunt, quaequae Catulli erit fortuna. solitae animi demissi et dominis caelestibus per omnia cedentis formulae 'quomodo (quemadmodum) di uolunt' (Petron. 61 et 76), 'cito fit quod di uolunt' (ibid. 76), 'deo uolente' (*θεοῦ θέλοντος*), 'di me faciant quod uolint' (Plaut. most. I 3, 65), 'si deus dederit' (Minuc. Fel. 18, 12) similiaque, ut mittam notum illud 'sic di uoluere' (Bentleius et Peerlkampius ad Hor. od. I 12, 31); in quibus 'uelle' pro 'iubere'. 'feret', secum, de ineuitabili necessitate, ut in illo *si ita tulisset fortuna* Nepos Eum. 6, 5. fictam illam falsamque mentis humilitatem, qua par illud nobile se Catulli amicos in quauis rerum eius condicione fore promisit, egregie his uerbis exagitat poeta. — **14. temptare simul parati.** una mecum adire et per quaeuis pericula experiri incognita prompti qui estis; Tib. I 2, 17 *noua limina temptat,* Verg. Aen. III 364 *terras temptare repostas,* Hor. od. III 4, 30 *insanientem nauita Bosporum temptabo et arentes arenas litoris Assyrii uiator.* — **15, 16. pauca nuntiate meae puellae non bona dicta.** iam misso uerborum strepitu, quo par pari rettulerat, atque neglecta tacita irrisione ita manifestat C summum famelicorum istorum contemptum, ut nihil ex tam magnificis promissis eos roget aliud quam ut abiectae puellae ipsi abiecti homines existant nuntii trium uerborum. quae uerba iam u. 17—24 sequentia et breuitate et acerbitate sua sane quam efficacissime opposita sunt longae illi specie quidem beniuolae adlocutioni; qua quae iam mota erat pathicis istis spes, eam epilogus subito peruertit funditus. proditur autem Catulli contemptus ut in illo 'meae puellae' (recordatur enim priorum carminum poeta, in quibus sic saepe

appellata erat Lesbia), ita in uerbis 'non bona dicta', hoc est, non benigna amica placitura (cf. Plaut. Amph. prol. 25 *dictis bonis*, Ter. Andr. 204 *bona uerba quaeso*) simulque mali in omnem eius uitam ominis (Tib. II 2, 1 *dicamus bona uerba*); in memoriam nobis redit illud Propertii (II 5, 30) *hic tibi pallori, Cynthia, uersus erit.* ob oculos h. l. uidetur habuisse Verg. Aen. XII 75 *nuntius haec, Idmon, Phrygio mea dicta tyranno haud placitura refer.* — **16. cum suis uiuat ualeatque moechis.** non est sollemnis tam in 'uiue' (Verg. ecl. 8, 58) et in 'uale' (ad VIII 12) quam in his coniunctis (Hor. epist. I 6, 67; *uiue uale*, sat. II 5, 109 *uiue ualeque*) formula ualedicendi atque renuntiandi, sed propter additum 'cum suis (= caris suis) moechis' recordemur oportet locos, quales sunt Plaut. trin. I 2, 16 *bene herclest illam tibi ualere et uiuere,* Bacch. II 3, 12 *uiuit, ualet*: uigens laetaque ut uita fruatur una cum dulcibus suis amasiis (sic enim sensu latiore feminarum non nuptarum amantes dicuntur 'moechi', germanicum 'Buhlen', ut ex. gr. Hor. od. I 25, 9), optat Lesbiae poeta, qui cui iam dudum in omne tempus ualedixerat hic non iterum ualedixit. quid illa faciat, quid iam ad Catullum? nihil illam amplius curat. — **18. quos complexa tenet simul trecentos.** quos eodem tempore (Ter. Andr. I 1, 60 *nam hi tres tum simul amabant*) deuinctos tenet in amplexibus suis innumeros. 'trecenti' enim de numero magno indefinito, ut Plaut. mil. 251, trin. 791, Hor. sat. I 5, 12. Verg. ecl. 1, 31 *dum me Galatea tenebat,* LV 17. — **19, 20. nullum amans uere, sed identidem omnium ilia rumpens.** neminem sincere et ex intimo animo diligens (LXXXVII 2), sed cunctos tamquam libidinis effusae explendae ministros eneruans sine fine (LI 3), ad suam uoluptatem absorbens totius iuuentutis robur. 'ilia rumpere' (cf. Plaut. merc. I 2, 7 *ramices rumpere*) aliter atque apud Verg. ecl. 7, 26 hic significat 'frangere robur uirilitatis'. nam 'ilia', ut sunt teste Plinio h. n. XI 208 *inter uesicam et aluum arteriae ad pubem tendentes,* pro sede uirilitatis interdum ponuntur; cf. LXIII 5, LXXX 7, lusum Iuuen. 5, 135 et Marulli apud Seru. ad Aen. VII 499 *tu ut Hector ab Ilio numquam recedis,* Priap. 68, 18 ex nostra emendatione; est igitur sententia eadem atque ap. Prop. II 16, 14 *rumpat ut adsiduis membra libidinibus,* Tib. Priap. 2, 45, Mart. XII 97, 4. — **21. nec meum respectet, ut ante, amorem.** nec tamen (cf. Seyffertus ad Cic. Lael. 1, 4, Kuehnerus II p. 146) speret fore, ut iterum, sic ut olim saepius, ei restituar. nam 'respectare' interdum fere aequat 'sperare'; Cic. pro Planc. 18, 45 *ne par ab eis munus in sua petitione respectent.* — **22, 23, 24. qui illius culpa cecidit uelut prati ultimi flos, praetereunte postquam tactus aratro est.** Pluygersius [Mnemos. n. s. I p. 59] uoluit 'cecidi', ut ad Catullum misero hoc amore pessumdatum mortique iam uicinum haec referantur. uerum (ut alia mittam) multo magis est poeticum, amor ipse femina plane se proiciente si cecidisse dicitur instar floris, qui in prati margine positus conuellitur obuio aratri ferro. quam imaginem dulcissimam (minime ex Sapphus fr. 94 Bergkii natam) mutuatus est

Verg. Aen. IX 435 *purpureus ueluti cum flos succisus aratro languescit moriens, lassoue papauera colla demisere caput, pluuia cum forte grauantur* (ubi ad alterum maxime membrum Heynius cp. Hom. Il. VIII 306 sqq., Ouid. met. X 190 sqq.); cf. et ad LXII 39. 'cecidit amor' (hoc est, uictus est extinctusque), ut Lygdam. 6, 4; 'cecidit flos', ut Ouid. a. a. III 80. cf. *usque ad ultimam plateam* (= extremam plateae partem) Plaut. mil. III 1, 15. bene denique Muretus 'respicit Cat.' inquit 'ad uetus prouerbium, quo, cum aliquid plane perisse indicare uolebant, dicebant tam perisse quam extremam fabam', conligens Fest. p. 363, 17 M. '*tam perit quam extrema faba' in prouerbio est, quod ea plerumque aut proteritur aut decerpitur· a praetereuntibus.* cf. et Ouid. am. I 12, 14 *uosque* (inutile lignum) *rotae frangat praetereuntis onus.* 'tactus', laesus, ut LXVIII^b 111, Ouid. met. III 729.

XII.

1. Marrucine Asini. gens Asiniorum plebeia orta erat ex Teate, capite Marrucinorum, qui inter Vestinos Frentanosque positi erant; cf. Drumannus h. r. II p. 1 sqq. et pater quidem Cn. Asinius cum Romae fixisset sedem, morum Romanorum nobilium secutus cognomen Polionis addidit ei certe filio, qui u. 6 commemoratur, natu fortasse minori, C. Asinio, celeberrimo Vergilii et Horatii amico, de quo cf. Teuffelius HLR. § 221. cuius frater, de quo hoc uno loco fit mentio, ecquo usus sit cognomine plane incertum est; nam Munro [critic. p. 39] ut recte negat illum ipsum quoque Pollionem esse uocatum, ita ex dubia coniectura ei Gnaei Asinii Marrucini nomen uindicauit; quamquam hoc probabile admodum est, fuisse eum Pollionis fratrem natu maiorem. etenim hic noster Asinius (fortasse patre adhuc Teati uersante genitus) propter solam oppositionem 'Marrucinum' uocari, recte perspexit Is. Vossius, qui conlatis locis Tertull. adu. Marc. 5, 17 et Silii Ital. VIII 521 et XV 569 Marrucinos ob fidem fuisse nobiles conlegit; 'manifeste autem h. l. Asinium sugillat Catullus, quod, cum Marrucinus esset, nihil tamen Marrucinum haberet, utpote qui esset κλεπτίστατος'. — **1, 2. manu sinistra non belle uteris in ioco atque uino.** laeua maxime manus quid audierit, docent Plaut. Pers. II 2, 44 *illa furtifica laeua* (cf. Epid. I 1, 8) et Ouid. met. XIII 111 *nataeque ad furta sinistrae.* habemus igitur adulescentem, quales tunc etiam inter elegantiores cultioresque Romanos non deerant (cf. XXV et XXXII), qui siue arte amicorum res iocoso furto condendi (ut ait ille) delectabantur siue morbo foedo clependi tenebantur; cf. Ouid. a. a. III 441 sqq., Mart. VIII 59 et XII 29. hanc sinistram 'non belle', non lepide uenusteque (cf. Priap. 52, 1 *non bene qui manum rapacem .. contines*) admouet ille conuiuis, dum inter pocula hilariter agunt sui securi; cf. L 6 *per iocum adque uinum,* Ouid. a. a. I 229 sqq. (244 *in uinis*). de synaloephe 'ioco atque' cf. Lachm. ad Lucr. p. 198 sq., ubi cetera exempla Catulliana collecta. — **3. tollis lintea neglegentiorum.** cum eodem asyndeto explicatiuo inscriptio

Pompeiana CIL. IV 1951 *Sarra, non belle facis: solum me relinquis.* 'tollis', remoues et subducis, usu rariore pro 'furaris', ut Nucis u. 140 sqq. 'lintea', quaeuis res e lino factae, hic accipe secundum u. 14 sudaria, quae hoc maxime tempore Romae uidentur increbuisse; cf. omnino Marquardtus antiqq. priu. II p. 469². 'neglegentiores' (X 34) sunt qui inter uina hilaritati dediti remittunt aliquid de uigilantia in cauendis furibus. — **4. hoc salsum esse putas?** iocosum; nempe sicut ceteri conuiuae lepore, ita tu laeua ludes? Priap. 10, 8 *nimirum tibi salsa res uidetur adstans inguinibus columna nostris.* — **4, 5. fugit te, inepte, quamuis sordida res et inuenusta est.** siue 'obliuisceris', ut Cic. ad Att. VII 18, 3 *de Dionysio fugit me ad te antea scribere,* siue 'latet te' (non recte intellegis), ut ib. XII 42, 2 *illud alterum quam sit difficile, te non fugit* (= bene sentis). 'inepte', insulse, ut XXV 8. 'quamuis', quantumuis siue admodum, mirum quantum; CIII 2, Plaut. Pseud. IV 7, 79 *quamuis pernix est hic homo.* 'res sordida', indigna homine ingenuo, contempta. — **6. non credis mihi? crede Pollioni fratri.** interrogatio indignationis plena (renuentem enim Asinium uidere sibi uidetur C.); Ter. Hec. 360 *quid? non sciunt ipsi uiam?* (Kuehnerus gr. l. II p. 1011). ita cum accentus rhetoricus sit positus in notione 'non credere', postponi sane potest 'mihi', cum ad illud 'non credis' ἐξ ἐναντίου sit conlocatum itidem in initio 'crede'; in prosa oratione oppositio magis efferenda in personis postulasset 'mihine non credis? at Pollioni crede'. tam recte 'Pollio' quam 'Polio' scribi, contra Lachmannum [ad Lucr. I 313] optinui in Fleckeiseni ann. 1883 p. 784. — **7. qui tua furta uel talento mutari uelit.** olim Pluygersium [Mnemos. n. s. I p. 60] haec coniectura temptantem nimis celeriter sum secutus. usum uocis 'mutare' hic parum apte explicant; nec enim 'mutare' est, ut uulgo inde a Mureto putant, 'redimere' (unde iam Is. Vossius miratur, Pollionem furtorum fratris sui poenam luere, commendans ex libro quodam interpolato 'multari'). nunc mihi arcessendi uidentur loci, quales sunt Plaut. Bacch. I 2, 34 *ego quod dixi haud mutabo,* Ter. Andr. I 1, 13 *haud muto factum,* Hor. a. p. 168 *commisisse cauet quod mox mutare laboret*, hoc est, magnopere uelit infectum reddere. accipiendum igitur hoc 'talento' (cf. praeter Plaut. Rud. 1330 Anth. lat. 475, 5 [PLM. IV p. 402] *nescio quid miserum est, quod celas, Becca: talento uendere debueras, si bona membra dares*) non pro ablatiuo pretii (Kuehnerus l. l. p. 287), sed pro mero instrumentali, scil. 'dato': Pollio adeo quantumuis magnam pecuniam daturus sit, si furta tua infecta reddere possit. de forma 'uolit' pro 'uelit', quam suppeditat O, cf. Neuius d. f. l. II p. 605 sq. — **8, 9. est enim leporum differtus puer et facetiarum.** Passeratii et Is. Vossii emendationem (quamquam illi 'difertus') plane confirmauit O 'dissertus' cum solita litterularum 's' et 'f' confusione exhibens; unde quod G effecit 'disertus', id pessime in uulgatam abiit, siquidem 'puer disertus multorumque leporum' (cf. ex. gr. Hor. od. IV 1, 15 *et centum puer artium*) dicitur, nudus genetiuus ad 'disertus' accedens nec ratione utitur

nec exemplum habet. quid quod 'disertus' nihil ad propositum facit? hoc enim uult poeta: Pollio, ut est uere salsus uenustusque, rem istam sordidam et inlepidam esse bene intellegit. est autem hoc pulcherrime dictum 'differtus leporum ac facetiarum': totus est ille plenus salibus, ut similiter Gellius XVII 8, 4 *puer genere Atticus, ad annos maxime natus octo, festiuissimis aetatis et gentis argutiis scatens.* nam 'differtus' (cf. Tac. ann. XVI 6 *corpus diff. odoribus*) quod cum genetiuo construitur insolite: secundum 'plenus' uocabulum semel habes apud Cic. d. har. resp. 13, 28 *refertam urbem fanorum*, semel apud Liu. VI 25, 9 *repletus puerorum*, paulo saepius 'impleri alicuius rei' (interpp. ad Verg. Aen. I 215); unde nulla in constructione illa offensio; cf. et Kuehnerus l. l. p. 327 et 342. 'lepores', ioci elegantes, et 'facetiae', sales urbani, saepius iuncti (cf. et L 7). 'puer' audit Pollio a. a. Chr. 76 natus utpote XIV fere annorum (cf. statim dicenda). — **10, 11. quare aut hendecasyllabos trecentos expecta aut mihi linteum remitte.** 'trecentos', innumeros (cf. ad XI 18); et est in hoc omnis uis posita. neque enim hendecasyllabi per se sunt uersus truces, quibus adoritur poeta aduersarium (ut per iambos, XXXVI 5); sed horum hendecasyllaborum, quales hoc c. habet, alios atque alios sine fine Asinius iubetur timere. 'aut .. aut', ut LXIX 9 sq., CIII 1 sqq.; 'remitte', ut XXV 6. — **12. quod me non mouet aestimatione.** cuius iacturam non ob pretium, quo constat, aegre fero. Priap. 55, 3 *nec mouet amissi tam me iactura.* Cic. parad. 6, 3, 50 *sed non aestimatione census* (= pretio per censum constituto), *uerum uictu atque cultu terminatur pecuniae modus.* Ellisius cp. Symmach. epist. IX 107 *paruum quidem munusculum est, si aestimetur pretio sui; religiosum, si amore pendatur.* — **13. uerum est mnemosynum mei sodalis.** nota Catullum graecorum uerborum amantem: solus sibi permisisse uidetur, ut Graecum μνημόσυνον (μνημόσυνα) in latina adhiberet lingua, cui uocabula eandem rem designantia (Vulpius cp. Verg. Aen. V 538 *ferre sui dederat monumentum et pignus amoris*) non deessent. permire additur singularis 'mei sodalis', mox cum legamus Fabullum et Veranium una misisse. cuius rei explicationem uere placituram frustra requirebam; neque dubito quin mutata interpunctione sit legendum 'mnemosynum: mei sodalis nam sudaria .. Fabullus et Veranius'. quippe amant Latini hanc uerborum cohaerentium efferendorumque in initio et fine enuntiati conlocationem; neque 'nam' traiectum (ad LXIV 301) mirabitur qui LXVI 65 'namque' quinto loco positum comparauerit; sed tam hoc quam nomin. plur. 'sodalis' (cf. ad LXIV 14) facile procreauit uulgarem interpunctionem. — **14, 15. nam sudaria Saetaba ex Hiberis miserunt mihi muneri F. et V.** de Saetabi Hispaniae Tarraconensis urbe lino tenuissimo clara nota sunt testimonia Plinii h. n. XIX 1, 10, Silii III 374, Gratii 41. 'ex Hiberis' (ex Hispania; cf. Mart. IV 55, 8 et X 65, 3) recte dederunt Itali: 'ex hibere' V, siue cum priscae orthographiae 'Hibereis' indicio (ut uoluit Lachm.) siue quod *hiber'* compendium male est intellectum. fuisse, qui hoc non perspecto retineret

'ex Hibere' explicaretque 'e terra ad flumen Hiberum posita'! quasi 'ex Hibero' (haec enim forma latina) aliud quidquam quam 'ex ipso amne' significaret! 'mittere muneri', ut 'dare' et 'accipere muneri'; Nepos Att. 8, 6 *abiecto Bruto Italiaque cedenti HS centum milia muneri misit.* conicio autem, haec cum C. scriberet, amicos eius etiamtunc in Hispania uersatos esse: absentium quorumque reditus dubius esset monumentum carius sane quam praesentium. unde hoc carmen fere anno a. Chr. 62 adsigno (cf. p. 132). enarrata linteorum origine per asyndeton consecutiuum subicitur: — **16, 17. haec amem necesse est ut Veraniolum meum et Fabullum.** sudaria igitur me oportet in eodem honore habere (uindicando a rapinis) quam eos qui miserunt. 'ut' uere Itali: 'et' ob idem uersus praecedentis initium peccauit librarius; quod tamen nec ipsum caruit defensoribus aliena admonentibus. inutiliter quaerunt, num forte poeta Veranium per deminutiuum appellans magis dilexerit quam Fabullum (cf. et XLVII 3); nimirum 'Fabullus' iam deminutiue formatum eandem per deminutiuum appellationem respuebat. et uarians in collocando 'F. et V.' 15, 'V. et F.' 17 pariter se eos amare C. ostendit.

XIII.

1. Cenabis bene, mi Fabulle, apud me. sic Lucilius IV 5 M. *cenasti in uita numquam bene,* hoc est, laute. imitatus est Mart. XI 52, 1 *Cenabis belle, Iuli Cerealis, apud me.* de solita formula cf. ex. gr. Cic. de or. II 60, 246 *cenabo, inquit, apud te.* 'mi' summae familiaritatis, ut X 25. — **2. paucis, si tibi dei fauent, diebus.** post paucos dies (cf. de hoc ablatiuo Kuehnerus gr. l. II p. 263), nisi nimirum quid impedimenti intercesserit. nam hoc 'si t. d. fauent' (quocum cf. Ouid. met. IV 702 *faueant modo numina*) in re pusilla additum itidem ut consimilis locutio nota 'si dis placet' (cf. ex. gr. Ter. Ad. III 4, 30) cum leni inrisione dictum est, qua iam aliquid detrahitur de promissi certitudine, quam praefert illud 'cenabis' quaeque mox addita u. 3 condicione plane tollitur. ceterum quod pro 'dii' in V tradito et per metrum reiecto 'dei' scripsi cum prisca illius 'di' monosyllabi orthographia hic aliisque locis, cf. supra p. 51. — **3, 4, 5. si tecum attuleris bonam atque magnam cenam, non sine candida puella et uino et sale et omnibus cachinnis.** si tu ipse omnia ad conuiuium necessaria apportaueris: haec iam aperta ac manifesta est inrisio. 'bonam' non pro synonymo uocis 'magnam' accipe (ut loco ab Ellisio comparato Ter. Eun. I 2, 43 *bonam magnamque partem ad te attulit,* adde Val. Max. II 9, 7 *bona magnaque pars*), sed illud ad qualitatem, hoc ad quantitatem refer (Hor. sat. II 6, 104); sic Ennius Hedyph. 9 *Nestoris ad patriam hic* (scarus) *capitur magnusque bonusque,* Val. Max. IV 1, 10 *satis bonae ac magnae* (res populi R.) *sunt.* 'non sine' cum ui iocosa: nec uelis obliuisci. puellas, quae his iuuenum elegantiorum conuiuiis haud raro adhibebantur, ipsum dominum conuiuii praebere par erat; cf. Hor. epist. I 5, 27 cum Lambini adnotatione. audit autem puella 'candida' sollemni

epitheto petito a cutis niueo splendidoque nitore (*candida puella* XXXV 8, LXVIII^b 30, LXXXVI 1, Hor. epod. 11, 27, Ouid. am. II 4, 39; *candida Penelope* ibid. II 18, 29; *candida femina* ibid. II 7, 5; *candida paelix* fast. III 493, alia). salem autem siue iocum leporemque et omnes, quotquot F. habeat, cachinnos (XXXI 14, ubi uide) ut condimentum communis laetitiae necessarium prioribus adcumulat C. larga manu. — **6. haec sei, inquam, attuleris, uenuste noster, cenabis bene.** quando siue post interpositam longiorem parenthesin priora recolligentes siue firmiter et cum emphasi adfirmantes (ut hic fit) eandem sententiam Romani repetebant, fere 'inquam' addebatur; ad prius genus cf. ex. gr. Fronto p. 111, 16 et 158, 10 N., ad alterum Cic. ad Att. I 20, 7 *per mihi, per, inquam, gratum feceris.* potest autem hic condicionis indicatae repetitio non esse alia quam iocularis. qui cum sit loci color, 'uenuste noster' (et est 'noster' tam familiaritatis, ut Ter Andr. 846 *o noster Chremes* et Ad. 883 *o Syre noster* quam inrisionis, ut in Pis. 8, 17 *o noster misericors, quid facis?*) cum quadam εἰρωνείᾳ uidetur esse dictum et 'uenuste' magis ad nimium corporis cultum externum referendum (cf. ad III 2). — **7, 8. nam tui Catulli plenus saculus est aranearum.** imago aperta; cf. LXVIII^b 9. Muretus cp. Afran. com. 410 *tamne arcula tua plena est aranearum?*, Plaut. Aul. I 2, 156 *apud nos nihil est aliud quaesti furibus: ita inaniis sunt oppletae atque araneis*; adde Apul. met. IV 22 *fauces araneantes.* contra *pleno cum turget sacculus ore* Iuuen. 14, 138. 'aranea' hic e regula de tela, ut 'araneus' XXIII 2 de animali; sed confunduntur haec saepius, ut ipse noster LXVIII^b 9 'aranea' habet de bestiola (cf. Seru. ad Georg. IV 247). Placidus p. 24, 18 D. *crumena: sacculus*; 'sāculus' prisce pro 'săcculus'. — **9. sed contra accipies meros amores.** 'contra' aduerbium ualet 'ex mea parte' (ut Plaut. trin. IV 2, 55, Ter. Ad. V 4, 23; cf. et ad LXXVI 23), unde 'contra accipies' intellege 'remunerabor te'. porro hoc 'purum putumque amorem et praeterea nihil' lepide sensus amicos miscet cum noua inrisione; Hor. epist. I 7, 84 *uineta crepat mera* et II 2, 88 *meros audiret honores,* Mart. XIV 206, 1 *collo necte, puer, meros amores ceston de Veneris sinu calentem.* pluralis hic quoque totum amorem in unum comprehendit. habet autem **O** 'meos amores', quod olim doctis nonnullis placuit. quo cum ex certo usu poetae nostri (cf. ad VI 16 et mox 'meae puellae') tantum Lesbia possit designari, hoc uno pacto sensum inde licet elicere, si 'accipies' explicamus 'audies': remunerationis loco tibi narrabo de mea puella (Hor. sat. I 4, 38 *pauca accipe contra*). quamquam a re diplomatica 'meros' ut difficilius electiusque plus habet fidei. — **10. seu quid suauius elegantiusue est.** 'seu' pro 'uel si' accipiunt (ut Hor. od. I 2, 33; Kuehnerus gr. l. II p. 955 in.); sed quod alibi (ut LXXXII 4) optime se habet, hic est pessimum. non enim quamlibet aliam rem meris amoribus suauiorem uel elegantiorem est daturus, sed unam certam, scil. unguentum, monstrante illo 'nam' u. 11. quae una res non potest indicari per 'siquid'. est autem hoc mera coniectura: in

V 'qui' cum uaria lectione ex libro Belgico petita 'quod' legebatur; et hoc 'quod' ut antiquitus traditum facileque in 'qui' corruptum ('q' pro 'q̵' legit scriba Veronensis) acriter est retinendum: siue potius id quod meris amoribus praestat suauitate elegantiaque (cf. de 'seu' pro 'seu potius' Kuehnerus l. l. not. 7). iam etsi per 'ue' potest sane iudicium de hac re, uelitne unguentum appellare suauius an elegantius, Fabullo relictum esse, tamen sua sponte apparet, quantopere praestet praedicari unguenti uirtutes cumulatis synonymis 'suauius elegantiusque'. uidentur igitur hic quoque librarii 'que' et 'ue' confudisse. — **11, 12. nam unguentum dabo, quod meae puellae donarunt Veneres Cupidinesque.** quod non homines, sed di deaeque amoris omnes suis ipsi manibus fecerunt (adeo dulcitate dulces omnes rores odoriferos uincit) Lesbiaeque eis dignissimae dederunt muneri. IVossius cp. Hom. Od. XVIII 192 *κάλλεϊ μέν οἱ πρῶτα προςώπατα καλὰ καθῆρεν ἀμβροσίῳ, οἵῳ περ ἐϋστέφανος Κυθέρεια χρίεται, εὖτ' ἂν ἴῃ Χαρίτων χόρον ἱμερόεντα* cum scholiis, rectius Marcilius cp. Prop. II 29, 15 *quae* (Cynthia) *cum Sidoniae nocturna ligamina mitrae soluerit…, adflabunt tibi non Arabum de gramine odores, sed quos ipse suis fecit Amor manibus*, ubi cf. Hertzbergius. 'dabo', scil. in medium, siue ponam conuiuis. cur autem unguentum potissimum est daturus C.? tacent interpretes, nos infra ad hanc interrogationem respondere conabimur. recurrunt haec uerba 'Veneres Cupidinesque' III 1; unde obseruatione ea, quam feci anal. Cat. p. 14 ('ut omnes homines per aliquod tempus certa uocabula certasue locutiones prae aliis habemus in deliciis, mox abicimus nouisque damus locum, ita Catullum quoque per certum aliquem temporis tractum uidemus certis uerbis usum in eisque iterum iterumque repetendis admodum delectatum esse'), hac inquam obseruatione usus circa illud spatium, quo c. III est scriptum, siue anno fere 61 poema nostrum confectum esse statuo. — **13, 14. quod tu cum olfacies, deos rogabis, totum ut te faciant, Fabulle, nasum.** 'totum te' (non 'totum nasum') cohaeret: ut totum corpus tuum fiat unus continuusque nasus, ut omnibus illius *πόροις* recipias dulcem huius unguenti odorem. sic 'totus' pro 'toto corpore' Ouid. fast. IV 136 *tota lauanda dea est,* id. am. I 7, 40 *candida tota,* Mart. XII 84, 4 *ut totum* (te) *sponsa uideret ebur.* Schwabius non male cp. Lessingii I 61 uerba '. . und ein schoenes maedchen sehe, moecht ich lauter auge sein'. denique 'tu' additum ad pondus adfirmationi adstruendum; Enn. ann. 66 V. *unus erit quem tu tolles in caerula caeli templa.*

Superest ut disquiramus, totum quid sibi uelit carmen. ut mittamus falsam omnino FPassouii opinionem (Catullum amico ex Hispania reditum nuntianti his uersibus respondisse, cf. Schwabius q. C. p. 241), plerique illud dicunt esse inuitationem ad cenam conlaticiam siue de conuiuarum symbolis apparatam, quam *ἔρανον* uocant Graeci; cf. interpp. ad Ter. Andr. I 1, 61, Hor. od. III 17, 5 sqq. et IV 12, 17 sqq. mihi neque uersuum color tale quidquam uidetur indicare neque uero uerba singula. pro certo aliquo die horaque constitutis (cf. Hor. epist. I 5, 3)

legimus 'paucis, si tibi dei fauent, diebus', quo (recte adnotante Huschkio anal. litt. p. 311) 'dies inuitationis prodictus est ad Graecas scilicet Kalendas'. nihil serii, sed per omnia iocum ludumque spirant hi uersiculi, quos equidem artissime cohaerere puto cum carmine VI. Flauius enim Fabullus (nam hos duos iam pro una habeo persona: sic quem c. XIV Caluum, c. L Licinium C. adfatur) contra Catulli suspiciones ita, ni fallor, sese defenderat (uerene an ficte, nec scimus nec scire refert), ut illum probaret falsa conclusisse ex indiciis ualde infirmis: mero amore odorum et aromatum habere se cubile 'Assyrio fragrans oliuo'; et quod ille macilentum exprobrasset corpus, esse hoc quoque uenustiorum; nimis igitur nasutum fuisse bonum Catullum; sed lubentissime se uenturum esse (licet sine femina, quam non haberet) ad cenam ab illo promissam. ad tale fere epistolium si poetam nostro carmine iam respondere statuimus, in hoc multa adhuc obscura subito suum accipiunt et lumen et acumen. sciens enim, sub condicione indicata Fabullum suum (fortasse eadem sacculi plenitudine laborantem) non esse uenturum, Catullus cenam ita a se deflectit, ut salse lepideque sicut cetera ita merum amorem unguentorum, quorum optimam quandam speciem huic amatori promittit, reddat amico. iam uero melius intellegimus illud 'cenabis bene' cum ui multa non solum in initio positum, sed etiam mox repetitum ('sane cenabis, ut ego promisi'): in angustiis uersantem C. callideque effugere quaerentem uidemus. accedit ut ita statuam altera res. iam Muretus comparauit Mart. III 12: *unguentum fateor bonum dedisti conuiuis here, sed nihil scidisti. res salsa est bene olere et esurire. qui non cenat et ungitur, Fabulle, hic uere mihi mortuus uidetur.* hic unum acute uidit Huschkius [l. l. p. 310], Martialem ut tot alia ita Fabulli nomen tamquam perpetuum et stabile (personam typicam barbare uocamus) ex Catullo adsumpsisse, eo fere modo, quo et Iuuenalis Persiusque inuentis apud Lucilium Vergilium Horatium nominibus uterentur. sed in hoc ille falsus mihi uidetur quod adicit: 'inuitatus ad cenam a Fabullo Catullus nihil fere retulerat nisi caput unctius. ut remuneraretur eum quam simillimo munere, uicissim Fabullum inuitat ad cenam paene dixerim unguentariam ea condicione, quam nosti'. nam hoc si sequeris, quo sale hunc Fabullum fecerit Martialis unguentorum amatorem κατ' ἐξοχήν parum perspicimus et Catulli carmen nimis hilare risusque plenum carere ea, quam in illo rerum statu sane expectaueris, acerbitate sentimus: non quadrant uersuum nostrorum sales in scaenam Huschkianam. quid uero, si apud ueteres, quibus scilicet quid singulis Catulli carminibus dedisset ansam haud ignotum esset, paene in prouerbium abierat, utpote res cachinno digna, Fabulli egregia illa excusatio 'merus unguentorum amor' et hinc personam suam stabilem mutuatus est Martialis?

XIV.

1. Nei te plus oculis meis amarem. 'nei', ni, ut VI 2. porro cf. III 5. imitatur Maecenas in Suet. uita Hor. *ni te uisceribus meis,*

Horati, plus iam diligo eqs. — **2. iocundissime Calue.** de C. Licinio Caluo, poeta et oratore, intimo Catulli amico, cf. Teuffelius HLR. § 213. cf. L 16, Hor. sat. I 5, 44 *nil ego contulerim iucundo sanus amico,* ib. I 3, 93. — **2, 3. munere isto odissem te odio Vatiniano.** ob donum a te missum; Kuehnerus gr. l. II p. 291 et 452. 'odisse odio' propter 'te' pro 'odium': Kuehnerus l. l. p. 211, qui adfert Liu. II 58, 5 *odisse plebem plus quam paterno odio* (cf. ad LXI 110). 'odium' autem 'Vatinianum' non est id quo flagrat homo contemptus apud populum (Cic. in Vatin. 1, 1 et 16, 39, Sen. de const. 17, Macr. II 6, 1), sed potius ipso conexu monente illud, quo Vatinius prosequebatur Caluum, accusatorem adsiduum (cf. ad LIII), ut inde a Vulpio plerique senserunt. cf. praeter Placidum p. 44, 12 *Fauonium odium,* de quo uidendus FBuechelerus mus. Rhen. XXXV p. 405, Fronto p. 68 N. *causidicali prosum odio,* Aur. Vict. epit. 1, 27 *nouercale odium*, alia. — **4. nam quid feci ego.** 'ego' cum ui additum: amicus tuus dulcis neque dictis neque factis iram tuam tam saeuam prouocaui. — **5. cur me tot male perderes poetis.** contra genium linguae latinae Scaliger 'male poetis' iungendum uno uerbo putauit; immo 'tot' elatiore uoce pronuntiandum per se continet etiam uilitatis notionem. 'male perderes', misere languore summo afficeres enecaresque; cf. 'male perire' Hor. sat. II 1, 6; idem a. p. 475 *occiditque legendo* et infra XLIV 14. 'cur', ut Cic. pro Rosc. Am. 50, 146 *tibi causa nulla est, cur hunc miserum tanta calamitate adfici uelis.* plurimos autem poetas illos coactos fuisse uno libello u. 12 commemorato, recte conclusit MHauptius (cf. Rintelen, de Theogn., Monast. 1863 p. 35). puto autem libellum illum non de uolumine intellegendum esse, sed de compactione diuersissimarum cartarum siue membranarum, unde liber nostris simillimus euasit (cf. Richius s. u. 'libellus'). nimirum Caluus, qui amici in saeculi sui poetas malos odium bene nouit, horum omnium carmina electissima siue pessima in unum libellum sine dubio a forma externa elegantem consocianda curasse uidetur, ut eum utpote gratum acceptumque munus iocose mitteret Catullo suo. anthologiae in modum excerpta siue florilegium quoddam animo tibi fingas. — **6. isti dei mala multa dent clienti.** par pari refert Caluo C. lepide suspicatus, reum aliquem ab illo defensum hanc pro officiis in foro praestitis gratiam reddidisse. hunc igitur ut uerum muneris auctorem execratur. 'malum dare', nocere, ut in illo *dabunt malum Metelli Naeuio poetae* et Tib. II 5, 108 *multis ars dedit illa malum*; porro cf. ad XXVIII 14 et contra Anth. lat. Meyeri 1435, 9 *at tibi dent superi quantum, Domitilla, mereris.* 'cliens' non ex ueteris Latii institutis idem fere est hic ac 'consultor' (Hor. epist. II 1, 104); sed ut patronus latiore significatione est 'defensor iudicialis', sic cliens 'reus defensus', ut ex. gr. Ouid. a. a. I 88. — **7. qui tantum tibi misit impiorum.** cf. V 13. post 'misit' (scil. praemii loco) paululum uocem reprime: (non nummum aureorum, sed poetarum) impiorum, h. e., malorum, qui non ut pii antistites colunt Musarum sacra; bene Vulpius 'cp.

Verg. Aen. VI 662 *quique pii uates et Phoebo digna locuti*; plura ad XVI 5. — **8, 9. quodsi, ut suspicor, hoc nouum ac repertum munus dat tibi Sulla litterator.** insistens ioco suo conicit poeta, missum esse munus illud fortasse a Sulla, quem Caluus defenderat, ut conexus manifestum reddit (cf. 6 'clienti' et 11 'tui labores'). 'dat' pro 'dedit'; cf. Kuehnerus gr. l. II p. 88. Sulla ipse ignotus est; Muretus cogitauit de Cornelio Epicado, quem Suet. de gramm. 12 L. Cornelii Sullae dictatoris libertum uocat; qui si patroni pristini etiam cognomine a populo appellatus fuisset (sic enim Muretus statuit), hoc utpote in homine a Catullo commemorato uix omisisset adferre Suetonius. neque probabile ullo modo, Epicadum fuisse litteratorem siue grammatistam (Marquardtus antiqq. priuat. I p. 90 sq.); nam eius contemptus, quo 'litteratum' siue grammaticum interdum uocabant 'litteratorem' (cf. germanicum 'schulmeister'), ut Messala Valerium Catonem (Suet. l. l. 4), hic nulla est causa. immo magnos nobilesque Calui clientes amice nimirum perstringens C. suspicatur grammatistam illum doni tam pretiosi electique fuisse auctorem; crumenae quippe consulentem Sullam fingit diu quaesiuisse, quodnam sine magnis inpensis posset patrono exhibere grati animi documentum, tandemque excogitasse hoc nouom plane atque inauditum munus. uides, et 'nouum' et 'repertum' non carere ui quadam peculiari. — **10, 11. non est mi male, sed bene ac beate, quod non dispereunt tui labores.** 'mi' et 'tui' aliquatenus opposita: ego iam non dolore corporis afficior (ad XXXVIII 1) munere isto mihi misso (5 'perderes'), sed laetor potius animo et felicissimus sum, quoniam te non plane frustra ec sine emolumento desudare in foro uideo. Plaut. Trin. 52 *bene herclest* (= gaudeo), *illam tibi ualere et uiuere*; ex philosophorum lingua prouenit iunctum illud 'bene ac beate' tam externum corporis aliarumque rerum statum bonum quam animi beatitudinem indicans proprie; Cic. de fin. II 8, 23 *hos ergo asotos bene quidem uiuere aut beate numquam dixerim* et V 29, 88 *ut bene sic etiam beate uiuendi spes,* parad. I 3, 15 *bene et beate uiuere*; uulgo summum felicitatis gradum hac locutione indicabant, ut et illo 'bonus beatusque' XXXVII 14. 'dispereunt', funditus uani cassique sunt. — **12. dei magni, horribilem et sacrum libellum.** exclamatio 'di magni', praeterquam quod ueram inuocationem continet (ut CIX 3), uariis affectibus exprimendis inseruit, ut alibi admirationi (ut LIII 5, Ouid. epist. 17, 102 et am. II 19, 18), ita hic indignationi, ut et Ouid. fast. VI 187. missa enim, qua antea agebat, εἰρωνείᾳ iam uere et ex animo iudicat C. de munere ipso. 'sacrum', nefandum ideoque execrandum; ab hominibus malis inprobisque (cf. Festus p. 318, 21 et Heindorfius ad Hor. sat. II 3, 181) traductum est 'sacer' ad res, ut Turpil. 134 R. *sacerrimum domicilium,* Verg. Aen. III 57 *auri sacra fames,* Stat. Theb. X 804 *sacra insania mentis.* — **13. quem tu scilicet ad tuum Catullum.** 'scilicet' cum 'tuum' coniunge: quo perfidia tua plena fieret, mihi utpote amico carissimo inscripsisti sollemni dedicatione (Suet. Aug. 75 *titulis obscuris et ambiguis*). — **14, 15. misti**

continuo ut die perirem Saturnalibus, optimo dierum. 'misti' cum syncope pro 'misisti', ut LXVI 26 *luxti* et 30 *tristi*, LXXVII 3 *surrepsti*, XCI 9 *duxti*, XCIX 8 *abstersti*, CX 3 *promisti*; Neuius d. f. l. II p. 536. ueteris diorthoseos V hic reliquit uestigium post 'continuo' punctum ponens. neque caret hoc suo lepore, si Caluus statim, ubi accepit, libellum quam celerrime a se remoturus Catullo inscriptum misisse fingitur: uulgo quidem 'continuo' ad sequentia trahunt, aut itidem pro 'statim' accipientes aut artius coniungentes cum 'die' secundum Ouid. fast. V 734 *continua* (= tota) *die* et VI 720 *continua nocte*; ad quod 'Saturnalibus' per appositionem accedere putant. sed ut cur totius diei notio efferatur obscurum est, ita prior illa ratio non minus est ambigua, cum difficillimum sit non inter se copulare aduerbium 'continuo' et ablatiuom 'die'. sequor igitur nunc eam quam V prae se fert interpunctionem. ad iunctum enim 'die Saturnalibus' apte Vulpius cp. Plaut. Poen. II 5, 49 *die bono Aphrodisiis* et Prop. IV 4, 73 *urbi festus erat, dixere Palilia patres.* nam proprie unico die celebrata esse Saturnalia, recte AStatius conclusit ex Festo s. u. 'quinquatrus' et Macrobio I 10 (unde discimus, ante C. Iulii Caesaris a. a. Chr. 46 fastorum emendationem Saturnalia acta esse a. d. XIV kal. Ian.); cf. et Mommsenus CIL. I p. 408; nihilominus complures semper dies lusui esse datos praeter Macrob. l. l. docent Liu. XXX 36, 8 *Saturnalibus primis* et Cic. ad Att. V 20, 5 (XIII 52) *tertiis Saturnalibus.* itaque ipso die XVII m. Dec., fortasse ante cenam, Caluus donum suum miserat, eo consilio (ut certe uisum est amico), ut reliqui diei laete agendi facultas demeretur prae mala ualitudine illinc contracta Catullo ('periret', ut 5 'perderes'). 'optimus dierum', quos habet annus, uocantur Saturnalia (de quibus cf. omnino Prellerus myth. rom. p. 407 sqq.) eodem fere modo, quo per uias inuicem clamabant tum salutationis loco 'bona Saturnalia'; Scaliger cp. Epictet. diatr. 29, 3 ὅταν προσελθόντα κροτῇ καὶ λέγῃ Σήμερον Σατορνάλια ἀγαθά, Mart. XIV 70, 1 (cf. et ibid. XI 2, 5; Petron. c. 58, Dio Cass. XXXVII 4). — **16. non, non hoc tibi, false, sic abibit.** certum ulciscendi consilium indicatur repetito fortiter 'non' (= nullo hercle pacto); Prop. II 3, 27 *non, non humani sunt partus talia dona,* ubi Broukhusius inter alia cp. Ter. Phorm. II 1, 73 *non, non sic futurum est.* 'sic abibit', inpune erit; Ter. Andr. 175 *mirabar, hoc si sic abiret* (ubi Don. '*sic*' .. *est de his quae adiuuanda gestu sunt*), Cic. de fin. V 3, 7 *etsi hoc fortasse non potest sic abire.* in V 'false' in textu, 'salse' ut uaria lectio traditum fuisse uidetur. 'salsum' uocari Caluum ab amico iratum se fingente, parum probabile duco; neque 'salsus' per se est idem atque 'derisor'. contra 'false' facile explicatur ex u. 13: qui sub amicitiae specie donum misisti ueneniferum; cf. XXX 1. — **17. nam, si luxerit, ad librariorum curram scrinia.** si diei crastini sol apparuerit (cf. ex. gr. Hor. sat. I 6, 56); clausis nimirum ipso die Saturnaliorum tabernis omnibus. statim accepto perlectoque (cf. ad 20) libello hoc epistolium poenam denuntians in cartas coniecit Catullus.

'librarii' hic non propria significatione sunt accipiendi ei qui libros describunt, sed ampliore sensu qui describendos curant confectosque uendunt; Isid. origg. VI 14 *'librarios' ante bibliopolas dictos,* et ita illud adhibent Sen. de ben. VII 6, 1, Gell. V 4, 1, Sulp. Seu. dial. 1, 23, 4. in horum autem tabernis 'scrinia' (cf. Richius lex. antiqq. s. u.) siue capsae continebant uolumina amplioris ambitus (Mart. I 2, 4), coniunctis sine dubio eiusdem scriptoris operibus omnibus in eodem scrinio (Hor. sat. I 1, 120 et Ouid. ex P. I 1, 24). cf. Beckeri Gallus ed. Reinius II p. 308. Mart. IV 86, 10 *si damnauerit, ad salariorum curras scrinia.* — **18, 19. Caesios, Aquinos, Suffenum omnia colligam uenena.** pluralis generalis (Kuehnerus gr. l. II p. 50 sq.), ut uulgo putant: omnes poetas malos, quales sunt Caesius (de quo nil scimus) et Aquinus, de quo Cic. Tusc. V 22, 63 *adhuc neminem cognoui poetam, et mihi fuit cum Aquinio amicitia, qui sibi non optimus uideretur,* ubi recte Schwabius qu. Cat. p. 257 *Aquino* restituisse uidetur (contra nostro loco 'Aquinios' male flagitauerat Turnebus Adu. XII 1); his denique adiungitur Suffenus ex c. XXII notus. certant autem docti, utrum 'Suffenum' pro accusatiuo singularis an pro genetiuo pluralis sit habendum. sed in utraque ratione dubitationes remanent; et ipsa ambiguitas displicet. pluralem autem generalem si ponebat poeta, suffecit nomen unum. unde alia explicatio quaerenda. Suffenum scimus ex XXII 3 plurima carmina scripsisse: quid si pluralia innuunt omnia opera hominum illorum (quorum qualitatem sat designant nomina ipsa)? multitudine electissimorum carminum terruerat Caluus Catullum, qui iam dignas gratias cumulate est relaturus, dum omnium poetarum pessimorum scripta uniuersa colligit (cf. 18 *scrinia*). sic Suffenus tertio loco ponitur cum gradatione (XXII 3 *longe plurimos*). hinc neutra 'Suffenum' uulgatum explicandi ratione sufficiente ad codicum scripturam 'suffenam' relapsus deleta litterula 'm' scribendum intellexi 'Suffena omnia c. uenena', omnia denique carmina plena ueneni siue ueneni instar lectorem adficientia (cf. XLIV 12, Hor. epist. II 1, 158 *et graue uirus munditiae pepulere*), quae fecit Suffenus. ad adiectiuum huius nominis usum (pro 'Suffenianus') cf. Verg. Aen. I 686 *laticemque Lyaeum*, IV 552 *cineri Sychaeo,* Hor. od. IV 4, 38 *Metaurum flumen* et IV 12, 18 *Sulpiciis horreis*, epist. I 12, 20 *Stertinium acumen* et a. p. 32 *Aemilius ludus*, crebrum illud 'Romulus' (ut Hor od. IV 5, 1), alia; XXXV 4. — **20. ac te his suppliciis remunerabor.** non solum *ἀντιδωρήσομαι* (id quod flagitauit sane mos; cf. ex. gr. Spartian. Hadr. 16), sed etiam 'uicem tibi reddam, par pari referam'. Cic. Brut. 4, 15 *teque remunerandum, si non pari, at grato tamen munere,* Gell. XVIII 13, 7 *quam facete Diogenes sophisma ... remuneratus sit.* pluralis 'suppliciis' hinc explicandus, quod singuli poetae legendi pro singulis habentur poenis. at, inquies, undenam Caluo necessitas extitit legendi conquisitos istorum malorum poetarum libros? eadem nimirum, quae coegerat misellum Catullum: dura lex Saturnaliorum, quae libros missos statim perlegere iussit; quam legem recte uiri docti conclu-

serunt ex Luciani Cronosol. 16. — **21, 22. uos hinc interea ualete abite illuc, unde malum pedem attulistis.** 'ualete abite' asyndetice (cf. simile 'uiue uale' ap. Hor. epist. I 6, 67) ita est coniunctum, ut uerbum ui maiore a sententia instructum praeualeat in constructione grammatica pertineatque solum tam ad 'hinc' quam ad 'illuc'; cuius usus cottidiano maxime sermoni proprii exempla conlegit Vahlenus Hermae XV 261 sq., ueluti Plaut. Aul. I 2, 17 *cultrum .. fures uenisse atque abstulisse,* Ter. Ad. V 7, 19 *tu illas abi et traduce.* unde iam non probo eorum rationem, qui 'ualete' (de quo cf. Seru. ad Aen. XI 97) parentheseos signis includunt. 'malum', infaustum, sinistrum (qui me perdidistis misere) ut Ouid. trist. II 16 secundum Laurentianum *saxa malum refero rursus ad ista pedem,* Ibis 101 *ominibusque malis pedibusque occurrite laeuis*; contra pede dextro aliquid adire faustum erat (Aen. VIII 302, X 255). 'pedem' etiam cum respectu metri (Ouid. tr. I 1, 16). 'attulistis', huc tulistis; cf. 'se afferre' Aen. III 310 et 346, VIII 277 et alibi; si confers 'se (pedem) ferre aliquo', in ipsa praepositione inest notio illius 'huc' siue 'ad me'. supra ianuas haud raro legebatur μηδὲν εἰσίτω κακόν et *nihil intret mali* (Diog. Laert. VI 39 et 50, CIL. IV 733, Orelli-Henzen inscr. 7287). ad totam autem sententiam reminiscenda est dictio 'abire in malam rem', qua inprecabantur exitium (Ter. Andr. II 1, 17, Plaut. Epid. I 1, 72); nec male Ellisius cp. Lucian. catapl. 12 εἰς τὸν τῶν ἀσεβῶν χῶρον ἄπιθι et Callim. hymn. Apoll. 113 ὁ δὲ μῶμος ἵν' ὁ φθόρος ἔνθα νέοιτο, denique prouerbium ἔνθεν ἦλθεν, ἐνθ' ἔβη. 'interea', XXXVI 18, CI 7. — **23. saecli incommoda.** onera atque molestiae huius temporis. est usitatius 'huius saeculi', ut Cic. parad. 6, 50, sed omittitur interdum pronomen, ut infra XLIII 8, Prop. I 16, 12 *purior et saecli uiuere luxuria.* Hom. Il. XVIII 104 ἄχθος ἀρούρης.

Difficile est dictu, quando hi uersus sint scripti. odium Vatinii in Caluum inde ab a. 58 flagrauit (cf. ad LIII); sed die Saturnaliorum a. 57 in itinere Bithynico, a. 56 Veronae uersabatur Catullus. unde cum a. 54 illum iam mortuum eo die fuisse probabile sit, relinquitur aut a. 58 ipse aut a. 55, cuius tamen in fine iterum Veronae fuisse poetam perprobabile est. anno igitur 58 hos uersus adscribere equidem malim, quippe cui et c. XXXVI uindicandum uideatur, cuius fortasse respectu Caluus iocose tot pessimos poetas amico miserit.

XV.

1. Commendo tibi me ac meos amores. hic 'amores' (cf. ad VI 16) de puero esse intellegendum, docent sequentia; Iuuentium fuisse illum, ostendunt cetera carmina ad Aurelium et Furium pertinentia; cf. supra p. 38. Iuuentium igitur in Aurelii domo uersantem ueretur poeta ne hospes callide in amorem inducat. commendandi uerbum etsi solitam retinet significationem tradendi aliquem siue uerbis siue litteris beniuolo alicuius siue auxilio siue tutelae (Cic. ad fam. II 6, 5 *tibi omnem rem atque causam meque totum commendo atque trado*, Hor. epist. I 18, 76),

hic tamen peculiaris plane huius tutelae est ratio, ut fere ualeat uerbum illud 'fidei tuae mando'. tum 'me ac m. a.' diuerso a VI 16 modo est dictum de amante, qui cum amato unum se esse sentit; unde Ter. Phorm. I 4, 40 *uobis commendo Phanium et uitam meam.* — **2. ueniam peto pudentem.** a 'uenia' procul habeas uulgarem significationem, quam exponit Gell. XI 8, 4; significat potius 'fauor', et 'ueniam petere' fere est rogare aliquod beneficium (aliquam gratiam); porro petenti 'damus ueniam' siue rogata concedimus; ut Cic. ad Quint. fr. III 1, 11 *Caesaris consilium probo, qaod tibi amantissime petenti ueniam non dedit, uti .. rescriberes,* Hor. a. p. 11 *hanc ueniam petimusque damusque uicissim.* sed quo iure haec uenia uocatur 'pudens'? ab hominibus prae pudore modestis haec uox interdum transfertur ad res, quibus nimirum modestia se manifestat (ut Ouid. epist. 19, 59 *uultus pudentes*). hic tamen non in re petita, sed in uno soloque petendi modo apparet aliqua modestia. nec ulla est excusatio ab hypallage; rideremus, siquis germanice diceret 'ich bitte um die bescheidene gunst'. obsequendum ergo nunc puto Iacobo Maehly [Fleckeis. ann. 1871 p. 345], qui 'pudenter' flagitauit; cf. Cic. ad Att. XVI 15, 5 *pudentissime hoc Cicero petierat* et infra 13, ubi 'pudenter' maiorem habet uim, si iam antea legebatur. non recte autem haec uerba 'u. p. p.' includuntur parenthesi, quia 'ut .. conserues' melius multo ab 'ueniam peto' quam ab 'commendo' pendet; subiciuntur autem illa prioribus, ut iam intellego, per asyndeton explicatiuum ('Aureli: ueniam'); commendatio quo modo locum habeat exponitur (Schwabius uoluit 'Aureli, et ueniam'). — **3, 4, 5. ut, si quicquam animo tuo cupisti, quod castum expeteres et integellum, conserues puerum mihi pudice.** 'si' in obtestatione, cf. ad LXXVI 17: si umquam intimo pectore appetiisti (LXIV 145; AStatius cp. Enn. ann. 49 V. *corde cupitus*) aliquid eiusmodi, ut id uelles optaresque manere purum intactumque a labe (HHeinius: 'und beten dass Gott dich erhalte so rein und schoen und hold'), peto ut Iuuentii pudorem tuearis. Cic. ad fam. IX 10, 3 *suauissimum συμβιωτὴν nostrum praestabo integellum,* cf. XXXIV 2, LXI 36. 'pudice', quod uulgo secundum V legunt, integrum esse nequit. neque enim hac de re agitur, ut puer conseruetur (quod quid ualeat docet ex. gr. Nepos Them. 5, 2 et 8, 6) modo pudico, sed pudicitia pueri ut conseruetur. hoc quemadmodum exprimatur latine, disce ex Prop. II 32, 55 *lectum seruare pudicum* et IV 3, 69 *incorrupta mei conserua foedera lecti,* Verg. Aen. VIII 413 *castum ut seruare cubile coniugis,* Hor. sat. I 6, 82 *pudicum .. seruauit ab omni non solum factō* eqs., Amm. Marcell. XIX 9, 3 *uxor .. retinens pudorem inuiolatum,* aliis locis multis; contra aduerbium quo modo et quibus cum uerbis adhibeatur, nosce ex Plaut. Amph. I 1, 193 *bene pudiceque adseruatur*, Liu. XXVI 49, 16 *tuerique haud secus uerecunde ac modeste quam hospitum coniuges ac matres iussit,* Amm. Marcell. XVI 7, 10 *qui uirginem .. patri tutissime seruans.* nulla igitur eis quidem, qui sapere audent, dubitatio erit quin recte correxerim 'pudicū', quod solita exitus uersuum depra-

uatione in 'pudice' sit corruptum. dicitur mas 'pudicus', qui muliebria non patitur; XVI 4, XXI 12, Priap. 59, 2. — **6. non dico a populo.** hoc quoque a restituto illo 'pudicum' iam recte pendet, cum antea contra leges sermonis coniunxerint cum 'pudice'; Plaut. Curc. I 1, 50 *tam a me pudica est quasi soror mea sit,* Ter. Hec. I 2, 70 *ut uirgo ab se integra etiamtum siet.* 'non dico . . uerum' (9), ut magis solitum *non dico* .. *sed* XVI 10, ubi uide. — **6. nihil ueremur istos.** 'nihil', ut LXIV 146. populi (ad hunc 'istos' refer) iam dat descriptionem, unde cur nihil ab illo timeat apparet. — **7, 8. in platea modo huc modo illuc in re praetereunt sua occupati.** Apul. met. IV 28 *per plateas commeantem populi.* Hor. epod. 4, 9 *huc et huc euntium,* Liu. VI 25, 9 *repletas semitas inter uulgus aliud puerorum et mulierum huc atque illuc euntium, qua quemque suorum usuum causae ferrent.* 'in re sua occ.', omnem mentem negotiis suis intentam habentes; Ter. Heaut. I 1, 23 *tantumne ab re tua est otii tibi*, Tac. dial. 7 *apud negotiosos et rebus intentos,* Cic. de inu. I 22, 31 *in quo animum debeat habere occupatum.* — **9. a te metuo.** ut Liuius XXIII 36, 1 *metuens ab Hannibale,* ubi plura dat Drakenborchius. — **10. infesto pueris bonis malisque.** sine discrimine innocuis inpurisque. nam quod sunt feminae bonae et malae, idem pueri: 'boni', honesti, pudici; 'mali', turpes, παιδικαί (LXI 97). multo minus apte (hic quidem) de pueris pulcris (Ouid. am. III 2, 27) deformibusque nonnulli cogitauere. 'infesto' simili imagine, qua Verg. Aen. X 877 *et infesta subit obuius hasta.* — **11, 12. quem tu qualubet, ut iubet, moueto quantum uis, ubi erit foris, paratum.** 'qualubet', in quouis alio puero; Vulpius cp. Plaut. Curc. I 1, 37 *dum ted abstineas nupta* .. *pueris liberis, ama quidlubet.* Priap. 37, 13 *mentulamque mouit*; cf. 'arma mouere' Prop. IV 8, 88, Ouid. am. I 9, 26. 'ut iubet' scil. penis, ut te incitat, tamquam dominus te seruum agit; mala cum tautologia uulgo scribunt 'ut lubet' contra V. 'quantum uis' (= ex tua libidine) cum 'moueto' cohaeret. 'foris' interpretantur artius cum 'paratum' iungentes: ubicumque cupiditatem explendi facultas praesto erit extra domum tuam (in qua nimirum Iuuentius uersatur). quasi uero intra domum tantum Aurelius struere posset insidias! putauerim potius, poetam pergere in describenda hominis salacitate: penem illum tuum semper ad Veneris posticae opera promptum expeditumque (Priap. 46, 7 *uidear satis paratus,* Ouid. fast. I 437 *obscena nimium quoque parte paratus*), ubicumque porta patebit. 'foris' igitur substantiuum (LXI 161) de πρωκτῷ accipio (cf. 18); ut similiter illud de cunno adhibet Tibull. Priap. 2, 30 [p. 87 ed. m.]. — **13. excipio, ut puto, pudenter.** a ceterorum puerorum turba separo precibus (ut mihi uideor) modeste submisseque ad te factis. 'ut puto', ut Ouid. a. a. I 370; alibi simpliciter 'puto' inseritur parenthetice. — **14, 15. quodsi te mala mens furorque uecors in tantam impulerit, sceleste, culpam.** 'quodsi', sin post has preces amicas. 'mens', animi cupientis consilium prauum (cf. graecum μένος et θυμός) et qui cum cupiditate iunctus est 'furor' saepius copu-

lantur, ut Ouid. met. V 13 *quae te, germane, furentem mens agit in facinus?*, append. Tibull. 3, 2, 7 *quis furor est, quae mens?* cf. et Verg. Aen. II 519 *quae mens tam dira .. inpulit his cingi telis.* 'mala mens', quae habetur et XL 1 cuiusque contrarium est *bona mens* Prop. II 24, 19 et Liu. XXX 30, pro 'dementia' occurrit ap. Tib. II 5, 104, ubi uide Dissenum. 'uecors', insanus, ut XL 4; cf. ORibbeckius symb. ad partic. lat. p. 8. 'culpam', flagitium. 'sceleste', proleptice. — **16. ut nostrum insidiis caput lacessas.** ut struens insidias (cf. XXI 7; Plaut. Curt. I 1, 25 *num tu pudicae quoipiam insidias locas?*) me prouoces, in iram excites. nam ex sermone ictorum, quibus 'caput' et 'persona' idem erat (Reinius libri 'das Privatrecht d. Roemer' p. 118) haec periphrasis facta est communis, ubi paulo magis παθητικῶς loquebantur, ut Prop. II 8, 16 *in nostrum iacies uerba superba caput* (= in me); cf. Brixius ad Plaut. Capt. 943 et Lorenzius ad Most. 202. quamquam hoc nimium esse nec cum ceteris congruere uidetur, quod de se hic loquitur Catullus. intellegimus hoc c. XXI, ubi a puero utpote a se amato ille Aurelium studet arcere. sed nostro loco Aurelius insidias struens siue sibi Iuuentium concilians et ita iram poetae prouocans omnino ineptus est. 'tanta' enim 'culpa' post ea quae praecedunt est pedicatio pueri: hoc scelus si forte ille commiserit, eum mansuram esse adulterorum poenam iure quodam potest C. minari. uerum 'Iuuentium pedicare' et 'nostrum caput insidiis lacessere' nullo pacto est idem. significat quidem interdum lacessendi uerbum etiam id quod prouocationem sequitur; sed iterum quid hoc 'attrectare nostrum caput' sibi uelit frustra circumspicimus, quippe qui flagitemus potius 'ut puerum insidiis a te structis attrectes'. nec tamen apparet, qui licuerit poetae, se ipsum pro puero nominare. uide an 'nostrum' ex glossa prouenerit adscripta ad id quod genuinum puto 'carum', male nimirum a monachis intellectum. recte Iuuentium C. uocat 'carum caput'; cf. ad LXVIII^b 79 sq. — **17. a tum te miserum malique fati.** accusatiuus exclamationis (Kuehnerus gr. l. II p. 203). 'a' interiectionem melius sine aspiratione scribi (codd. recentiores potissimum fere 'ah' uel 'ha' praebent, nisi quod haud raro in corruptelis uestigium ueri reliquerunt, ut LXI 46 et 132, LXVI 85), hodie res est explorata; inseruit autem illa non solum eius qui loquitur ipse affectibus exprimendis, sed etiam ex aliorum mente a poetis adicitur omnibus uocabulis, quae cum doloris maxime notione sunt coniuncta, ut potissimum illi 'miser'. 'mali fati' futurum, δύσμοιρον, qui sinistrum fatum (mox descriptum) habebis; de genet. qualit. Kuehnerus gr. l. II p. 333 sq.; Ouid. epist. 6, 51 *me mala fata trahebant*, Petronius plebeia forma usus c. 42 *medici illum perdiderunt, immo magis malus fatus* et 71 *etiamsi illos malus fatus oppressit*, alia. — **18, 19. quem attractis pedibus patente porta percurrent raphanique mugilesque.** 'porta' de ano, ut Priap. 52, 5 *porta te facient patentiorem* (ibid. 11, 4 et 31, 4). 'alludit' inquit Muretus 'ad supplicium, quo olim Athenienses afficiebant pauperes [schol. ad Arist. Plut. 168] in adulterio deprensos. eis

enim depilabant nates cinere calido, deinde etiam raphanos praegrandes in podicem immittebant. hanc poenam uocabant παρατιλμὸν καὶ ῥαφανίδωσιν', cp. Aristoph. Nub. 1080, cui loco Vulpius Lucian. d. m. Peregr. 8 μοιχεύων ἁλοὺς διέφυγε ῥαφανῖδι τὴν πυγὴν βεβυσμένος et IVossius Anth. Pal. IX 520 adiecerunt. et notum est Hor. sat. I 2, 133 *ne nummi pereant aut puga*; porro ex Iuuenale 10, 317 *quosdam moechos et mugilis intrat* sat constat, eidem poenae inseruiisse mugiles, piscium marinorum genus teste scholiasta ad l. l. *grandi capite, postremum exile.* utramque autem poenam simul (que .. que) denuntians poeta ex eis, quae ipsum supplicium praecedere solebant, unam tantum rem commemorat; ad totum actum Vulpius bene cp. Ter. Eun. V 4, 31 sqq. *eam iste uitiauit miser. ille ubi id resciuit factum frater uiolentissimus ... conligauit primum eum miseris modis. ... nunc minatur porro sese id quod moechis solet.* conligato autem adultero (in corporis parte superiore) distrahebantur pedes, nimirum ut pateret porta. quamquam num recte Muretus 'attractis' explicuerit 'diductis, diuaricatis', suo iure multi dubitauere; melius alii intellexere de ministris supplicii in diuersas nimirum partes pedes ad se trahentibus. recurrere *atractis* (sic) *pedibus* in CIL. IV 1261 iam olim adnotaui. ceterum miro quam maxime modo est dictum 'quem percurrent', quasi per totum Aurelii corpus sint cursuri raphanique mugilesque; neque multum iuuamur, si portae maxime imaginem obuersatam esse poetae statuimus; nam etiam 'raphanus currit per portam' abhorret a probabilitate. intellegerem, si Catullus scripsisset (non Maehlyanum 'pertundent', sed) siue 'perrumpent', hoc est, quem ui intrabunt, siue 'peruellent', ut Plaut. Pers. V 2, 66 *ei, nates peruellit.*

XVI.

1. Pedicabo ego uos et irrumabo. quae uerba ut summum despicatum innuunt et pro grauissimis conuitiis adhibentur, ita hic non sine consilio ponuntur: inimicis, qui mollem esse clamauerant poetam, hic quam parum robore uirili careat se ostensurum esse minatur. 'pedicare' uocis etymon in dubio est. recte quidem FBuechelerus mus. Rhen. XIII p. 153 et Fleckeisenus ann. 1861 p. 574 semper per 'e' (non 'ae') scribi illam dicunt (hoc male in dubitationem uocat Corssenus de pronunt. I^2 p. 648 sqq.), sed non accedo Buechelero uocabulum a podice deriuanti (pedicare = podicem scindere mentula), cum 'o' quidem in 'e' mutasse (cf. 'iocur iecur', 'uoster uester' sim.), non tamen 'i' mediam productam intellegam. potius ex parte Corssenum secutus uocem παιδικά ex Italia inferiore siue ex Sicilia ita a Romanis una cum ipso puerorum amore receptam esse putauerim, ut uulgi ore et quantitas secundae syllabae et diphthongus inmutaretur (cf. 'pretor', sim.). 'inrumare' (= in rumam siue os alicuius penem inserere) etiam grauiorem contemptum habet; cf. Priap. 28, 5 et 35, 2. utrumque uerbum Priap. 35, 5 coniunctum est. — **2. Aureli pathice et cinaede Furi.** hic quoque C. regerit conuicium, eos, qui se ipsum 'parum pudicum' (cf. ad 4)

uocassent, muliebria pati arguens. cf. ad XXV 1. ceterum per chiasmum 'pathice' spectare ad 'irrumabo', 'cinaede' ad 'pedicabo', ex eis elucet, quae ad LVII 2 de uocularum 'cinaedus' et 'pathicus' discrimine obseruaui. — **3, 4. qui me ex uersiculis meis putastis, quod sunt molliculi, parum pudicum.** 'mollis' (cf. ex. gr. Vell. Pat. II 88, 2 *mollitiis paene ultra feminam fluens*) et 'cinaedus' fere idem sunt, ipsa feminae notione media; cf. Plaut. Aul. III 2, 8 *mollior quam .. cinaedus,* id. mil. III 1, 74, XXV 1. isti igitur uersuum mollium (h. e., ut Plin. epist. V 3, 2 et Mart. I 35, 1 dicunt, parum seuerorum siue 'amatoriorum' ut Ouid. trist. II 307) indolem ad ipsum transtulerant poetam, molliculum (Plaut. Cas. II 8, 55 et Poen. I 2, 154, Charis. p. 198, 19 K. *molliculum adulescentulum effeminate loquentem*) siue pathicum eum uocando, hoc nimirum conuicio Iuuentium a Catullo abalienaturi. hoc 'pathicum' utpote de se loquens C. circumscribit per 'parum pudicum'; iam ad XV 5 dixi, in uiro pudicitiam esse muliebria non pati. ceterum pro 'putastis' melius legetur 'putatis', monstrante et u. 13 et Verg. epigr. 13 (5), 1 sq. [PLM. II p. 173]. — **5. nam castum esse decet pium poetam.** pudicum et corpore inpolluto (cf. LXII 46), utpote antistitem Musarum, quibus poetae se finxerunt sacra ferre (Verg. G. II 476, Prop. III 1, 3, Hor. od. III 1, 3, Ouid. am. III 8, 23 *Musarum purus Phoebique sacerdos,* Pers. prol. 6, alii); quae sacra qui rite beneque colebant, 'pii' uocabantur: Verg. Aen. VI 662, Ouid. am. III 9, 66, Auson. epist. 10, 40, alibi. — **6. uersiculos nihil necesse est.** scil. castos esse. id quod ipso hoc carmine aduersariis ostendit poeta. in uniuersum hoc accipientes alii sententiam illam repetierunt; cf. praeter testim. uol. I Ouid. trist. II 353 sqq. et Mart. I 4, 8 *lasciua est nobis pagina, uita proba est.* — **7. qui tum denique habent salem ac leporem.** in sollemni locutione (cf. Handius Tursell. II p. 276) 'tum denique' hoc alterum fere ualet 'uere', sequiturque post 'si' uel 'cum' similiaue semper indicatiuus. unde Plinii codd., qui hic male 'tunc' exhibent, u. sq. recte praebere apparet 'sunt', contra V male 'sint', cum praesertim uariandi orationem (8 'sint', 9 'possunt') nulla omnino causa fuerit. *leporem quendam et salem,* h. e. acumen facetum et uenustum, coniungit etiam Cic. de or. II 23, 98. — **9. et quod pruriat incitare possunt.** pruritum quendam commouere. Mart. I 35, 10 *lex haec carminibus data est iocosis, ne possint, nisi pruriant, iuuare* et XII 95 *Musaei pathicissimos libellos .. et tinctas sale pruriente cartas.* — **10. non dico pueris, sed his pilosis.** pendent hi datiui siue ab 'incitare' u. 7 siue potius a 'pruriat' (Plaut. Poen. V 5, 36 *num tibi .. malae aut dentes pruriunt?*). Cic. Phil. II 4, 9 *quid enim est minus, non dico oratoris, sed hominis quam* eqs. (cf. et XV 6, Kuehnerus gr. l. II p. 624): pruritum mouere, non contendo pueris (qui non indigent talibus incitamentis, ultro cum exardescant et sua sponte sint molles), sed uobis aetate prouectioribus, robustioribus (Cic. p. Cael. 3, 7). delicati cum fuerint ore laeui (Tib. I 8, 31 sq.) et corpore uolso toti glabri (Plaut. Aul. II 9, 5, Prop. IV 8, 24,

Quint. II 5, 12, Mart. III 36, 6, Sueton. Galba 21), flore pueritiae extincto ubi uirilem aetatem ingredi coeperunt catamiti nec laeuigatione iam pilos os corpusque tegentes (Ouid. a. a. III 194 *duris aspera crura pilis,* Iuuen. 2, 11, Mart. II 36, 5 et IX 28, 1) remouere ualuerunt, cum contemptu inter barbatos et pilosos cinaedos numerabantur: Priap. 3, 3 *da mihi, quod cupies frustra dare forsitan olim, cum tenet obsessas inuida barba genas*; infra XXXIII 7. 'pueris' in uniuersum dictum tecte ad Iuuentium spectat; magis perspicue 'his' ad Aurelium Furiumque pertinet supplendumque 'quales uos estis'. — **11. qui duros nequeunt mouere lumbos.** qui iam non puerili leuitate *crisant fluctuante lumbo* (Priap. 19, 4), hunc prae aetate durum uibrare nequeunt. Verg. epigr. 13 (5), 21 *nec deinde te mouere lumbos in latus .. uidebo* (de cinaedo). — **12, 13. uos, quod milia multa basiorum legistis, male me marem putatis?** male basia referunt uulgo ad cc. V et VII, quae sine dubio isti pathici numquam legerunt. aut, si legerunt, quaenam causa eis erat exprobrandi poetae horum poematum mollitiem? ut ante nos iam Brunerus et Westphalius perspexerunt, haec uerba spectant ad XLVIII 3: hoc carmen ad Iuuentium missum cum legisset par istud nobile, eo qui supra est descriptus modo suspectum reddere Catullum apud puerum studebant. 'quod' recte uulgo scribunt; non raro uitio 'ꝙ' abiit in 'q;' (cf. ad LII 5), maleque alii alia temptauere, ut 'quei' Rossbachius, 'quom' LMuellerus. 'uos' παθητικῶς: qui ipsi estis cinaedi, in me hoc iacitis opprobrium, quasi ego sim pathicus? Vulpius cp. Ouid. a. a. I 524 *et si quis male uir quaerit habere uirum* et Quint. V 9, 14 *dixerit mollis et parum uiri signa*; adice Cic. Tusc. II 22, 53 *C. Marius .. plane uir* (Kuehnerus gr. l. II p. 165). sic insultans inimicis iterat u. 14 initium carminis, contemptus significationi adiciens minationem; Tac. ann. II 2 *intra cubiculum auditur Messalina coram et Suilio .. postremum mollitiam corporis obiectante; ad quod uicto silentio prorupit reus et 'interroga' inquit, 'Suili, filios tuos: uirum me esse fatebuntur'.* per conuitia ergo uulgo recepta fortissime aduersariis respondet C. simulque, quid sint uersus parum pudici, ita eis ostendit, ut sine dubio abstinuerint posthac ab obicienda poetae mollitie uersuum.

XVII.

1. O Culonia quae cupis ponte loedere longo. de loco lis inter doctos. Scaliger et IVossius Nouum Comum, coloniam paulo ante (a. 59 a. Chr. n.) a Caesare deductam, tangi putant; contra quos Schwabius quaestt. Cat. p. 345 recte monet, Larium lacum, ad quem Comum sit situm, nec paludis nomine posse designari nec uero pontem recipere. maioribus etiam dubitationibus obnoxiae opiniones eorum, qui de Mantua deque Cremona cogitauere. mihi, ut aliis plerisque, placet Mureti sententia, cuius haec sunt uerba: 'Colonia nomen proprium cuiusdam oppiduli non longe ab agro Veronensis distantis uidetur, quod hodie corrupto tamen uocabulo uulgo Cologna appellatur; et praesertim quia Verona

illuc iter habentibus paludes latissimae occurrunt, quae in loco quodam coarctantur, ubi ponte ligneo satis longo transitus patet, qui nunc pons Zerbanus uocatur'. cf. infra ad u. 9. ceterum formam rusticam 'Colonia', quae ex V efficitur, eo magis retinendam censui quod etiam ex tradito 'ledere' (pro quo uulgo 'ludere') sine ullo negotio elicitur priscum illud itidemque in plebis rusticae sermone longius multo quam in urbano seruatum 'loedere' (cf. ex. gr. Corssenus de pronunt. I^2 p. 704). numquam autem equidem tam ineptus fui, ipsum ut Catullum sic locutum esse putarem (quippe in archaismis quoque admittendis distinguenda sunt tempora), sed sic statui, poetam oppidulum illud inrisurum etiam uocabulorum formas quasdam agrestes iocose lepideque adhibere; et notum est quantopere talibus uitiis aures urbanae sint delectatae (cf. c. LXXXIV). cum iudicio autem has formas in solo uersu primo posuit, in reliquo carmine uerbis tantum plebeis interdum usurus. et iam ipsa uox 'ludere' significatione alibi non obuia uulgare loquendi genus sapere uidetur et fere indicare 'ludos siue spectacula edere' (paulo aliter se habet Liuius XLIV 18, 8 *ludis circensibus .. ursos et elephantos lusisse*), siue de ludis ad deorum cultum pertinentibus siue de ludo quodam populari, in quo choreae erant ducendae (quae Handii est opinio), intellegimus. erant qui de sollemnitate illa cogitarent, qua Romae more uetere idibus Mais pontifices in Tiberim Argeos deiciebant (cf. Prelleri myth. Rom. p. 514 sqq.); et sane constat, Italiae urbes oppidaque imitatione expressisse Romae instituta uaria ad deorum cultum spectantia, sine dubio ridiculum interdum in modum. quidquid id est, Coloniae patres conscripti (per longam fortasse deliberationem, cuius rei rumor Veronam uenerat) tractauerant, num forte ludos edere liceret in ipso ponte suo longo (de 'in' omisso Kuehnerus gr. l. II p. 261). sic enim interpretor, non quasi longum sibi cupiuerint Colonienses pontem. nam cum palus (4) siue lacus (10), non flumen, habuerit pontem, hunc per se apparet longiorem fuisse. superuacaneo autem IVossius 'ligneo' commendauit pro 'longo'. — **2. et salire paratum habes.** hoc quoque plebei sermonis cum neglegentia iocose dictum: homines quidem ad saltandum idoneos iam in promptu habes. Cic. de or. II 36, 152 (philosophi) *habeant paratum tamen, quid de quaque re dicant*; cf. Draegerus synt. hist. I § 143 et graecum ἑτοίμως (ἐν ἑτοίμῳ) ἔχειν. — **2, 3. set uereris inepta crura ponticuli acsuleis stantis in rediuiuis.** tamen 'crura' (cf. Gerberus libri 'd. Sprache als Kunst' I p. 376), h. e. sublicae siue tigna, quibus pons innititur, non sat apta (inualida infirmaque) sunt ad ferendas saltationes. insolentius 'ineptus' retinet primariam significationem (cf. Cic. de or. II 4, 17); quamquam mihi hoc redolet uulgare quoddam dicendi genus (germanice 'die dummen Beine' dicimus, quae scilicet uotis nostris non obtemperant). 'ponticuli', non (ut alibi) 'parui pontis', sed potius cum contemptu 'p. debilis et caduci'. quippe pons stat ('crura' et 'stantis in' sunt idem) non in solidis nouisque tignis (cf. ex. gr. Caes. b. g. IV 17), sed in eis quae et per

se non sufficiunt et uetustate sunt putria. 'acsuleis' autem Handius Ellisiusque ex ductibus codicum 'ac sulcis' elicuerunt. dixerunt ueteres tam 'axis' quam 'assis' (cf. 'fraxinus' et 'frassinus', 'coxim' et 'cossim', Corssenus de pronunt. I p. 297), quod explicat Pauli Festi p. 3 *et tabula sectilis 'axis' appellatur*; cf. Colum. d. r. r. VI 19, 2 *roboreis axibus agger erigitur,* Caes. b. c. II 9, Lucan. III 455. huius deminutiuum est 'assula' siue 'astula' contemptim tabulas paruas fragilesque indicans (alibi etiam caementa arborum et cuiusuis materiae); cf. Sueton. gramm. 11 *domum Catonis, depictas minio assulas* (germanice 'Bretterbude'). 'axula' autem forma ab 'axis' descendens, etsi alibi non obuia, cum sine offensione esse uideatur (AStatius 'assulis' uoluerat siue potius 'assuleis', C in S mutata, quae sane saepius confusae in V), ex indiciis archetypi 'acsuleis' potest tuto reponi, siquidem 'cs' pro 'x' scriptum tam grammatici (cf. Schneideri gr. l. I 1 p. 369 sqq.) quam exempla adserunt (cf. ex. gr. CIL. X 1112, 5157, 5991, 6181, 6565, 7499). ceterum memoria dignum est quod in glossis nominum legitur (ed. Loewius p. 19) *asser: pons ligneus inter domus*; unde conicias 'asculeis', ut sit 'asculum' contractum ex 'asserculum'. sed ad horum tignorum qualitatem per se infirmam accessit, quod sunt 'rediuiua', h. e. uetusta utpote ex alio aedificio diruto denuo in usum pontis adhibita: Cic. Verr. I 56, 147 *utrum existimatis minus operis esse unam columnam efficere ab integro nouam nullo lapide rediuiuo?* (uide et sqq.), Vitruu. VII 1, 3 *statuminationibus inductis rudus si nouum erit, ad tres partes una calcis misceatur; si rediuiuum fuerit, quinque ad duas mixtionis habent responsum*; cf. omnino de uoce LLangius in Curtii studiis X p. 227 sqq. — **4. ne supinus eat cauaque in palude recumbat.** ne pons saltibus concussus retro uergat ruatque ('s. e.', in supinum eat, cf. Kuehnerus gr. l. II p. 177 sq.) et sedem capiat in stagnis, quae 'caua' (= profunda) audiunt a naturali lacunarum condicione: Verg. G. I 117 *cauae lacunae,* Ouid. met. VI 371 *tota caua submergere membra palude.* Verg. G. I 401 *nebulae magis ima petunt campoque recumbunt.* iam post sollemnem inuocationem C. aperit desiderium suum: — **5. sic tibi bonus ex tua pons libidine fiat.** contingat secundum optatum tuum pons firmus ualidusque (cf. Plaut. Most. I 2, 26 *aedes bonae* et III 2, 142 *postes boni*). 'ita' uel 'sic' cum obtestatione sollemni iunctum (LXVI 18) interdum adhibetur ad stabiliendum uotum per coniunctiuum (ut Hor. od. I 3, 1 sqq.) uel per imperatiuum (ut hic u. 7 'da') expressum; quam formulam prodiisse puta ex hoc cogitandi genere: si tu praebes mihi quod uolo, ego contra tibi contingat opto quod tu uis; et hoc alterum religiose affirmantes simul in priore colo liberius quid uellent significabant. CIL. IV 2776 *presta mi sinceru(m): sic te amet .. Venus,* Hor. sat. II 3, 300, Verg. ecl. 9, 30 *sic tua Cyrneas fugiant examina taxos ..: incipe, siquid habes.* imitatur hunc u. Mart. VII 93, 8 *perpetuo liceat sic tibi ponte frui.* — **6. in quo uel Salisubsili sacra suscipiant.** ita cum V habeat, nulla est causa reponendi formam 'salisubsuli'. licet

enim 'subsalire' in 'subsulire' et hoc in 'subsilire' abierit, tamen, quoniam a C. utrumque scribi potuit, amplectendum est id quod codd. praebent. ipsum autem uocabulum nusquam alibi lectum (nam Pacuuii uersus ab AGuarino adlatus ficticius est) ex tripudio Saliorum (de quo cf. Prellerus myth. Rom. p. 316) uidetur explicandum, ut 'salire' et 'subsilire' (ex his enim uocabulum compositum puto) respondeat praesulis amptruationi et chori redamptruationi. non ergo cum Handio agnosco cateruam quandam saltatorum, sed collegium Saliorum, quorum siue in plebe usitatam appellationem adsumpserit siue nouum nomen ipse finxerit poeta. nam ea opinio, qua olim putabant Marti fuisse Salisubsili cognomen, nihil sane quo se commendet habet. metro autem consuluerunt optime Itali 'Salisubsilis sacra suscipiantur' reponentes: lineola ('suscipiant̄') omissa 'suscipiant' necessario effecit, ut iustum restitueretur subiectum 'salisubsili', cum praesertim ipse datiuus (= a Salisubsilis) obscurior esset. nam si hoc nominatiuo seruato in fine adicere uelis aliquam uoculam (ueluti 'iam'), uide ne ualde superflua addas. 'sacra suscipere', facere ex more tradito sacras saltationes, paulo aliter legitur Liu. I 7, 15 et Cic. in Vat. 6, 14. nec tamen hinc sequitur, Coloniae fuisse Salios (ut sane aliis Italiae oppidis ex Romae imitatione), sed iocose hi et cum inrisione oppiduli ludos celebraturi commemorantur: ita probus tibi fiat pons, qui, si usu ueniat, Saliorum adeo tripudiis illis fortibus non concutiatur. — **7. munus hoc mihi maximi da, Colonia, risus.** ede mihi hunc ludum siue spectaculum (ex. gr. Ouid. a. a. I 170 *et pars spectati muneris ipse fuit*) hoc ipso ponte, in quo ut ueros aliquando ludos celebres tibi opto. ludit poeta in uoce 'munus', cum qua genetiuus qualitatis 'max. risus' (cf. XV 17) cohaeret quidem (= risui mouendo aptissimum), sed ut facile idem ad ipsam Coloniam possit referri, nimirum cupiditāte ludos edendi ridiculam. — **8. quendam municipem meum d. t. uolo p.** exponit iam C., quod spectaculum flagitet sibi. 'm. m.', ciuem municipii mei (Cic. Cael. 2, 5 *municipibus non probatum suis*), Veronae scilicet; a. 89 a. Chr. Gallia transpadana lege Cn. Pompei Strabonis ius Latii acceperat; cf. ex. gr. EHerzogius libri 'roem. Staatsverfassung' I p. 479 sq. ceterum hinc maxime apparet cogitandum esse de loco in Veronae uicinia posito, quem frequentius adire sit solitus Catulli iste conciuis, aliter cum uix carmini suus constet lepor. 'uolo', ut VI 16. — **9. ire praecipitem in lutum per caputque pedesque.** paludem 'lutum' appellanti poetae fortasse obuersata est imago suis lutulentae homini isti sane quam apta. quam formulae instar oblitterata origine sit factum illud 'ire praecipitem', docent uerba proxima hilarem descriptionem continuantia, quae ex parte ('praeceps — per caput') idem significant. Liuii perioch. XXII *ab equo, quem conscenderat, per caput deuolutus,* hoc est, praeceps, graecum κατωκάρα; cui si adicitur 'pedesque', graphice admodum hoc fit atque ilocaliter: rerum natura inuersa caput deorsum, pedes sursum sunt. quamquam fortasse praestat altera interpretatio, secundum quam ex noto praepo-

sitionis usu (Sen. de ira III 18, 1 *per singulos artus lacerare,* h. e. totum) uerba 'p. c. p.' artius coniungenda sunt cum illo 'ire in lutum', ut hoc luto totus homo a capite usque ad pedes submergendus dicatur. — **10, 11. uerum totius ut lacus putidaeque paludis liuidissima maximeque est profunda uorago.** 'uerum' accuratius definit (Kuehnerus gr. l. II p. 686). 'ut', eo loco ubi; cf. ad XI 3. 'putidaeque' sine dubio recte Itali pro tradito 'pudiceque' dederunt (infeliciter Heysius maluit 'punicaeque'); quamquam quomodo 'totius lacus' et 'putidae paludis' copulentur obscurum est. uniuersi autem lacus aqua peremni non carentis locus is, in quem poeta municipem suum uult praecipitari, ita debuit definiri: ubi est uorago et nigerrima (cf. Seru. ad Verg. Aen. VI 320 *uada liuida*) e luto putenti et altissima. itaque cum V praeterea habeat 'paludes', equidem abiecta 's' et litterulis diuisis rescribo: 'putida eque palude liuidissima'. in quibus 'e' indicat, unde color niger efficiatur, noto usu (cf. ex. gr. Ter. Eun. V 4, 17); recte autem iam toti lacui opponitur pars eius maxime paludosa. 'uorago', barathrum aquas uorans absorbensque et sic paludem efficiens crassam; cf. Verg. epigr. 10, 15 [PLM. II p. 171]. — **12. insulsissimus est homo nec sapit pueri instar bimuli.** quasi quaedam species est insulsitatis (cf. ex. gr. Ter. Eun. V 8, 49; Petron. 23 *intrat cinaedus, homo omnium insulsissimus*). 'nil sapere', stultum esse, saepius dixit Cicero, ex. gr. Phil. II 4, 8 et 17, 43. 'bimuli', duos annos nati (Suet. Calig. 8), ut similiter Iuuen. 2, 152 *nec pueri credunt, nisi qui nondum aere lauantur,* h. e. qui nondum sapere coeperunt (Rutil. Nam. I 394). — **13. tremula patris dormientis in ulna.** 'tremula', succussa: rem explicat comparatus a Vulpio Plato legg. p. 790 *ἡνίκα γὰρ ἄν που βουληθῶσι κατακοιμίζειν τὰ δυσυπνοῦντα τῶν παιδίων αἱ μητέρες, οὐχ ἡσυχίαν αὐτοῖς προςφέρουσιν, ἀλλὰ τοὐναντίον κίνησιν ἐν ταῖς ἀγκάλαις ἀεὶ σείουσαι.* neue pater loco matris a Catullo positus offendat, non neglegendus est mos Italorum ut olim ita hodie uigens, quo nec genitor succutere caram stirpem refugit 'ulna' siue brachio (Nemes. ecl. 3, 27 *Silenus paruum alumnum .. resupinis sustinet ulnis*). dormiendi notioni summa comparationis inest. — **14. uiridissimo flore puella.** flos (cf. Lucr. III 770 *aetatis tangere florem* et LXI 57) hic etiam uirginitatem adhuc intactam (LXII 46) innuit, ut flos 'uiridis' siue uegetus recensque (Verg. Aen. V 295 *uiridique iuuenta,* Hor. od. IV 13, 6 *uirentis Chiae*) sit integritas uirginalis, de qua nil dum sit delibatum. poniturque per superlatiuum ob oculos puella, quae ut tota uiro est matura, ita ad amorem furtiuum ipsa quasi inuitat. Liu. XXX 12, 17 *forma erat insignis et florentissima aetas*, Apul. met. X 29 *puellaeque uirenti florentes aetatula.* — **15. et puella tenellula delicatior aedo.** recte 'et' pro tradito 'ut' Itali restituerunt (male Lachm. 'est', Heinsius 'sit'); ualet autem hic 'et quidem'; qua in significatione repetere amabant uerbum praecedens, ut Cic. Verr. V 46, 121 *errabas, Verres, et ualde errabas.* Doeringius cp. Theocr. 11, 20 de Galatea *ἁπαλωτέρα δ' ἀρνός* et Ouid. met. XIII 791 *tenero lasciuior haedo*;

adde Hor. od. III 15, 12 *lasciuae similem ludere capreae*, Dionys. Per. 843 *παρθενικαὶ νεοθηλέες οἷάτε νεβροὶ σκαίρουσιν.* deminutiuum praeiuit Laeuius fragm. 4 LM. *manu lasciuola ac tenellula.* 'delicatior', petulantior exultantiorque, ut Verg. Priap. 2, 10 [PLM. II p. 159] *meis capella delicata pascuis*, sensu primario ('delicatus', deliciis se dedens: Paulus Festi p. 70, 1 *delicatus, quasi lusui dicatus*). de scriptura 'aedus' Varro d. l. l. V 97, Quint. I 5, 20. — **16. adseruanda nigerrimis diligentius uuis.** custodienda maiore cum cura quam uuae, quae autumno maturescentes iam non, ut per aestatem (Hor. od. II 5, 10 *tolle cupidinem inmitis uuae*), neglegi possunt, sed quae ne a cupidis furibus carpantur prouidendum est. Varro d. r. r. I 54 *nam et praecox et miscella, quam uocant nigram, multo ante coquitur; quae prior legenda.* superlatiuus maturitatem plus quam plenam indicat. — **17. ludere hanc sinit ut lubet nec pili facit uni.** 'ludere', delicias facere (15), ut Varro sat. Men. 87 B. *properate, puerae, quas sinit aetatula ludere, esse, amare* eqs. (paulo aliter LXI 204, LXVIII[a] 17); et esse hunc ludum aleae plenum, simul innuit poeta ueritus, ne uuam a possessore neglectam mox alius clam decerpat. 'hanc', talem. 'pili', ut X 13 et Petron. 44 *nemo Iouem pili facit*; cf. et 'assis non facere' XLII 13 et 'nauci non facere' Plaut. Bacch. V 1, 16. 'uni' prisce pro 'unius' (Neuius d. f. l. II. p. 254). — **18. nec se subleuat ex sua parte.** AStatius cp. LXXXVII 4 *ex parte mea*, ut hic fere ualeat 'ipse' et sit oppositum puellae ludenti. alii rectius, ut puto, explicant: ex sede semel occupata. quamquam hoc omnes recte odorabantur, simul aliquid obscenae ambiguitatis subesse ('pars', penis, nota significatione), cp. LXVII 22; praeterea Ellisius cp. Aristoph. Lys. 937 *ἐπαίρει ἑαυτόν. truncus iners iacuit* iste maritus (Ouid. am. III 7, 15), ut describunt sqq.: — **19. uelut alnus in fossa Liguri iacet suppernata securi.** Liguria diues lignis, unde frequens erat terrae illi negotiatio lignaria (Diod. V 39, Strabo p. 202, Capitol. Pertin. 1, 1 et 3, 3); et hinc in alnos, arbores regionis illius praecipuas, mutatas esse Heliades circa Padum finxerunt fabulae (Verg. ecl. 6, 63). 'Liguri' coniunge cum 'fossa', quae dubito sitne accipienda de receptaculo quodam Ligurum proprio, ubi iacebant arbores caesae, antequam subibant lignatorum manus, an de canali, quo ligna deuehebantur e regionibus remotioribus, ut Valgius Rufus ap. Seru. ad Aen. XI 457 *et placidam fossae qua iungunt ora Padusam.* eis qui 'Liguri' referunt artificiosius ad 'securi', praeter Hor. od. III 6, 38 fauere potest uideri Verg. Priap. 3, 3 [PLM. II p. 160] *quercus arida rustica fomitata securi.* 'suppernata' singulariter dictum sumptumque fortasse e sermone plebeio explicat Festus (cf. testim. uol. I): paulum supra humum succisa trunco resecto, tamquam animal cui pernae sunt amputatae. in uoce 'iacet' (inmobilis est) uis comparationis. — **20. tantumdem omnia sentiens quam si nulla sit usquam.** 'omnia', quae circa se et sibi ipsi fiunt. 'nulla', omnino non, ut VIII 14; quae negatio artissime cohaeret cum 'usquam': est sollemnis dictio 'nusquam esse', non existere in rerum

natura; cf. Hor. sat. II 5, 102, Lucr. III 1011 de Furiis *neque sunt usquam.* — **21. talis iste meus stupor nil uidet, nihil audit.** 'talis' (scil. qualis alnus illa), eiusmodi truncus iners. 'stupor' de homine stupido, ut Verg. epigr. 6, 3 [PLM. II p. 166] *tuone nunc puella talis et tuo stupore pressa*, h. e. a uobis hominibus stupidis. bene AStatius 'uitia' inquit 'ipsa pro uitiosis ponimus, cum insigniter ac summe uitiosos significamus; sic dictus olim a Bibaculo Orbilius *litterarum obliuio*'; hinc passim apud comicos maxime 'odium' pro homine odioso, 'scelus' pro scelesto similiaque; XXIX 13 *ista uostra mentula.* tam 'meus', quod in sermone familiari haud raro in partem ridiculam additur (ex. gr. Fronto p. 96 N. *ille meus*, Petron. 62 *homo meus*) quam 'iste' (cf. Don. ad Ter. Eun. I 2, 112) ad contemptum facit; accedit autem quattuor uocibus primis suus ornatus ad augendum despicatum spectans ex iterato sibilo, ut apud Prop. II 9, 1 *iste quod est ego saepe fui*: Dionys. Hal. d. comp. u. 14 *ἄχαρι δὲ καὶ ἄηδες τὸ σ καί, εἰ πλεονάσειε, σφόδρα λυπεῖ.* 'nil ... audit', scil. quae uxor agit, pendent ex 'stupor': qui nil sapit nec sentit, 'stupidus' dicitur. — **22. ipse qui sit, utrum sit an non sit, id quoque nescit.** saepius sic describunt *ἀναισθησίαν* siue ex naturali mentis inbecillitate siue ex consternatione ortam, philosophi etiam in hominibus de se non cogitantibus: Eurip. Bacch. 506 *οὐκ οἶσθ' ὅτι ζῇς οὐδ' ὁρᾷς οὐθ' ὅστις εἶ*, Plaut. Aul. IV 9, 3 *equidem quo eam aut qui sim, nequeo cum animo certum inuestigare*, Prop. I 5, 17 *nec poteris qui sis aut ubi nosse miser*, Cic. Acad. I 2 *ut possemus aliquando qui aut ubi essemus agnoscere* (Min. Felix 17, 1), alia. deinde cf. Plaut. Asin. II 4, 59 *sit, non sit, non edepol scio.* uerba 'id q. nescit' habet Lucr. IV 469, casu nimirum. — **23. nunc.** ultimum remedium adhibiturus; sine iusta causa olim erant qui 'hunc' (= talem) mallent. — **pronum.** in modum supra u. 9 descriptum. Ter. Ad. III 2, 18 *et capite pronum in terram statuerem.* — **24. si potest olidum repente exitare ueternum.** his quae insunt uitia sic uulgo remouent, ut auctore PVictorio 'si pote stolidum' et cum Italis 'excitare' scribant. ab hac uoce ut incipiamus, mirifice ea adhibetur, quippe quae id quod ex iacendi statu commouetur exprimat, cum tamen ueternus non sit commouendus, sed expellendus plane; non morbus ipse, sed ei qui marcore torpent excitandi sunt. quod docet Celsus ab IVossio arcessitus cum egregia totius carminis luce. ille enim quod Catulli fuerit consilium aperit III 20, ubi de lethargo et eius curatione agit, scribens *hos aegros quidam subinde excitare nituntur admotis .. iis, quae odore foedo mouent*; adde ibid. IV 27 *ex iis, quae foedioris esse odoris retuli, quod mulierem excitet.* Plinium demum decuit contorte loqui de nasturtio *torporem excitante* h. n. XIX 155. quorum locorum intempestiue memor erat Italus ille, qui hic e coniectura restituit 'excitare', quod nonnulli, propterea quod homo curandus huius enuntiati esset subiectum (cf. u. sq.), ita artificiosissime defendere studebant, ut explicarent 'excitare se a ueterno'. ceterum sententiam Catulli etiam monachi bene perspexerunt illud 'oli-

dum' reponentes; sed eidem obliti sunt nec 'olidum' designare foedum odorem nec indicatiuo hic esse locum. recte diuisis litterulis 'potę stolidum' correxit Victorius: (experturus), si possit ille. de omissa ante 'si' experiendi notione cf. Kuehnerus gr. l. II p. 946; et de 'pote', in quo saepius uerbum auxiliare (ut hic 'sit') omittitur (XLV 5, LXVII 11, LXXVI 16), idem I p. 359 et Neuius d. f. l. II² p. 98. 'potē' ante 'st', ad IV 9. 'stol. uet.', inmobilem illum torporem et somnulentiam; 'stolidus' explicat Corssenus de pronunt. II² p. 155 sq. restat iam 'exitare', sub quo latere puto id quod unice huic loco conuenit quodque mentem poetae manifestat: 'repente ec fetore'. nam 'derelinquere' ex u. sq. huc quoque arcessendum est. de scriptura 'fetor' cf. Lachm. ad Lucr. p. 271; nec spondeus in primo uersus Pherecratei pede scrupulum mouet, cf. supra 19 et 20. — **25. et supinum animum in graui derelinquere caeno.** a corporis semper iacentis statu 'supinus' primus, quantum uidetur, noster transtulit ad animum (postea saepius sic loquebantur, ut Quint. X 2, 17 *oratores otiosi et supini*). 'derelinquere', ultro ac sponte relinquere, scil. dum in uita seruanda fugiendoque odore foedo totus est, lubenter pigritiem abiciens; notae sunt ex ictorum sermone 'res derelictae' (Reinius libri 'das Privatrecht d. Roemer' p. 275). Ellisius cp. Gargil. Martial. de persicis 10 (Mai auct. class. I p. 401) *hodieque nonnulli iumentorum solias in itinere derelictas pro remedio truncis ramisue suspendunt.* 'graui' crasso (ut *limus grauis* Lucr. V 496) et deprimente uestigia inmersorum. — **26. ferream ut soleam.** scil. derelinquit. de solea cf. Richius lex. antiqq. s. u. — **tenaci in uoragine.** in uiae lacuna abrupta lutosaque, ex qua pedes extricare difficillimum est. Curt. VIII 14, 4 *propemodum inmobiles currus inluuie ac uoraginibus haerebant*, Tac. ann. I 63 *cetera limosa, tenacia graui caeno.*

Hoc carmen quando sit scriptum aeque ignoratur quam illud, quisnam fuerit Catulli iste municeps (sine ulla probabilitatis specie Westphalius putauit puellam seni nuptam esse. Aufilenam ex cc. C, CX et CXI notam); nec scire magnopere laborat is qui ex intimo animo ridet gaudetque uersiculis, in quibus cum artis metricae perfectione summa felicissime coniuncta lasciuissima uerborum sensuumque hilaritate simul oppiduli uana elatio et hominis Veronensis inexpugnabilis pigritia castigatur cum lepidissima inrisione.

(XVIII—) XXI.

1, 2, 3. Aureli, pater esuritionum, non harum modo, sed quot aut fuerunt aut sunt aut aliis erunt in annis. pater ut est auctor (Plat. symp. 177 d *πατὴρ τοῦ λόγου*), sic reuerentiae significatione cum eadem, qua non solum deos (cf. Marspiter, Iuppiter) sed etiam homines ('pater Aeneas') 'patres' uocabant, is qui conuiuium exhibuit 'pater cenae' appellabatur; cf. Hor. sat. II 8, 7. hoc ita uulgo putant inuersum a poeta, ut Aurelium famelicum uocaret patrem esuritionum, quippe

cuius in cenis fame creparent malae conuiuis quique nil his exhiberet nisi esuritionem. quam explicationem peruertunt plane uerba proxima: quomodo Aurelius cenarum, quae famem meram exhibent, aut olim factarum aut futurarum dominus esse potest? porro (ut mittam Mart. XII 53, 10 a Munrone, qui attulit, non intellectum) Vulpius in partes uocauit Plaut. Stich. 1 3, 1 *famem ego fuisse suspicor matrem mihi: nam postquam natus sum, satur numquam fui*: qui locus fortasse aliquid ualeret, si Aurelio fuisset grex liberorum fame pereuntium; quod ut per se plane est inprobabile, ita nec ipsum quadrat in ea quae secuntur. in quibus habemus loquendi genus ualde adamatum inde ab Homero, qui Il. I 70 *τά τ' ἐόντα τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα* coniungit (et ex Graecis alii cpp. Xenoph. symp. II 10, Plat. Tim. 38 A et C, Menand. fragm. inc. 12 M., alia; cf. et Hemsterh. ad Lucian. somn. § 10): Verg. G. IV 393 *quae sint, quae fuerint, quae mox uentura*, Ouid. met. I 517 *quod eritque fuitque estque*; cf. et Plaut. Pers. V 2, 1 et Bacch. V 1, 1, Lucr. V 1135, Cic. ad fam. XI 21, 1 *homini nequissimo omnium qui sunt, qui fuerunt, qui futuri sunt*; nec dissimiliter Anth. lat. 101, 9 [PLM. IV p. 99] *hoc iuuit, iuuat et diu iuuabit*, Anth. l. Mey. 1315, 57 *sed tamen felix, tua quia sum fuique postque mortem mox ero*. quamquam cum 'harum' ad praesentiam spectet, perquam superflue iterum adicitur 'aut sunt', pro quo Handius [obss. p. 71] flagitauit 'posthac' secundum XXIV 1 sqq. *o qui flosculus et Iuuentiorum, non horum modo sed q. a. f. aut posthac aliis e. in annis* (de 'in', quod ualet 'per', cf. Kuehnerus gr. l. II p. 265). et cur C. in eadem formula tam foede a se desciuisse ipso putetur? unde nunc Handio adstipulor. est autem hoc documentum, quam atrocibus uitiis poetae nostri textus sit inquinatus, ut iam maiore cum fiducia accingar ad menda non minora, sed tam facili remedio carentia aperienda. etenim quod iam XXIV 1 sqq. demonstrauit tibi, lector cordate, id plane confirmat alter locus consimilis XLIX 1 sqq.: non potest 'esuritio' non esse abstractum, quod uocant, pro concreto: ut XVII 21 'stupor' hominem stupidum, sic hic 'esuritiones' designat esuritores; et apte Ellisius cp. Poseidippi uerba [fragm. com. graec. Mein. IV p. 521] *κυμινοπρίστας πάντας ἢ λίμους καλῶν.* sed omnium esuritorum, qui sunt fuerunt erunt, 'pater', quomodo Aurelius audit? iterum qua fere notione sit opus ostendunt XXIV 1 et XLIX 1, nimirum 'princeps'. hanc uero notionem qua sana quidem interpretatione uoci 'pater' subesse dicam, non habeo. immo in eam quoque deprauationis crimen esse intendendum, manifestum reddit disquisitio de toto carmine facta. et in hac quidem uiam nobis praemuniuit Westphalius. Aurelium dicunt esse eum, ad quem missum est c. XV: nempe minas ibi a poeta prolatas non pili facientem illum pueri amorem sibi conciliare studuisse; mutato igitur consilio poetam nunc riualem suum risui dare, a paupertate hominis materiam opprobriorum petendo. uerum enim uero in orbe carminum ad Iuuentium pertinentium Aurelius, postquam in initio una cum Furio Catullum inpugnauit, mox oculis nostris subtrahitur (fortasse ipsis poetae

uersibus [XV] acerbissimis deterritus): remanet riualis unus, sed idem grauissimus et tandem uictor Furius. et hunc Furium C. in c. XXIII ut famelicum atque esuritorem exagitat: mirum foret, si eodem ille artificio inpugnasset Aurelium, et mirum eo magis, quod in c. XV (ubi hoc quoque apte in partes uocari potuit) nihil de Aurelii inopia summa legimus. optimo igitur iure Westphalius [p. 210 sqq.] nostrum carmen non ad Aurelium, sed ad Furium datum esse conclusit; idemque, cum artiore uinculo c. XXIV cum nostro cohaerere perspiceret, in huius initio unum uersum intercidisse putauit, ex. gr. proponens: ⟨'o qui pessimus es mali sodalis⟩ Aureli, pater esuritionum'. nec tamen sic eam concinnitatem, quam inter c. XXIV et nostrum intercedere uoluit, effecit: male huius quattuor in initio uersus respondent illius tribus. praeterea autem (quod maioris est momenti) non remouetur sic ille 'pater' ineptissimus. ego ex ipso 'Aureli' elicio 'Furei', siue omissa littera initialis ipsaque uocatiui forma prisca (XXIII 1) causa fuit mendi siue monachus ex carminibus prioribus Aurelium eique intentam poenam terribilem melius memoria tenens hunc de suo intulit. hoc autem uitio semel admisso consentanea erat uoculae proxime sequentis utpote metro iam repugnantis inmutatio; et decet illud 'pater' sane correctorem monachalem. ipsam tamen poetae manum in tali rerum statu uelle eruere, desperandum est; sensui fere conuenit 'Furei, praecipua esuritionum'; expectatur enim aliquid, quod respondeat illi 'flosculus' XXIV 1. nam utrumque carmen simul transmissum esse probabile est: nostrum ad Furium deterrendum, XXIV ad Iuuentium a Furio abalienandum. ceterum male uoluit Bergkius 'essuritionum' (ut et postea); nam ut 10 O et XXIII 14 V simplicem 's' agnoscunt, ita hanc (non 'ss') in 'x' abiisse (ut alibi haud raro) docet u. 5 'exiocaris'. — **4. pedicare cupis meos amores.** nude rem turpem suo uocabulo designat C. contemptim. 'm. a.', puerum Iuuentium (cf. XV 1). — **5. nec clam: nam simul es, iocaris una.** nec tacito pectore cupis, sed uotum manifestas uersando semper cum puero (L 13, Hor. epist. I 10, 50 *excepto quod non simul esses, cetera laetus*) et cum eo ludendo. nec enim 'simul esse' hic utitur sensu uenereo (Priap. 14, 3 *et si nocte fuit puella tecum*), ut nonnulli uoluere; nec 'es' aequat 'edis', ut persuasit sibi IVossius. — **6. haerens ad latus omnia experiris.** eodem Vossio auctore multi legunt 'haeres' sine idonea causa. notione enim 'simul' iam satis superque expressa nunc priora complectens poeta, quid per illum adsiduum comitatum sibi uelit famelicus, indicat: dum perpetuus es eius comes, omnes machinas ad captandum puerum admoues. nec enim 'omnia', ut dicit Ellisius, ad tria priora cola pertinet, sed formulae instar coalescit cum 'experiri': ualet 'o. exp.' nil inexpertum relinquere, quod ad optinendum faciat propositum: Caes. b. c. II 31 *omnia prius experienda arbitror,* Cic. ad Att. VII 2, 6 *itaque omnia experiar,* ad fam. VII 23, 4 et XII 15, 3, Liuius IV 44, 10 *omnia expertis patris*, alibi. ceterum quod 'experibis' in V fuit, quam formam male erant qui amplecterentur: nimirum B et R inter se sunt confusae.

'haerere lateri (ad latus) alicuius' uel simpliciter 'alicui haerere' (Hor. od. I 32, 10) sollemnis de adsiduo comite dictio. — **7. frustra** ira felicioris aemuli plenus C. exclamat acerbe (= non optinebis propositum). qui usus uoculae notus est ex Hor. od. III 7, 21 et 13, 6, ubi itidem 'nam' sequitur; eodem modo breuiter 'nec frustra' dicebant. — **7, 8. nam insidias mihi instruentem tangam te prior inrumatione.** reposuit ORibbeckius [Fleckeis. ann. 1862 p. 378] 'struentem' (de uitio cf. Lachm. ad Lucr. p. 231). dixere Romani 'insidias struere' ita ut de parandis siue faciendis cogitarent (= insidiari), contra 'insidias instruere, (cf. Iustin. XXIV 2, 1 et Liu. VI 23, 6) de insidiis iam ante perpensis patrandis siue efficiendis: priorem locutionem hic solam usu uenire, cum res ipsa ostendit (neque enim adsiduus comitatus iam pro insidiis habendus), tum uero additus datiuus, cui in altera dictione uix est locus. 'tangere' Muretus accipit 'percutere' comparans Plaut. Pseud. I 1, 120 *si neminem alium potero, tuum tangam patrem* (= multabo hoc damno); alii rectius uocabulum in re uenerea proprium fuisse adserunt ex locis, quales sunt Hor. sat. I 2, 54 *matronam nullam ego tango* (cf. 'uirgo intacta'); cf. et Priap. 28, 5 *altiora tangam.* ablatiuo igitur 'inrumatione' (quae uox nisi hic non extat) accuratius tangendi modus designatur. ceterum quod V 'irruminatione' (et similiter u. 13) habet: 'in' supra 'ir' olim positum correcturae causa male intellectum insertumque est. 'prior', te mihi insidiantem praeueniens ipse inludam tibi. — **9. atque id si faceres satur tacerem.** ad mirificas nugas nonnulli delapsi sunt. intempestiue enim recordati, saturos maxime ad libidinem esse propensos (XXXII 10; cf. et Mart. I 93, 14 *pedica, Mamuriane, satur*), Catullum faciunt dicentem, se taciturum siue id patienter laturum esse, si aemulus libidine saturi hominis propria inpelleretur. quasi uero ullo pacto noster taciturus esset de insidiis sibi siue a saturo siue a ieiuno intentis! subest potius artificium rhetoricum, quo occasionem opprobrandi riuali paupertatem C. adripit. 'id' uulgo referunt ad u. 5 'simul es .. experiris'; quod quamquam non falsum est, solent tamen Romani eleganter in uocabulo 'facere' omittere demonstratiuum ad priora respiciens: pueris notum est Verg. Aen. IX 427 *adsum qui feci*; cf. praeter alia multa (congessit nonnulla Munro ad Lucr. IV 1112) Mart. XII 63, 8 *ferrem, si faceret bonus poeta.* ortum est autem 'id' ex coniectura: V 'atque ipsi' praebet. mouit olim uox 'atque' dubitationem doctis 'atqui' reponentibus. notum est 'atque' in initio noui enuntiati apud comicos maxime significatione attingere interdum illud 'atqui', ita tamen ut accurate inspicienti appareat discrimen; cf. omnino Handius Turs. I p. 487 sqq., qui recte uim aduersatiuam a uoce illa alienam esse demonstrat. desiderat noster locus hoc fere: sed tamen, quidquid agis, non hercle uerbum facerem de ea re, si —. uere igitur restituerunt 'atqui' siue priscum 'atquei' (fortasse 'at quei' praestare ostendam ad XXIII 12). quod ego tamen sic recuperandum censeo, ut pro 'atque ipsi' legam 'atquei si': ubi semel 'i' solito in forma illa prisca uitio

adhaesit sequenti uoculae, ex 'isi' librarii fecerunt 'ipsi'. — **10. nunc ipsum id doleo.** in hoc rerum statu, cum tu non satur facias; saepe sic 'nunc' adhibetur, ubi enuntiato condicionem ficticiam continenti opponitur id quod uerum est; cf. (XXXIX 17) LXXXIII 4 et Fabri ad Sall. Iug. 14, 17. 'ipsum id' fortius per anastrophen dictum pro solito 'id ipsum' (cf. Ter. Ad. IV 4, 19): hoc unum solumque (omissa pedicatione) poeta aperta simulatione aegre fert, quod artiore uinculo cum famelico iunctus puer in eius contubernio et ipse laborabit inopia summa. — **11. esurire meme puer et sitire discet.** iocum petitum putat Vulpius ex more illo, quo conuiuatores non solum 'patres', sed etiam 'magistri cenae' uocabantur (Cic. ad fam. IX 16, 7). qui iocus non solum integer manet, sed etiam apertior fit in nostra coniectura, siquidem a uiris in suo genere praecipuis discitur optime. 'meme' miserrime corrupto qui succurrerent, multi extitere. sed ex commentis aut languore laborantibus (Scaligeri 'ah me me', Faerni 'uae meus', Statii 'me meus', Meleagri 'meus mi') aut nimis litteras neglegentibus, quamquam a sententia potioribus (Huschkii 'ieiunus', Handii 'mellitus', mei ipsius 'tenellus'), nullum ad certae emendationis nomen honoremque adspirare potest. fortasse uerum est quod Froehlichius repperit 'a temet' (AT in M facile abiit). — **12. quare desine, dum licet pudico.** cum ergo (cf. ad Corn. 8) nullo pacto feram, tuum famelici catamitum fieri puerum meum, ultro ab eo desiste, quamdiu potes nondum pathicus a me factus (ad XV 5). Prop. I 19, 25 *quare, dum licet,* Hor. sat. I 2, 77 *quare, ne paeniteat te, desine matronas sectarier*; Mart. I 41, 14. — **13. nei finem facias, sed inrumatus.** 'nei' prisce pro 'ne'. oppositio inter hoc 'finem facias' et prius 'desine' nulla est, siquidem faciendi uerbo semper agendi significatio inest (nec scio, quoi bono subintellegendum dicant 'tandem'), cum contra patiendi notionem omnia flagitent: ne finis tibi inponatur. et 'desine' oppositum ut iam Catullus se inferat finem facturum paene postulat. nimirum in hac lectione genuina 'ne finem faciam, sed inrumans te', postquam 'faciã' ob 's' sequentem (ut millies est factum) in 'facias' abiit, tracta est serpente uitio uox postrema. 'sed' cum breuiloquentia forti, ut Cic. Brut. 70, 247 *perfectus litteris, sed Graecis*; qui usus postea magis increbuit (cf. Stat. silu. V 5, 42 *fomentaque quaero uulneribus, sed summa, meis*, Min. Fel. 12, 6 *misericordia digni, sed nostrorum deorum*); hic conexus fere supplendum innuit 'sed non ita ut tibi gratum erit, uerum inrumando, h. e. ludificando te cum multo risu'.

XXII.

1. Suffenus iste, Vare, quem probe nosti. in hoc carmine dato, ut uidetur, ad eundem Varum, quem ex c. X nouimus, agitur de Suffeno, pessimo illo poeta, quocum notitiam iam contraximus c. XIV 19. 'probe', bene, sermonis magis familiaris proprium, quod post comicos (*probe intellegere* Ter. Eum. IV 6, 30) etiam Cicero aliquotiens adhibet (*probe dicis* Brut. 41, 151, *probe scirem* ad fam. II 12, 2), nec non posteriores

(ut Apul. d. d. Socr. 12 *probe callet*). 'iste', ut XVII 21. — **2. homo est uenustus et dicax et urbanus.** nota est urbanitatis (cf. Bernhardy, hist. litt. rom. p. 235[4], OIahnius ad Cic. Brut. 46, 171) definitio Quintilianea [VI 3, 17] *nam et urbanitas dicitur, qua quidem significari uideo sermonem praeferentem in uerbis et sono et usu proprium quendam gustum urbis et sumptam ex conuersatione doctorum tacitam eruditionem, denique cui contraria sit rusticitas. uenustum esse, quod cum gratia quadam et uenere dicatur, apparet* (cf. supra ad III 2) et ibid. 21 *dicacitas .. significat sermonem cum risu aliquos incessentem.* — **3. idemque longe plurimos facit uersus.** 'idemque' (ut et 'idem', cf. 14 et 15), et simul, et ab altera parte (rursus), alterum membrum firmius fulcit; cf. XXV 4 et Kuehnerus gr. l. II 458 sq. 'longe' cum superlatiuo iungere loco illius 'multo' ut raro sibi indulserunt priores (Plaut. Most. III 3, 8 et Enn. ann. 94 V.), ita maxime adamauit Cicero; cf. EWoelfflinus libelli 'lat. u. roman. Comparation' p. 38. omnium poetarum fertilissimus erat Suffenus. — **4. puto esse ego illi milia aut decem aut plura perscripta.** neglegentiam, qua obiter haec iacit poeta ('puto ego'), foede deserit illud mirifice ineptum 'aut decem milia aut plura', cuius equidem defendendi nullam reperio uiam. duae enim notiones per 'aut .. aut' ita disiunguntur, ut aut alterum ab altero excludatur ('aut uiuam aut moriar') aut tertium ('aut prodesse uolunt aut delectare poetae') aut denique prior notio efferatur prae altera ('aut nihil aut paulo' = aut certe paulo). quorum generum (cf. Kuehnerus gr. l. II p. 707 sq.) cum nullum hic sit aptum, Munronis autem defensio, nimirum alterum 'aut' ualere 'aut etiam', propterea nauci non sit facienda quod numquam 'aut .. aut' pro 'aut .. aut etiam' (Kuehnerus l. l. p. 709) ponitur — nam locus ab eodem adlatus Cic. Phil. XIII 1, 2 *si aut ciuis aut homo habendus sit* cadit in genus secundum —: meo me iure persistere puto in ea sententia, qua haec uerba maculam contraxisse olim significaui, persistere etiam in emendatione proposita 'milia ad decem aut plura', qua nil pulcrius eique quam adesse dixi neglegentiae conuenientius fingi posse sentio. numerum enim accuratum ponere si aut noluerunt aut nequierunt, adumbrantes in uniuersum 'ad' adhibebant, ut Caes. b. g. II 33, 5 *occisis ad hominum milibus quattuor*; cf. Handius Turs. I p. 102 sq. nam simplex 'aut' haud raro ualere 'aut etiam', uix est quod moneam. saepe autem in codd. 'ad' et 'aut' confusa; cf. Fleckeis. ann. 1872 p. 624. 'illi', ut IV 23. 'milia', uersuum. 'perscripta', in cartas coniecta, ut Hor. sat. I 4, 54 *uersum puris perscribere uerbis,* Tac. a. I 11 *cuncta sua manu perscripserat* (germanice 'niederschreiben'). — **5. nec sic, ut fit, in palimpsesto relata.** 'ut fit', ut plerumque facimus, locutio maxime usitata (cf. ex. gr. Drakenb. ad Liu. IV 52, 4), non recipit 'sic' aliis uoculis nullis intercedentibus ('sic te diligo ut fratrem'); quodsi alii scribunt 'sicut', dicebant quidem 'sicut solent', sed huius 'sicut fit' non memini me reperire exemplum; et usus in talibus formulis quoque regnat, cui non ex arbitrio nostro leges sunt

inponendae. nam neglegentiae, quam sane 'sic' interdum exprimit, hic iam non esse locum mox uidebimus. nec bene, si quid sentio, haec uerba etiam pendent a 'puto': derecta iam oratione est opus, in cuius initio non facile (ut mox in enumeratione) abesse potest uerbum finitum (supra p. 49). V habet 'sit', quod ex mala sequentis 'fit' adsimilatione ex 'sūt' ortum puto: 'nec sunt, ut fit, .. relata'. est autem 'palimpsestus', ut docet etymon, membrana*), in qua quae scripta erant iterum sunt abrasa ad alias litteras recipiendas; porro sensu latiore dicitur omnino membrana, quae iterum abradi potest. id quaeritur, quisnam illius usus hic fingatur. membranis utebantur scriptores, quae exciperent primos mentis instinctae parientisque fetus: patiebantur illae limam, qua in iustam hos formam redigebant auctores; dicebantur hae membranae (Hor. sat. II 3, 2 et a. p. 388 sq.) etiam 'pugillares' (XLII 5, Mart. XIV 7) siue 'codicilli' (XLII 11). de his non posse cogitari, ultro apparet. nam ne pugillaribus quidem Suffenum usum esse, sed 'stantem pede in uno' dictasse carmina sua, quae statim a scribis excipientibus in papyros transferrentur, id uero per se oppido inprobabile est; immo quoniam 'perscripta' optime ad pugillaria refertur, id quod progressum quendam denotat 'relata' interpretabimur de transcriptis in noua exemplaria poematis (germanicum 'reinschrift'). ut hoc statim hic addam: tam constanti usu 'referre in' cum accusatiuo iungitur (Macr. VII 15, 2 *in libros retulisse,* Cic. Phil. I 8, 19 *siquid memoriae causa rettullit in libellum,* Cic. p. Rosc. Com. 1 sqq. *in codicem referre*, similia multa), ut ablatiuus 'palimpsesto' nequeat ferri. pro quo Heinsius uoluit 'palimpsestum' (male Lachm. 'palimpseston', contra Catulli usum graecum exitum restituens in uoce dudum a Romanis recepta); ego leniore multo medela restitui 'palimpsestos' pluralem, quem oppositum 'cartae' fere flagitat. male enim nonnulli ipsum 'relata' attrectabant (Froehlichius 'notata', Heysius 'relicta' proposuere, ut mittam Birtium, coniectatorem infelicissimum). ad propositum ut redeam, transcribebantur in noua exemplaria Suffeni poemata nimirum edenda. 'at' inquies 'emittebantur scripta ad editionem matura non in libris membranaceis, sed cartaceis'. fatendum est, nos de re libraria, maxime ea quae ante Augusti aeuum erat, tam pauca scire, ut certi aliquid statuere non liceat. quae res tota etiam post Birtii multa confuse turbantis potius quam enucleantis librum 'das antike Buchwesen' (Berol. 1882), unde pendet Marquardtus antiqq. priu. II² p. 777 sqq., denuo tractari meretur. fuisse illo tempore et iam antea praeter Atticum biblio-

---

*) male putant cartam papyraceam quoque interdum pro palimpsesto fuisse; uetabat hoc nimirum ipsa papyri natura. cartas iam inutiles ita nimirum haud raro adhibebant, ut in parte auersa scriberent (cf. et XCV 8). in loco etiam Cic. ad fam. VII 18, 2 *nam quod in palimpsesto, laudo equidem parsimoniam, sed miror quid in illa cartula fuerit, quod delere malueris* de membrana est cogitandum non obstante illo 'cartula', cuius latius patet usus.

polas, pro certo potest haberi; quos concludere pronum est non cuiusuis, sed probatorum tantum scriptorum opera delectu facto edenda suscepisse. quamquam nec illos a membranis omnino abstinuisse putauerim, quae non uno nomine se commendarent. nam paginae codicum membranaceorum cum multo plura reciperent quam papyrorum, in magnis potissimum operibus paruo pretio uendundis (cf. Mart. XIV) adhibebantur membranae commodissime; ut et in eis scriptis, quae in publicum emittere periculosae plenum opus aleae erat: si euentus non respondebat expectationi bibliopolae, membranae siue palimpsesti multo minore cum damno quam cartae denuo in usum adhiberi potuere. quidquid id est, ne hoc quidem constat, num Catullus loquatur de Suffeni carminum editione per bibliopolam aliquem facta; immo ab auctore ipso sua emissa esse, totus locus mihi uidetur innuere. iam scriptores singillatim in publicum mittentes carmina maxime minora (nam nec de genere poeseos Suffenianae quidquam constat) membranis usos esse, mihi persuasi; ueluti Catulli ipsius haec poematia, antequam in unum collecta magnifice ederentur in cartis (cf. ad Cornel. 1 sq.), in palimpsestis descripta in notitiam ut Lesbiae amicorumque, ita (ex parte saltim) complurium peruenisse putauerim. nihil enim obstat, quominus ea quoque opuscula, quae a certis bibliopolis non edebantur, tamen (ipsis auctoribus exemplaria concedentibus) in tabernis librariorum aere comparari potuisse credamus. et hoc modo in c. XIV uidimus tot poetarum poematia in unum libellum coartata esse. Suffenus igitur, quae suis sumptibus (ut nostro recentium modo loquar) emisit, non simpliciter, ut alii fere omnes, sed splendidissime emisit; id quod per asyndeton aduersatiuum persecuntur proxima: — **6, 7, 8. cartae regiae noue libri, noui umbilici, lora rubra membranae, derecta plumbo et pumice omnia aequata.** optimum papyri genus erat carta regia tenuitate insignis, etiam 'hieratica' et post 'Augusta' uocitata: *χάρτην λεπτότατον τῶν βασιλικῶν καλουμένων* dicit Hero *περὶ αὐτομ.* p. 269 ab IVossio citatus; cf. et Plin. h. n. XIII 74 et 78, ubi illi maximam latitudinem fuisse refertur, nimirum XIII digitorum. quae cartae regiae ut ex contrario palimpsestis positae sunt ita formam indicant maximam librorum siue uoluminum (Isidor. origg. VI 13 *liber unius uoluminis … uolumen liber est a uoluendo dictus*); qui libri ipsi sunt praeterea 'noui', recens ex Alexandrinorum officinis aduecti (cf. ad Cornel. 1), nihil dum situs atque putredinis passi. 'noue' habet **V** ex praecedentis 'regie' adsimilatione (quamquam etiam priscae formae 'nouei' uestigium adesse potest); male nuper extitit qui 'c. r. nouae libri' coniungeret, quo et oppositio cartarum membranarumque et iustus progressus simul pereunt. 'umbilicus' est bacillus siue cylindrus, circa quem uoluebantur libri et cuius fines ex uolumine paululum extantes ornabantur bullis siue cornibus saepe pictis (cf. Richius lex. antiqq. s. u.); Stat. silu. IV 9, 8 *binis decoratus umbilicis.* 'lora' intellegunt de corrigiis, quibus uolumen constrictum sit. sed quamquam scimus complura uolumina in

fasciculum conligata esse (cf. ex. gr. Richius l. l. s. u. 'uolumen'), tamen de singulorum uinculis nil constat. neque lora possunt indicare titulum (indicem, membranulam: Birtius l. l. p. 66). sed his ueniet lux ex sequentibus, in quibus uulgo auctore Auantio traditum 'membrane' mutant in 'membrana' ita iungentes 'membrana derecta plumbo'. nam plumbum accipientes *μόλυβδον* (cf. Salmas. ad Solin. p. 644, Iacobsius ad Anth. lat. III 3 p. 375) sic statuebant, in paginis 'uersus ad lineas plumbo signatas uno eodemque ordine atque interuallo scriptos et exactos' esse, obliti nimirum, de papyris hic agi (unde correcturam 'membrana' falsam esse apparet) et tantum de externi habitus splendore uerba fieri. certus autem usus est membranae: amiciebantur ea libri elegantiores, ne laederentur; Lygdam. 1, 9 *lutea sed niueum inuoluat membrana libellum*, 'togam purpuream' uocat Mart. X 93, 4. et hanc membranam cum umbilicis coniunctam laudare solebant: Mart. III 2, 9 *pictis luxurieris umbilicis et te purpura delicata uelet* et I 66, 11 *nec umbilicis tectus atque membrana*; quem purpureum colorem etiam indicat Ouid. trist. I 1, 5 *nec te purpurea uelent uaccinia fuco*. et ad hunc colorem cum 'rubra' referre sit pronum, temptandum est num 'lora' iam plane deprauationis conuictum apte possit remoueri (nam Birtii conamen 'coria' refutatione non indiget). conieci 'lana rubra membranae', h. e., membrana in parte exteriore habet lanam fuco inbutam; cf. interpp. ad Pers. 3, 10 *et bicolor positis membrana capillis*. in proximis 'derecta' AStatio debetur: 'detecta' V exhibet sine sensu (de scriptura 'derigere' cf. Lachm. ad Lucr. p. 247 et nos ad Tacit. dial. p. 54). sed uerba 'derecta plumbo' iam aliter atque uulgo est factum interpretanda refero ad commune cum reliquis subiectum 'omnia', quae accipio de frontibus uel in membrana circumdata maxime conspicuis (harum niueus color a Lygdamo luteae membranae opponitur). nam, ut suspicor, has cartarum summas infimasque partes aequaturi primum in eis plumbo lineas ad regulam ducebant, deinde ad has lineas resecabant margines (haec est circumcisio una cum pumicatione commemorata), denique eas quae uel sic remanebant in frontibus inaequalitates pumice expolibant (cf. ad Cornel. 2). — **9. haec cum legas tu.** 'haec', Suffeni scripta. 'tu' additum est in adlocutione ad Varum, ne ad incertum haec referantur subiectum, id quod in illa coniunctiui forma (cf. Maduigius gr. l. § 370, Draegerus synt. hist. II p. 573 [2]) sane procliue est. 'legas', legere forte uelis, sequente nihilominus ('cum' adaequat hic 'si') utpote in re certa in apodosi 'uidetur': cf. Kuehnerus gr. l. II p. 924 sq. — **bellus ille et urbanus** coniunguntur, ut a Cic. de fin. II 31, 102 *hominis quamuis et belli et urbani* et Plinio epist. IV 25, 3 *in senatu dicax et urbanus et bellus est*. 'bellus' enim ad animum spectans ualet fere 'lepidus', ut Varro sat. Men. 312 B. *omnes uidemur nobis esse belli, festiui, saperdae, cum simus σαπροί* (et saepius hi urbani dicaculi lepidi, 'les beaux esprits', audiunt 'homines belli', Varro sat. Men. fr. 335 B.). — **10. unus caprimulgus aut fossor rursus uidetur.** unus ex numero stupidorum ruricolarum; quorum duae species adferuntur. ad 'capri-

mulgus' pro solito 'caprarius' alibi non occurrens (nam auis est appellatio apud Plin. h. n. X 56, 115) AStatius cp. Callim. h. Dian. 252 *ἱππημολγῶν Κιμμερίων.* 'fossor', agricola maximeque uinitor (Verg. G. II 264 et Hor. od. III 18, 15), itidem contemptim adhibetur Pers. 5, 122 *cum sis cetera fossor.* 'unus' breuiter pro 'unus de' (XXXVII 17) siue 'unus ex numero' ponitur (cf. ex. gr. Ouid. met. VIII 786 *unam Orcada,* fast. V 664 *Pleias una,* epist. Sapph. 162 *Naias una*), saepe etiam cum contemptu, ut Lucil. XV 14 *non ergastylus unus,* Cic. Phil. II 3, 7 *cum uno gladiatore nequissimo* et 27, 67 *fuit animal unum,* Hor. a. p. 32 *faber unus* (germanice 'so irgendein'); alienis admixtis (cf. Klotzius ad Ter. Andr. p. 36) multa congessit Holtzius synt. pr. scr. I p. 412; Munro Wagnerum ad Plaut. Aulul. 563 laudans cp. Arnob. IV 35 *in bubulci unius amplexum.* 'rursus', ex altera parte, contra, ut LXVII 5. — **11. tantum abhorret ac mutat.** 'abh.' non explicuerim 'a se ipso, h. e. sui dissimilis est' (cf. Nep. Att. 14, 1); nam uix hoc ipsum 'a se' abesse potest; sed, ut est uox multiplicis sensus, ualet hic potius 'non respondet expectationi', ut Cic. de orat. II 20, 85 *sin plane abhorrebit et erit absurdus*; quo ex loco minime conligi debuit, esse uocem synonymum illius 'absurdus' (nam apud Liu. XXX 44, 6 ualet 'non aptae', plane ut ib. XXVII 37, 13). 'mutat', se mutat, notissimo usu; cf. Drakenb. ad Liu. III 10, 6 *ut nihil odor mutaret* et cum AStatio Gell. II 23, 7 *quantumque mutare a Menandro Caecilius uisus est* et in uniuersum Haasius ad Reisigii praelectt. p. 292, Kuehnerus gr. l. II p. 67 sqq. — **12. hoc quid putemus esse?** talis differentia quomodo explicanda est? Cic. Phil. XIII 2 *hoc uero quid est?*, Ouid. am. I 2, 1 *esse quid hoc dicam, quod.* XCVII 11. — **modo scurra.** in bonam partem indicat ioculatorem urbanum: Plaut. most. I 1, 14 *tu urbanus uero scurra, deliciae popli, rus mihi tu obiectas* et trin. I 2, 165 *urbani adsidui ciues, quos uocant scurras*, Sen. rhet. p. 17, 22 K. *uenustissimus inter rhetoras scurra,* Phaedr. V 5, 8 *scurra notus urbano sale,* Sen. dial. II 17 *scurram fuisse uenustum ac dicacem.* 'modō' (aduerbium 'o' habet breuem) ex sequenti 'sc' explicatur, ut IV 9. — **13. aut siquid hac re tristius.** Itali 'tritius' scripserunt, recte sentientes 'triste', quod semper in partem deteriorem amarum acerbumque designat (XCIX 14), nullo pacto quadrare in hunc locum, ubi in laudem scurrae aliquid promendum est. sed 'tritius' non minus idoneo sensu caret; et in aliorum coniecturis ('suauius' nesciocuius, 'scitius' LMuelleri, 'tersius' Munronis et mei) neglectum est alterum scripturae uulgatae uitium. nec enim 'hac re' sana ratione referre licet ad 'scurra': Muretum adnotantem 'facete adhibet rei nomen, quasi scurras hominum nomine satis dignos non putet' refutat loci consilium potius ad scurrae honorem tendens. quod perspiciens Scaliger 'hoc retritius' uoluit nihilo felicius. tu compara XXIII 13 *corpora sicciora cornu aut siquid magis aridum est* et XLII 13 *lupanar aut si perditius potest quid esse* et LXXXII 1 *oculos aut aliud siquid carius esse potest*: apparebit tibi requiri adiectiui id quod scurrae

maxime est proprium (uelut 'dicax') indicantis comparatiuum, qui ita sit reponendus, ut 'hac re' eliminetur simulque 'est' (quod apud C. abesse nequit) recuperetur. succurrit hic **O** 'ac retristius' exhibens. unde effeci 'est acutius': acumen, ut est dicacitatis, signum urbanitatis non minimum est: Petron. 21 *o hominem acutum atque urbanitatis uernaculae fontem.* 'est' olim in quodam codice sic supra 'acutius' scriptum erat, ut 'e' contegeret 'ac'; quod pro noto uocis 'acre' compendio acceptum traxit reliquorum deprauationem. — **14. idem infaceto est infacetior rure.** 'idem', cf. supra 3. 'rure', rusticis; ita enim tam ob oppositionem quam ob additum 'infaceto' explicare malo quam conlato XXXVI 19, ubi uide; Plaut. Truc. II 2, 14 *rus merum* (purus rusticus) *hoc quidem est.* sic contra 'urbs' pro hominibus in urbe uersantibus. 'infacetus', insipidus inlepidusque (XLIII 8); errant qui formas 'infac.' et 'infic.' alio modo quam sono atque lubidine (cf. XXXVI 19) differre putant; cf. Ochsnerus Cic. ecl. p. 156 sq., infra ad LXIV 153. de traductione ad IX 10. — **25. simul poemata attigit.** 'simul', simulac, ut LI 6, LXIII 27 et 47; LXIV 31 et 233 et 367, XCIX 7. 'attigit', scribere coepit, ut Cic. or. 13, 41 *praestet omnibus, qui umquam orationes attigerunt* (aliter Nep. Att. 18, 5 *attigit poeticen quoque*). — **neque.** neque tamen. — **16. est beatus.** scil. opinione sua, ut Hor. epist. I 18, 32; ibid. II 2, 107 *ridentur, mala qui componunt carmina; uerum gaudent scribentes et se uenerantur et ultro, si taceas, laudant, quidquid scripsere, beati.* — **17. tam gaudet in se tamque se ipse miratur.** 'in se' non 'tacito pectore' siue 'in sinu' (Prop. II 25, 30), sed 'de se', ut Lucr. III 72 *gaudent in tristi funere fratres,* Prop. II 4, 18 *gaudeat in puero.* Mart. XIII 2, 7 *qui se mirantur*; de hac φιλαυτίᾳ Cic. Tusc. V 22, 63 *in hoc enim genere nescio quo pacto .. suum cuique pulcrum est, adhuc neminem cognoui poetam .. qui sibi non optimus uideretur*; Arist. eth. IV 2 πάντες ἀγαπῶσι μᾶλλον τὰ αὑτῶν ἔργα, ὥσπερ οἱ γονεῖς καὶ οἱ ποιηταί. — **18. nimirum idem omnes fallimur.** proposita in u. 12 quaestio 'h. q. p. e.', postquam u. 12—17 res ipsa accuratius est exposita, nunc soluitur responsione prompta: scilicet eodem errore omnes tenemur, hic error uere est humanus; cf. de 'nimirum' saepius in responsione adhibito Handius Tursell. IV p. 203 sqq. Muretus cp. Hor. a. p. 354 *si peccat idem* (= eundem errorem committit) *librarius*; Kuehnerus gr. l. II p. 212. — **19. Suffenum.** Suffeni similem, alterum S. esse in insano quodam amore; Hor. a. p. 357 *qui multum cessat, fit Choerilus ille,* Vell. Pat. II 18, 1 *Mithridates .. odio in Romanos Hannibal.* — **20. suus cuique attributus est error.** Doeringius cp. Prop. II 22, 17 *unicuique dedit uitium natura creato,* Hor. sat. I 3, 68 *nam uitiis nemo sine nascitur.* cf. Hor. epist. II 2, 140 *mentis gratissimus error* de insano certae rei gaudio. — **21. sed non uidemus, manticae quod in tergo est.** nota fabula Aesopica: Babrius 66, Phaedr. IV 10 *peras inposuit Iuppiter nobis duas: propriis repletam uitiis post tergum dedit, alienis ante pectus suspendit grauem. hac re uidere nostra mala non possumus; alii simul*

delinquunt, censores sumus, Hor. sat. II 3, 299 ibique Porphyrio (testim. uol. I), Pers. 4, 24 *sed praecedenti spectatur mantica tergo*, Sen. de ira II 28 *aliena uitia in oculis habemus, a tergo nostra sunt*; huc etiam illud *in alio peduclum uides, in te ricinum non uides* Petron. 57 similiaque pertinent. de mantica cf. Richius lex. antiqq. s. u. Verg. Aen. IX 274 *campi quod rex habet ipse Latinus* (Kuehnerus gr. l. II p. 315). — explicat autem uersus ultimus finem huius carminis per se sat mirum nec mori Catulliano fere respondentem: lenem secundum apologos Aesopios poeta in responsione sua adsumpsit inrisionem, qua uituperatio unius Suffeni mitigatur transferturque in omnes: uidetur in hoc epistolio sane singulari ille exemplar quoddam graecum nobis ignotum secutus esse.

XXIII.

1. Furei, cui neque seruos est neque arca. summum conuitium, in quo persequendo hoc carmen uersatur, idem iam prima fronte prae se fert (et repetitur hoc conuitium c. XXIV): nullum habere seruum, extremae inopiae erat opprobrium apertissimum. iam AStatius cp. Lucil. VI 16 M. *cui neque iumentum est nec seruos nec comes ullus*; Sen. de const. 3 *cum pauperem negatis esse sapientem, non negatis solere illi et seruum et tectum et cibum deesse.* nec minus arca nummaria (ferrata: Marquardtus antiqq. priu. p. 657 [2]) inrisioni obnoxia (Titin. 178 R. *quid habes nisi unam arcam sine claui? eo condis sucerdas*); eam nullam omnino esse homini numquam quidquam in ea condituro, sane acerbissime obicitur. casu hic salua euasit forma prisca uocatiui 'Furei' (ut et leni cum damno — 'seruo' V — nominatiuus 'seruos'); cf. ad XXI 1; 'Furi' XI 1 et XVI 2 librarii nimirum correxerunt medio aeuo. — **2. nec cimex neque araneus neque ignis.** bene Muretus: 'facete, ut omnia deesse dicat, ea quoque deesse dicit, quae usum nullum habent quaeque non habere potius quilibet quam habere praeoptet sibi'. et cimex quo spectet, aperit Mart. XI 32 *nec toga nec focus est nec tritus cimice lectus* (ibid. 56, 5); araneus autem pauperiei et solitudinis indicium est (XIII 8, LXVIII^{b} 9); in uita denique paupere hoc saltim sibi optat Tib. I 1, 6 *assiduo luceat igne focus*; Alexis in Meinekii fragm. Com. III 465 οὐκ ἔχων δὲ τυγχάνω οὐ βόλβον, οὐ πῦρ, οὐ κύμινον, οὐχ ἅλας. ut hunc ignem extinctum, ita cimicem et araneam propterea quod in Furii domo unde uiuant non reperiant ei deesse tibi fingere posses, nisi probabilius esset, multo salsius Furium cum suis nullam omnino domum habere dici (cf. ad u. 14). — **3. uerum est et pater et nouerca.** contra possides ('est' efferas) bona magna, parentes scil. aeque inopes. num hunc u. respexerit Verg. ecl. 3, 33 (ut uoluit Vulpius), dubito. — **4. silicem comesse.** durissima quaeque frangere: adeo illis esuritione uigent ualentque dentes acuti; non licet, opinor, cogitare de duro, quem edunt illi, pane. de 'comesse' cf. Neuius d. f. l. II p. 604. — **5. est pulcre tibi cum tuo parente.** 'est' fortiter praepositum: re uera bene beateque tu et pater tuus uos habetis. Hor. sat. II 8, 18 *quis cenantibus*

una, Fundani, pulcre fuerit tibi (Muretus cp. Cic. d. n. d. I 41, 114 *deum nihil aliud in omni aeternitate nisi 'mihi pulchre est' et 'ego beatus sum' cogitantem*). 'tibi cum (= una cum) t. p.', tibi et parenti, ut LXII 61: est idem quod mox legitur 'bene ualetis omnes'. ceterum in sermone familiari haud raro pronomen possessiuum sine ui praeponi, ex comicis sat notum est. — **6. coniuge lignea.** attributum ad corporis tam exilitatem ariditatemque (Lucr. IV 1161 de puella morbida *neruosa et lignea*, Alexis in Mein. fragm. com. III 473 *ἀκρολίπαροι, τὸ δ' ἄλλο σῶμ' ὑπόξυλον*) quam motus duriores rusticosque (PLM. V p. 105 epigr. 31, 2) pertinet. — **7. nec mirum.** in hac uitae cottidianae formula (quam itidem habes LVII 3 et LXIX 7) sollemnis erat illius 'est' omissio, ut in omnibus locutionibus cum 'mirum' compositis, tam apud comicos (cf. interpp. ad Ter. Andr. 755) quam apud alios scriptores; cf. germanicum 'kein Wunder'. adiunguntur autem sequentia aut per 'nam' (Cic. Acad. II 19, 23 *nec mirum; nam numquam* eqs.) aut per asyndeton explicatiuum, ut LVII 3. — **bene ualetis.** cf. Epicurus ap. Diog. Laert. X 1, 131, Hor. sat. II 2, 71 de uictus tenuis utilitate *in primis ualeas bene*. — **8. pulcre concoquitis.** Celsus I 1 *prodest .. bis die potius quam semel cibum capere et semper quam plurimum, dummodo hunc concoquat*; hi famelici cum uix semel capiant cibum sine cruditatis periculo, optime sane digerunt. dicitur 'concoquere' etiam absolute. — **9. non incendia, non graues ruinas.** sequitur illius 'nihil timetis' epexegesis, in qua negationis repetitio sollemnis est. domos aut igne comburi aut (ut *tenui tibicine fultas*, Iuuen. 3, 194) subito lapsu concidere, saepius Romae euenit; unde usitatum est, illa coniungere: Sen. rhet. contr. II 1, 11 *tanta altitudo aedificiorum est tantaeque uiarum angustiae, ut neque aduersus ignem praesidium nec ex ruinis ullam in partem effugium sit* et ibid. 12 *ut anxii et interdiu et nocte ruinam ignemque metuant*, Prop. II 27, 9, Sen. de uit. beat. 26, 2 et de benef. IV 6, 2. — **10. non furta impia, non dolos ueneni.** sic uere Hauptius [opusc. I p. 7] correxit traditum in V 'facta impia', quibus designantur omnia quae contra ius fasque fiunt (cf. XXX 3, Lucr. I 83, Verg. Aen. IV 596, Ouid. f. II 38 et epist. 10, 100, Lygdam. 6, 42). sed haec ut possunt comprehendere incendia (tectis nefarie iniecta), ita necessario in se iam continent ueneficia subdola (Munro cp. Arnob. IV 28 *praecellere in furtorum dolis*), quorum cur peculiaris sequatur mentio sic non apparet. Hauptius cp. Hor. od. I 1, 77 *formidare malos fures, incendia, seruos ne te compilent fugientes* (adde Mart. VI 33, 3) totumque locum sic adumbrat: 'non incendia timent, nihil enim possident, quod igne consumatur; non ruinas, nam uacua domus est, ut, etiamsi corruat, nullum tamen comminuere possit supellectilem; non furta, neque enim ullius rei damnum facere possunt; non ueneficia, nam nihil habent, cuius cupiditate heres aliquis impius flagret'. quamquam maius acumen agnosco, si nullam Furii parentes domum possidere dicuntur. fures, qui sollemni epitheto audiunt 'improbi' et 'mali', hic exaggerans (cf. 'graues ruinas')

11*

poeta uocat 'impios', maxime de seruis cogitans. — **11. non casus alios periculorum.** h. e. casus periculosos. Cic. ad fam. VI 4, 3 *ad omnes casus subitorum periculorum magis obiecti sumus,* Sueton. Claud. 25 *ad arcendos incendiorum casus.* — **12. atqui corpora sicciora cornu .. habetis.** 'atqui', plane ut u. 3 'uerum', rem contrariam una cum confirmatione indicat: ex altera parte certe (Handius Turs. I p. 517). **V** habet 'aut qui' aperto errore ('a' olim supra 'u' extabat); nec rectum est quod AStatius elicuit 'ut qui'; sed potest duce **V** scribi 'at qui', de qua uocis compositione ('qui' particula adfirmatiua ueritatem eorum, quae per 'at' opponuntur, efferens ualet 'hercle') uide Fleckeisenum misc. crit. p. 28 sqq.; nam etiam ceteris locis XXXVII 9 **O** et LXVI 31 **V** habent 'at qui' (XXI 9 et LXVIII^b 101 corruptela 'atque' effecit coalitionem): uidendum est de aliorum scriptorum usu. 'corpora sicca', suco carentia et pumicis instar arida, ob duritatem hinc natam cum cornu comparantur; cf. Priap. 32 (quod totum uide), 14 *lanternae uideor fricare cornu,* Petron. 43 *corneolus fuit, bene aetatem ferebat,* Cic. d. n. d. II 57 *duros et quasi corneolos habent aditus* aures. — **13. aut s. q. m. aridum est.** scil. quam cornu. cf. ad XXII 14. synonyma 'aridus' et 'siccus' saepius iuncta. — **14. sole et frigore et esuritione.** bene Muretus: 'sol exsiccat, frigus contrahit, esuritio extenuat'. Verg. epigr. 9 (11), 45 *pati iam frigora iamque calores*: nonne innuit poeta, sub dio agere solere famelicos illos? Mart. XII 32, 7 *frigore et fame siccus.* — **15. quare non tibi sit bene ac beate?** alibi cum semper consecutiue apud nostrum adhibeatur 'quare', hic et LXXXIX 4 *quare is desinat esse macer?* habetur interrogatiue. 'b. a. b.', XIV 10. — **16. a te sudor abest, abest saliua.** Vulpius cp. Cic. Tusc. V 34, 99 *adde siccitatem, quae consequitur hanc continentiam in uictu, adde integritatem ualetudinis: confer sudantis, ructantis, refertos epulis tamquam opimos boues,* Victorius Antiph. in Meinekii fragm. com. III 133 τοιοῦτος ὁ βίος ἀπύρετος, φλέγμ' οὐκ ἔχων. Varr. logist. Catus fr. 27 R. *eam sunt consecuti corporis siccitatem, ut neque spuerent neque emungerentur sufflatoue corpore essent,* Priap. l. l. 8 *nemo uiderit hanc ut expuentem,* Petron. 44 *nec sudauit umquam nec expuit, puto eum nescio quid asiadis habuisse.* amat C. uocabulum idem repetere loco copulae; cf. supra p. 46 notam. — **17. mucusque et mala pituita nasi.** mucus (μύξα) de quouis umore corporis crassiore (etiam naris) dictus hic, ubi cum saliua iungitur magis, uix alius potest esse quam e pectore eiectus ('Brustschleim'); pituita, et ipsa de quouis umore magis liquido usitata (*pituita oculorum* habet ex. gr. Celsus) ipso addito 'nasi' designatur accuratius (κόρυζα, 'Schnupfen'); Cels. IV 5 umor ex capite *si in nares destillat, tenuis per has pituita profluit.* 'mala', magna et molesta; Hor. epist. I 1, 108 *praecipue sanus, nisi cum pituita molesta est.* — **18. hanc ad munditiem adde mundiorem.** scil. munditiem ('m.', corporis puritas; cf. *munditias facere,* h. e. purgare, Cat. d. r. r. 39); cf. ad LXI 110 (fig. etym.). — **19. culus tibi purior salillo est.** de salino, mensae uel apud pauperrimos decore et ornamento, cf. Marquardtus

antiqq. priu. I p. 309, qui praeter Hor. od. II 16, 14 (ubi uide interpp.) cp. Pers. 3, 26 *purum et sine labe salinum*; et aeque 'sal purus' in prouerbium abiit. 'salillum' (salinulum) ἅπαξ λεγόμενον; nam in Plaut. trin. II 4, 91 alia nunc leguntur. cf. XCVII 3. — **20. nec toto decies cacas in anno.** iunge 'nec decies', h. e., et non decies (Kuehnerus gr. l. II p. 657). fallere mihi uidentur, qui 'decies' in talibus locutionibus (cp. Mart. XII 54, 1 *aegrotas uno deciens aut saepius anno*) ex prisco tempore, quo annus in decem menses erat discriptus, repetunt; agnosco minimum numerum quem aiunt rotundum (conligens ex. gr. Plaut. Stich. 501 *deciens in die mutat locum*), cui sua uis accedat ex opposito 'toto'. 'in anno', per annum ('anno', quotannis), cf. Kuehnerus gr. l. II p. 265. — **21. atque id durius est faba et lapillis.** sunt qui 'id' honeste rem uelare putent (ut 'haec' uel 'ista' atque ipsum 'id' de mentula dicitur, apud Graecos σχῆμα uel πρᾶγμα pro eo est quod est αἰδοῖον); simplicius plerique explicant referentes ad u. priorem 'quod cacas'. Mart. III 82, 2 *faciem durum, Phoebe, cacantis habes.* nota fabarum durities; Ouid. f. IV 734 *durae culmen inane fabae,* Plin. h. n. XVIII 12, 119 *aqua marina aliaue salsa non percoquitur.* IGulielmus maluit 'lupillis', qui cum fabis saepius coniunguntur (ut Plaut. Stich. V 4, 9); sed recte opponunt Aristoph. Ach. 1168 ὁ δὲ λίθον λαβεῖν βουλόμενος ἐν σκότῳ λάβοι τῇ χειρὶ πέλεθον ἀρτίως κεχεσμένον, et salsius sine dubio 'lapillis'. — **22, 23. si manibus teras fricesque, non u. digitum inquinare posses.** 'terere stercus durum' intellego, non item 'fricare'; cui uerbo poliendi magis inest notio hinc abhorrens. talem massam qui terit, in particulas dissoluit: quam penitus sit durum siccumque illud, huiusmodi addito iocose effertur. lego 'friesque'; Lucr. I 888 *glaebis terrarum saepe friatis.* Scribon. comp. 80 *manus medicamento inquinare.* pro 'posses' recte uulgo restituerunt 'possis', nisi quod priscam formam 'posseis' ansam dedisse corruptelae uerum est; male nonnulli accersentes VI 3 et panegyr. Messal. 200 (plane alienum) illud defendunt. — **24. haec tu commoda tam beata.** tam larga lucra (3—23) ex pauperie tibi adfluentia; Prop. II 20, 25 *muneribus beatis.* 'tu' grauiter ad confirmandum additum est, ut XXIV 9. — **25. noli spernere nec putare parui.** LXIX 1. 'nec' in copulando nouo colo, quod a communi negatione pendet; cf. Maduigius opusc. acad. I p. 344 et ad Cic. d. fin. I 9, 30; Holtzius synt. prisc. scr. II p. 325, qui inter alia attulit Plaut. Poen. V 3, 10 *mirari noli neque me contemplarier.* 'parui putare', alibi ut uidetur non lectum, ut *parui pendere* Sall. Cat. 12, 2, *parui ducere* Cic. d. fin. II 8, 24 (Kuehnerus II p. 335). — **26. et sestertia quae soles precari centum desine.** et propterea. 'precari' (cum contemptu: precibus demissis rogare) cum 'soles' (= usque, sine fine precaris) et cum 'desine' iungendum. Furium a Catullo ipso pecuniam illam rogasse mutuam, ultro patet. aliena adferunt ostensuri, centum milia sestertiorum (= 15000 mk.) fuisse summam nec paruam nimis nec magnam (Vulpius cp. Sall. Cat. 31, ubi seruo de rep. merito praeter libertatem sestertia centum dantur). — **27. nam**

sat es beatus. sic uere Itali pro tradito 'satis', in quod saepius 'sat es' abiit. non potest illud 'es' deesse; nec melius Passeratius 'sat is' (ab eundi uerbo) uoluit; sed credi paene nequit, fuisse et qui 'satis beatu's' more Plautino dictum attribuerent Catullo a talibus omnino alieno et qui has nugas acciperent. Hor. od. II 18, 12 *nec potentem amicum largiora flagito, satis beatus unicis Sabinis*; Apul. met. IV 11 *sat beatus.* hic 'beatus' (cf. et X 17) ex commodis beatis supra expositis explicatur, estque hoc 's. e. b.' sane quam acutum, egregie summam faciens totius carminis. — ex hoc fine, in quo Furio saepius iam petitum denegatur, intellegitur consilium carminis, quod scriptum est paulo post c. XXVI: repulsa iam semel lata Furius non desiit centum sestertia mutua petere, per litteras (ut uidetur) iactans rerum suarum in patria (Pisaurensi fortasse) statum beatum et parentes ibi laute largeque uiuentes similiaque, quibus poetae, securo pecuniam posse credi, persuaderetur. sed fallacias hominis mendici molestique bene perspiciens et praeterea propria in aemulum felicem ira incitatus Catullus ei respondit carmine nostro, quod ab acerbitate ex contemptu odioque mixta pauca habet similia non solum apud nostrum, sed in tota Graecorum Romanorumque poesi. neque tam acerba apud Lucilium inuenta esse credo. Furium repetiisse preces suas, parum sane est probabile.

XXIV.

1. O qui flosculus es Iuuentiorum. 'flos' (cf. ἄνθος, ἄωτος) ut alibi de optimo (Plaut. Cas. prol. 13 *flos poetarum,* Enn. a. 309 V. *flos delibatus populi*), ita hic de pulcherrimo dicitur, ut LXIII 64 et C 2; et teneram pulcritudinem exprimit deminutiuum. de Iuuentiorum gente ex Tusculo oriunda cf. Pauly, encyclop. real. IV p. 689 sqq.; ubi quod p. 693 commemoratur, in Veronae quoque uicinia lapides Iuuentiorum nomen continentes esse inuentos (CIL. uol. V complura praebet exempla), dubito num in usum uocare liceat; certe Romam fuisse huius quidem amoris scaenam iam supra p. 38 monui. — **2 et 3:** cf. XXI 2 et 3. — **4. mallem diuitias Midae dedisses.** hanc optimam IVossii emendationem plane confirmauit liber optimus **O**. de Midae, fabulosi illius Phrygiae regis (Prelleri myth. gr. I p. 507 sqq.), opibus, quae in prouerbium abierunt, cf. Val. Max. I 6 ext. 2 *Midas cunctorum paene regum opes abundantia pecuniae antecessit,* paroemiogr. gr. I p. 316, Ouid. met. XI 100 sqq., alia. — **5. isti, quoi neque seruus est neque arca.** apparet nostrum carmen post praecedens XXIII, cuius primus uersus hic repetitur, esse compositum, siquidem necesse est iam hoc notum factum esse Furium, qui tali circumscriptione nunc contemptim indicetur. 'isti', ut LXXXI 3. — **6. quam sic te sineres ab illo amari.** 'sic' eo referendum puto, quod in publico (XXI 5 sq.) nimis patienter indulgenterque Iuuentius tulerat Furii, comitis adsidui, blanditias. Ouid. am. I 3, 3 et III 2, 57 *patiatur amari*, epist. Sapphus 96 *non ut ames oro, nos sed* ('sed quod' codd. meliores) *amare sinas.* ad 'mallem dedisses quam

sineres' cf. Holtzius synt. pr. scr. II p. 167, ubi adfertur Plaut. Bacch. IV 9, 124 *ne ille Ephesi multo mauellem foret, dum saluos esset, quam reuenisset domum.* — **7. 'quid? non est homo bellus?' inquies. est.** similis interrogatio ex mente alterius facta habetur LXXII 2 *qui potis est? inquis.* recepi hic 'quid' ex O, cum ante me legeretur 'qui', h. e. quomodo (Holtzius l. l. I p. 174 sq.); quod hic, ubi nihil praecessit, in cuius modum inquiri potest, minime est aptum. 'quid' est eius, qui cum indignatione stupet aliquid obiectum, ut ex. gr. Caecil. com. 98 R. *quid? mihi non sunt balneae?*, ubi 'non' itidem pro 'nonne' est positum ex more priscae latinitatis (Kuehnerus gr. l. II p. 1001, ASpengelius in progr. Monacensi a. 1869 'die partikel nonne im altlateinischen'); in talibus quaestionibus 'non' ita ponitur, ut responsio adfirmatiua paene extorqueatur; unde illud Catulli negare non ualentis 'est'. uocem multiplicis sensus 'bellus' hic non intellege 'lepidus' (XXII 9) neque uero ita 'qui in elegantiorum circulis uersatur' (cf. anglicum 'gentleman': quam in sententiam AStatius cp. Cic. ad fam. VII 16, 2 et ad Att. I 1, 4) nec sic ut LXXIX 3, sed de corporis formositate, cui gratia quaedam amabilis est admixta (cf. ad LXIX 9). hoc quo aegrius fert et quo minus abicere eleuareque potest Catullus, qui alibi (LXXXI 4) hanc formam cum pallida statua contemptim comparat, eo magis instat exagitandae hominis inuisi inopiae, quippe quod crimen apud Iuuentium ex familia opulenta diuiteque oriundum speret esse haesurum. neque enim, ut Vulpius sibi persuasit, hoc uolt noster, Furium munera non daturum esse τῷ ἐρωμένῳ, sed despicatum istum, quo nobiles contemnebant esuritores inopes, in Iuuentio commouere studet. — **9. quamlubet abice eleuaque.** quantumuis (Phaedr. I 25, 6) sperne (Cic. Tusc. V 18, 51 *extenuantem cetera et abicientem*) et parui aestuma (ut Prop. II 34, 58).

Carmen (post XXIII scriptum) artissime cohaerere uideri cum XXI, ad huius uu. 1—3 adnotaui.

XXV.

1. Cinaede Thalle, mollior cuniculi capillo. de Thallo in diuersa omnia abeunt docti. comparans enim graecum θαλλός Vulpius nomen fictum, quod aetatem uirentem designaret, agnouit; ulterius progressus Schwabius [q. C. p. 149] non solum hunc puellum uiridem et Iuuentium eundem esse putauit (scil. hoc nomen latinum conuersum esse graeco Thalli), sed etiam illo 'Thallus' ad frequentissimum gentis Iuuentiae cognomen 'Talna' adlusum esse. figmentum parum felix inde, quod poemation nostrum inclusum est carminibus ad eundem cyclum pertinentibus, nil quidquam accipit probabilitatis: credere equidem nequeo, poetam aut Iuuentium olim tam carum dilectumque tanto cum despectu contemptuque, quantus in his uersibus apparet, tractasse aut eidem puero nobili minatum esse flagella. eiusdem notae est altera CPSchulzii [de C. Graec. imit. p. 34] suspitio, nomen Θάλλος respondere latino Polionis, significari igitur eundem hominem, quem exagitet c. XII;

praeteruidit nimirum ille, num Asinio ibi commemorato fuerit Polionis cognomen perquam esse dubium, dubias etiam esse temporum rationes. sed ut adiectiuum θαλλός iam pridem (fortasse ex Sicilia aduectum) in linguam latinam esse receptum docet illud 'hirquitallus' apud Festum p. 101 (cf. ibi OMuellerus), ita et nomen proprium 'Thallus' (fortasse Cat. 'Tallus', ut habet V, scripsit) non ita rarum est in litteris latinis (Apul. apol. p. 54 sqq. Krueg., CIL. V 3127, 3467, 3780). praestat igitur inutilibus coniecturis abstinere nihilque de hoc homine uelle scire nisi quae ex uersibus ipsis appareant, scil. fuisse eum furacem, licet fortasse meliore loco natum (cf. ad c. XII). qui 'cinaedus' uocatur solito conuitio (cf. XVI 2, XXIX 5, Sueton. Oct. 68, Verg. epigr. 13 [5], 35 *cinaede Lucei*), quod 'non semper propria significatione esse accipiendum' uere quidem monuit Naekius [Val. Cat. p. 234], quamquam hoc ubique accurate discernere difficillimum est. hic tam inde, quod rapacitas 'commune τῶν πόρνων uitium est' (ut ait Muretus, cf. ex. gr. Hor. epist. I 14, 33 *Cinarae rapaci*), conuitium fluxisse potest uideri quam ex hominis mollitie, quam propriam haberi cinaedorum iam ad XVI 4 adnotaui quaeque saepius comparatur cum plumis uel uillis; hos enim intellege 'capillos', ut Gell. XII 1, 15 loquitur de haedorum *capillo tenuiore,* Symphosius 118 de capra *longo uestita capillo*; Mart. V 37, 2 *agna Galaesi mollior Phalantini* et VIII 64, 8 *uincas mollitie tremente plumas* (Petron. 127 *brachia molliora pluma*). 'cuniculus' uox Hiberica; Varro d. r. r. III 12, 6 *tertii generis est, quod in Hispania nascitur, similis nostro lepori ex parte, sed humile, quem cuniculum appellant*; Plin. h. n. VIII 217, *quos Hispania cuniculos appellat.* — **2. uel anseris medullula.** Priap. 64, 1 *quidam mollior anseris medulla*; deminutiuum praeterea non extat. referunt haec ad plumam, dum auctore IVossio de pennis interioribus et corpori proximis (Plin. h. n. X 53, Mart. XIV 161, 1 sq.) accipiunt, de tautologia securi. mihi in hoc catalogo rerum mollitie diffluentium propter ipsam uarietatem in talibus adamatam cogitandum uidetur de adipe et iecore anserino (Plin. h. n. XI 174, Hor. sat. II 8, 88, Mart. XIII 58, Iuuen. 5, 114), quae multo aptius medullae nomine designari facile concedetur. — **uel imula oricilla.** sic egregie Scaliger pro tradito 'moricilla', cp. Festi p. 182^b M. *orata genus piscis appellatur a colore auri, quod rustici 'orum' dicebant, ut auriculas 'oriculas'*; Petron. 43 *oricularius* (Probi append. p. 198 *auris, non oricla,* Priscian. I 52, Corssenus de pronunt. I p. 656 sqq.). ex hoc 'auricula' iterum deminutiuum formatum est 'auricilla', et cum hoc nouom itidem deminutiuum 'imulus' (cf. Plautinum 'primulus') coniunctum (cf. ad III 18) graphice sane quam maxime depingit mollitiem. Cic. ad Q. fr. II 15, 4 *me .. et esse et fore auricula infuma molliorem,* quae uerba ex recordatione nostri carminis fluxisse statuit Buechelerus [coniect. lat. p. 15 sqq.], ex epistulae illius tempore concludens, libellum Catullianum ante aestatem a. 54 esse emissum. equidem nunc facio cum Scaligero aliisque, qui hoc prouerbium Latinorum fuisse statuunt cp. Amm. Marcell.

XIX 12, 5 *ima quod aiunt auricula mollior.* — **3. uel pene languido senis.** AStatius cp. *senile detritum rutabulum* Naeuii com. 127 R.; cf. et Tib. Priap. 2, 5 *iners senile penis extulit caput*, Maxim. eleg. 5, 36 sqq., Cic. de sen. 8, 26 *languida senectus.* — **situque araneoso.** tela aranearum squalore obruta (ut fit in desertis); Tibull. Priap. 2, 30 *araneosus obsidet forem situs*, Prop. III 6, 33 *putris aranea.* — **4. idemque** XXII 3. — **turbida rapacior procella.** 'rapax' fortius est utpote uim apertam indicans quam 'fur'; Cic. in Pis. 27, 66 *olim furunculus, nunc rapax*, Plaut. Men. V 7, 26 *uos rapaces, nos praedones.* Ouid. a. a. I 388 *rapax per mare uentus agit*, Lucr. VI 376 *tempestasque cietur turbida caelo.* — **5. cum diua mulier aries ostendet ossistantes.** sic **O**; quae G hactenus correxit quod 'ostendit oscitantes' restituit, pro 'aries' exhibens 'alios' cum uariis lectionibus 'aues' et 'aries': ab **O** proficiscendum esse ultro apparet in loco paene conclamato et coniecturarum nube obruto. priores autem cum his uerbis turbidam procellam depingi putarent duce lectione peiore 'aues', illud 'oscitantes' aut acceperunt 'clamantes' aut hoc fieri non posse intellegentes in 'oscinentes' (Faernus Statiusque) uel 'occinentes' (Auantius) mutauerunt; in exordio uero coniecerunt idem Auantius 'diua mater alites' (h. e. Tethys), Scaliger 'de uia mulier aues', BGuarinus 'dira maris hiems aues'. sed peruersa est tota ista ratio, siquidem uerbis 'turbida procella' in solam comparationem additis nunc exponendum erat, ubi se Thalli rapacitas exerceret. Lachmannus igitur aliam uiam ingressus restituit 'munerarios'; quod tamen uocabulum teste Quintil. VII 3, 24 primus adhibuit Augustus (glossae in Mai auct. class. VI 534 *munerarius qui munera dat*, h. e. ludos gladiatorios: Sueton. Dom. 10, Sen. rhet. controu. IV praef., Quint. decl. IX 6); ex quo quem iustum quidem sensum extundas, difficile reperies (ut et ex Hauptiano 'mulierarios' nec a re metrica tuto). 'diuam' autem recentiores accipiunt siue furum deam Lauernam (unde Bergkius 'cum diua muttiens aues') siue Larundam (Placid. p. 60, 25 D. *Larunda, quam quidam uiam dicunt* Schwabius coniecit 'diuam', ego quod probiores testes praebent 'lamiam' uel 'laniam' in 'Maniam' corrigo; ceterum cf. Prellerus myth. Rom. p. 459) siue Angeronam (Plin. h. n. III 65, gloss. Philoxeni: *Angeronia ἡ θεὸς τῆς βουλῆς καὶ καιρῶν*, cf. et Mommsenus CIL. I p. 409) siue denique Murci(d)am (August. d. c. d. IV 16, Arnob. IV 9). quarum cum nulla sane placeat, quid mirum est iterum diuam esse abiectam et coniecisse Boehmium [quaestt. Cat. p. 20] 'conuiua cum mero grauis se ost. oscitantem' porroque (ut incredibilia Munronis inuenta mittam) me ipsum 'cum dira uinulenties o. oscitantes'? attuli commenta memorabilia, neglegam inepta (ut Heysii 'cum luna mulierarios'). nec nunc curae saepius repetitae quod omni a parte placeret mihi suppeditauere, nisi quod de uia ineunda certius constat. quam ostendit uox 'oscitantes', quae non solum ad conuiuas prae uino stertentes referri potest, sed etiam ad eosdem securos: Ter. Andr. I 2, 10 *amoto metu interea oscitantes opprimi*, ubi Donatus *est animi otium*

et securitas .. oscitantes securi uel nihil prouidentes, auct. ad Her. IV 36, 48 *cum etiam maiores* (calamitates) *inpendere uideantur, sedetis et oscitamini*; Gell. IV 20, 8 *in iure stans clare nimis et sonore oscitauit atque inibi ut plecteretur erat, tamquam illud indicium esset .. apertae securitatis.* comparans igitur carminis simillimi XII u. 3 sic interpretor, Thallum inter sodales neglegentiores sibique non cauentes adripuisse, quidquid tollere posset: iocus uinumque (ibid. 2) aperit adulescentium in laetum symposium iunctorum pectora pellitque animo curam se anxie custodiendi. et est haec imago non inlepida, qua Thallus, cum omnia sint dedita securae laetitiae, turbidae instar tempestatis rapere dicitur. hinc unum nunc mihi uideor dispicere, in 'aries' latere 'pares', h. e. aequales (ut Petron. 25 *infans cum paribus inquinata sum*), qua notione omnino opus est. iam quaenam 'diua' in tali compotatione locum habeat utpote securos efficiens si quaerimus, una ea potest esse dea hilaritatis atque laetitiae. eratne Romanis inter turbam illam deorum minorum, quorum saepe mero casu ad nos peruenit notitia, etiam dea quaedam Mulcebris? uideant doctiores. procellae autem respectu ostendendi uerbum adhibitum uidetur; Verg. G. II 261 *ante supinatas aquiloni ostendere* (= exponere) *glaebas*, ubi interpp. plura praebent. — **6. remitte pallium mihi meum quod inuolasti.** pallium erat laenae siue amictus genus tunicae superiniectum (Richius lex. antiqq. s. u. nr. 3), quod uesperi et per noctem uagantibus praesidium in ipso conuiuio reiciebatur; cf. de simili fure Mart. VIII 59, 9 *lapsa nec a cubito subducere pallia nescit et tectus laenis saepe duabus abit.* 'inuolare in aliquam rem (alicui rei)' ubi semel notionem furandi est nactum (male autem a uola substantiuo nonnulli deriuabant: Seru. ad G. II 88 et Aen. III 233, Non. p. 32), ad uerbi 'furari' similitudinem cum datiuo personae et accusatiuo rei est iunctum (ut Petron. 58 *anulos buxeos curare, quos amicae tuae inuolasti*); quamquam discrimen licet saepe obscuratum mansit hoc, quod qui inuolat magis palam est rapax; gramm. lat. Keilii VII p. 525 *inuolat qui in die auertit* ('uenit' cod.), *subripit clam.* per 'mihi meum' poetam fortiter rem propriam reflagitare putant; quam uim minime sentiens auersor numeros posito ante 'quod' commate pessumdatos; unde restitui quod iam in uno libro interpolato legitur 'meum, mihi quod' (de 'quod' traiecto cf. ad Cornel. 9). — **7. sudariumque Saetabum.** XII 14. — **catagraphosque Thynos.** κατάγραφος apud Graecos ualet 'lineamentis notatus atque distinctus' (cf. GHermannus opusc. V p. 214 sq., Teufelius de uoc. singul. p. 12 sq.); et sic apud Plinium, qui solus ex Latinis uoce utitur praeterea, h. n. XXXV 8, 56 *hic* (Cimon) *catagrapha inuenit, hoc est, obliquas imagines* (germanicum 'Profilbild im Umriss'). 'Thynos' (XXXI 5), quae uox necessario pro substantiuo est sumenda, AStatius putauit εἰκονικῶς in sudario fuisse acu pictos, cp. Verg. G. III 25 *purpurea intexti tollant aulaea Britanni* (Iuuen. 8, 168 *inscripta lintea*). cui interpretationi propterea diffido, quod poetam plura diuersique generis sudaria in symposium attulisse credere nequeo. mitto Muretum

'catagraphonque linum' et Scaligerum 'chirographosque Thynos' inprobabiliter conicientes; spreta enim eorum explicatione, qui de anulis obsignatoriis cogitauere (quos oppido inprobabile est in symposio quidem subreptos esse), ex parte cum IVossio facio, qui intellexit pugillares membraneos uario colore tinctos. non curo colores, respicio sola illorum opercula e buxo (quo nobilis erat Bithynia: ad IV 13) facta, quibus uarias figuras breuiter delineatas censeo fuisse insculptas. constat de his libellis buxeis (Prop. III 33, 8); nec quidquam obstat quominus eos uixdum e Bithynia Romam inuectos breuiter 'Thynos' uocatos esse sumamus. nihil autem aptius excogitabis, quod poetam in conuiuium secum attulisse tibi persuadeas (cf. et L) quodque ob pretium, quod recens tum importatis erat summum, allicuerit fures auidos. quamquam et hoc sumere licet, hos libellos ab ipso Catullo ex itinere Bithynico esse reportatos. — **8. inepte, quae palam soles habere tamquam auita.** 'inepte' (uocatiuum metrum ostendit), homo ridicule, ut Turpil. com. 16 R. *ineptus quid mihi uellem ex insolentia nesciebam*: Terrae filium nihil auiti habere posse innuit. 'palam', ante oculos omnium, ut Hor. sat. I 2, 84. 'auita', a maioribus per hereditatem accepta, ut Tib. II 4, 54 *sedes auitas,* Hor. sat. I 6, 78 *auita ex re praeberi sumptus.* — **9. quae nunc tuis ab unguibus reglutina.** ungues, qui furibus auarisque tamquam uolturiis tribuuntur (Prudent. psych. 455 de Auaritia *unca corripuisse manu* et 462 *uelox nam dextra rapinas abradit spoliisque ungues exercet aenos*), siue manus furum glutine uel uisco inlitae finguntur, quo quidquid tangunt adhaereat; Lucil. XXVIII 58 M. *omnia uiscatis manibus leget, omnia sumet*, Rutil. Namat. I 609 de Harpyis *quae pede glutineo quae tetigere trahunt* (cf. et epitheta furum 'trahax' et 'tagax'). 'reglutinare', soluere a manibus glutineis, solus noster sic adhibuit, aliter (= iterum glutinare) postea adhibuere Prudentius et Martianus Capella. — **10. ne laneum latusculum manusque mollicellas.** 'latusculum' (Lucr. IV 335) per se iam latus effeminatum indicans intenditur illo 'laneum' (Iuuen. 8, 15 *Euganea quantumuis mollior agna*), quae ad notionem teneritudinis augendam copulat adlitteratio aeque atque in illis 'man. moll.', in quibus duplex deminutiuum 'mollicellus' (a 'molliculus', cf. XVI 4) a nostro fictum alibi non legitur. manus autem uerberandae dicuntur, quippe quae rapuerint (male Scaliger 'natisque'); latus uero, ut in quo res raptae conditae sint. — **11. inusta turpiter tibi flagella conscribilent.** quamquam proprie inuritur aliquis flagello, h. e. notas ac uibices accipit per flagella (cf. Hor. epod. 4, 3 *Hibericis peruste funibus latus* et epist. I 16, 47 *loris non ureris*), tamen non minus recte dicitur 'flagellum inuritur alicui', quod ex Stat. Theb. VIII 709 *inusta temporibus nuda aera sedent* aliisque defendit IFGronouius [elench. diatr. p. 193 H.]. nec enim quae pro tradito 'insula' coniecerunt Scaliger 'inlusa', IVossius 'inuisa', magis possunt placere. 'turpiter', poena seruili (Gell. XI 18). 'scribere' cum compositis (cf. et Hom. Il. IV 139, Od. XXII 279) saepius de sulcis sanguineis

litterarum instar in corpore uerberato relictis adhibetur, ut Plaut. Pseud. I 5, 131 *quasi quom in libro scribuntur calamo litterae, stilis me totum usque ulmeis conscribito*, Lucil. XXX 127 M. *et Musconis manum perscribere posse tagacem*, Prudent. περὶ στεφ. 10, 557 *ungulis scribentibus genas* (ibid. 9, 16). 'conscribĭllo', quod ex Varronis locis duobus adfert Nonius p. 82 sq., a 'conscribīlo' tantum pronuntiatione differt; nihilque obstat quominus hanc formam ipsius Catulli saepius consonas simplices more prisco ponentis esse aiamus; cf. quae dixi in Fleckeis. ann. 1883 p. 781. grauius est uitium prosodiacum in 'conscrĭbiles'; quod ut non defenditur eis, quae parum generibus discretis coaceruauit Lachmannus [ad Lucr. p. 36 sq.], ita mitigatur aliqua ex parte duplici quo uox illa effertur ictu: in 'cónscribílent' tantum roboris adsumunt syllabae accentu instructae, ut inter utramque media deprimatur in breuis syllabae speciem. excusandum est hoc uitium (nam manet uitium), nec obtemperandum Turnebo, qui Varroniani illius 'conscribillo' inmemor formam 'conscrībĭlo' finxit restituens 'conscribilent flagella', ut mittam foediores coniecturas. — **12. et insolenter aestues.** in angoribus tibi molliculo insuetis uerseris; Cic. d. ar. resp. 1, 2 *ignarus ille, qui consules essent, exsanguis atque aestuans se e curia repente proripit*, Hor. epist. I 1, 99. — **12, 13. uelut minuta magno deprensa nauis in mari uesaniente uento.** 'minuta', ab solam ἀντίθεσιν additum (cf. LXVI 38), plebeiam uoculam esse, ut statuit Munro, non uerum est (utitur ea in sermone nempe familiari interdum Cicero, ut ad Att. XVI 1, 3 *minuta nauigia*), abhorrere a cultiorum poetarum stilo plane ut germanicum 'winzig', per se patet: Ciris auctor 479 *paruula cymba* et Stat. s. I 4, 121 *cymba minor* in simili imagine dicunt, *minutis remis* in poetandi initio solus sibi permisit Prop. I 11, 9. 'magno' recte Dousa senior explicat 'commoto, procelloso' cp. Sall. Iug. 78, 3 *ubi mare magnum esse et saeuire uentis coepit*, Lucr. II 1 *mari magno turbantibus aequora uentis*, addiditque Dousa filius Enn. Sot. 3 V et Verg. Aen. III 196, uide etiam Lucr. II 553 *disiectare solet magnum mare transtra*; nec aliter Graeci, ut Xenoph. anab. V 8, 20 ὅταν δὲ χειμὼν ᾖ καὶ θάλαττα μεγάλη ἐπιφέρηται. 'deprehensa', superueniente subito tempestate occupata, ut et nautae ipsi prensi et deprehensi uocantur; Lucr. VI 429 *deprensa tumultu nauigia*, Hor. od. II 16, 1 *otium diuos rogat in patenti prensus Aegaeo*, plura praebent Bentleius Peerlkampiusque ad Hor. od. I 14, 10. 'uesaniens' participium ('uesanire' ex Cassiod. hist. eccl. IX 30 adferunt lexica) hoc solo loco extat, saepius (unde uerbum est fictum) 'uesanus' inuenitur, ut Prop. I 8, 5 *uesani murmura ponti*. ceterum ad adlitterationis pulcrum ornatum attende.

XXVI.

1. Furi, uillula uestra non ad Austri flatus opposita est. litigant docti de scripturae uarietate 'uestra' et 'nostra', quas uoculas perpetuo inter se mutari in codicibus apud omnes constat. et hoc

alterum olim plerique amplectebantur uarie explicantes; ueluti Hotomannus dicit: 'cum Furius, qui forte ad dies aliquot secedere in Catulli uillam cupiebat, ex eo quaesiiset, cui uento et caeli plagae esset opposita, festiue poeta .. respondit' ectr.; et similia alii protulerunt cp. X et XIII 7 et XXVIII 7 sqq., ubi de rerum suarum angustiis similiter loquatur poeta. quos locos si accurate perpenderis, quid de his iocis pro tempore fusis sit statuendum facile intelleges, uix autem credes, ita iocari Catullum in peculiari carmine eoque ad hominem cetera despectissimum misso. nec Westphalio [p. 208] sic censenti, Furium centum sestertia rogantem praedicasse uillam poetae, ut hunc propitium sibi redderet (cf. XLIV), feliciter res cessit. iam antea fuerunt, qui e coniectura reponi uellent 'uestra'; idque ipsum liber egregius **O** praebet. quod non ad unum Furium, sed ad totam eius familiam ex c. XXIII notam spectare (cf. LXIV 161 et LXVIII^{b} 11), ultro apparet. sed de huius lectionis interpretatione ea, qua Furium in uilla sua iactantiorem refutari simpliciter dicunt, dubito equidem, qui in fine meam exhibebo explicationem, nunc in singulis commoraturus. 'uillula' cum contemptu. uerbi 'opposita' ambiguitatem iocosam recte plerique omnes senserunt: significat illud tam 'uentis obiecta siue exposita' (ut Plin. h. n. XVII 28, 262 *nudatas radices hiberno frigori opponunt*) quam 'pignori data siue oppignerata', ut Ter. Phorm. IV 3, 56 *ager oppositus est pignori ob decem minas* et absolute Iuuen. 11, 18 *lancibus oppositis.* ex priore significatione apparet, sermonem esse de uentis infestis (male Schwabius q. C. p. 154 'cum uillam suam ad fauonium et quemuis alium leniter flantem uentum oppositam esse Furius gloriari soleret'), id quod conuenit in Austrum et saeuum Boream; sed si inter eos Fauonius placidus serenusque nominatur, peculiarem quandam horum uentorum rationem esse conligitur. adferuntur autem uenti quattuor ex quattuor caeli regionibus diuersis flantes: meridiem Auster, occidentem Fauonius siue Zephyrus, septentrionem Boreas siue Aquilo, orientem Apeliotes siue subsolanus (de quo cf. Plin. h. n. II 119 et 122, Gell. II 22) designat. miram uillam, quae nulli uento est exposita! apparet nimirum iocus: praedicauerat, ut equidem statuo, certo (ut mox elucebit) consilio Furius in uilla sua, quod tuta esset ab omnibus uentis, uehementes scilicet intellegens. hoc suo more exagitat poeta: est sane, ut tu dicis, uillula uestra nullis opposita uentis, uerum eqs. — **3. Apheliotae.** hanc codicum scripturam recte tuetur RKlotzius [em. Cat. p. XII] his uerbis: 'etsi Graeci, quorum scripta ad nos uenerunt, eum uentum .. fere ἀπηλιώτην, non ἀφηλιώτην, uidentur appellauisse (qua de re uidendus est Lobeckius ad Soph. Ai. 803, p. 356), tamen, quom ille uentus in Latinorum scriptis apheliotes plerumque appelletur, Latini non tam cultorum Graecorum linguam quam nautas Graecos, qui mare Adriacum nauigabant, uidentur secuti esse'. tamen nec apud Graecos scripturae per φ exempla desunt; cf. LDindorfius add. ad Steph. thes. s. u. ἀπηλιώτης et quos congessit MHertzius ad Gell. II 22, 8. — **4. ad milia quin-**

decim et ducentos. scil. sestertios. summam perparuam (2500 mk.) perspicis indicare, quam parui pretii sit illa Furii uillula, quae non potuerit maiore pecunia dari pignori. 'ad', pro quo magis consuetum fuisse 'ob' docet Terentii locus adlatus, hic propter prius 'ad' adhibitum designat finem oppignerationis (eo pignore summam illam nancisci uoluerunt). — **5. o uentum horribilem atque pestilentem.** Cic. Arat. fr. prognost. 4, 2 *horribiles clamans instare procellas,* Hor. od. III 23, 5 *nec pestilentem sentiet Africum fecunda uitis.* lusus etsi per se perspicuus est, cum uillula nullis obnoxia uentis, quam praedicauerat Furius, tamen aduerso aeris alieni uento laborare dicatur, praeterea habet salem satis aculeatum, qui carminis causa patefacta fit manifestus. nam ut statim meam aperiam sententiam, Furius centum sestertia a poeta rogans in pignus ei uillulam suam obtulerat, cuius uirtutes ceteras extollens laudibus etiam de situ ab omnibus uentis tuto uerba fecerat. hanc ioci acerbi ansam arripit noster. sic summa illa parua HS XV milium et CC nouum accipit acumen. nam siue uerum uillulae pretium compertum habuit siue diuinando finxit, Catullus hoc responso refellit fraudes hominis, qui rem multo minoris pretii eamque iam pignori datam ob centum sestertia (sexies tantum) denuo oppignerare studuit, simulque hoc responso spes ipsas Furii uento adflauit 'horribili atque pestilenti'.

XXVII.

1, 2. Minister uetuli puer Falerni inger mi calices amariores. heus puer, qui ministras Falernum uetustum. de hac nota seruorum appellatione familiari cf. Lygdam. 6, 62 *tu puer, i, liquidum fortius adde merum* (ibid. 57 *cessas o lente minister?*). par autem erat in comissatione uarios adfuisse seruos a potione; ut similiter in conuiuio apud Iuuen. 5, 59 sqq. praeter *Gaetulum Ganymedem,* hoc est seruum *οἰνοχόον* ex Gaetulia oriundum, commemoratur *calidae gelidaeque minister.* hic puerum ad cyathum, quia is ex cratere haurit, in quo uinum erat mixtum, nihil iam attinuit uocare, cum merum esset bibendum poetae. qui ad alium quendam seruum se conuertens hunc addito 'm. u. F.' a ceteris pincernis distinguit. erat autem 'uetulum' solitum inter bibones attributum Falerni; iam Hauptius [opusc. II p. 125] cp. Macrob. VII 12, 9 *unde est illud prouerbium, quo utuntur gulones, mulsum quod probe temperes miscendum esse nouo Hymettio et uetulo Falerno* porroque Mart. I 18, 1 *uetulo miscere Falerno* et VIII 77, XI 26, 3 (cf. et ibid. XI 36, 5 *inmortale Falernum*). indicat hoc Falernum uetustum, quod 'seuerum' dicit Hor. od. I 27, 9 et 'forte' id. sat. II 4, 24 ('acre' Iuuen. 13, 216), finem compotationis, ubi misso cratere iam meracum potabant. Athenaeus I 26 *εἴδη δύο (τοῦ Φαλερίνου), ὁ αὐστηρὸς καὶ ὁ γλυκάζων,* Cic. Brut. 83, 287 *ut si quis Falerno uino delectetur, sed eo nec ita nouo ut proximis consulibus natum uelit, nec rursus ita uetere ut Opimium aut Anicium consulem quaerat: atqui hae notae sunt optumae, credo, sed nimia uetustas nec habet eam quam quaerimus suauitatem nec est iam sane*

tolerabilis (de optima Falerni aetate Plin. h. n. XXIII 20), Sen. epist. 63, 5 *in uino nimis ueteri ipsa nos amaritudo delectat.* hoc Falernum uetus, cum ad acrem potationem symposium calidum processisset, aqua temperare nefas; *indomitum despumare Falernum* de eo qui crapulam edormit Pers. 3, 3 ad hunc morem adludens dicit. sic noui calices, quos nunc poeta poscit, 'amariores' uocantur cum tacita uini et mixti et iunioris (uilioris, dulcioris) antea poti oppositione; nec plane recte Scaliger cp. Homericum (Il. IX 203) *ζωρότερον δὲ κέραιε* 'amariores' explicans 'meraciores'. 'inger' praebe, ut Nemes. Cyneg. 5 *Castaliusque mihi noua pocula fontis alumnus ingerit* (gloss. Labb. p. 93 et 228 *inger εἴσκρασον*). praeter 'dic duc fac fer' communi usu recepta olim plura imperatiui breuioris exempla extitisse, 'inger' hoc unico loco seruatum est documento: seruabant illud boni bibones, quibus lingua mero grauis saepius abbreuiare solebat uoculas, ut in illo *date illi biber* Titinii com. 78 R.; Ellisius cp. Meinekii anal. Alex. p. 131, ubi *πῖν* pro *πίνειν* et *πῶ* pro *πῶθι* adferuntur. — **3. ut lex Postumiae iubet magistrae.** tangitur mos notus in comissatione sorte creandi regem siue magistrum bibendi, cuius imperio parere debuerunt conuiuae; Cic. in Verr. V 11, 28 *illis legibus, quae in poculis ponebantur, diligenter obtemperabat,* Hor. sat. II 6, 68 *solutus legibus insanis* (cf. Marquardtus antiqq. priu. p. 321 sqq.). adfuerunt quidem Romae his conuiuiis etiam matresfamiliarum (Marquardtus l. l. p. 329); sed hic sine dubio est cogitandum siue de libertina siue de nobiliore femina Romana, quae solutis moribus uixit; ueluti non inepte arcessiuit Schwabius [q. C. p. 316] illam Postumiam, quacum Caesar aliquando rem habuit, uxorem Seruii Sulpicii Rufi, de qua cf. Orellius onom. Tull. p. 493. haec Clodiae more uiuens quod interfuit adulescentium compotationi, ab eis qui iam tum Romae regnabant moribus minime abhorret. haec igitur regina siue magistra facta est, ut apud Plaut. Pers. V 1, 18 puella hilaris conuiuii fit 'dictatrix'. — **4. ebriose acino ebriosioris.** sic **V** aperto errore (in tam frequenti 'e' et 'o' litterarum mutatione) pro 'ebrioso acino'. de hoc loco qui disputat accurate Gellius (testim. uol. I), licet a scribis et ipse ualde sit deprauatus, tamen quid sibi uoluerit non obscurum est merito Hauptii [opusc. II p. 121 sqq.] eius uerba acute tractantis. hic intellexit, Gellium pro Catulli manu habuisse 'ebria acina', ceteras quae extent lectiones 'ebrioso acino' et 'ebriosa acina' ex corruptis exemplaribus ductas putasse. Hauptius ipse nihilominus stetit ab ea quam ultimo loco posui lectione, ego patronus extiti scripturae a Gellio Catullo uindicatae. ad formam 'acina' prae illis 'acinum' et 'acinus' insuetam Lachm. ad Lucr. p. 392 comparauit triplex illud 'araneus, aranea, araneum', ego Cyrill. 604, 6 *ῥώξ: acinus, acina.* significat acinum aut bacam uuae (*τὰς ῥᾶγας*), ut Cato d. r. r. 112, aut nucleum interiorem uel uinaceum, *τὸ γίγαρτον.* differunt autem 'ebrius' et 'ebriosus' eo, quod illud 'uino plenus', hoc 'uino deditus' designat (Cic. Tusc. IV 12, 27, Sen. epist. 83, 11, differentiae Beckii p. 53). erit igitur acinum ebrium

baca suco differta turgensque, erit acinum ebriosum uinaceus in suco natans eumque auide usque hauriens. et primo quidem optutu habet utraque lectio, quo se tueatur: huic XXII 14 *infaceto infacetior* (cf. ad IX 10), illi X 23 *in collo collocare* (LVI 3) fauet. sed accurate re perpensa fatearis oportet, magis adridere Postumiam multibibam comparatam cum baca, quae iam plena usque dum sucum ex uite trahit, contra frigidam uideri uinacei imaginem. uenuste quippe femina uini usu diuturno rotunda pinguisque confertur cum rotunda pinguique baca, inlepide cum nucleo, qui in suco est demersus obrutusque plane. deinde ob ipsum hiatum formamque insolitam difficilior multo est lectio 'ebria acina', facilior et grammaticorum manum prodens altera illa 'ebrioso acino'; nam tertia 'ebriosa acina' (ut de quarta 'ebriosa acino' taceam) inter utramque media plane reicula. nec Gellio, cuius uerba diligentiam in rimanda uera lectione positam clamant, ausim fidem abrogare. habet denique hiatus hic in arsi caesuraque concessus siue excusatus suam suauitatem, quippe qui ipso duarum litterarum 'a' concentu accedente (Gellius cp. Hom. Od. XI 596 ἄνω ὤϑεσκε, Il. XXII 151) depingat bacam prae ubertate iamiam uincula sua rumpentem hiantemque. talis bacae instar Postumia uino plus nimio referta usque cupit bibere. — **5. at uos quo lubet hinc abite, lymphae, uini pernicies.** ad III 13. 'abi' et 'abite' cum contemptu dicta ex comicis sunt nota; Plaut. mil. IV 1, 27 *quin tu illam iube abs te abire quo lubet* (paulo hoc urbanius dictum fere aequat 'in malam partem', cf. ad XIV 21); cuius loci memor AGuarinus traditum sine sensu in V 'quod iubet' uere correxit in formulam non ita raram (Mart. XI 16, 1 *potes hinc iam, lector, abire quo libet*, Ouid. ex P. III 5, 48, Claud. in Eutr. II 239, Querolus p. 21 P.). Ellisius cp. Petron. 52 *'aquam foras, uinum intro' exclamauit.* Lygdam. 6, 58 *temperet annosam Marcia lympha merum*; pluralis 'lymphae' de aqua particulatim ad mensuram poculis infusa est accipiendus, ut similiter LXIV 162. dicitur aqua uinum perdere siue corrumpere, ut similiter Cicero Verrem (I 1) uocat *perniciem prouinciae Siciliae*, Hor. epist. I 15, 31 *pernicies macelli*; contrarium adserit pro tempore Prop. II 33, 28. — **6. et ad seueros migrate.** conferte uos (respectu illius 'abite') ad sobrios siccosque; Lygdam. 6, 21 *conuenit* (Bacchus) *iratus nimium nimiumque seueros*, Hor. epist. I 19, 8 *forum putealque Libonis mandabo siccis, adimam cantare seueris.* — **7. hic merus est Thyonianus.** apud nos regnat purus putus, qui est mutatus in uini liquorem, Bacchus. qui a matre Semele uel Thyone (Prelleri myth. gr. I p. 521 et 537) audit Thyoneus (Hor. od. I 17, 23, Ouid. met. IV 13); deriuatum inde uocabulum solus praeterea habet Auson. praef. cent. nuptial. *accipe igitur de inconexis continuum, de diuersis unum, de seriis ludicrum, ne in sacris et fabulis aut Thyonianum mireris aut Virbium, illum de Dionyso, hunc de Hippolyto reformatum:* mysteriorum Bacchicorum uox esse uidetur, cuius usu translato poeta Bacchum siue uuas prelo subiectas in nouum Bacchum siue uinum abiisse innuit. — poematium Dousa filius putat 'totum expressum e Graeco

Diphili' [Com. fragm. Mein. IV 402] *ἔγχεον σὺ δὴ πιεῖν. εὐζωρότερόν γε νὴ Δί', ὦ παῖ, δός, τὸ γὰρ ὑδαρὲς ἅπαν τοῦτ' ἐστὶ τῇ ψυχῇ κακόν*: in sententia peruulgatissima uix de imitatione licet loqui; quam plane ineptum est uelle statuere apud Mart. IX 93 et XI 36.

XXVIII.

1. Pisonis comites, cohors inanis. Pisonem, quocum Veranium et Fabullum, Catulli amicos familiares, in prouincia fuisse praeter hoc poemation etiam c. XLVII ostendit, post priorum interpretum de Cn. Calpurnio Cn. f. Pisone a. 65 Hispaniae citerioris quaestore pro praetore (Drumannus h. r. II p. 89) cogitantium sententiam uanam optime Iungclaussenus potissimum perspexit posse nullum alium esse quam L. Calpurnium Pisonem Caesoninum, qui anno 57/56 Macedoniam prouinciam pro consule regens foedissime exspoliauit, notum illum ex orationibus, quas Cicero cum post reditum in senatum et de prouinciis consularibus tum in ipsum Pisonem habuit; esse autem ab hoc carmine et eo quod numeratur XLVII bene separanda carmina ad eosdem Fabullum et Veranium spectantia IX et XII (et XIII) utpote longe priore tempore scripta. accessitque Iungclausseno accurata disputatione, qua prudentibus nil relinquitur dubitationis, Schwabius [q. C. p. 244 sqq.]. huius Pisonis igitur cohorti (ad X 18) adiuncti Veranius et Fabullus spe potiundarum in prouincia diuitiarum deiecti erant propterea, quod sibi soli omnia corripiens Piso plane nihili fecit comites; quod non mirum in eo, de quo Cic. in Pis. 36, 88 *quid, legatorum tuorum optimus abs te quisque uiolatus, tribuni militum non recepti?* 'inanis', onere carens (nil auri domum reportans), ut Plaut. Asin. III 3, 70 *ego baiulabo, tu (ut decet dominum) ante me ito inanis.* quod persecuntur uerba: — **2. aptis sarcinulis et expeditis.** synonyma cumulata iocose quam parum ponderosa redeuntium in patriam sarcina fuerit ostendunt. nam 'aptum' teste Paulo Festi p. 18, 9 a uetusto uerbo 'apere' (h. e. comprehendere uinculo) descendens dicitur id quod conuenienter alicui rei est iunctum; unde ut reliquae significationes facile explicantur, ita quod hic sarcinula nulli impedimento esse nec grauare peregrinantes audit; Ouid. epist. 4, 24 *sarcinaque haec animo non sedet apta meo*; cf. Broukhusius ad Tib. I 9, 70. Dousa filius cp. Petron. 99 *itaque, quod bene eueniat, expedite sarcinulas et sequimini me* (cf. et Iuuen. 6, 145 *collige sarcinulas*); quamquam hic adiectiuum potius adest indicans id quod paratum, promptum, facile ad manus est. — **3. Verani optime tuque mi Fabulle.** affectus amoris bene dispensatus (cf. *optimus Vergilius* Hor. sat. I 6, 54, *Maecenas optimus* ibid. I 5, 27, alia; et 'meus' in adlocutione carorum sollemne est) simul ad indignationem condicionis tam tristis exprimendam facit. — **4. quid rerum geritis?** Plaut. Aul. I 2, 39 *rogitant me, ut ualeam, quid agam, quid rerum geram*: solita in salutatione formula. — **4, 5. satisne cum isto uappa frigoraque et famem tulistis?** 'satisne', uerene igitur, ut apud comicos; cf. Brixius ad Plaut.

trin. 925, Holtzius synt. pr. scr. II p. 266 sqq. Hor. sat. I 1, 104 *non ego auarum cum ueto te fieri, uappam iubeo ac nebulonem*; explicat uocem Plin. h. n. XIV 125 *uitium musto, quibusdam in locis iterum sponte feruere; qua calamitate cum deferbuit, deperit sapor uappaeque accipit nomen, probrosum etiam hominum, cum degenerauit animus* (Acro ad sat. I 2, 12 *uappa proprie dicitur, quod nec uinum nec acetum est*): est homo nequam ac degener (cf. et Priap. 14, 6), minime 'prodigus', ut ex Horatio male concludens Vulpius acerbam cognominis Pisonum 'Frugi' censuram subesse statuit. copulata 'frigus' et 'fames' ob adlitterationem in deliciis erant, ut Cic. Catil. I 10, 26 *patientiam famis, frigoris, inopiae rerum omnium* (plura Woelfflin. de allitter. p. 59); rem ipsam tangit Cic. in Pis. 17, 40 *exercitus nostri interitus ferro fame frigore pestilentia* et de prou. cons. 3, 5 *milites incuria fame morbo uastitate consumpti.* 'que et', ad I 6. — **6. ecquidnam in tabulis patet lucelli expensum?** num forte in codicis pagina ea, qua lucrum adnotari solet, apparet (scriptum extat, legitur) — non aliquid acceptum, sed — tantum id quod uos expendistis, de uestro dedistis (sumptus itineris facti)? acerbe enim poeta tot expensa fuisse innuit, ut horum pagina perscripta iam in acceptorum tabulas, quarum tum nullus usus esset, etiam expensa referre cogerentur. caue igitur 'lucelli' (cf. ad X 9) putes pendere ab 'ecquid', quod ut saepius (cf. LXXXVIII 4) fere 'num forte' aequat. Cic. p. Rosc. Com. 2, 5 *non habere se hoc nomen in codice accepti et expensi relatum confitetur, sed in aduersariis patere contendit.* Cic. or. 47, 158 *in accepti tabulis* de pagina tabularum, in quam acceptum referebatur. — **7. ut mihi.** scil. patet. — **8. refero datum lucello.** perscribo (praes. hist.) inter accepta hoc domum. 'datum' nonnullis est 'expensum', ut sane habetur alibi 'accepta et data (= expensa)'; uariat tamen in iocis poeta: ut amici in paginam lucrorum rettulerant expensa, sic ipse perscripserat quidem ibi aliquid datum sibi a suo praetore Memmio, sed hoc non melioris notae. quod datur, referimus lucello (datiuus pro 'in' cum accus.; cf. Hor. od. I 9, 14), h. e. in paginam acceptorum; et quia in dandi uerbo eius qui dedit ultro recordamur, Memmii tamquam eius cui haec debentur memoria tacite succurrit, conciliantibus praesertim uerbis 'meum secutus praetorem'. iam id quod accepit a praetore suo, iocose poeta fingit se poetice in codicem suum rettulisse. bene Scaliger 'cum deberem in tabulis scribere: acceptum refero lucello, uicem eius scripsi: o Memmi, bene mihi illusisti, qui in contubernio tuo pollicebar mihi montes auri'. — **9, 10. o Memmi, bene me ac diu supinum tota ista trabe lentus irrumasti.** haec dicta sunt figurate, nec ulla uerbis obscenis subest res obscena: 'omnes spes meas egregie frustratus es', hoc ego mihi lucro apposui. 'o Memmi', apostrophe indignationis et affectus amari plena. AStatius cp. Afranii com. 87 R. *quam lente tractat me atque inludit* (Laber. com. 29 R. *nunc tu lentu's, nunc tu susque deque fers*), 'lentus' explicans 'neglegens, nihil curans, ἀδιάφορος' (Gell. XVI 9, 4); sed quod in suo conexu rectum est, id ilico fit absurdum

cum uerbo alieno iunctum. lente tractando (dum lenti sumus) alicui inludimus; sed pro 'inludere' si ponitur uerbum inrumandi, quod etsi re idem exprimit tamen ab imagine, quae subest, longe distat, 'lentus' iam parum aptum putandum est. quod si uelis explicare 'commodo tuo', haec quidem notio potius illi 'diu' inest. 'trabs' ut Sulpiciae u. 36 [PLM. V p. 95] designat hastam uirilem, ut similiter 'contus' Priap. 11, 3 et 'columna' ibid. 10, 8 ('palus' Hor. sat. I 8, 5); cuius enormitas per uerba 'tota ista' expressa (Priap. 80, 1 *at non longa benest, at non bene mentula crassa,* Lucil. II 21 M. *crassam et capitatam*) depingit hominem libidinosum (CXV 8), quem tamquam Priapum (XLVII 4) terribilem facit mentula tenta (Priap. 20, 6 et 63, 13 *inpudentiae signum*). uoce 'supinum' non solum exhibetur species hominis foedam libidinem patientis, sed simul indicatur 'securum, nimis tibi fidentem'; Quint. XI 3, 3 *nedum eum supini securique moueamus.* 'bene (= ualde, fortiter) ac diu' cum 'irrumasti' iungas. in hanc igitur imaginem quod non quadrat 'lentus', id IVossius ex libro quodam interpolato bene correxit in 'tentus'; quae uox ut ab repetita cum ui 't' littera (*tota* is*ta* *t*rabe *ten*tus) commendatur, ita aperta imitatione Priap. 6, 4 *totamque hanc sine fraude, quantacumque est, tormento citharaque tensiorem*; de homine ipso ibid. 68, 18 *cithara tensior ipse sua* et 80, 10 *tente Priape.* — **11. sed, quantum uideo, parei fuistis casu.** interrumpit se poeta: sed quid haec quaero? quatenus ex habitu uestro uos conueniens intellexi, eandem quam ego fortunam subiistis. — **12. nam nihilo minore uerpa farti estis.** homo aeque mentulatus uos inrumauit, homo aeque spurcus uos decepit uanis promissis. 'farti' num praeter sensum proprium (Sen. epist. 70, 20 *lignum .. totum in gulam farsit*) etiam respectu illius 'fame' ualeat 'saginati', dubito. 'uerpa', ut Priap. 34, 5, Mart. XI 46, 2. Pisonem non minus quam Memmium fuisse uerpum Priapum, Cicero testatur in Pis. 28, 69 *admissarius iste*, ibid. 18, 42 et de prou. cons. 3, 6. — **13. pete nobiles amicos.** praeceptum in uniuersum factum (Kuehnerus gr. l. II p. 480) acerbissime: quisquis es, i nunc et nobilium quaere amicitiam, spe emolumenti deceptus abibis. minime adest poetae ad se ipsum adlocutio; cf. LXXIII 1; inde ab Augusti tempore 'i' addere solebant, ut Hor. epist. I 6, 17 et II 2, 76. de Pisonum nobilitate uetusta constat, cf. laus Pisonis 3 [PLM. I p. 225], Cic. in Pis. 1, Drumannus h. r. II p. 59 sqq.; Memmii Catulli demum tempore inter nobiles (Verg. Aen. V 117) erant recepti, siquidem nostri Memmii patruum, tribunum plebis a. 111, constat *nobilitati infestissimum* fuisse (Cic. de or. II 70, 283). — **14, 15. at uobis mala multa dei deaeque dent, obprobria Romuli Remique.** cf. ad III 13 et XIV 6. Prop. II 18, 27 *illi sub terris fiant mala multa puellae*; Ter. Phorm. V 8, 83 *malum quod isti di deaeque omnes duint,* Priap. 78, 1 *at di deaeque dentibus tuis escam negent,* Sen. epist. 95, 21 *di illas deaeque male perdant.* dicuntur autem Piso et Memmius dedecus esse (Hor. od. II 13, 4, Tac. a. III 66) Romani nominis, cuius primi auctores utpote in commune consulentes et priscae integritatis exempla

opponuntur minoribus istis degeneribus et *φιλαύτοις*. notandum est, Catullum plane ut Vergilium Aen. I 293 *Remo cum fratre Quirinus iura dabunt* et Prop. IV 1, 9 *fratrum maxima regna* geminos una regnantes facere (cf. et Mommsenus Hermae XVI p. 20); unde intellegimus quod idem Romanos nunc 'Romuli' (XLIX 1, cf. et XXXIV 22), nunc 'Remi nepotes' (LVIII 5) uocat siue ulla omnino turpitudinis nota; quae si adest, efficitur ex re ipsa et priscae sanctitatis praesentisque deprauationis oppositione. cf. et Mommsenus libri 'roem. Muenzw.' p. 642.

Scriptum est, ut itineris Bithynici mentio docet, hoc carmen a. 55, cum poeta Romae cum Fabullo et Veranio conueniret (supra p. 37).

XXIX.

1. quis potest pati? solita indignationis formula, in qua 'pati' est 'patienter ferre', ut in illis Musarum deliciis, Laberii prologo 11 *hominem me denegare, quis posset pati*; XLII 5. — **2. nisi impudicus et uorax et aleo.** coaceruat C. omnia in Caesarem opprobria, quibus eum utpote ipsum moribus similem Mamurrae tantopere indulgere optineat. et 'inpudicum' siue pathicum (cf. ad XV 5) fuisse Iulium, non infrequens conuicium erat, ut longa narratione exponit Suetonius Caes. 49, ubi adferuntur notissimi militum in triumpho canentium uersiculi *Gallias Caesar subegit, Nicomedes Caesarem* ectr. (cf. et Cic. fragm. p. 468 Or., Dio C. XLIII 20, infra LVII), simul tamen huic uocabulo notio muliebris patientiae ita inest, ut uerum uirum indignatione luxuriae Mamurrianae corripi debere innuatur: Sall. Cat. 20, 9 *quis mortalium, cui uirile ingenium inest, tolerare potest, illis diuitias superare, quas profundant in extruendo mari et montibus coaequandis?* de edacitate Caesaris nil constat (nec satis huc pertinet utpote in more peruulgato de uomitu narratiuncula ap. Cic. ad Att. XIII 52, 1): 'uorax' nil aliud quam in uniuersum designare uidetur ganeonem. nec illum indulsisse aleae ludo apud Romanos legibus uetito (Marquardtus antiqq. priuatt. p. 826 [2]) nunc quidem certo scimus. quamquam nec epularum delicias nec lusum aleae (cf. celebre dictum *iacta esto alea*) a Iulii moribus abhorrere uerum est, ut equidem uerear poetam nostrum falsarum omnino criminationum reum facere; nec enim est obliuiscendum, quam saepe talia in conuiciis copulentur: Naeuius com. 118 R. *pessimorum pessime, audax, ganeo, lustro, aleo* (ubi itidem priscum illud 'aleo' pro eo quod postea optinuit 'aleator' habes), Cic. Phil. XIII 11, 24 *in lustris, popinis, alea, uino tempus aetatis omne consumpsisses.* — **3. Mamurram habere.** Plin. h. n. XXXVI 48 *primum Romae parietes crusta marmoris operuisse totos domus suae in Caelio monte Cornelius Nepos tradit Mamurram, Formiis natum* [Hor. sat. I 5, 37 Formias *urbem Mamurrarum* uocat], *equitem Romanum, praefectum fabrum C. Caesaris in Gallia, ne quid indignitati desit, tali auctore inuenta re.* et ad hanc luxuriam hominis, quem potentium indulgentia ad summas prouexit opes, adludit etiam Cic. ad Att. VII 7, 6 *et Labieni diuitiae et Mamurrae placent et*

Balbi horti et Tusculanum. 'Māmurra' ceteri poetae latini exhibent (cf. praeter Hor. l. l. Mart. IX 59, 1 et X 4, 11); nec aliter 'Māmurius' (Prop. IV 2, 61, Ouid. fast. III 260, 389, 392), 'Māmercus' (Iuu. 8, 192, Mart. II 88, 1), 'Māmertinus' (ibid. XIII 117), apud unum Lycophr. 1417 inueniri *Μᾰμέρσα* adnotauit Schwabius. nec tamen huius carminis ex puris iambis constantis leges uitiasse Catullum in nomine aliter in metrum non redigendo, sed licentiam corripiendi primam in uocibus trisyllabis, quarum media habet ictum, obuiam nec raro usurpatam sibi tuto sumpsisse censeo; cf. quae dixi in Fleckeis. ann. 1883 p. 784 sq. — **3, 4. quod Comata Gallia habebat ante et ultima Britannia.** Galliam Transalpinam ex incolarum comis promissis notum est audire Comatam; Cic. Phil. VIII 9, 27, Mela III 2, 20, Plin. h. n. IV 17, 105. 'ultima', cf. XI 11 sq., et de 'a' ante 'Br' producta IV 9. 'ante' debetur AStatii coniecturae perprobabili; in V quod legitur 'cū te' ex 'āte' est ortum ex eadem litterae 'a' in scriptura langobardica specie, qua corruptelam traxit LXIV 116 et 77. Faernus proposuit 'uncti' (cf. 22), Scaliger 'unctum'; sed et haec notio simpliciter cogitanti abundat et illud 'quod ante habebat' accurate reddit Plinianum 'quidquid habuisset' (cf. testim. uol. I). — **5. cinaede Romule, hoc uidebis et feres.** 'alterum Romulum' appellari ut erat imperatoribus de urbe praeclare meritis honorificum quam maxime (cf. Liu. IV 20, 2, V 49, 7, VII 1, 10, Plut. Mar. 27; Macrob. s. Scip. II 17, 8 *Romulus nobis in primo genere ponatur, cuius uita uirtutes numquam deseruit, semper exercuit*), ita salsa cum acerbitate Romuli dicebantur ei qui se imperiosius regumque instar gesserunt, ut Cicero *Romulus Arpinas* (Sall. inuect. 4, Quintil. IX 3, 69, Cic. pro Sull. 7, 22), Sulla *scaeuus iste Romulus* (Sall. or. Lepidi 5), Pompeius (Plut. Pomp. 25). neque hic tyrannidis, qua Caesar ad suum arbitrium omnia administrauit (Sueton Caes. 20), deest exagitatio, quae intenditur adiecto 'cinaede'; quo tam summa inpudicitia longe a prisci Romuli castitate morum abhorrens quam muliebris in ferendis omnibus patientia denotatur. Persius 1, 87 *an, Romule, ceues* propterea huc non facit, quod sub Romulo Catullus Caesarem, ille Romanos intellegit. in V traditum est 'haec' perpetua illa uocularum 'haec' et 'hoc' confusione ex compendiis nata (praef. uol. I p. XXXI): tam u. 1 nunc sub noua specie repetitus quam id ipsum, quod de una tantum re uu. 3 et 4 commemorata agitur, 'hoc' reponendum esse docet (traxit uitium hoc uersu receptum mox u. 9). in futuro non solum inest 'potes uidere et ferre' (u. 1), sed etiam metus, ne Caesar pergat Mamurrae fauere. — interrogationem u. 1 in uniuersum factam postquam poeta mutauit in ipsius Caesaris adlocutionem, hanc unusquisque sentit, nisi uis omnis inuectiuae pereat, excipi debere eo, quod inde quod forte Caesar haec oculis aequis aspecturus est necessario concluditur, nimirum esse sic Caesarem impudicum uoracem aleonem. nam congeri in Mamurram tantas opes primum indignatur Catullus, deinde id quod his diuitiis ille emat omnes puellas. huic autem alteri parti (6—8) quemadmodum subicitur interrogatio (u. 9) et responsio (u. 10),

ita priorem partem non potest sequi sola interrogatio (u. 5) omissa responsione. unde apparet rectissime editionem Aldinam a. 1502 uersum 5ᵇ addidisse, qui obseruante LMuellero interlapsus est ob simillimum u. 6 initium ('esi' .. 'eti'). — **6, 7. et ille nunc superbus et superfluens perambulabit omnium cubilia.** 'et' (= et ita) in forti interrogatione et transitu ad alteram partem (cf. Kuehnerus gr. l. II p. 634). Hor. epod. 4, 5 *licet superbus ambules pecunia* (ubi Peerlk. cp. Val. Max. VI 9 *Crassus cum egens ambularet*): hic notionem 'diuitiis' conexus facile suppeditat et ad 'superbus' et ad 'superfluens' lenocinante allitteratione iuncta; de absoluto huius uocis usu cf. non tam Sen. d. ben. I 11 quam Tac. dial. 18 *supra modum exultans et superfluens*, Cic. in Verr. III 4, 9 *istum rebus omnibus undique ereptis inpune eludentem circumfluere et abundare.* 'peramb.' non de grauitate fastuque accipe, qua quis incedit (Hor. epist. II 1, 79 ibique Schmidius et epod. 17, 41), sed ita 'ex ordine adibit', quemadmodum Sen. de ben. VI 16, 2 de medico dicit *me inter eos, quos perambulat* (= uisit), *ponit*, idem de breu. u. 14 *cum omnium limina cotidie perambulauerint.* futurum autem sic accipe: perget (ut nunc facit) perambulare. 'omnium' (cum ui pronuntia) 'cubilia', non 'omnium maritorum' (Liu. XXVII 31, 5 *uagabatur cum uno aut altero comite per maritas domos dies noctesque*), sed 'omnium feminarum lectos', ut de Ameanae cubili a Mamurra presso maxime cogitat poeta: Hor. epod. 5, 69 *indormit unctis omnium cubilibus obliuione paelicum.* omnes certatim puellas huic Ioui aureo patefacere sinus stomachatur Catullus. — **8. ut albulus columbus aut ydoneus.** si columbi non minus quam columbae pudicitia erat summa (Plin. h. n. X 104 *neutri nota adulteria,* Athenaeus IX 50), peculiaris esse debet ratio, cur hac neglecta cum columbo tamen comparetur Mamurra. quam patefacit 'albulus' (cf. LXVIIIᵇ 85) deminutiuum, quo declaratur teneritudo mollitiesque; estque praeterea animal illud salacitate sua notum Veneri sacrum (Ellisius cp. Alexin in fragm. Com. gr. Mein. III p. 481 λευκὸς Ἀφροδίτης εἰμὶ γὰρ περιστερός, schol. ad Apoll. Rhod. III 550): euadit sic imago amasii delicatuli fauore Veneris tutelaque fruentis. similisque comparatio inesse debet corrupto illi 'aut ydoneus'. ex quo quod Silligius elicuit 'haut idoneus', id miror cuiquam prudenti potuisse adridere. si Mamurra non aptus erat ad coitus patrandos, quid tandem Catulli in eum ira sibi uult? talis homo non est timendus riualis, sed solo contemptu dignus. neque uero illud ullo pacto quadrat in magnam illam minacemque mentulam (CXV 8). has nugas refugit AStatius egregie reponens 'aut Adoneus'. quam in formam cp. Plaut. Men. I 2, 35 *raperet aut ubi Venus Adoneum* et Auson. epigr. 30, 6 *Arabica gens Adoneum* (Bacchum uocat); adde Probi append. [Gr. L. K. IV] p. 199 *Adon, non Adonius* (terminatio 'ius' et 'eus' eadem), unde uulgarem magis hanc formam fuisse quam doctorum scriptorum propriam edocemur, fortasse tractam et ipsam ex sermone graeco (Bekkeri Anecd. p. 346 ὁ Ἀδώνιος); neque abhorruisse ab ea puto ipsius Catulli imitatione Horatium od. III

26, 1 *uixi puellis nuper Adoneus* (cf. lectt. Hor. p. 17). ad rem autem quod attinet, oblitterata casti illius amatoris Veneris imagine Adon interdum uocatur quiuis adulescens pulcher, feminarum deliciae sectatorque; quam in significationem iam Schneidewinus Philol. III p. 254 not. cp. Lucian. d. mer. 7, 3 *καθεύδεις μετὰ τοῦ Ἀδώνιδος Χαιρέου*, Aristaen. I 8 *ἔστιν αὐτὸς περιπόθητος Ἄδωνις ταῖς ἑταίραις*, Alciphr. I 39; et sic Prop. I 13, 12 ex emendatione nostra *nec noua quaerendo semper Adonis eris.* quodsi hunc praefectum fabrum, Fortunae filium, animo nobis fingimus fuisse staturae magnae (CXV 7), macellum (LXII 6) ore foedum, singulare acumen nascitur hoce, quod talis homo solis opibus suis effecit, ut mulierculis omnibus tamquam Veneris columbus mollis nitidusque aut formonsulus puellus esset gratus acceptusque. — repetitis uu. intercalaribus (ita si appellare licet iterationem mere rhetoricam) iam transit poeta ad demonstrandam indulgentiae, qua potentes Mamurram prosequuntur, absurditatem. sequar autem in interpretatione ordinem uersuum in textu meo exhibitum, infra in fine huius transpositionis rationem redditurus. — **21. quid hunc malum fauetis?** peruerse olim 'malum' parenthetice pro interiectione acceperunt, cp. Cic. Phil. X 9, 18 *quae (malum) est ista ratio?* aliaque; recte recentiores sumunt substantiue positum, ut V 12, LXIV 175, Aen. I 352. plurali 'fouetis' nunc C. utitur, quia totam Mamurrae luxuriam altius inde ab initio exagitaturus non solum Caesaris, sed etiam Pompei beneficia tangit. — **21, 22. aut quid hic potest nisi uncta deuorare patrimonia.** de 'aut' Maduigius opusc. I p. 456: 'quemadmodum in negatiuis sententiis Latini saepe disiungunt quae nobis coniungenda uidentur, sic idem in sententiis interrogatiuis ad negationem inclinantibus aut improbationem significantibus fieri uidetur, ubi disiungi notiones recte possint'. cf. CVII 7; in subiuncta praesertim accuratiore definitione 'aut' adhibetur, ut Aen. III 187 (162). 'potest', scit, callet. 'uncta', lauta et opima, ut Hor. epist. I 14, 21 et 15, 44 et 17, 12. 'patrim.' non solum bona paterna, sed sensu ampliore nouas quasque opes designant, ut ex sequentibus patet; bene Vulpius cp. Cic. Phil. II 27, 67 *non modo unius patrimonium ..., sed urbes et regna celeriter tanta nequitia deuorare potuisset* et inuect. in Sall. 7, 20 *modo, inquam, patrimonio non comeso, sed deuorato* (= raptim dissipato) *quibus rationibus repente factus es tam afluens et tam beatus?* — **23, 24. eone nomine urbis opulentissime gener socerque perdidistis omnia?** non ad priora (quod parum recte fit), sed ad sequentia (u. 13 'ut') refer 'eone nomine', h. e. eamne ob causam (cf. ex. gr. Vell. Pat. II 104, 2). 'urbis' uulgo cum 'omnia' iungunt; sed cum diuitiae profluxerint ex uariis orbis terrarum partibus subactis (16—19), absolute autem dicatur ubique 'omnia perdere' (iam Vulpius cp. Cic. ad Att. II 21, 1 *qui Catoni irati omnia perdiderunt*, Nep. Eum. 8, 2 *sua intemperantia nimiaque licentia ut omnia perdant*, Liu. praef. *desiderium pereundi perdendique omnia*, nec aliter adhibet Vergilius hunc u. adferens), ista quidem interpretatio reicula est; nec Hauptius 'orbis' restituens in

certo dictionis usu absoluto audiendus est (licet Trebell. Gallien. 17, 9 *cum orbem terrarum undique perdidisset* dixerit adnotante Schwabio). itaque 'urbis', siquidem recte se habet, cohaerere debet cum ea notione, quae inest uoci 'opulentissime', quam pariter metrum et sententia et numerus arguunt corruptam. mitto Scaligeri 'imperator unice' parum apte cum incredibili audacia restitutum aliorumque commenta a uersus legibus reiecta: nec in Lachmanniano 'urbis o piissime' sine Hauptiano 'piissimei' adquiescere equidem possum (nam, ut de superlatiuo dubio taceam, de quo cf. Cic. Phil. XIII 19, 3 et Keilii gr. l. V p. 154 et Muetzellius ad Curt. IX 25, 17, locus a tali ironia abhorrere mihi uidetur) nec aut in LMuelleri inuento nimis ieiuno 'urbis o potissimei' (Plaut. Men. II 3, 9) aut in Ellisiana exclamatione 'urbis o pudet meae'. hinc quod audaciore molimine olim dedi 'oro uos, leuissimei' (nam 'orŏ' breuiatum utpote in uitae cottidianae formula sine offensione esse putabam, nunc nec ipsum ualde probo), facile ut in loco conclamato excusabitur; 'leuissimei' feliciter a me recuperatum esse, etiamnunc sentio, siquidem leuitas, si quid aliud, erat hoc quod conquisitarum undique diuitiarum tam peruerse largi prodigique extiterunt Caesar Pompeiusque. nec minus de tradito 'urbis' (quod, quidquid temptas, iustam sententiam respuit) uere me dubitasse teneo. sed inuento illi acrius insistens lubenter mihi persuadeo, esse Catullianum 'usu opum leuissimei', h. e. qui leuitate uestra tam sinistrum diuitiarum usum facitis; nam 'leuis re' pro 'in re aliqua' dictum non abhorret ab usu poetarum (cf. LXIV 11). denique testes ita inter se differunt, ut V 'socer generque', Vergilius epigr. 6 (3), 6 'gener socerque' praebeant. per se uix discerni posse apparet, utrum Caesar ut socer melius genero an Pompeius utpote senior illi praeponatur (nam quod dicunt, inuehi poetam in Caesarem, ex parte est rectum; potuitque e contrario hinc, quod Pompeius ante Caesarem beneficia contulit in Mamurram, gener praeponi). sed anteriores cum starent a V atque LSpengelius adeo epigramma Vergilianum ex loco nostro corrigendum censeret, ego praef. uol. I p. XLVIII hanc dictionem monui in prouerbium abiisse et litem dirimi in Vergilii testis gratiam locis haud paucis, quos hic a me aliisque auctos adscribam omnes: Verg. Aen. VII 317 *hac gener atque socer coeant mercede suorum* (quo loco alter ille VI 829 sq. plane ut exornatio redarguitur), Lucan. IV 802 *et gener atque socer bello concurrere iussi* simillimeque Mart. IX 70, 3, Florus II 13, 13 *morte Iuliae Caesaris filiae, quae nupta Pompeio generi socerique concordiam matrimonii foedere continebat,* Minuc. Fel. 18, 6 *generi et soceri bella toto orbe diffusa*, Sidon. Apoll. carm. IX 236 p. 1233 Sirm. *ut gener socerque cognata impulerint in arma Romam*; unus epitaphii Lucani u. 2 [PLM. V p. 386] locus dubius restat, ut mittam amplificationes, ueluti Augustini d. c. d. I p. 98 Domb. — **11. imperator unice.** potest hoc in laudem accipi (= praestantissime, ut Liu. VI 6, 17 *perinde quam opinionem de imperatore unico, eam spem de bello haberent*, Sueton. Oth. 12 *fortissimum uirum, unicum imperatorem praedi-*

cantes; cf. ad LXI 221); nec dubito quin reuerentia quaedam sit admixta (et sane suspexit alias ducem singularem ex animo C.), ut tamen simul subsit tecta eius tyrannidis notatio; quod crimen maxime perhorruit Caesar (LIV 7). — **12. in ultima occidentis insula.** cf. ad u. 4, Cic. d. n. d. II 66, 164 *qui has nobiscum terras ab oriente ad occidentem colunt.* intellegenda autem sunt uerba de priore Caesaris expeditione Britannica a. 55. nam si hoc tenemus, ad Caesarem Veronae hieme degentem hos uersus esse datos (cf. Sueton. Caes. 73), cum post Iuliae inter ipsam expeditionem alteram a. 54 mortem de genero soceroque sermo esse omnino nequeat (Schwabius qu. C. p. 205), de sola a. 55/54 hieme cogitare licet; cf. Hauptius op. I p. 14 sq., Westphalius p. 214. neque hercle aliter ut statuamus permittunt carminum Catullianorum rationes chronologicae. nihil enim ad rem, quod paruam uel nullam praedam ex Britannia a. 55 reportatam esse ueri est simillimum (cf. Drumannus hist. rom. III p. 297 et Cic. ad fam. VII 7, 1 *in Britannia nihil esse audio neque auri neque argenti*): poeta rem exaggerans Gallica spolia magis respicit, Britannica magis in ornatum adicit. — **13. ut ista uostra diffututa mentula.** plane ut XVII 21 *iste meus stupor,* ubi uide: a uitio principali Mamurra pene bona sua lacerans (ut ait Sallustius) ipse 'mentula' dicitur; quod adeo placuit nostro, ut in carminibus post reconciliationem cum Caesare factam in Mamurram derectis iam eum uocaret Mentulam. 'uostra' ex more Catulliano tantum ad utrosque, Pompeium et Caesarem, spectare potest: indicium ingens, Pompei mentionem iam praecessisse. Lachmannus corrigere uoluit 'defututa', ut contra XLI 1 *puella defututa* BGuarinus maluit 'diffututa'. uoculas alibi non lectas sic puto distinguendas esse, ut uir (Mamurra) recte dicatur 'diffututus' siue futuendo nimis paene dissolutus exhaustusque, contra puella 'defututa' siue usu multo detrita, omni gratiae uenustatisque decore quasi deterso; eodem modo plebecula Rhenana marem uocat 'verv...,' feminam 'abgev...' — **15. ducenties comesset aut trecenties.** pro uulgari 'HS ducenties aut adeo trecenties' (= 20,000,000 aut 30,000,000 sestertiorum); cf. Kuehnerus gr. l. I p. 702; poetae illud 'HS' omittunt, ut Mart. V 70, 5 *o quanta est gula centies comesse.* 'comedere', ut Hor. epist. I 15, 40 *siqui comedunt bona,* Cic. ad Att. VI 1, 25 *putat enim suos nummos uos comedisse*, Paulus Festi p. 58 *'comedum' bona sua consumentem antiqui dixerunt.* — **15. quid est alid sinistra liberalitas?** scil., si hoc non est. plenam locutionem noscimus ex Cic. in Verr. III 30, 71 *quid est aliud capere conciliare pecunias.., si hoc non est ui atque imperio cogere inuitos .. pecuniam dare*; sed hoc alterum membrum saepius omittunt, ut Cic. Phil. I 9, 22 *quid est aliud hortari adulescentes, ut turbulenti .. uelint esse,* ubi cf. Halmius. 'alid', aliud, ut LXVI 28 'alis' pro 'alius'; cf. omnino Ritschelius opusc. IV p. 452 sqq. 'sinistra', peruersa, ut Tac. h. V 5 *instituta sinistra.* de Caesaris liberalitate saepius querebantur; Vulpius cf. Sall. Cat. 52, ubi Cato contra Caesarem *iam pridem equidem nos uera rerum uocabula*

amisimus, quia bona aliena largiri liberalitas .. uocatur, Cic. de off. I 14, 43, Phil. II 20, 50 et 45, 116, Sueton. Caes. 26 et 54. acrius C., male potentes fouere Mamurram ostendens, ita instat ut hunc omnia patrimonia deuorasse moneat, transitu facto per uerba: — **16. parum expatrauit an parum elluatus est?** 'expatrare', *ἅπαξ λεγόμενον* (recte Doeringius cp. 'ecfutuere'), sic Scaliger explicat 'est scortando *μασᾶσθαι*, immo *ἀφείδεσθαι*; sed omnium linguarum felicissime germanica: verhuren; in uetusto glossario latino-arabico: patratio est rei ueneriae consummatio; aliae glossae *ἐκκρίνω ἐπὶ συνουσίας*: expatro'. in aliis glossis 'expatrauit, *ἐπετέλεσεν*'. hoc si ad libidinem, contra ad gulam spectat elluandi uerbum, ut *elluo, ganeo* coniungit Ter. Heaut. V 4, 10; cf. et Cic. p. Sest. 11, 26 *elluo patrimonii*, ibid. 52, 111. ceterum 'parum' (= nondum satis) fortiter repetitum fortiter pronuntia. — **17. paterna prima lancinata sunt bona.** h. e. in particulas dissecta et dissipata per luxuriem. Sall. Cat. 14, 2 *pene bona patria lacerauerat*; sed 'lancinare' fortius; synonyma Beckii [p. 66] *lacerat, qui partibus suis membra destituit; lancinat, qui mutila tum membra discerpit.* — **18. secunda praeda Pontica.** intellege de parte praedae, qua donatus erat Mamurra a. 64 uel 63 a Pompeio belli Mithridatici tertii uictore (cf. Appian. bell. Mithr. 115 sq., Plut. Pomp. 25). ad Caesaris a. 80/79 spolia Bithynica qui referunt, ut illud 'Pontica' neglegunt nimis, ita ab hoc uno uersu Pompei in carmine nostro mentionem explicari praeteruident; cf. et Hauptius op. I p. 13. — **19. tertia Hibera, quam scit amnis aurifer Tagus.** haec pertinent ad bellum Lusitanicum a Caesare propraetore a. 61 gestum, de quo Hauptius cp. Plut. Caes. 12 *ἀπηλλάγη τῆς ἐπαρχίας αὐτός τε πλούσιος γεγονὼς καὶ τοὺς στρατιώτας ὠφεληκὼς ἀπὸ τῶν στρατειῶν καὶ προσαγορευόμενος αὐτοκράτωρ ὑπ' αὐτῶν.* Tagus autem, Lusitaniae flumen *fuluo decurrens limo* (Stat. silu. I 2, 127; Ouid. am. I 15, 34 *auriferi ripa beata Tagi*) testis est et recordatur non sine dolore praedae a Mamurra absportatae; cf. Ouid. met. XII 440 *scit tuus hoc genitor,* Aen. XI 259 *scit triste Mineruae sidus,* Stat. silu. IV 6, 93 et Theb. II 108 (ubi cf. OMuellerus). ceterum cum 'Lusitania' metro non esset aptum ponique deberet Hiberiae nomen, adiecto illo 'q. s. a. a. T.' accuratius rem explicari par erat; male 'Hibera', quod respondet illi 'Pontica', a nonnullis est addubitatum. — **20. hunc gallie timet et britannie.** docet hic uersus corruptissimus, quantopere etiam uiri cetera prudentes ament in uia semel inita pergere. mitto coniecturas eas, quibus metrum non restituitur; nam putare, Catullum hic a norma purorum iamborum desciuisse, nihil est aliud quam emendandi inscientiam transferre in optimum poetam. sed Turnebus ubi semel praeiuit 'timentque Galliae hunc, timet Britannia', alii aliter hunc secuti sunt, ut Lachm. 'time Britannia, hunc timete Galliae', Hauptius 'timete Galliae hunc, time Britannia', LMuellerus 'timentne Galliae hunc, timent Britanniae' proponentes, de sententiae sic restitutae peruersitate securi. recte iam Bergkius dixit: 'C. hoc uerbo [timendi] tum demum uti

potuisset, si Mamurra in istas prouincias profecturus fuisset; at iam reuersus erat, iam utramque prouinciam expilauerat, Galli et Britanni satis superque experti erant Mamurrae rapinas'. cuius praecessoris ignarus simillime olim ipse [anal. Cat. p. 43] adnotaui: 'iam eorum thesauris potitus erat Mamurra, iam eorum diuitiis usus corrumpebat mulieres Veronenses'. nimirum huius carminis propositum ne obliuiscamur. sed Bergkium 'quem scit a. a. Tagus et uncta Gallia, ultima et Britannia' scribentem ('et' male traiectum est, ut alia mittam) non minus fefellit ratio quam HAIMunronem 'et huice Gallia et metet Britannia?' conicientem (quo offensio commemorata praeterea minime tollitur). nam postquam doctum est, Mamurram omnia deuorare atque expatrare, iam nil adiciendum erat quam per asyndeton consummatiuum id, propter quod tota haec disputatio est instituta: tali homini uos male fauentes iterum ex Gallica et Britannica praeda ingentia dona donastis? hinc fluxit emendatio mea: 'eeine Galliae optima et Britanniae?' cui interrogationi indignationis plenae conuenit ellipticum dicendi genus, quo 'data sunt' similisue notio est supplenda; cf. ad XXXVIII 6 *sic meos amores?* 'optima Galliae e. B.' autem, h. e. optima quae Gallia et Britannia habet, egregie dicuntur abrepta inde spolia et tributa; cf. Hor. sat. I 2, 90 *corporis optima* (ibid. I 3, 38 *amicae turpia* et II 6, 89), Tac. dial. 23 *laetissima quaeque antiquorum,* Iuuen. 1, 136 *optima siluarum pelagique,* Auian. fab. 29, 14 *siluarum optima quaeque,* alia. et fortissimum est illud 'eeine' (prisce pro 'eine'): cf. Ter. Andr. I 5, 28 *eine ego ut aduorser?,* Plaut. Curc. I 1, 21 *eine hic cum uino sinus fertur?* poetae autem scaenici cum datiuum 'ei' aut ut monosyllabum aut (media forma 'eiei') ut spondeum adhibuissent plerumque, rarius multo iambice (Brixius ad Plaut. mil. arg. I 4), par erat poetas doctos regulam ubique adsertam, qua uocalis ante uocalem corripitur, eo magis respexisse, quod uetus illud 'eiei' iam magis magisque corripi coeptum erat ('iei' bis habet lex Rubria a. a. Chr. 48). itaque ubi post scaenicos datiuus 'ei' inuenitur (inuenitur autem rarius, quia hoc pronomine omnino abstinere studebant poetae cultiores), ibi habetur iambice, ut Ouid. hal. 34, German. Arat. 333 et 457, in acrosticho Plaut. mil. 11. Catullus uocem aptissimam hic tuto in usum uocare potuit debuitque adhibere iambice.

Versus, qui sunt in V 21—24, quod ThMommsenum secutus inter 10 et 11 exhibui, restat ut defendam; quam traiectionem Mommsenus ipse in uersione huius poematis germanica historiae suae Romanae inserta breuiter indicans rationibus non stabiliuit. initium inde sumit poeta, quod Mamurra opibus afluit quodque his innisus femellas omnes corrumpit. post hoc initium non statim quaeri potest (nam ne iustus quidem transitus adest), num propterea in Britannia fuerit Caesar, ut Mamurra libidinibus suis incumberet; nam ex sola Britannia nullae opes relatae sunt. deinde, postquam demonstratum est deuorasse illum ut cetera ita praedam Ponticam, in fine demum et in alio conexu subicitur Pompei mentio, cui praedam Ponticam debebat Mamurra; nec porro ob

eandem causam in tradito ordine u. 13 'uostra' intellegitur. tum ratione exitus caret carminis, quippe in quo non hoc demonstretur, Pompeium et Caesarem totum terrarum orbem deuastasse propter luxuriam Mamurrae, sed illud, in hunc inmerentem tantas congeri diuitias; facileque sentimus, poema unde coeperit eodem reuerti debere. ipsis denique uu. 21, 22 et 23, 24 nunc quidem nullum est inter se uinculum: posterior interrogatio prorsus abhorret a priore. quibus difficultatibus cum alii aliter uoluerint mederi parum, ut mihi uidetur, probabiliter (Schwabius qu. C. p. 192 sq. solos uu. 23, 24 post 10 traiciens, OIahnius Herm. II p. 240 duo carmina statuens, quorum unum uu. 1—10 comprehendat), omnes nodi uere dissolui mihi uidentur recepto eius inuento, qui primus in tradito ordine uersuum est offensus (omissos casu inter 10 et 11 uersus quattuor librarius errore animaduerso postea, ut fieri solebat, in fine post 20 adiecerat signis additis, quae postea sunt neglecta). sic enim re ipsa exposita (1—10) iam causa rei ita quaeritur, ut simul quam nulla ratio iusta utpote in noto comedo adsit indicetur. et ferimus hoc transitionis loco eo lubentius illud 'fouetis', quod statim noscimus, ad quos pluralis pertineat. nam male peruerseque foueri Mentulam, non potuit sane salsius optineri quam illo 'eone nomine .. ut ..'; et hoc 'eone nomine' nunc duplicato et epanaphora euadit roboris plenissima et coniuncti sunt Pompeius Caesarque, ut postulat u. 13 'uostra' cum sequentibus omnibus. sed postquam illius in u. 21 sq. positi pars prior est corroborata (in uu. 23 sq., 11—15), altera pars ('deuorare') in uu. 16—19 plane fulcitur; et demonstrato eo quod erat demonstrandum quasi ouans in fine, quo simul et euictum id quod posuerat comprehendit et exitum carminis cum exordio iungit sociatque, poeta exclamat 'eeine Galliae optima et Britanniae?!' neque uideo, quidnam huic rationi uere possit opponi; nam Vergilium uersiculum in fine epigrammatis sui additum non potuisse sumere nisi ex fine nostri carminis, nimis inepte statuit LMuellerus: quasi uero uersui 24 undecumque sumpto non sua uis suumque robur maneret saluum integrumque! confirmatur autem haec disputatio plane respectu aliarum rerum. errant enim, qui Catullum acrius in Caesarem inuehi putant ob rerum ciuilium rationes. quid poeta Veronensis de republica senserit, a qua factione steterit, nos nescimus; sed eum non inimicum fuisse Caesaris, carmen XI tamquam alta uoce clamat. nimirum non publicae, sed priuatae res Valerium inpulere, ut in Iulium truces uibraret iambos et hoc in carmine et in eo quod est LVII: in solos ministros, quibus imperator unicus nimis indulsit, omne noster effundit odium suum, cuius sane parte etiam adspergitur is ipse, qui suos nimium se iactantes non intra fines cohercuit omninoque eis se iactandi facultates suppeditauit. sic quia Caesari debebat Mamurra omnia, quibus nunc superbus et superfluens mulieres corrumpebat, in Caesarem quoque Catullus inuehitur: cui inuectiuae solum Mamurram ansam praebuisse, ceterorum carminum in hunc derectorum ratio aperit. nam in hoc quoque plerique falluntur, quod hos

uersus solos contemplati reliquorum poematum respectum non habent. Westphalio [p. 190] hoc debetur, quod in cyclum carminum ad Ameanam pertinentium inserti hi uersus nouam plane lucem accipiunt: Mamurram ut riualem, qui sui ipsius perturbarit rationes, Catullus acerrimo persequitur odio; cf. supra p. 39. est autem, ut iam monui, Veronae carmen nostrum scriptum, ubi per hiemem a. 55/54 cum suis degit Caesar.

XXX.

1. Alfene inmemor atque unanimis false sodalibus. Alfenum (quam nominis formam contra V 'Alphene' non rara illorum 'f' et 'ph' permutatione exhibentem adserunt inscriptiones, ut CIL. I p. 210, 467, 473) IVossius statuit esse P. Alfenum Varum, ictum celeberrimum, consulem suffectum a. a. Chr. 39 (errauit enim Schwabius q. C. p. 83 sq.), de quo cf. Teuffelius HLR. § 208, 3; potestque haec coniectura eo corroborari uideri, quod Alfenus ut Cremonensis erat Catulli popularis; quamquam certam indubitatamque nemo eam dixerit. 'inmemor', semper absolute apud nostrum legitur, h. e. promissa non curans siue perfidus (LXIV 58, 123, 135, 248); cf. u. 9, 10. 'unanimus' (cf. IX 4) saepius de caris concordibusque dicitur: Plaut. Stich. 729 *ego tu sum, tu es ego: unanimi sumus,* Claud. in Ruf. I 105 *et unanimos odiis turbare sodales.* 'falsus' ad similitudinem illius infidus' cum datiuo constructum est, ut ap. Claud. IV cons. Hon. 278 *falsus amicis* (= aduersus amicos). pluralis est generalis, ut LXI 134. — **2. iam te nil miseret, dure, tui dulcis amiculi?** 'iam', nunc ubi quam maxime animum amicum ostendere debuisti; nam ut 'miseret', ita u. 5 'in malis' demonstrat, in miseranda condicione uersatus poeta amicorum hoc nomine dignorum siue auxilium siue solatium expectabat. 'dure', crudelis, ut Verg. ecl. 10, 47, Hor. od. IV 1, 40, Propertius et elegici saepius. 'amiculi' (Hor. epist. I 17, 3) acerbe: quem intimum tuum amicum uocitabas. — in eis quae secuntur interpretandis traditum uersuum ordinem respiciam. — **3. iam me prodere, iam non dubitas fallere, perfide?** 'prod.', contra fidem deserere, ut Cic. Phil. XI 9 *relictus, desertus, proditus* (Gronou. obss. III 20, Ellisius cp. Theogn. 529 *οὐδένα πω προύδωκα φίλον καὶ πιστὸν ἑταῖρον*). 'iam' (= nunc adeo) tam fortiter repetitum est ut sua se ui sustentet nec coeat cum 'non' in solitam significationem; et 'non dubitas' ita *ἀπὸ κοινοῦ* (p. 46) est positum, ut cum uoce iungatur grauiore 'fallere' (h. e. non solum 'expectationi meae non respondere', sed etiam 'a iureiurando non stare': Ouid. rem. 303 *sic me iurata fefellit*). — **4. nec facta impia fallacum hominum caelicolis placent.** anteriores hic adfirmationem agnouerunt, unde Muretus cp. Hom. Od. XIV 83 *οὐ μὲν σχέτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες φιλέουσιν* et AStatius 'nec' more prisco pro 'non' positum (cf. ad LXIV 83 et Draegeri synt. hist. II p. 67²) autumauit non magis probabiliter quam alii pro 'nec tamen' sumpserunt: nimis superflua hic ineptaque haec adfirmatio est, facta impia (de quibus cf. ad XXIII 10) dis displicere. plane igitur adstipulor Schwabio uocem

corruptam statuenti, quamquam eius commento 'num' praefero (posito in fine interrogandi signo) 'nunc', quod comprehendat illud fortiter iteratum 'iam': eone usque peruenit res, ut di talia facta probent? omissa nempe particula interrogatiua in indignatione (Kuehnerus gr. l. II p. 1000). robur autem addit huic emendationi Vergilius, qui Aen. IV 596 *nunc te facta impia tangunt?* non sine recordatione loci nostri scripsisse uidetur. de genetiuo 'fallacum' rariore Neuius d. f. l. II p. 85. — **5, 6. que tu neglegis ac me miserum deseris in malis eheu quid faciant dico homines cuiue habeant fidem.** uulgo post 'malis' punctum ponunt, tum pro 'que' legunt 'quae'. sed hoc ad facta impia relatum tam parum ferri potest quam Muellerianum 'quod' magis ad totum u. 4 spectans: paene puerile hoc duxerim, quod Alfenus illud nihil curare dicitur. nec multum iuuat BGuarini commentum 'quos' (caelicolas). etenim maior offensio in conexu inest adeo infirmo debilique, ut de transpositionibus cogitarent; Lachm. 4 et 5 traiecit post 12, ubi sedem illi optinent alienissimam infringuntque plane carminis uigorem, ego solum u. 5 ('que' in 'quem' mutans) conlocaui olim post 2 adlicientibus causis, quas iam nil attinet enarrare. uerum enim interim uidit HAIMunro in hoc loco felicissimus et multorum peruersorum commentorum culpam redimens una bona emendatione hace 'quom tu .. malis, eheu .. fidem?': nam si tu, qui tam sancte fidem amico promisisti, ab ea non stas, nemini iam credi potest, dis ipsis nunc talia facta probari putandum est. 'in malis' optime accipitur de mala, qua C. laborat, ualetudine (cf. Ter. Eun. II 3, 17 *me in his deseruisti malis* et XXXVIII 1 sq.); unde 'neglegere' siue 'parum curare' eo referri potest, quod Alfenum aegrotantem non uisit siue adlocutione consolari omisit. 'me m.' *ἀπὸ κοινοῦ*. 'eheu', LXXVII 5. 'q. f.' ut LXVI 47 *quid facient crines, cum ferro talia cedant?,* quo conroboratur 'quom'. tum 'dico', quod praeter Peerlkampium [ad Hor. a. p. p. 136] defendere nemo est ausus, recte Pontanus in 'dic' mutauit ('o' ex dittographia ortum est; inprobabiliter Ellisius 'dice'): est nota formula, qua urguenter instanterque aliquid quaerimus; cf. Hor. od. I 8, 1. fides autem, quoniam firmabatur deorum numine (ad LXXVI 3 sq.), hoc iam frustra inuocato in pactione (foedere amicitiae) nec periuria ulciscente, nemini potest haberi. — **7. certe tute iubebas animam tradere, inique, me.** 'certe' ea quae modo dicta sunt ita confirmat, ut simul pronomen maiore cum ui efferatur: recte me ita statuere inde apparet, quod tu ipse (tua sponte) me tibi amicum esse uoluisti tuisque promissis effecisti, nunc uero nauci habes dicta tua omnia. de 'tute' cf. Kuehnerus gr. l. I p. 383. comparant deinde Cic. p. Rosc. Am. 50, 146 *si tibi omnia sua praeter animam tradidit* (h. e. sibi nihil nisi nudam uitam retinuit); sed nimium hoc esse facile senties, si comparabis germanicum 'mein Leben' et 'mein Herz dir uebergeben': illud usu uenit, si uitam alicui tuendam committimus uel consiliis alioue modo regendam mandamus; contra in amore (de quo solo hic agi docet u. sq.) non locum habet, ut equidem puto, nisi 'animus'.

coniunxit utrumque Ter. Andr. I 5, 37 *quae mihi suom animum* (= amorem) *atque omnem uitam* (= uitae tutelam) *credidit*, Plaut. Asin. I 2, 15 *atque amans ego animum meum isti dedi,* Hor. od. I 16, 28 de amica reconciliata *animumque reddas.* malim igitur 'animum'. 'iub.', ut LXIV 140. 'inique', qui nunc animo es inimico, ut Ter. Ad. prol. 2, Ouid. trist. I 2, 6. — **8. inducens in amorem, quasi tuta omnia mi forent.** imago ducta de laqueis, qui specie blanda decipiunt feras parum cautas. saepius sic grammatici 'pellicere' uel 'inlicere' explicant (ut Lucil. IX 33 M. *pelliciendo hoc est inducendo,* glossae mus. Rhen. 31 p. 70 *inlexerat: persuaserat, induxerat*) adhibentque scriptores, ut Tib. I 6, 1 *semper ut inducar blandos offers mihi uultus, post tamen es misero tristis et asper, Amor* (ubi uide Broukhus.) et Cic. Pis. 1, 1 *decepit, fefellit, induxit.* tamquam nil in hac amicitia periculi futurum esset, securus tui amorem meum tibi committere possem; Verg. Aen. I 583 *omnia tuta uides* (aliter ibid. IV 298). — **9. idem nunc retrahis te.** nunc contra te remoues a me; Cels. 1, 1 *interdum in conuictu esse, interdum ab eo se retrahere* (cf. Schmidius ad Hor. epist. I 28, 58). — **dicta omnia factaque.** saepe haec iunguntur formulae instar; Ellisius cp. graecum ἔργον ἔπος τε (λόγῳ καὶ ἔργῳ) et Petron. 1 *omnia dicta factaque quasi papauere et sesamo sparsa,* Tac. a. II 28 *cuncta eius dicta factaque,* alia. — **10. uentos irrita ferre ac nebulas aerias sinis.** nulla est frequentior imago in leuitate ac perfidia (maxime amantium) quam qua promissa data utpote uana atque inania (saepe etiam a dis non exaudita uel spreta) a uentis rapi et auferri dicuntur iam inde ab Hom. Od. VII 408 sq. cum apud graecos tum apud latinos poetas; cf. interpp. ad Verg. Aen. IX 312 (X 652), Hertzbergius ad Prop. II 28, 8, Zingerleius libri de Ouidio I p. 40 sq., infra ad LXIV 142: uenti ad nubes rapiunt, nubes aeriae in omnes partes plane dissipant. — **11. si tu oblitus est, at dei meminerunt, meminit Fides.** Accius tr. 619 R. *nam si* (= etsi) *a me regnum Fortuna atque opes eripere quiuit, at* (= at saltem) *uirtutem non quiit* (Kuehnerus gr. l. II p. 690, Wichertus libri 'Stillehre' p. 263 sqq.). 'meminere, at meminit' olim maluere suauiore quidem rhythmo, cuius sic C. ipse non adeo erat studiosus; caesura neglecta post alteram partem in u. sq., ut post priorem partem u. 7 et 8; de 'meminit' uice copulae repetito cf. XXIII 16. Aen. I 543 *deos memores fandi atque nefandi.* Fidem, quam ut summum foederis icti numen ex deorum omnium turba nominatim C. profert, diuino Romae honore cultam esse notum est; cf. Prellerus myth. rom. p. 224. — **12. postmodo facti faciet tui.** aduerbio inde a Terentio tam in prosa quam apud poetas usitato fortius ueniens tempus ut praesenti oppositum effertur (cf. ex. gr. Hor. od. I 28, 30 *nocituram postmodo .. fraudem*): nunc uilipendis, sed erit quo paenitentia te capiat dies. 'faciet', curam habebit siue efficiet (ex. gr. Nep. Hann. 10, 6 *faciam ut scias,* Apul. met. I 12 *faxo eum .. paeniteat*), arte copulatum cum 'facti' (h. e. perfidiae tuae) in memoriam ultro uocat illud 'par pari referre'.

Catullus non accuratissime (quamquam prudenti sat perspicue) exponens, qua in re fallax perfidusque fuerit Alfenus, effecit ut interpretes in uarias abirent opiniones. recte autem sensisse mihi uidentur ei, qui poetam aegrotum queri putant de amico incurioso inofficiosoque; quam in sententiam omnium optime comparari posse censeo c. XXXVIII. contra qui statuunt, Alfenum auctorem fuisse Catullo amoris cum femina ineundi (et nonnulli de Lesbia cogitauere), sed mox a promisso auxilii praestandi non stetisse, ei in u. 8 *inducens in amorem* nimium acuti totum carmen, in quo omnia laesam amici fidem paene clamant, neglegunt.

XXXI.

1. Paene insularum, Sirmio, insularumque ocelle. Sirmio paeninsula (de forma cf. Liu. XXXI 40, 1 Hertzii, de compositione porro 'paenultimus' et Caes b. g. VI 36 *paene obsidionem*, Cic. de rep. VI 11, 11 *paene miles,* Ouid. epist. 15, 337 *paene puer* et Ausoniana *paene gener* et *paene soror* a Schwabio comparata) in lacum Benacum *in Veronensi agro* (Plin. h. n. IX 75) situm excurrit. uidetur ibi siue Catullus ipse siue pater eius uillulam possedisse, in qua per aestatem degebant; falsos esse qui ibi poetam nostrum natum esse existimabant, dudum constat (Schwabius q. C. p. 29). 'oculus' (ocellus), ut est homini et decus praecipuum et res carissima, translate etiam dicitur de amoenis regionibus urbibusque pulcre (ad mare maxime) sitis, imagine fortasse inde primitus sumpta, quod per aquas nauigantibus aut terra aduenientibus late lucent splendentque, porro adhibita etiam de eis quae circumiacentibus tantum eminent quantum oculi reliquis corporis partibus: Cic. d. n. d. III 38, 91 *Critolaus inquam euertit Corinthum, Carthaginem Hasdrubal: hi duo illos oculos orae maritimae effoderunt* et ad Att. XVI 6, 2 *cur ocellos Italiae uillulas meas non uideo?*; apud Graecos eodem modo poni ὄμμα et ὀφθαλμός euicit qui de hoc usu disseruit PVictorius uar. lectt. IX 9. — **2, 3. quascumque in liquentibus stagnis marique uasto fert uterque Neptunus.** bene Schraderus emend. p. 84 dicit: '*Nept. uterque* non est *marinus et palustris,* ut Vulpius interpretatur [alii Turnebo duce 'mare superum et inferum'], sed *Eous et Hesperius,* ut recte Passeratius ad Prop. III 9 p. 461' adfertque exempla, quae hic aucta adponam: Verg. Aen. VII 100 *sol utrumque recurrens aspicit oceanum* (G. III 33 *utroque ab litore gentes* similiaque mitto), Culex 102 *sol iacit oceanum flammas in utrumque rapaces,* Ouid. a. a. I 173 *ab utroque mari iuuenes* et met. XV 830 *gentesque ab utroque iacentes oceano,* Sen. Herc. Oet. 1838 *utrumque oceanum* et 1902 *utraque Tethys,* Paneg. lat. 3, 6 [p. 107] *et uterque qua diem accipit et reddit oceanus* (ut mittam 'utrumque sidus', 'uterque Phoebus', cf. Peerlk. ad Hor. od. II 2, 11). nam falsa est utique opinio eorum, qui posterioris aetatis singulare illud *utriusque Dianae* Mart. spect 13, 5, h. e. deae tam pariendi quam uenandi, accersunt: unus ubique Neptunus tam in stagnis (Verg.

G. IV 29) quam in mari uasto. nam 'stagna', quae attributo 'liquentia' (h. e. fluida: LXIV 2) ab aquis proprie stagnantibus discernuntur, etsi mare quoque designant (Aen. I 126, X 765), ipso tamen opposito 'mari uasto' indicantur esse intellegenda de lacubus: fingitur ab oriente et occidente incurrere oceanus in terras, quas ambit, modo maribus uastis (maxime mediterraneo, cf. et LXIII 48) eas discernens, modo eisdem minores lacus inmittens nam ne 'stagna' auctore IVossio ad pontum mediterraneum, 'mare uastum' autem ad oceanum referas, ipsius lacus Benaci uetat mentio. 'fert', tamquam in dorso gerit, paulo insolentius est dictum, sed perspicue quippe de eminentibus (pessime a metro Doeringius 'effert'). — **4. quam te libenter quamque laetus inuiso.** nil usitatius est copulatis 'lubens' et 'laetus' et quae ab his descendunt, quamquam hoc illi praecedere solet: Plaut. Stich. II 1, 3 *onustum pectus porto laetitia lubentiaque* et Trin. III 4, 3 *laetus lubens laudes ago,* Enn. Euhem. 11, 62 V. *laetus ac lubens,* Cic. Tusc. IV 8, 60 *laetitia aut libido,* alia; nostram conlocationem ex parte defendi ex Plaut. Pers. V 1, 8 *hilaros lubentes laetificantes* Suessius [Cat. p. 34] obseruauit. insolentius est aduerbium et adiectiuum iuxta positum, cum in certa formula 'laetus lubens' exempla pauca a Kuehnero gr. l. II p. 178 prolata uix ad defendendum sint apta. habet autem **V** 'libente', unde Passeratius uoluit 'libens te', quod sane placet. nam cum affectu repetitur pronomen, ut Hor. od. IV 1, 39 *sequor te per gramina campi, te per aquas .. uolubiles*, Stat. silu. I 2, 16 *te concinit iste (pande fores), te, Stella, chorus* et ipse noster LXIV 24 *uos ego saepe meo uos carmine compellabo*; et facile ipsum πάθος excusat insuetiorem copulae conlocationem. 'inuiso', ad LXIV 233; ob hanc uocem sic statuo, poetam, cum super lacum rediret Sirmionem, inter ipsam nauigationem uillulam ex longinquo uisam salutasse carmine nostro. — **5. uix mi ipse credens Thuniam atque Bithunos liquisse campos.** Sen. Agam. 392[a] *delubra et aras caelitum et patrios lares post longa fessus spatia, uix credens mihi, supplex adoro,* quo manifestiorem in tragoediis illis non deprehendi imitationem. Thynia, ora Bithyniae septentrionalis, habitata erat a Thynis Thraciae natione (Plin. h. n. IV 11, 41), teste Claudiano in Eutr. II 247 *Thyni Thraces arant, quae nunc Bithynia fertur*; Steph. Byz. Ψίλιον ποταμὸς μεταξὺ Θυνίας καὶ Βιθυνίας (Ellisius cp. et Eusthat. ad Dionys. Perieg. 793). 'campos', solita periphrasis, ut XLVI 4 *linquantur Phrygii .. campi* 'linquere' pro 'relinquere', ut iam Plautus, ita noster habet saepius (Draegerus synt. I § 85). — **6. in tuto.** dum ipse iam superatis periculis omnibus saluus integerque sum; Cic. ad fam. XII 2, 3 *ut sitis in tuto* (et sic Graeci ἐν ἀσφαλεῖ). — **7. o quid solutis est beatius curis.** Lucr. IV 908 *atque animi curas e pectore soluat,* Liu. III 8, 8 *eo solutiore cura*; Hor. od. I 22, 11 *expeditis curis,* ubi uide Lambinum. ipsae curae solutae dicuntur res beata, h. e. hominem beatum efficiens. — **8. cum mens onus reponit.** Ouid. ex P. I 10, 38 *uix mens tristitiae nostra tulisset onus.* onus curarum, quales

offert ipsa peregrinatio, intellege. — **9. ac peregrino labore fessi uenimus larem ad nostrum.** opposita 'peregr.' et 'nostrum' (= proprium), ut amant poetae, in membri initium finemque reiecta. sed ut 'labore' et 'lare' parum aut nihil inter se respondent, ita uereor ut 'peregrinus labor' iusta utatur significatione. comparauere nuper Liu. III 16, 4 *peregrino terrore* (qui peregre siue ab hoste peregrino uenit) et Mart. XIII 29, 1 *peregrinae senectae* (in solo peregrino contractae); sed haec aliaque toto ut aiunt caelo diuersa sunt: potest 'labor peregr.' solummodo dici latine is qui in terra aliqua peregrina, nullo modo is qui inter peregrinandum (itineribus) suscipitur. in talibus opus est firmo sensu latinitatis et iudicio subacto. nondum me paenitet emendationis meae 'ab orbe' (Ouid. met. I 94 *peregrinum ut uiseret orbem*). quamquam curae secundae me edocuerunt, potuisse uersiculum ab hoc ipso 'ab orbe' incipientem intercidere, integra manente oppositione illa, ex. gr. in hunc modum ut sit conformandus locus:

ac peregrino
⟨ab orbe longum post mare et uias terrae⟩
labore fessi uenimus larem ad nostrum;

quo simul onus curarum depingitur; cf. Senecae (ad u. 5) illud *post longa spatia* et Hor. od. II 6, 7 *lasso maris et uiarum*. nam nudum 'labore fessi' (scil. itineris) stare potest; cf. Aegrit. Perd. 64. notum est, redeuntes statim larem familiarem adorasse (Prellerus myth. Rom. p. 489), ut non sine consilio 'larem' pro 'domum' sit positum: Marquardtus antiq. VI, 3, p. 122, Iustin. XXXI 8, 4 *Romanos auitos lares . . inexplebile desiderium uidendi tenebat.* — **10. acquiescimus lecto.** Curt. IX 8, 25 *fatigatus . . lectum, in quo adquiesceret, iussit adferri,* Tib. I 1, 43. — **11. hoc est quod unum est pro laboribus tantis.** rarior amplificatio ad efferendum facit: hoc plane unum solumque est praemium (LXXVI 26) aerumnarum, quas perpessi sumus. in qua sententia uix potest aliud inesse quam recordatio sat mira et hinc aliena crumenae inanis, quam ex Bithynia domum rettulit (X et XXVIII). lubens amplecterer eam interpretationem, qua poeta iam hoc unum esse s o l a c i u m omnium quae pertulerit significat, modo illa ex uerbis ipsis sat commode elici posset. conicio 'hoc expetitum est pro'. — **12. salue o uenusta Sirmio atque ero gaude.** religiosa reuertentis salutatio; Muretus cp. Plaut. Bacch. II 1, 1 *erilis patria salue: quam ego biennio, postquam hinc in Ephesum abii, conspicio lubens.* cf. et idem ib. III 3, 52 *saluum te aduenire gaudeo*; possunt autem Sirmio et Benacus ero recepto gaudere eo, quod blandissima specie se offerunt reuisentis oculis; cf. ad LXIV 46 *tota domus gaudet.* 'uenustus' etiam ad res transfertur, ut Phaedr. IV 5, 34 *uenustis hortulis.* — **13. gaudete uos quoque lidie lacus undae.** Bergkius [Philol. XVI p. 618] uoluit 'ero gaude gaudente', sine iusta causa delens repetitionem uere Catullianam (cf. LXIII 59 sq.). in uerbis corruptis 'quoque lidie' plerique scripserunt 'Lydiae', Veronam et totum illum tractum olim obsessum esse ab Etruscis (Liu. V 33, Tac. a. IV 55),

qui ipsi descenderent a Lydis (interpp. ad Hor. sat. I 6, 1), recordantes. qualis doctrina recondita omnium minime huic carmini conuenit; ut mittam morem poetae nostri flagitare 'Lydii lacus undae', a qua norma recedendi nulla erat causa. eodem autem uitio laborat Lachmannianum 'Libuae' (Liu. V 35, XXI 38), cuius uocis et mensura dubia; aliud epithetou requirentes Scaliger 'ludiae' (insolenter pro 'ludentes'), Auantius 'limpidae' (at cf. ad IV 14), BGuarinus 'lucidae' uoluerant, omnes dum inmutant (ut et uulgati 'Lydiae' defensores) 'uos quoque' auctoribus Italis in 'uosque' uel 'uos o' uel 'uosque o'. ex quibus quod dicunt 'uosque' accipi posse pro 'uos quoque', dubium est (Prop. III 21, 16 'que' traiectum est). sed hic quoque ars iubet, ut solum corruptum 'lidie' mutetur, non simul 'quoque' nulli dubitationi obnoxium. cumque 'undae' exposcat attributum quoddam (unde commenta, quale est 'hoc die', concidunt), unus Heysius quod omni a parte placeat reperisse mihi uidetur scribendo 'uos quoque incitae l. undae'. notum est ex Verg. G. II 160 *fluctibus et fremitu adsurgens, Benace, marino* hunc lacum concitatiorem esse; ferociam undae iubentur ut eri aduentu gaudentes deponant induantque faciem placidam (LXIV 270, Sil. Ital. III 307 *incitus amnis,* ibid. 450). — **14. ridete quidquid est domi cachinnorum.** ridete, cachinni, quotquot estis in uillula (cf. ad III 2, porro XIII 5 et LXIV 284 *domus iocundo risit odore,* Colum. X 280 *omnia plena iocis, securo plena cachinno*). non male inde ab AStatio multi accipiunt de plangore undarum, quae leni nec nimis uiolento susurro, quemadmodum olim, ita nunc requiescenti somnum inuitent (cf. ad LXIV 273), nisi quod nec 'est domi' (explicant 'habetis, possidetis') ualde placet nec uero hoc 'ridete, undae, omnes risus (h. e. effusissime)' in illam sententiam quadrare uidetur. adloquitur poeta primum Sirmionem, tum lacum, denique uillulam; bene MHertzius [apud Westphalium p. 265] cp. epigramma ap. Gell. I 24, 3 *risus .. conlacrumarunt,* hinc risum etiam ridere potuisse lepide concludens.

Scriptum esse apparet hoc carmen anni 56 tempore fortasse autumnali (supra p. 37).

XXXII.

1. Amabo, mea dulcis Ipsimilla. sic ego restitui duce libro optimo **O**, qui 'ipsi illa' praebet, cum antea ex G, qui hic quoque interpolatus 'ipsithila' exhibet, legeretur uulgo 'Ipsithilla' ('Ipsitilla' Buechelerus ad Petron. p. 74). nam ipse (dominus) et ipsa (domina) ut uocabantur 'ipsimus' et 'ipsima' (Petron. 69, 75, 76; cf. ad I 9), sic hinc ὑποκοριστικόν deriuare licuit 'Ipsim-illa' eodem modo quo fit 'Septim-illus' (XLV 13), 'Attic-illa' (Mart. XII 97, 4), 'Chrest-illa' (ibid. VIII 43, 1), 'Maron-illa' (ibid. I 10, 1), alia multa: omni etymologiae inludit forma barbara 'Ipsit(h)illa' uel 'Ipsicilla' (sic G in titulo). neque probabiliores coniecturae antea prolatae, 'hospitilla' a Turnebo, 'Hispitilla' ab IVossio, 'Hypsithilla' a Scaligero (graeci 'Hypsithea' deminutiuum), aliae. sed

nomen a me restitutum (quod comprobauit Woelfflinus de comparat. lat. et rom. p. 4) num reuera fuerit huic meretrici an pro tempore fictum sit a poeta blandiente, dubium manet. 'amabo' siue plenius 'amabo te' plane ut 'oro te' adhibebatur in sermone familiari; cf. de hac precandi formula ex. gr. Plaut. Men. II 3, 71 et III 3, 1 et IV 3, 4 *pallam illam, amabo te, .. mihi eam redde,* Ter. Eun. I 2, 50 *hoc agite, amabo* et I 2, 70 *id amabo adiutes me* et III 3, 28 *fac, amabo,* Cic. ad Q. fr. II 10, 4 *amabo te, aduola.* — **2. mei lepores.** Ellisius cp. Plaut. Cas. II 3, 18 *respice, o mi lepos* et I 1, 4 *mea uita, mea mellilla, mea festiuitas.* — **3. iube ad te ueniam meridiatum.** ad constructionem rariorem cf. Ter. Heaut. IV 4, 15 *iube maneat* (Kuehnerus gr. l. II p. 808). de meridiatione siue somno post prandium in ipsa diei parte media (hora septima) capto cf. Marquardtus antiqq. priu. p. 261 sq.; fuisse eius etiam in rebus Venereis partem similem atque noctis, recte AStatius conlegit ex LXI 111 (LXXX 3 sq.) et Ouid. am. I 5. unde 'ad te' non solum a 'ueniam' pendet, sed dicitur 'meridiare (-ri) ad aliquam' ad similitudinem illius 'dormire ad (= apud) aliquam'. sic autem rem tibi fingas, per eundem puerum, qui hoc epistolium ad scortillum tulit, responsum esse referendum poetae. — **4. et si iusseris illud adiuuato.** parum refert, comma ponatur post 'illud' (ut factum est post Lachmannum) an ante idem (ut optinuit olim et nuper a RKlotzio iterum est commendatum; de hac constructione cf. Kuehnerus gr. l. II p. 212); multo enim maior difficultas latet in ipso adiuuandi uerbo. etenim si ei, cuius in re efficienda pars maior minorue est, auxilium praestatur ab aliis, quomodo Catullus, cuius nulla est pars in re u. 5 exposita, in hac tamen ab Ipsimilla adiuuari potest? repertum a Turnebo multisque deinceps aliis (ut Gifanio coll. ad Lucr. p. 301) repetitum 'adiubeto' sine dubio maiore consensu esset receptum, nisi uox idoneis testimoniis carere uideretur. sed quamquam est male inprecandum casui, qui eis nos fraudauit, tamen de ipsius uocabuli et oportunitate (h. e. praeterea, insuper iubeto) et iusta formatione (cf. adposcere, adpromittere, adcrescere, alia) nihil detrahitur. — **5. nequis liminis obseret tabellam.** ueretur poeta, ne, si uenturi ignara ministra clauserit ianuam, ipse pergulae inquilinis per meridiationem somno traditis aditum non sit habiturus; nisi forte praestat cogitare de metu, ne puella male proterua cupidum amatorem exclusura sit (cf. Hor. sat. II 3, 260 cum interpp.). 'limen' sensu ampliore significat introitum siue ianuam casae (ut Plaut. mil. III 1, 1; contra LXVIII^b 75 'ianua' pro 'limen'); quam ianuam conformabat ut in aedicula meretricia una foris siue tabula, quae cum quodam contemptu 'tabella' uocatur; sic tabellam liminis pro ipsa ianua poni more Graecorum, qui θύραν uocent σανίδα, uere obseruat IVossius. ea sera opposita (= obserare) occludebatur; Apul. met. X 19 *obserata fore.* — **6. lubeat foras abire.** scil. me ludificando. dolos, siquos paratura sit mala puella, caute praeuertit noster. — **7, 8. paresque nobis nouem continuas fututiones.** iocosa ὑπερβολή auiditatis spe praesumentis plurima. 'cont.', non interruptas: Ouid. am. III

7, 23 *at nuper bis flaua Chlide, ter candida Pitho, ter Libas officio continuata meo est; exigere a nobis angusta nocte Corinnam me memini numeros sustinuisse nouem.* 'pares', de apparatu meretricio; cf. in re simili Apul. met. X 20. uoce 'fututio' post Catullum, qui primus habet, usi sunt Seneca epigr. 70, 7 [PLM. IV p. 84] et Mart. I 106, 6. — **9. siquid ages, statim iubeto.** si forte moliri atque exequi uis ea, quae a te peto. obuersabatur, ni fallor, poetae illud *age, siquid agis* (Plaut. Epid. II 2, 12 et Stich. V 4, 35), sed loco illius 'age' id quod magis ex re erat 'statim iubeto' (scil. ad te ueniam: u. 3) posuit, non solum per 'statim' meretriculae in memoriam reuocans illud 'bis dat, qui dat celeriter' (P. Syrus I 6), sed etiam imperatiui forma fortiore urguens ad agendum. lepide Vulpius: 'uide, si lubet, quid acciderit poetae Venusino puellam expectanti, sat. I 5, 82'. — **10, 11. nam pransus iaceo et satur supinus pertundo tunicamque palliumque.** melius multo construeretur 'pransus et satur iaceo supinus' quam, ut uulgo faciunt, 'et pertundo satur supinus' (qua in ratione 'supinus' male cum 'satur' iunctum abundat post 'iaceo'; et hoc cohaerere cum 'supinus' simplex iudicium agnoscit), si liceret in u. ultimo prius 'que' ad 'pertundo' referre (= pertundoque tunicam palliumque). nec uidetur de huius traiectionis licentia tuto permissa dubitari posse, si comparamus LVII 2. quod si minus placet, posito post 'supinus' commate uerba extrema per asyndeton hic in summa inpatientia sua gratia non carens adiungi statuamus. in uulgari constructione non sine causa offensus AStatius pro 'satur' coniecit 'sathe (= σάϑη)', h. e. membro uirili. de prandio ante meridiationem hora sexta septimaue sumpta cf. Marquardtus l. l. [p. 258 sqq.]; erat illud apud homines modicos eius modi, ut tantum praeluderet cenae (*quantum interpellet inani uentre diem durare* Hor. sat. I 6, 127). bene igitur largeque illo die pranderat noster, eratque iam (quod euenire solet pleno nimis uentre) opus Callirhoe quadam (Pers. 1, 134). bene Vulpius cp. Plaut. Most. III 2, 3 *prandium mihi uxor perbonum dedit, nunc dormitum me iubet ire.* 'supinus' huic condicioni uentris onerati conuenit. 'pertundere' autem qua re efficiatur, docet Mart. XI 16, 5 *o quotiens rigida pulsabis pallia uena*; Scaliger cp. Eurip. Cycl. 328 *πέπλον κρούω*, AStatius deam Pertundam, de qua cf. Prellerus myth. Rom. p. 587. 'pallium' ad XXV 6 dixi, fuisse uestem foras ambulantium; unde noster se, ut ad faciendum, ita ut ueniendum paratum iacere innuit.

XXXIII.

1. O furum optime balneariorum. glossae Labb. p. 79 *fur balnearius*: *βαλανοκλέπτης*. nihil eis frequentius erat in antiquitate, quamquam nihil eis contemptius: 'lauantium praedonem' una cum sicario manticulario sacrilego corruptore nominat Tertullianus apolog. 44, ubi Havercampius largam materiam attulit, cf. et PVictorius uar. lectt. VII 17 et Wouwerus ad Petron. 30 et Beckerus libri 'Gallus' 1 p. 138 sq. R.;

qui inter alia comparant Plaut. Rud. II 3, 51 *qui it lauatum in balneas, ibi cum sedulo sua uestimenta seruat, tamen surripiuntur, quippe qui, quem illorum seruet, falsust: fur facile quem obseruet uidet, custos qui fur sit nescit* (de his uestium custodibus cf. Ouid. a. a. III 639), Sen. epist. 56, 2 *adice nunc scordalum et furem deprehensum et illum, cui uox sua in balneo placet,* Petron. 30 *subducta enim sibi uestimenta dispensatoris in balneo,* Apul. met. IV 8 *uos bonae frugi latrones inter furta parua atque seruilia timidule per balneas et aniles cellulas reptantes scrutariam facitis.* 'optime', in arte tua eminentissime, furandi callidissime; nam 'bonus', h. e. peritus (cf. ad LXIV 23), interdum etiam in rebus malis adhibetur, ut Tac. a. III 74 *furandi melior*; Eupolis ap. Gell. I 15, 12 λαλεῖν ἄριστος. de ipsis hominibus, Vibenniis patre filioque, nil scitur. — **2. cinaede fili.** adiectiue accipe 'cinaede' (X 24 *cinaedior*). — **3, 4. nam dextra pater inquinatiore, culo filius est uoraciore.** 'furem' C. uocauerat patrem, 'cinaedum' filium; obicientem quempiam sibi audire uidetur, tamen et patrem esse cetera inpurum et filium rapacem; accuratius igitur quae dixit stabilit, nimirum a studio potiore seniorem Vibennium magis furibus, iuniorem magis cinaedis esse adscribendum. LCarrio [antiq. lectt. I 16] et FHandius [obss. p. 83] ita exitus uersuum traiciendos putabant, ut pater 'dextra uoraciore' (= 6 'patris rapinae'), contra filius 'culo inquinatiore' (= 7 'natis pilosas') essent. quae si uere sibi responderent, in tradita lectione subesse dicerem facetiae ex inuersione petitae genus, quo Cic. de fin. II 34, 112 *maria ambulauisset, terram nauigasset* et Tac. dial. 26 *ut oratores nostri tenere dicere, histriones diserte saltare dicantur* luserunt. nunc tota ista ratio peruersa est; iam Scaliger in Carrionem inuectus: 'discant, inquam, quare βαλανοβόρον uocauit Diogenes adolescentem ϑηλυδρίαν. nam quis dextram *uoracem* diceret?' uere hoc uir magnus; et recte manus (sic accipe 'dextra', cum proprie 'laeua' in furibus notetur: ad XII 1) audit 'inquinata', h. e. polluta et contaminata furtis; notum est salsum Sextii ad Appium auaritia furtisque impuras habentem manus responsum *manus laua et cena,* Cic. de or. II 60, 246. nec opus uidetur, ut auctore AStatio hoc epitheton simul patris obscenitatem quandam (masturbationem) innuere aiamus. nates autem filii quod audiunt 'uoraces', Dousa minor cp. Mart. II 51, 6 *infelix uenter spectat conuiuia culi, et semper miser hic esurit, ille uorat,* h. e. auide haurit, numquam satis recipit. puto autem praeterea inesse, quod magis in uituperium sit accipiendum: culus eius est profunda fossa, in quam tamquam barathrum abruptum sese demittit penis, cf. Tib. Priap. 2, 32. sensu caret uaria in G lectio 'uolantiore', quod pessime Ellisius 'inuolantiorem' aequare posse statuit. — **5. cur non exilium malasque in oras itis?** praepositio ad alterum colon addita, ut saepius, etiam ad prius spectat, cf. Verg. Aen. II 654 *inceptoque et sedibus haeret in isdem,* ubi uidendus Weidnerus, Hor. od. III 25, 2 *quae nemora aut quos agor in specus* ibique Bentleius (interpp. ad epist. II 1, 25). 'malas oras', terras tristes et infelices et desertas,

ut Hor. od. I 22, 19 *quod latus mundi nebulae malusque Iuppiter urguet* (ib. I 26, 4 *rex gelidae orae,* LXVI 43). ibant autem in exilium non solum ei qui damnati iudicio publico aqua et igni interdicebantur, sed etiam qui iudicii sententia non expectata ultro decedebant. hic si cum exilio per figuram ἓν διὰ δυοῖν coniunguntur. malae orae, in memoriam reuocatur deportatio in regiones (maxime insulas) steriles incultasque. iam ut ex nostro loco, ita ex Ter. Phorm. V 7, 85 *non hoc publicitus scelus hinc asportarier in solas terras* aliquis concluserit, non sub imperatoribus demum deportationem (de qua cf. ex. gr. Casaub. ad Suet. Caes. 66, Maduigius libri 'Verfass. u. Verwalt. d. roem. Staates' II p. 294) usu uenisse, quamquam hoc nomen fortasse serius increbuerit, sed sub condicionibus nobis ignotis iam sub fine liberae reipublicae locum habuisse. licuitne censori, fures balnearios notos relegare? hoc si statuimus, erit sententia: cur tales homines Romae ambulant libere, cur non eiciuntur releganturque? quamquam non necessaria est haec interpretatio, cum etiam de exilio uoluntario cogitari sane possit. — **6. quandoquidem patris rapinae notae sunt populo.** XL 7. Verg. Priap. 3, 19 [PLM. II p. 161] *malas abstinete rapinas,* Apul. met. IV 26 *non rapinae manus adferunt.* populi non sine ratione fit mentio, quippe quo notante a censoribus homines infames (ut fures et ei qui corpore suo muliebria sunt passi) afficiantur ignominia (cf. Reinius libri 'das Privatrecht' p. 129 sqq.); qua nota inustos contemptum publicum uitaturos haud raro Roma decessisse, per se oppido est probabile (cf. et Reinius l. l. p. 131 not.). sed de hac censoria ignominia ita cogitat poeta, ut dicat: estis infames apud omnes, cur non publicam notam effugientes pedem refertis in regiones ignotas? — **7, 8. et natis pilosas, fili, non potes asse uenditare.** non inuenit uetulus cinaedus (ad XVI 10) iam amatores uel minimo pretio se prostituens. Cato (Sen. epist. 94, 27) *quod non opus est, asse carum est* (cf. et V 3); 'ase', quod V praebet, ut priscam scripturam fortasse retinere licet. 'uenditare' hic pro 'uendere' (CVI 2), ut Plaut. mil. II 3, 41 *non ego possum, quae ipsa sese uenditat, tutarier.*

XXXIV.

1. Dianae sumus in fide. in tutela (quod et ipsum de deis saepius adhibetur, ut Cic. d. fin. III 20, 66 maximeque Hor. od. IV 6, 33) deae eius, quae utpote uirgo gaudet puerorum puellarumque flore integro horumque famulitio fruitur et carminibus celebratur (Prellerus myth. gr. I p. 237 sqq.); Ter. Hec. prol. 45 *se in uestram commisit fidem,* Cic. p. Rosc. Am. 33, 93 *quaere in cuius fide sint et clientela.* — **2. puellae et pueri integri.** uix est quod moneam, errare eos qui attributum tantum ad pueros spectare putant. 'integri' hic maxime dicuntur qui corpore sunt puri castique (LXI 36 *integrae uirgines* et XV 4, Plaut. Truc. IV 3, 47 *filia integra,* Ter. Hec. I 2, 70 *uirgo integra*), sed praeterea inest latior significatio, quae in uersu tertio praeualet, petita illa

ex iure sacro, nimirum haece 'qui a natalibus sine nota sunt', h. e. ingenui, qui uocabantur camilli et camillae (cf. Marquardtus libri sui de antiq. VI, 3, p. 222) quorumque propria erat in sacris pars. quippe nobilitas generis etiam in his choris sollemnibus spectabatur (Hor. od. IV 6, 31 *uirginum primae puerique claris patribus orti* et c. s. 6 *uirgines lectas puerosque castos,* ubi cf. Orellius, Sueton. Cal. 16 *nobiles pueri et puellae,* Dio Cass. LIX 16 *εὐγενεστάτους*). subiciuntur autem uu. 3 et 4 per asyndeton consecutiuum: ex hoc praesidio, quo fruantur, laudem atque praedicationem deae se debere conligunt pueri puellaeque. — **5, 6. o Latonia, maximi magna progenies Iouis.** de matre Latona cf. Prellerus l. l. p. 184; et sollemne erat, eam siue Apollinis siue Dianae in laude simul appellare (cf. ex. gr. Hor. od. I 21, 3 sq., Culex 11). cum alibi haec per adscensionem iungantur (ut Ouid. ex P. IV 2, 1 *uates magnorum maxime regum*), hic per descensionem a patre summo tantum tamen potentiae redundare dicitur in filiam minorem, ut et ipsa sat potens ualensque sit. — **7. quam mater prope Deliam deposiuit oliuam.** 'deponere', eniti, ut Phaedr. I 18, 5 *onus naturae melius quo deponeret* et ib. 19, 4 *ut fetum .. deponeret* (sic et 'ponere onus' uel 'fetum'), quemadmodum Graeci *ἀποτίθεσθαι* (Callim. hymn. Iou. 15 et Dian. 25) et *κατατίθεσθαι* (Theocr. 26, 34 *Διόνυσος, ὃν ἐν Δρακάνῳ νιφόεντι Ζεὺς ὕπατος .. κάτθετο*). de forma prisca 'deposiuit' Neuius d. f. l. II p. 491². de Dianae sede natali cum uaria tradantur (de Ortygia cf. Prellerus l. l. p. 229), primus Pindarus uidetur Delon tamquam sedem illam celebrasse (fr. 64 sq. B.). in olea consentiunt Pausan. VIII 23, 4, Hygin. f. 53 et 140 *oleam tenens Latona peperit Apollinem et Dianam,* Tac. a. III 61 *et oleae, quae etiam tum maneat, adnisam edidisse ea numina* (huc Catullianum 'prope' uidetur spectare); alias arbores palmam maxime, nominant Hom. Od. VI 162 et hymn. Ap. 117, Theogn. 5 sqq., Eurip. Hec. 451 sqq. et Ion. 919 sq. et Iph. Taur. 1099 sqq., Theophr. h. pl. IV 13, 2, Callim. Del. 209, Aelian. u. h. V 4, Ouid. met. VI 335 et XIII 635. — **9. montium domina ut fores.** Arcadum *Δέσποινα* (Prellerus l. l. p. 234); Hom. Od. VI 102 sqq. et hymn. 27, 4 sqq., Callim. h. Dian. 18 sqq., Hor. od. III 22, 1 *montium custos nemorumque uirgo*; infra LXIV 300. — **10. siluarumque.** Aen. IX 405 *nemorum Latonia custos*, Hor. c. s. 1 *siluarumque potens Diana* et od. I 21, 5 sqq.; Prellerus myth. rom. p. 278. — **11. saltuumque reconditorum.** 'saltus' (ut mittam pastionum significationem) tam fauces siue angustias denotat quam eas quas illae aditu difficili obsaepiunt regiones siue ualles undique clausas, quae hinc 'reconditae' siue auiae audiunt quaeque prae ceteris utpote ferarum cubilia a uenantibus frequentantur; Ouid. epist. 5, 17 *saltus uenatibus aptos,* Verg. G. I 140 *et magnos canibus circumdare saltus,* Nemes. Cyneg. 86 *quae saltus placitos siluasque pererras, Latonae, Phoebe, magnum decus.* — **12. amniumque sonantum.** haec ut priorum uersuum descriptionem perficiunt, ita Dianam ab alia parte nobis ostendunt ut numen fluuiale; Pind. Pyth. 2, 6 *Ὀρτυγίαν, ποταμίας*

ἕδος Ἀρτέμιδος, Hor. od. I 21, 5 *laetam fluuiis,* Prelleri myth. gr. I p. 235. AStatius cp. Theocr. 17, 92 ποταμοὶ κελάδοντες, Verg. G. III 269 *transque sonantem Ascanium* et Aen. XII 139 *fluminibusque sonoris.* de forma in '-tum' desinente cf. Neuius II p. 83 sq. — **13. tu Lucina dolentibus Iuno dicta puerperis.** Hor. c. s. 13 *rite maturos aperire partus lenis, Ilithyia, tuere matres, siue tu Lucina probas uocari seu genitalis*; Ter. Andr. III 1, 15 *Iuno Lucina, fer opem*; Varro d. l. l. V 69 *quod ab luce eius qua quis conceptus est usque ad eam qua partus quis in lucem luna iuuat, donec mensibus actis produxit in lucem, ficta a iuuando et luce Iuno Lucina: a quo parientes eam inuocant, luna enim nascentium dux quod menses huius,* Cic. d. n. d. II 27, 68, Macr. VII 16, 27 *Lucina a parturientibus inuocatur, quia proprium eius munus est distendere rimas corporis et meatibus uiam dare, quod est ad celerandos partus salutare; et hoc est quod eleganter poeta Timotheus expressit* διὰ λαμπρὸν πόλον ἄστρων διά τ' ὠκυτόκοιο σελάνας (cf. Plut. q. R. 77). 'puerperam' per se apparet hic non dici eam quae iam peperit (ut plerumque), sed parituram, ut Plaut. Amph. V 1, 40 *ubi utero exorti dolores, ut solent puerperae.* Hor. od. III 22, 2 *laborantes utero puellas.* — **15, 16. tu potens Triuia et notho es dicta lumine Luna.** Diana ut Hecate Τριοδῖτις siue Triuia cognominata (Prellerus myth. gr. I p. 248) audit 'potens' (Val. Flacc. VI 440 de Medea *nocturnis qua nulla potentior aris*) utpote praeses sacrorum magicorum, quae in triuiis maxime instituta esse notum est: Aen. VI 247 *Hecaten caeloque Ereboque potentem,* Ouid. epist. 12, 168 *Hecates sacra potentis,* Val. Flacc. III 321 *Triuiaeque potentis.* de Luna certabant ueteres, ex alieno lumine Solis an proprio fulgore luceat; qua de re extat longior Augustini in psalmi 10 enarratione disputatio; Lucr. V 575 *Lunaque siue notho fertur loca lumine lustrans siue suam proprio iactat de corpore lucem* (Muretus cp. etiam Festum s. u. 'mulus'). de hoc lumine notho (quod praeterea habet Arnob. II 20, νόθον φέγγος de Luna adhibere Philonem I 628 adnotat Vulpius) cf. Quintil. III 6, 97 *nothum, qui non sit legitimus, Graeci uocant, latinum rei nomen, ut Cato quoque .. testatus est, non habemus, ideoque utimur peregrino*: nimirum nec 'alienus' rem plane exprimit nec 'spurius' iam tum translate adhiberi coeptum erat. ceterum quotiens hunc locum lego, renouatur suspicio, ne forte 'dicta' ex priore colo inrepserit: nec enim iam id quod dicitur a nonnullis, sed quod nullo dubitante omnibus Diana est exponi debet. nec satis congrua uidentur haece 'notho lumine Luna es dicta', siquidem Diana Luna audit utpote lucens, non ab lumine spurio; in quam notionem cum omnis uis cadat, laus tota euanescit peritque. puto Catulli esse 'et notho es clara lumine Luna': quamquam ignem a fratre es mutuata, late lucens nocte es sidus; ut habet Sen. Phaedr. 410 *clarumque caeli sidus* (totum locum inde a u. 406 cum nostro carmine compara). Lunae autem mentio facilem ad sqq. transitum praebuit. — **17, 18. tu cursu, dea, menstruo metiens iter annuum.** Cic. d. n. d. I 31, 87 *sol .. cursus annuos conficit, huius hanc*

lustrationem eiusdem radiis incensa menstruo spatio Luna complet et Varro d. r. r. I 5, 4 *quae ad solis circuitum annuum sint referenda et quae ad Lunae menstruum cursum.* 'metiri', a cuius uocis radice etiam 'mensis' descendere notum est (GCurtius libri 'Grundzuege' p. 335[5]), hic seruata distributionis notione ualet 'conficere', ut Ouid. met. VIII 564 *duas lucis partes Hyperione menso* (cf. et 'mare nauibus metiri' aliaque): complet circuitum in anno faciendum, minus spatium nouo quoque mense denuo percurrens. — **19, 20. rustica agricolae bonis tecta frugibus exples.** Sen. d. ben. IV 23, 1 *num dubium est, quin hoc humani generis domicilium circuitus solis ac lunae uicibus suis temperet? quin alterius calore alantur corpora..., alterius tepore efficaci et penetrabili regatur maturitas frugum?*; Callim. h. Dian. 130, Hor. od. IV 6, 39. 'bonis' tam a qualitate quam quantitate (= largis), ut Hor. epist. I 18, 109 *sit bona .. prouisae frugis in annum copia*; id quod suppeditat uox 'exples', h. e. ad summum usque fastigium imples domum, ut in rure, humilem. — **21, 22. seis quocumque tibi placet sancta nomine.** de πολυωνυμίᾳ, qua gaudent caelicolae, apte Vulpius cp. Plat. Cratyl. p. 400 *δεύτερος δ' αὖ τρόπος ὀρθότητος, ὥσπερ ἐν ταῖς εὐχαῖς νόμος ἐστὶν ἡμῖν εὔχεσθαι οἵτινές τε καὶ ὁπόθεν χαίρουσιν ὀνομαζόμενοι*, Callim. h. Dian. 7 (Aristoph. Thesmoph. 320, Aesch. Ag. 160); cf. et Orest. trag. 87. non pertinent lemmatis uerba ad rariora Dianae cognomina (ueluti Triformis, Nemorensis, sim.), sed dat poeta ei optionem, ut quo ipsa malit nomine modo commemorato uocetur siue Iuno Lucina siue Triuia siue Luna siue Diana, plane ut Hor. c. s. 15 (cf. ad 13). 'sancta' participium uolunt esse (h. e. culta, uenerata); quo modo nusquam uox illa adhibetur. adiectiue igitur ut solitum deorum attributum (cf. ad XXXVI 3 et graecum ἅγιος: Apul. met. XI 17 traditum *αοια εφεσια* corrige *O* in *Γ* mutata) nec in Diana rarum (Gruteri inscr. 41, 5, Orell. 1444 *Dianae Sanctae*) sumendum esset, si huic precatiuo 'sis sancta' iuxta alterum 'sospites' ullus esset locus. erat haec dea sancta manebitque sancta Romanis in omne tempus: quid hoc optari oportuit? antequam poeta precatur almum Dianae praesidium, ipsam ut se inuocari patiatur rogat; unde corrigendi existo auctor 'seis q. t. p. cita nomine'. nam ut in compositis 'excītus' et 'excĭtus', 'concītus' et 'concĭtus' (cf. Neuius II p. 582 sq.), ita inter 'cītus' et 'cĭtus' hoc statuo discrimen, ut illud participium, hoc adiectiuum fuisse dicam (quae est causa, cur semper 'accītus' inueniatur). — **23, 24. Romulique, antique ut solita es, bona sospites ope gentem.** Hor. c. s. 47 *di ... Romulae genti date.* 'antique' Scaliger in 'Ancique' mutari uoluit, alterum post Romulum regem inlaturus, de quo Ennius a. 150 V. *postquam lumina sis oculis bonus Ancus reliquit*; sed hoc additum non minus uacat hic, ubi sola Romanorum circumscriptione opus est, quam illud a RKlotzio excogitatum 'antiquei', h. e. fabulosi (ad VII 6). quamquam uerum est, permire esse adhibitum 'antique', h. e. more antiquorum siue *ἀρχαικῶς* (sic Lucil. XIV 9 M., Hor. epist. II 1, 66, Tac. Germ. 5), cum

requiratur 'antea (antiquitus)' uel 'hucusque'. corrupta uox uidetur ex 'ante'que', h. e. 'anteusque' siue diremptis litteris 'ante usque', h. e. continuo (XLV 14, XLVIII 2); cf. et Priap. 77, 8 *qui prius usque .. solebam* et 12, 12 *ut semper solet*. 'bona ope', beniuolo auxilio, ut LXVII 2. ad sospitandi uocem Vulpius cp. Liu. I 16, 3 *pacem precibus exposcunt, ut uolens propitiusque suam semper sospitet* (= incolumem seruet) *progeniem* (Enn. trag. 249 et Pacuu. 234 R.).

Saepius in comparationem uocaui Horatii cum od. I 21 (cf. et IV 6), tum carmen saeculare. cum quo nostrum poema id habet commune, quod et ipsum teste fine compositum est iussu publico — ut olim Liuius Andronicus carmen in Iunonem a uirginibus cantatum fecit, postea simile P. Licinius Tegula (Liu. XXXI 12) — et a choris iuuenum uirginumque est dictum. nam cetera hymnus ille Horatianus satis diuersus est a nostro, quem male olim et ipsum 'carmen saeculare' inscripserunt (Schwabius q. C. p. 355). sed obscurum est, quando et in quod deae sacrum confecti sint hi uersus. nam neque Marcilii opinio, tum esse eos cantatos, cum libri Sibyllini consulerentur, neque Bentlei [praef. Hor. p. XIII] de idibus Sextilibus Dianae sacratis (Prelleri myth. rom. p. 283 sq.) cogitantis sententia habet, quo se magnopere sustentet. hoc quoque, num ita inter pueros et puellas strophae sint distribuendae, ut hae cecinisse dicantur 5—8 et 13—16, illi contra 9—12 et 17—20, omnes denique simul initium finemque, in dubio est relinquendum: totum carmen ab utroque choro cantatum esse equidem lubentius credo.

XXXV.

1, 2. Poetae tenero, meo sodali, uelim Caecilio, papyre, dicas. apostrophe ad epistulam (ex papyro siue carta constantem) tamquam nuntium eius qui scribit, ut Stat. silu. IV 4, 1 *curre per Euboicos non segnis, epistola, campos* eqs., Auson. epist. 16, 2, 1 *perge, o libelle, Sirmium et dic ero meo ac tuo aue atque salue plurimum* (Hor. epist. I 8, 1 huc non pertinet). 'uelim dicas', ut LXVIII[a] 37. de hoc Caecilio nihil praeterea ad memoriam nostram est traditum; fuisse eum poetam lyricum, attributum aperit 'tener' proprium eorum, qui teneros amores canunt (supra p. 16); et 'sodalem suum' cum eundem uocet Valerius, unum ex cantoribus Euphorionis agnoscamus oportet, qui in studiorum ratione easdem quas Caluus et Catullus triuerit uias. — **3, 4. Veronam ueniat Noui relinquens Comi moenia Lariumque litus.** dicitur Comum, Insubriae oppidum, in lacus Larii ripa meridionali positum, quod a. a. Chr. 59 colonis a Caesare e lege Vatinii deductis nomen accepit Noui Comi, ut constat ex Strabone V p. 213 et Appiano b. c. II 26. unde Schwabius [q. C. p. 295] recte conclusit, post annum illum hos uersus esse scriptos. 'dicas ueniat', cf. Kuehnerus gr. l. II p. 808, et de 'relinquens' participii significatione aoristica ibid. p. 565 sq.; denique Ouid. fast. VI 765 *Trasimena litora* et ad XIV 19 *Suffena uenena.* —

5, 6. quasdam uolo cogitationes amici accipiat sui meique. h. e. amici communis, ut Cic. ad Q. fr. II 5, 2 *puer optimus, Quintus tuus meusque* et ad Att. IV 2, 5 *interuentu Varronis tui nostrique.* huius nomen sine dubio propterea reticetur, quod res ipsa, quade agitur, optime nota erat Caecilio. nec caret probabilitate hoc, esse sermonem de eis, quae communis ille amicus cogitet super Caecilii poemate incohato (13 sqq.). quod si hic miserat ad Catullum, ut cum illo communicaretur, qua de re in hac epistula rescriberetur facillime perspici potuit. nam ne Catullus has *mandaret litteris cogitationes* (Cic. Tusc. I 3, 6), ipsa earum natura (ut indicare uidetur illud 'quasdam') fortasse prohibuit. probabilem hanc rationem meam dico; posse etiam de qualubet alia re agi, ultro apparet. quidquid id est, non probauerim Schwabii l. l. opinionem, qui poetam de suis ipsius poematis iudicium Caecilii experturum uerbis 'amici sui meique' se ipsum solum significasse putat ('ut uerbis *amici sui* se Caecilii amicum, contra uerbi *amici mei* talem se iocose nominaret, qui sibi ipsi esset amicissimus'; cf. Plaut. Bacch. 539 sqq., Hor. sat. II 6, 48 ibique Bentleium): nulla quippe causa est quaesitae hic et uix perspicuae iocandi rationi. 'uolo', cum ἐνεργείᾳ, ut VI 16. 'accipiat', LXVIII^a 13. — **7. quare, si sapiet, uiam uorabit.** haec per futurum loco coniunctiui expressa (ut saepe apud comicos, cf. Holtzius synt. scr. pr. II p. 82 et Draegerus synt. hist. I § 136) certam scribentis expectationem exprimunt: aut non noui Caecilium meum aut ut homo prudens et discendi cupidus nulla mora interiecta Veronam quam citissime contendet. notissima illa uitae cottidianae formula (ex. gr. Plaut. mil. II 5, 66 *ergo, si sapis, mussitabis*) nec cultiores poetae uti dedignabantur, praeter Priap. 52, 11 e nostro loco ductum Prop. II 16, 7 *quare si sapis,* Sulpicia Tibulli 1, 2 *e caelo, si sapis, ipse ueni,* Hor. sat. I 9, 34, Ouid. am. I 4, 29. 'uiam uorare' summum celeritatis gradum expressurus poeta iocose finxisse putatur ad similitudinem illorum 'uiam carpere' (ex. gr. Hor. sat. II 6, 93) et 'rapere' uel 'corripere (Aen. I 422 et Sil. Ital. VIII 182) et graecam dictionem ἁρπάζειν τὴν ὁδόν, imagine aperte, ut ait AGuarinus, 'ab his sumpta, quae deglutiuntur et non dentibus conteruntur'. ego 'uorare aliquid' explicuerim 'auide aliquid facere', ut similiter Cic. ad Att. IV 11, 2 *uorare litteras* et LVII 8 *uorax adulter* (adnotante Benoistio Galli 'dévorer l'espace'). fortasse festiue C. depingit amici de suis iudicium anxie expectantis festinationem. — **8. candida.** ad XIII 4. — **milies** (sic enim rectius scribitur). innumerabiliter et sine fine. — **9. euntem.** ire uolentem, ut Verg. Aen. II 111 *et terruit auster euntis.* — **9, 10. manusque collo ambas iniciens roget morari.** Prop. I 6, 5 *sed me complexae remorantur uerba puellae mutatoque graues saepe colore preces.* uenuste admodum per manus iniectionem puella retinere Caecilium inducitur: Seru. ad Aen. X 419 *manus iniectio dicitur, quotics nulla iudicis auctoritate expectata rem nobis debitam uindicamus* (cf. ex. gr. Ouid. met. XIII 170): discedentem quasi rem suo iuri subiectam sibi uindicat,

amice nimirum, ut additum 'roget' ostendit. transfertur enim manus iniectio ad res amatorias: Ouid. am. I 4, 40 *oscula si dederis, fiam manifestus amator et dicam 'mea sunt' iniciamque manus* (epist. 12, 158), Hor. od. I 17, 26 *incontinentes iniciat manus,* Val. Flacc. III 562; etiam ad alias res adhibitum illud 'manus inicere' sic ponitur, ut iuris ciuilis ex origine aliquid restet, uelut apud Vell. Pat. II 41, 1 *consulatus C. Caesaris, qui scribenti manum inicit et quamlibet festinantem in se morari cogit.* — **11. si mihi uera nuntiantur.** Cic. Acad. II 25, 79 *si ne sensus quidem uera nuntiant.* — **12. illum deperit impotente amore.** Placidus p. 33, 4 D. *deperis, perdite amas*; iungunt hoc uerbum intransitiuum cum accusatiuo obiecti ut comici (Plaut. Cas. I 1, 19, Holtzius synt. I p. 244 sq.), ita noster C 2; Fronto p. 253 N. *te ita amore depereo.* 'inpotens', effrenis et inmoderatus, saepius affectus hic ille audit; Plin. epist. II 1 *amor iniquus interdum, impotens saepe, μικραίτιος semper.* 'impotenti' ablatiuum ceteri scriptores praebent (Neuius II p. 56); V accusatiuum exhibens uidetur innuere solitam priscae formae 'impotentei amorei' deprauationem, ualde eam uetustam, quippe qua et Plinius (cf. testim. uol. I) sit deceptus (de ablatiuuo 'amori' cf. supra p. 51). — **13, 14. nam quo tempore legit incohatam Dindymi dominam, ex eo misellae.** fecerat Caecilius carmen de magna matre Idaea, materia tum ualde adamata certatimque a poetis tractata (cf. ad LXIII in fine; de Dindymi domina ibid. 91). sed hoc epyllion tantum 'incohauerat' ille. quo uerbo Catullus tacitam mihi egisse uidetur censuram, ad summam perfectionem haec illa deesse significans; nempe suapte natura 'incohare', cui fere oppositum est 'perficere', amplam habet notionem, ut minime sit opus de parte aliqua poematis (uelut exordio) cogitare; nec casu, sed cum ui forti in fine u. 18 eandem uocem occurrere puto, sed ita repetitam ('uenuste incohata'), ut summa cogitationum illarum aliqua ex parte iam prodatur nec nimis metuendum fuerit Caecilio communis amici iudicium. 'legit', praelegit, non tam uni puellae (cf. 'ex eo') quam coram propinquis et amicis (non tamen publice, quales praelectiones ab Asinio Polione nouatas esse constat); cf. de legendi uerbo ISteupius libri 'de Probis grammaticis' p. 34 sqq. 'misellae', amore sauciae; ad XLV 21. noto autem usu cum demonstratiuum addatur interdum post relatiuum (ut Plaut. Capt. II 2, 21 *proximum quod sit bono quodque a malo longissime, id uolo*), inuersionem hic adesse statuunt pro uulgari 'ex eo tempore, quo'. hoc ut non stabilitur ex Mart. XI 18, 26 (ubi 'quo tempore' indicat 'tum cum'), ita refutatur usu Catulli, apud quem 'quo tempore' fere ualet 'ubi, postquam' (LXVIII^a 15 et LXVIII^b 73, fortasse etiam LXIV 73), ut cum illo 'quo tempore (= postquam), ex eo (= inde)' comparari possit LXIV 86 et 91 *simulac, ex illo.* — **15. ignes interiorem edunt medullam.** acrem et per omnes artus sparsum (LI 9 sq.) amorem denotat pluralis 'ignes', ut Ouid. a. a. III 573 *ignibus hic lentis uretur.* Verg. Aen. IV 66 *est* (= consumit) *mollis flamma medullas* (ubi uide interpretes); et est hic pluralis in his

rebus amatoriis usitatior; XLV 16, LXIV 93 *imis medullis,* LXVI 23 *penitus medullas.* — **16. ignosco tibi, Sapphica puella Musa doctior.** 'puella' uocatiuus cum 'doctior' cohaeret, unde pendet ablatiuus 'Sapph. Musa', h. e. quam Sappho; quod non inde explicandum est, quod Sappho decima appellata sit Musa (Anth. Pal. VII 14 et IX 506), sed ex solita poetis circumlocutione: LXVIII[a] 7 *scriptorum Musae* (= scriptores), Ouid. ex P. IV 16, 29 *musaque Turrani* et trist. II 364 *musa Teia.* qua Sappho si Caecilii amasia uocatur 'doctior', potest (ut mihi uidetur) adludi ad poetriae Lesbiae nomen fortasse ab antiquis grammaticis eodem modo explicatum, quo GCurtius libri 'Grundzuege' p. 699[5] *Σάπφω* interpretatur σοφή (= docta puella); Ter. Maur. 2148 *doctissima Sappho*; cui etymologiae fauebat ipsa nominis apud Romanos (de Graecis cf. Kockius libri 'Alcaeus und Sappho' p. 83) scriptura communi, ut uidetur, usu recepta 'Sapho', quam hic V exhibet saepiusque in codicibus scriptorum latinorum me inuenire memini. 'docta' autem 'puella' (nam 'poetae docti' similiaque procul hinc arcenda) uocatur ea, quae litteris eatenus est imbuta, ut carmen doctum et arte Alexandrina factum, quale erat Caecilii Cybele, intellegere posset; cf. Marquardtus antiqq. priu. p. 109 not. 1, Friedlaenderus hist. mor. Rom. I[4] p. 443. sine dubio 'rarissima turba' tum etiam multo magis erant 'doctae puellae' quam Ouidii (a. a. II 281) tempore, quo Propertii Cynthia eo usque processit ut ipsa uersus pangeret (II 3, 19 sqq, cf. et II 13, 11 *me iuuat in gremio doctae legisse puellae, auribus et puris scripta probasse mea*), plerasque non fallemur si utpote eruditas artibus 'doctas' fuisse dicemus. nec hercle Sappho esse doctiorem magna laus (repetit eam subinepte Mart. X 35, 15) esset in mutata inde ab Alexandro Magno eruditionis litterariae condicione, nisi per blanditias apertas et cum Sapphus nominis adlusione tribueretur feminae; et fortasse in illa Italiae regione haec laus etiam pluris erat aestimanda. quamquam et ab hac parte Caecilii puella et Sappho possunt esse comparatae, quod illam doctus poeta recitatis carminibus, hanc Phaon incultus solaque forma pollens cepit. quidquid id est, uenuste admodum poematis Caeciliani censura tacita eo quoque instituitur, quod quemnam effectum in animum puellae habuerit illud enarratur. qui effectus magis etiam explicatur, si amorem potissimum Cybeles circa Attida tenerrimis coloribus depinxisse statuitur Caecilius. 'ign.', ueniam lubenter do ardori tuo (bene eum intellego). — **17. est** cum ui praepositum: re uera est. — **18. magna mater.** LXIII 91.

XXXVI.

1. Annales Volusi, cacata carta. Volusii annales, sine dubio ad exemplum Ennianorum more prisco scripti et per se mali, iterum occurrunt XCV 7 sqq., ubi Cinnae, poetae noui, Smyrnae opponuntur; quod ad cetera, nil de homine isto scitur. quamquam Muretus et post eum alii indagasse sibi uidebantur certiora. nam apud Senecam epist. 93, 11 legimus: *et paucorum uersuum liber est, et quidem laudandus*

atque utilis: annales Tanusii scis quam ponderosi sint et quid uocentur. hoc est uita quorundam, et quod Tanusii sequitur annales. dicit haec philosophus Cordubensis comparationis gratia: longam uitam per se nihili esse, multo praestare breuem eandemque bonam; sic et uolumen posse et paruum esse et egregium, cum tamen magni illi Tanusii annales —. hic Senecae obuersatum putant facetum aliquod dictum, et quidem ipsum Catullianum 'cacata carta'; potuerunt etiam addere, 'quod sequitur' spectare ad XCV 8 *et laxas scombris saepe dabunt tunicas.* sed Mureti ob nominis differentiam sibi adhuc diffidentis uestigiis ingressi Hauptius [opusc. I p. 71] et Schwabius [qu. C. p. 180 sqq.]. hunc Tanusium, quem eundem cum Tanusio Gemino historiarum scriptore (Sueton. Caes. 24, Plut. Caes. 22, Cato 51, compar. Nic. et Crass. 4) fecerunt, Tanusium igitur Geminum esse censuerunt Volusium Catullianum, adprobantibus postea doctis omnibus. quos erroris conuicit nuperrime PESonnenburgius in libro in ASchaeferi honorem composito 'historische Untersuchungen' [Bonnae 1882 p. 158 sqq.], qui tota ista ratio quam nullo nitatur fundamento quamque per se sit inprobabilis ostendit; et sane nullo modo credibile est, Catullum bis Volusii nomen pro Tanusii posuisse necessitate cogente nulla (nec alibi noster malos poetas nominatim adferre ueretur, cf. XIV 18 sq.); nam quod idem Mamurram uocauit Mentulam (quod praeter Clodiam Clodiumque unicum ficti nominis est exemplum), peculiari utitur ratione (supra p. 39). meam ut proferam sententiam, annales Tanusii (quem Senecae aequalem a Tanusio Gemino diuersum putauerim propter ipsa tempora praesentia; et cacatam illam Volusii Catulliani cartam parum est probabile durasse usque ad Senecam) editi ita uidentur esse excepti, ut obuia comparatione (adliciente maxime nominis sono simili) cum breuissimo acutissimoque iudicio uocarentur 'annales Volusi, cacata carta', adicientibus aliis ad supplendam aestimationem 'tunicae scombrorum' (germanice 'Makulatur'). hoc est illud Senecae 'quid uocentur' et 'quod sequitur'. ceterum nota est gens Volusiorum (*uetus familia* Tac. a. III 30), ex qua M. Volusium commemorat Cic. ad fam. XVI 12, 6; cf. Pauly, encycl. real. VI p. 2745. quod ad cartam cacatam, ex Mart. XII 61, 10 *scribit carmina, quae legunt cacantes* concludere pronum est, cartas inutiles abiectasque ut ad alias res (XCV) ita ad certum certorum locorum usum adhibitas esse, ut fortius adeo Martiale noster innuat, huic usui cartas Volusianas iam inseruiisse, translate nimirum stercus, quo papyrus inquinata est, intellegens de malis uersibus huic inlitis. 'cacata' pro 'concacata', ut XXXVII 10 *scribam* pro 'conscribam', XXXVIII 5 *solatus* pro 'consolatus', LXII 27 (Draegerus synt. I § 85). — **2. uotum soluite pro mea puella.** uotum fecerat (susceperat, nuncupauerat) Lesbia (ad I, 1), si secum poeta in gratiam rediisset, se Veneri sacrum quoddam (mox descriptum) oblaturam esse (cf. ex. gr. Mart. IX 40, 3 *uouit pro reditu uiri Philaenis* eqs.); iamque cum ea optati compos sit facta, reddendum (soluendum, perficiendum) est uotum. usu autem bene distinguendo a solita

in formulis 'uotum pro re impetranda facere (pro inpetrata soluere)' significatione ita hic 'pro' adhibitum est, ut loco siue nomine Lesbiae Catullus se ipsum executurum esse uotum ab illa factum innuat; plane ut CIL. I 1175 loco patris uotum Herculi reddunt liberi; et more loquendi poetico annales Volusii, per quos utpote cremandos sacrum dis promissum fit, ipsi uotum soluere iubentur. — **3. sanctae Veneri Cupidinique uouit.** more perpetuo cum V habeat 'sancte', hoc seruandum putauit Liuineius; sed quamquam 'sancte iurare' (Ter. Hec. I 1, 4) similiaque usitata sint, tamen nil causae esse uidetur, cur sanctitas uoti efferatur; immo multo magis ex re est, deam deumque, sub quorum tutela sunt amantes, ornari epitheto religioso sollemnique, quo in adlocutionibus maxime ei inuocabantur: Enn. ann. 65 *sancta deorum* et 607 *Saturno sancte create*, Verg. Aen. IV 576 *sancte deorum*, Tib. II 1, 81 *sancte* (Cupido), append. Tibull. 5, 1, 23 *Veneris sanctae ad aras* multaque alia; cf. LXIV 95 et 268, LXVIII[a] 5. ad numen nimirum inuiolatum spectat epitheton. cf. et ad III 1. — **4. si sibi restitutus essem.** redditus, redonatus, si in gratiam cum se rediissem: Hor. od. III 7, 1 *quem tibi candidi primo restituent uere Fauonii*, Ter. Heaut. III 1, 83 *dum id quaero, tibi qui filium restituerem* (ubi Donatus *et 'redditur' et 'restituitur' cupiens cupientibus*); et ipse noster CVII 4 *quod te restituis, Lesbia, mi cupido.* — **5. desissemque truces uibrare iambos.** iambi 'truces', terroris minarumque pleni et uiolenti (Quint. XI 1, 3), quinam dicantur, uix potest esse ambiguum. nam cum duo tantum carmina iambis claudis in Lesbiam sint scripta, VIII et XXXVII, una tantum amantium reconciliatio locum habuerit eaque ante c. XXXVII, ei qui huius amoris historiam penitus habent perspectam ne momentum quidem dubitant, quin c. VIII designetur. neque hercle in ullum carmen magis conuenit illud 'uibrare', quod uim atque feruorem impetus, quo uersus in inimicum perfidamue amasiam iaciuntur, exprimit (cf. 'telum, gladium in aliquem uibrare'): non solum Quintil. X 1, 60 loquitur de Archilochi breuibus uibrantibusque sententiis, sed etiam apud Auson. epist. 21, 5 iambus audit *flammis corusci fulguris uibratior*; cf. et Ter. Maur. 2181 sqq. — **6, 7. electissima pessimi poetae scripta tardipedi deo daturam.** 'elect.' (Cic. de fin. III 7, 26 *omnibus electissimis uerbis*, Petron. 36 *res electissimas ridentes aggredimur*) cum inrisione: opera pessimorum pessima. Muretus 'pess. poetae' magis in uniuersum dictum putauit (unius ex numero malorum poetarum), uulgo Lesbiam diserte Volusium flammis cremandum uouisse sumunt: neutrum me probare et longe aliter haec explicare, in fine ostendam. 'tardipes', quam uocem primus C. habet (unde adsumpsit Colum. X 419 *Tardipedi sacris iam rite peractis*), dicitur Volcanus claudus; nam ut Graeci *βραδύς*, sic Latini 'tardus' pro eo quod est 'claudus' ponunt interdum, ut Prop. II 1, 59. Tib. I 9, 49 *illa uelim rapida Vulcanus carmina flamma torreat*, Iuuen. 7, 24 *et quae compones, dona Veneris, Telesine, marito*, Fronto p. 68 N. *paululum misere scripsi, quod aut lymphis aut Volcano dicarem.*

'daturam', scil. se esse; ut in omnibus sentiendi et dicendi, ita in iurandi (Huschkius ad Tib. II 6, 13) et uouendi uerbis sermo cottidianus in eodem subiecto regente omittere amat pronomen; Ellisius cp. Pompon. com. 51 R. *Mars, tibi uoueo facturum, si umquam redierit, bidenti uerre* et Macrob. III 9, 8 *si ita feceritis, uoueo uobis templa ludosque facturum*; cf. in uniuersum Holtzius synt. pr. scr. II p. 33 sqq., Kuehnerus gr. l. II p. 516 sq.; nec minus 'esse' in participio perf. pass. et fut. act. cum plerisque omnibus omittere solet Catullus. — **8. infelicibus ustulanda lignis.** Paulus Festi p. 92 *'felices' arbores Cato dixit, quae fructum ferunt, 'infelices', quae non ferunt*; Plin. h. n. XVI 108 *infelices autem existimantur damnataeque religione, quae neque seruntur umquam neque fructum ferunt* (ib. XIII 116, XXIV 68, 73, Verg. G. II 314, Aen. VI 230, Pallad. Apr. II 1). et ut arbores felices utpote sacras succidi leges uetabant (Fronto p. 195 N.), ita ex arboribus inutilibus ligna sumebant ad uarios usus; quarum nonnullis utpote nefastis portenta prodigiaque mala comburi solere, Tarquitius Priscus, qui enumerat illas, auctor est apud Macrob. III 20, 3; quocum cohaeret, quod talibus arboribus suspendebantur reste scelerati (Cic. Rab. p. d. 4, 13 et Liu. I 26, 6). Vulpius cp. Cic. p. Mil. 13, 22 *tu P. Clodii cruentum cadauer .. infelicissimis lignis semiustulatum nocturnis canibus dilaniandum reliquisti.* fortasse sentes siue spinosa ligna hic dicuntur; cf. Turnebus adu. XVIII 11. 'ustilare' forma, quam hic V habet, serioris latinitatis esse uidetur. — **9, 10. et hoc pessima se puella uidit iocose lepide uouere diuis.** 'pessima' (quam uocem cum consilio quodam post u. 6 repetitam esse infra uidebimus) in bonam partem 'callida et uersuta' ualet (germanice 'das Teufelsmaedchen'); cf. ad X 33 et LV 10. 'uidit', sensit, intellexit, ut Nepos Alc. 9, 5 *uidebat id sine rege Perse non posse fieri.* omnis uis pronuntiandi posita in uocibus 'iocose lepide', more prisco (ad XLVI 11) ἀσυνδέτως iunctis; cf. in fine adnotata. 'diuis' in uniuersum dictum, quamquam proprie Veneri et Cupidini uotum factum est (cf. LXIV 190 et 193). — **11. nunc, o caeruleo creata ponto.** 'nunc', iam igitur his ita sese habentibus, fortiter dictum in transitu ad rem ipsam. sequitur enim sollemnis Veneris inuocatio ad sacrum beniuole accipiendum. Plutarch. symp. V 10, 4 οἶμαι δὲ καὶ τὴν Ἀφροδίτην ἁλιγενῆ τοὺς ποιητὰς προςαγορεύειν; Auson. epigr. 34 (33), 1 *orta salo, suscepta salo*; et antiquitus usitatum, caeruleum colorem huius maris, ex quo emersit dea ipsa niuea, bella cum oppositione commemorare: Anacr. 54 χαροπῆς ὅτ' ἐκ θαλάσσης δεδροσωμένην Κυθήρην ἐλόχευε πόντος ἀφρῷ, Apul. met. IV 28 *quam caerulum profundum pelagi peperit et ros spumantium fluctuum educauit.* — **12. quae sanctum Idalium Uriosque apertos.** notum est quam adamauerint in talibus inuocationibus sacros deo deaeue locos quam plurimos appellare ad totam eius potentiam significandam; IVossius cp. Menandrum in Walzii rhet. IX 135 (III 334 Sp.) μέτρον μέντοι τῶν κλητικῶν ὕμνων ἐν μὲν ποιήσει ἐπιμηκέστερον· ἅμα μὲν γὰρ ἐκ πολλῶν τόπων ἔξεστι τοὺς θεοὺς ἐπικαλεῖν, ὡς παρὰ Σαπφοῖ καὶ τῷ

Ἀλκμᾶνι πολλαχοῦ εὑρίσκομεν... τὴν δὲ Ἀφροδίτην Κύπρον Κνίδον Συρίας πολλαχόθεν ἀνακαλεῖ. cf. et ex. gr. Hor. od. I 21, 5 sqq. loca autem a templis ibi consecratis ipsa audiunt 'sancta', ut Verg. Aen. XI 785 *sancti custos Soractis Apollo*; LXIV 228. Idalium, *τὸ Ἰδάλιον ὄρος*, Cypri promunturium frondosum (LXIV 96, Verg. Aen. I 692 *altos Idaliae lucos*), in cuius cacumine celeberrimum erat deae templum, quam ex ponto ortam Cypro ferunt fabulae adnasse. cf. LXI 17, Verg. epigr. 14, 2 *sedes quae colis Idalias.* quod deinde V tradit 'uriosque (siue 'utriosque') apertos', Italis indicium continere uidebatur eius sinus, de quo Mela II 4, 66 *sinus est* inquit *continuo Apulo litore incinctus nomine Urias, modicus spatio, pleraque asper accessu, extra Sipontum .. et flumen, quod Canusium adtingens Aufidum adpellant*; erat *κόλπος Ἀδρίας* ille, ad quem Ptolem. III 1, 17 urbem *Ὕριον* (e regione Diomedis insularum) sitam esse uult, quae ab aliis uocatur *Οὔρειον* (Strab. VI 3, 9). quamquam Melae uerbis *asper accessu* nullo modo conuenit cum illo 'apertos'; et praeterea ignotum est plane, qua re hic sinus Urias fuerit nobilis et quo modo ad Veneris cultum pertinuerit. nam ad Urios nil attinet castrum Mineruae siue Portus Veneris sub Hydrunto positus, ubi Aeneas Italiam appulit (Dion. Halic. I 51). sed huius loci dum mecum perpendo naturam consideroque, quam uere hic 'apertus' uocetur (*humilem* dicit Verg. Aen. III 522) et quam egregie idem in Veneris inuocatione proferatur, suspicio est orta, num forte lateat 'Hudriosque apertos'. quamquam num possint 'Hydrii' dici terrae Hydruntinae incolae in incerto relinquendum est mihi. aliorum coniecturae in loco difficillimo sunt haece: 'Uriosque portus' Heinsius uoluit non malo, tamen ob causas expositas dubio ualde commento; IVossius 'Syrosque (Surosque) apertos', cp. Cic. de diu. I 1, quamquam in hac enumeratione locis magis mediterraneis nullus est locus; Bergkius [Philol. a. 1871 p. 682] 'Chutrosque', de urbe Cypri intellegens (Steph. Byz. s. u., Plin. h. n. XVI 130), quod eadem de causa est reiculum; denique Marullus 'Erios', h. e. Heraeos montes Siciliae, plane inprobabiliter coniecit. — **13. quaeque Ancona Cnidumque arundinosam colis.** Ancon (*Ἀγκών*) siue Ancona, urbs Piceni cum portu ad Hadriam sita (Mela II 4, 64, Strabo V p. 241), nobile habebat templum Veneris marinae, deae tutelaris; cf. Iuuen. 4, 40. Cnidus in Cariae ora maritima in promunturio Triopio posita; de qua Pausan. I 1, 3 *Κνίδιοι τιμῶσιν Ἀφροδίτην μάλιστα*; maximeque statua deae a Praxitele sculpta insignis erat urbs (Plin. h. n. XXXVI 20 *Praxitelis Venus, quam ut uiderent multi nauigauerunt Cnidum*). Romani inter 'Cnidus' et 'Gnidus' (serioris, ut uidetur, aetatis formam) uariabant; sed hic alterum a V exhibitum reicitur metro; cf. LMuellerus d. r. m. p. 316. ceterum urbi illi paludibus circumdatae magna mercatura a calamis, unde attributo alibi non obuio audit 'arundinosa': Auson. epist. 7, 50 *Gnidiae sulcus harundinis,* Plin. h. n. XVI 157. Ouid. met. X 530 de Venere *non alto repetit Paphon aequore cinctam piscosamque Cnidon grauidamque Amathunta metallis.* 'colis' more saepius apud Horatium ob-

seruando in medio est positum τᾶν κώλων, quae regit omnia. — **14. quaeque Amathunta quaeque Golgos.** Amathus Cypri urbs ad mare sita, ubi una cum Adonide colebatur dea (Pausan. IX 41, 2, Tac. a. III 62); 'Golgi' est uetus nomen eius urbis (positae itidem in Cypri ora maritima), quae postea 'Paphos' uocabatur (cf. RNeubauerus, commentt. Momms. p. 677 sq.). *est Amathus, est celsa mihi Paphos* ap. Verg. Aen. X 51 dicit Venus, de qua Paphi siue Golgis culta cf. Hom. Od. VII 362, Aen. I 415, Hor. od. I 30, 1, Tac. hist. II 2. — **15. quaeque Durachium, Hadriae tabernam.** 'Dyrrhachium' siue prisce 'Dur(r)achium' Romani secundum paeninsulam, in qua est posita, uocabant Epidamnum, Illyriae graecae urbem, mali quod huic nomini inest ominis metu (cf. Strabo VII 5, 8, Plaut. Men. II 1, 38, Plin. h. n. III 23, 145). quae urbs non solum totius orae Illyricae emporium maximum erat (Aelian. u. h. XIII 17), sed etiam ab omnibus qui siue ex Italia (Brundisio) Graeciam petebant siue hinc illuc redibant tangebatur; sic locus ille quasi quoddam deuorsorium in mari Hadriatico nauigantium erat; IVossius cp. Strab. p. 283, cui Egnatia audit κοινὴ καταγωγὴ πλέοντί τε καὶ πεζεύοντι εἰς Βάριον (cf. ibid. p. 577 de Apamea). et ut caupones in deuorsoria siue tabernas suas allicere studebant uiatores donis non solum Cereris Bacchique sed etiam Veneris (cf. ex. gr. carmen 'Copa' inscriptum), sic Dyrrachium, ut portus plerique, afluebat deliciis omnibus: Plaut. l. l. 33 *nam ita est haec hominum natio Epidamnia: uoluptarii atque potatores maxumi .. tum meretrices mulieres nusquam perhibentur blandiores gentium.* Venerem Dyrrhachii esse cultám, certo testimonio non constat, conicere licet ex hac multitudine meretricularum, quae cum illius templis fere coniunctae esse solebant. — recensenti locorum sine ordine ullo grataque cum neglegentia enumerationem apparet, poetam urbes tantum maritimas portusque nobiles, ut decet Venerem ponto creatam, arcessiuisse: celebratur potissimum ab eo Ἀφροδίτη illa Εὔπλοια a Cnidiis maxime culta; qua de nautarum tutrice cf. Musaeus 248 *Κύπρις ἀπόσπορός ἐστι θαλάσσης καὶ κρατέει πόντοιο*, Hesiod. theog. 168 sqq., Aen. I 800, Ouid. epist. 15, 24, alia. sed quonam consilio C. hanc Venerem marinam inuocat? obuersabaturne eius animo comparatio quaedam inter res amatorias et nauticas? optabatne sibi simul iter iam tutum securumque post acres uehementesque, quas in amore suo passus erat, tempestates? — **16. acceptum face redditumque uotum.** 'uerbum sumptum' inquit Muretus 'ab argentariis, qui acceptam redditamue pecuniam facere dicuntur, cum in tabulas suas referunt, eam sibi solutam esse'. Lesbia uoto Veneri facto debitum in se contraxerat, quod uoti condemnata nunc reddit. debitum autem redditum ita in codicem accepti et expensi referre solebant creditores, ut in pagina accepti adnotantes acceptam simul in pagina expensi delerent mutuatam pecuniam. est hoc 'acceptum facere', quod siue acceptilatione siue chirographo dato usu uenit, sollemnis dictio (nos 'den Empfang des Zurueckgegebenen bescheinigen, quittiren'); Dig. XXXXVI 4, 18 *A. Agerius N. Negidio*

acceptum fecit. plenam locutionem hic adhibet poeta. 'face' priscum (Neuius II p. 438 sqq.) siue ob metrum siue in formula antiquitus tradita adhibitum. — **17. si non illepidum neque inuenustum est.** 'si', ut LXXVI 19. cf. X 4; quamquam hic non sine peculiari quodam respectu Veneris est positum 'non inuenustum' (= te dignum); cf. graecum ἀναφρόδιτον, ἀκύθηρον (Cic. ad fam. V 32, 1 *ut nihil tam sit ἀκύθηρον, quod non alicui uenustum esse uideatur*). — **18. at uos interea uenite in ignem.** 'interea' (XIV 21), scil. ut possit Venus uotum facere acceptum. Anth. lat. 183, 2 [PLM. IV p. 179] *ergo ibit in ignes magnaque doctiloqui morietur Musa Maronis?* — **19. pleni ruris et inficetiarum.** 'ruris', rusticitatis, rusticae insipientiae, ut Plaut. most. I 1, 16 *rus mihi tu obiectas,* Hor. epist. II 2, 160 *manent uestigia ruris.* 'infic.', (ἅπ. λεγ.), cf. XXII 14.

Scriptum esse hoc carmen statim post CVII, commune utrique restituendi uerbum dilucide demonstrat. et de uno tantum discidio unaque restitutione scimus: post hanc, etsi Lesbia iterum a fide non stetit in dies magis labens, tamen ab amatore in aemulos tela usque uibrante non prius est deserta quam omni spe abiecta hunc amorem ille funditus abrupit. sed de Lesbiae in gratiam cum poeta redeuntis consilio, quo pessimum aliquem poetam igni destinauit, nunc quaerendum est. et priores cum hanc quaestionem sicco ut aiunt pede transiluissent fere omnes (unus Turnebus in lignis infelicibus 'latere epigrammatis argutam lasciuiam' sibi persuasit), Westphalius [p. 60] ita statuit, differentiam quandam iudicandi fuisse inter amantes: delectatam esse Lesbiam Volusii carminibus, quae C. auersaretur. uerum enim uero, ut alia mittam, nimis hercle leuis res est haec aestimationis diuersitas quam quae in re tam graui, qualis erat haec reconciliatio, locum habeat. ego meam sententiam iam olim a. 1874 [Anal. Catull. p. 15] declaraui his uerbis (neque nunc illius me paenitet): 'pessimi poetae scripta pessima Volcano se daturam esse, sane iocose lepideque uouerat Lesbia. nam pessimum poetam aut ego egregie fallor aut ipsum uoluit esse Catullum, eadem usa ambiguitate, qua Horatius [sat. II 1, 82 sqq.] *malum carmen* dixit, scilicet ut tamquam maledicentissimum eum perstringeret, qui tam truces iambos, c. VIII, in illam uibrauerat. Catullus autem cum bene illius leporem (u. 10) perspiceret, quasi nescius esset, in sua carmina intendi crimen, iocose ut ad iocosam puellam Volusii, poetae re uera pessimi, annales uotum susceptum soluturos esse rescripsit.' nimirum Lesbia in reconciliatione facere uoluit idem quod amicam iubet Horatius od. I 16, 2 *quod criminosis cumque uoles malum portes iambis, siue flamma siue mari libet Hadriano.* nunc autem ut intellegimus attributum 'pessimus poeta' regeri in ipsam Lesbiam illo 'pessima puella', ita uersu secundo apertior fit dictio 'pro mea puella', siquidem tamquam praeueniens Lesbiam suosque uersus ab interitu uindicans ipse sacrum exequendum suscipit Catullus. et singularem iam persentiscis hilaritatem, qua amasiam callidam calliditate uincens uictoriaque ouans

et incipit ille et finit in uerbis 'annales Volusi, cacata carta' (non mei uersus).

XXXVII.

1. Salax taberna uosque contubernales. tabernam (locum, in quo quaecumque res uenduntur) hic aptissime accipiemus de deuorsorio uel ganea, quales Romae erant plurimae. in quibus praeter uinum ciboque plerumque etiam Veneris gaudiis frui licuit, siue quis puellam attulit siue paratum illic amorem gustauit (Copa carmen 20, in fumosa taberna *est en munda Ceres, est Amor et Bromius*, Plaut. Pseud. II 2, 63). in tali taberna, quam propter lasciuiam libidinosam ibi regnantem, qua magis lupanaris esset similis, C. uocat 'salacem', conuenire solebant Egnatii sodales in certum, ut uidetur, circulum congregati. qui ita a taberna uocantur 'contubernales' (remota nimirum omni militiae recordatione; germanice 'Kneipe und Kneipbrueder'), ut statim ex illius attributo 'salax' etiam in hos salacitatis notio redundet. distinguuntur autem inter se locus et inquilini, quia minas, quibus stigma illi inusturum se indicit, poeta ex parte statim exequens subicit accuratiorem tabernae descriptionem hance: — **2. a pilleatis nona fratribus pila.** fratres in capitibus gestantes pilleos (de uocis πῖλος forma latina per 'll' cf. Fleckeisenus de orth. lat. p. 25, de ipsorum specie Richius lex. antiqq. s. u.) sunt Dioscuri, de quibus Paulus Festi p. 207 *pillea Castori et Polluci dederunt antiqui, quia Lacones fuerunt, quibus pilleatis pugnare mos est.* horum templum in fori parte meridionali positum erat. a quo quae deflectebatur uia, 'tabernae ueteres' uocata, tabernas plurimas habuit (cf. Sen. dial. II 13, 4), quarum nona hic designatur. facile enim ita numerare licuit, cum unaquaeque taberna, quo commodius posset discerni, insignis esset pila siue columella, quae a negotiatoribus etiam ad indicandas res uenales adhibebatur (Hor. sat. I 4, 71, Mart. VII 61, 5, Sympos. aenigm. 140). cf. et HIordanus de topogr. Romae I 1 p. 547, acta archaeolog. a. 1871 p. 70 et 74. — **3. solis** mox u. 4 per anaphoram repetitum cum affectu indignationis, ut Verg. Aen. IX 138 sq. — esse **mentulas uobis.** uos mascula facultate praeditos esse, futuere posse. aegre mihi persuadeo, 'mentula', quod uarie explicant (cf. Ritschelii opusc. IV p. 764), non cohaerere cum 'mas' (cf. GCurtius libri 'Grundzuege' p. 313[5]); explico: signum uirilitatis. — **4. quicquid est puellarum, confutuere.** omnes, quotquot sunt, feminas (cf. XXXI 14 et ad III 2) sine discrimine subigere nec sinere, alios suam sibi puellam habere. hoc unico loco extat uox sine dubio plebeia 'confutuere', in qua 'con' quid sibi uelit in paraphrasi indicaui. — **5. et putare ceteros hircos.** 'hircos' male nonnulli explicant 'admissarios' siue 'salaces': contubernales non propterea futuunt puellas aliorum, quod hi et ipsi uelint facere; neque hoc potest inesse, illos elegantes solos arte quadam amare, cum ceteri caeca libidine incitentur: talis oppositio longe aliter erat efferenda. non minus inprobo AStatii explicationem 'uel nondum maturos atque

aptos Veneri, uel aptos tantum glubere'. nam 'hircus' per se nec castratus (Plaut. Merc. II 2, 1 et 4, Gell. IX 9, 10) nec glubens (Suet. Tib. 45) est, sed per additum talia indicans. recte alii duce Mureto conuicium agnoscunt: 'ita foedos, ut eorum congressum puellae omnes aeque atque hircorum refugere atque aspernari debeant'. nimirum homines faetore taetro laborantes (ad LXIX) ut 'hircosi' (Mart. IX 47, 5, XII 59, 5 et 98, 10) sic 'hirci' uocabantur (Plaut. Most. I 1, 38, Cas. II 2, 20); est germanicum 'Stinkbock'. male tamen se habet in hac explicatione 'putare', non tam ob repetitionem 'putatis, licere putare' (potest enim hoc neglegentiori poetae, ut alibi, excidisse uideri) quam ob hoc ipsum 'licere putare' et propter sententiae uniuersae peruersitatem. nam ut sane licet ceteros putare hircos, ita non quid putauerint sed quid fecerint contubernales declarandum est. ex mala prioris 'putatis' recordatione hic 'putare' rescriptum puto pro 'patrare': et sic efficere ut ceteri tamquam hirci a puellis refugiantur. et ipse uocis 'patrare' sensus obscenus ('coitum facere', hic 'coitu efficere') huic emendationi fauet. — **6, 7. an, continenter quod sedetis insulsi centum an ducenti, non putatis ausurum.** quod ad structuram, suppleas 'idcirco' illi 'quod' respondens, quod interdum omittitur (an idcirco, quod .. sedetis, putatis me non ausurum esse); Ellisius cp. Plaut. mil. II 6, 19 *an quia latrocinamini, arbitramini quiduis licere facere uobis, uerbero?* 'continenter', una serie atque ordine conglobati, ἐπισχερώ, ut uim sententiae habens praeponitur. 'sedetis' nihil omnino obsceni habet, sed fere ualet 'desidiosi agitis', ut Plaut. Truc. I 1, 48 *circum argentarias scorta et lenones qui sedent cotidie* (Don. ad Ter. Ad. IV 5, 38 *sedere proprium uerbum ignauiae et cessationis*), quocum facile coit 'insulsi', h. e. meras nugas blaterantes in circulis uestris. 'an', quod hic 'aut' aequare uidetur, ab hoc ita differt, ut non extollat adfirmatione ('aut duc.': possunt adeo esse ducenti), sed deprimat neglegentia ac dubitatione (centum an ducenti sint, nescio nec curo scire); ualet igitur 'aut fortasse', ut Tac. h. I 7 *mobilitate ingenii an ne altius scrutaretur* (cf. Heraeus), Cic. d. fin. II 32, 104 *cum ei Simonides an quis alius,* Apul. apol. 43 *ter an quater,* Plin. epist. VI 13, 5 *septem an octo*; cf. et Handius Turs. I p. 300. — **8. una ducentos irrumare sessores.** hic quoque figurate accipe (ad X 12); urbanius quomodo hoc exprimatur, docet Sueton. Caes. 22 *inuitis et gementibus aduersariis adeptum se quae concupisset, proinde ex eo insultaturum omnium capitibus*, h. e. omnes inrumaturum siue flocci habiturum. totum gregem pro nihilo habens fortiter adgressurus est poeta. 'sessores' respectu illius 'sedere' positum de inquilinis tabernae intellege; cf. Nepos Cim. 2, 5. — **9. at qui putate.** ita ex **O** scribendum est, h. e. immo hercle; cf. ad XXIII 12. — **9, 10. namque totius uobis frontem tabernae sopionibus scribam.** 'namque' ex praecedentibus facile explicatur: certo credite, nam uidebitis me ita uos irrumantem, ut facta uestra notem stigmate inusto. Handius [obss. p. 88] uoluit 'iamque' ad Stat. Theb. IV 517 et Lucan. VI 732, quod non necessarium

nunc puto. 'frons' est pars antica uersus uiam sita, ut Lygdam. 2, 28 *atque haec in celebri carmina fronte notet* (sepulcri), consol. Liuiae 288 *prae templi nomina fronte legas.* 'scribam' non pro 'inscribam' (Quint. VII 4, 12 *ut siquis fugitiuo stigmata scripserit*), sed pro 'conscribam' accipe, ut XXXVI 1 'cacata' pro 'concacata': a re nimirum ad idem redit. recte iam AStatius adnotauit, petitam esse imaginem de seruis, quibus frons notaretur, cp. Macrob. I 11, 19 *seruus compeditus inscripta fronte*; Petron. 103 et 105, Marquardtus antiqq. priu. p. 180. agitur autem de inscriptionibus eis, quae haud raro in parietibus domorum ab inimicis maxime siue carbone terraue aliqua scriptae siue graphio uel scalpro insculptae sunt; id quod et ueteres scriptores commemorant (Plaut. Merc. II 3, 74 *ne impleantur meae fores elegiorum carbonibus,* Cic. d. or. II 59, 240, Priap. 2, 10, Mart. XII 61, 9 sq., Strabo p. 674, Lucian. diàl. mer. 4, ubi inscriptio adfertur *Μέλιττα φιλεῖ Ἑρμότιμον* et *ὁ ναύκληρος Ἑρμότιμος φιλεῖ Μέλιτταν*) et hodieque testantur tituli prae ceteris Pompeiani; ex quorum exemplis innumeris pauca lubet promere ad rem facientia: CIL. IV 1405 *Pusiua, multi te amant,* 2060 *Romula hic cum Staphylo moratur,* 2310^{b} *Euplia hic cum bellis hominibus,* 2375 *Ampliate, Icarus te pedicat; Saluius scripsit*: inimicae haec omnia manus adnotarunt notam inposituraе. Catullus qualem fere inscriptionem minetur, tum apparebit, si de tradito in V 'sopionibus' constabit. cui uoci aliunde incognitae simile aliquid uidetur extare apud Petron. 22 *cum Ascyllos grauatus tot malis in somnum laberetur, illa quae iniuria depulsa fuerat ancilla faciem eius fuligine longe* ['longa' codd.] *perfricuit et non sentientis labra umerosque sopitionibus pinxit*; ubi de uoce 'sopitionibus' adhuc non correcta non minor est inter doctos lis quam de nostro illo 'sopionibus'. coniecerunt Itali 'scipionibus' de semiustis baculis intellegentes (sed illud 'semiustis' ipsi uoci minime insitum de suo addentes) uel de eis, e quibus merces in taberna appenderentur; Marcilius aliique 'scriptionibus', quod est uagum nimis nulliusque ponderis; Scioppius 'titionibus', h. e. torribus adustis, prosodia non permittente; Heinsius 'scopionibus' siue 'pediculis uuarum', qui in hac quidem re minime erant apti. plerisque placuit alterum Italorum commentum 'scorpionibus'. nec male scorpiones, adulterorum poena (Athenaeus VI 246 et XIV 614), ita commemorantur, ut simile atque Aurelio XV 13 hic moechis Lesbiae supplicium instare dicatur. sed uel hoc commentum num recte olim receperim, nunc dubito. non quasi accedam RPeipero [mus. Rhen. XXXII p. 522] et MHertzio [Fleckeis. ann. 1878 p. 254] 'ropionibus' commendantibus ex incerti auctoris uersu de Pompeio, quem ad CXV 8 adferam (nam de 'rŏpio' mensura mihi constat); sed quia didici, in Brachmanarum lingua extitisse et nomen 'sápa' penem designans et participium praesentis 'sâpáyant', quod Boehtlingkius Rothiusque explicant 'futuens'; cf. Osthoffius in Fleckeis. ann. 1880 p. 496. hinc 'sōpio' intellego 'fututor', religionique iam est, uocem in plebis usu sine dubio ex antiquissimis temporibus seruatam temere reicere.

coeunt igitur datiui 'uobis sopionibus'. unde simul elucet, quid C. per totius frontem tabernae, h. e. litteris praegrandibus quadratis omnem parietem contegentibus, sit scripturus, nimirum hoc fere: 'Egnatius et sodales futuunt puellas omnes'. — **11. puella nam me, quae meo sinu fugit.** 'me' quo pertineat non habet; nec interpungendo 'nam, me quae' quod tolerari possit et probabile sit restituitur. unde (ut mittam 'mea' et 'modo' a metro parum commendata) Auantius 'namque' (quod post u. 9 parum iam placet), Heinsius 'nam mi' (cuius datiui quem uocant ethici iustam causam desidero), Handius 'amata' coniecere. est autem 'sinus' locus is, in quo carum caput recumbit et in quo fouemus hoc prae amore: Ter. Ad. IV 5, 75 *hicine non gestandus in sinust?*, Cic. ad fam. XIV 4, 3 *Cicero meus quid aget? iste uero sit in sinu semper et complexu meo,* Ouid. am. II 12, 2 *in nostro est ecce Corinna sinu,* alia. sed puella, h. e. Lesbia, durissime dicitur 'fugisse sinu', siquidem praepositionem 'a' uel 'ex' uel 'de' addere sollemne est; et suspecti criticis duo loci ab Ellisio adlati Cic. ad Att. IV 6, 3 et Caes. b. c. III 29. unde prisci editores 'quae e meo' dederunt. uidetur mihi 'de' olim supra lineam scriptum male insertum esse post 'nam' et hinc abiisse in 'me'. bene hoc se habet 'puella nam, quae de meo s. f.'; ad 'nam' traiectum cf. supra p. 18. — **12.** cf. VIII 5. — **13. pro qua mihi sunt magna bella pugnata.** hoc ab illo 'bellum bellare' uel 'pugnam pugnare' per confusionem obuiam deflexum; cf. Kuehnerus gr. l. II p. 209, cuius exemplis adde Val. Flacc. I 770 *pugnataque poscere bella.* similiter de Cynthia Prop. III 8, 33 *pro te mihi cum riualibus arma semper erunt* (Ouid. am. II 12). — **14. consedit istic.** caue, ne cum Vulpio explices 'sedem stabilem posuit' referasque eo, quod meretrices in fornicum limine aut prae foribus sederint, hinc 'prosedae' et 'sellariae' dictae (cp. Plaut. Poen. I 2, 54, Aeschin. in Timarch. 40). quae a Catulli sinu fugit, in taberna illa 'consedit', h. e. una cum ceteris contubernalibus sedit nimirum nouom secuta amatorem et (quantum suspicari licet) semel. quem fuisse Egnatium, tam finis carminis ostendit aperte quam ira illa, qua porro c. XXXIX hunc riualem recentem risui dare studet poeta. una autem cum Egnatio Lesbiam hilari contubernalium comissationi interfuisse, non est mirum in ea, quae (ut ait Cic. p. Cael. 20, 49) *palam sese in meretricia uita conlocans uirorum alienissimorum conuiuiis uti instituerit* (cf. et Postumia c. XXVII). neque enim accedimus Brunero, qui eiusdem Ciceronis usus uerbis (l. l. *domum suam patefecerit omnium cupiditati*) domum ipsam Clodiae esse putauit tabernam in hoc carmine commemoratam. immo ut Cynthia Propertii (IV 8, 19, quem locum turbatum ita intellego) orgia celebrat in taberna arcana (*si sine me, famae non sine labe meae*), sic Lesbia noui amasii sodales non dedignata est uisere genialiterque cum eis indulgere Baccho. zelo agitatus poeta acerbissime his uersibus perstringit et infidam dominam tamquam communem omnium amicam et contubernales istos, qui sine dubio iocum risumque fecerant eum desertum. — **14. hanc boni beatique omnes**

amatis. XIV 10 et XXIII 15 *bene ac beate,* Cic. Tusc. IV 38, 84 *ab ea* (philosophia), *si et boni et beati esse uolumus, omnia adiumenta et auxilia petamus bene beateque uiuendi*: locutio summum felicitatis gradum pro cuiusque loci sententia uarie exprimens hic fere ualet 'laeti fortunatique', scil. quibus contigerit puella tam nobilis 'amanda'; quod de uenere uulgiuaga esse intellegendum sqq. docent. — **15, 16. et quidem, quod indignum est, omnes pusilli et semitarii moechi.** his ut accuratius definitur illud 'omnes' (ut Cic. Phil. II 17, 43 *duo milia iugerum .. adsignasti, et quidem inmunia*), ita simul exponitur, cur boni beatique sint homines isti, scil. qui alias in semitis sectentur scorta. 'quod', id quod, ut XXXVIII 4; 'indignum', puella. 'semitarius' uox Catulliana: semitae, calles angustiores et a latis uiis principalibus recedentes, ut in illo Ennii *qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant uiam,* a scortis frequentabantur uilioribus plebis usui patentibus (LVIII 4). moechantur igitur illi alias cum feminis abiectissimis, quae in cellis lupanarium iam sedem non habent et minimo pretio pauperes de uulgo amatores quaerunt, qui hinc 'pusilli' audiunt, h. e. infimi ordinis (Sen. de ira III 25, Iuuen. 10, 121 *causidici pusilli*). subest tacita tam nobilis egregiaeque amasiae, qualis erat Lesbia, oppositio. 'moechi', ut XI 17. — **17, 18. tu praeter omnes, une de capillatis, cuniculosae Celtiberiae fili.** prae ceteris pusillus et semitarius moechus es; Hor. epod. 11, 3 *me praeter omnes.* de uocatiuo rarissimo 'une' (nec tamen, ut docet Varro d. l. l. VIII 63, ab cantoribus Euphorionis nouato) cf. Neuius d. f. l. II p. 144. 'capillati' praeter pueros (Mart. III 58, 31 et X 52, 2) et philosophos (cf. infra) non erant tum quidem (more prisco dudum abiecto) Romae inter homines elegantiores nisi fere peregrini (Cic. leg. agr. II 22, 59 *Iubae regis filius, adulescens non minus bene nummatus quam bene capillatus*); Hispanis eum morem etiam postea fuisse, docet Mart. X 65, 6 *tu pexo* ['flexo' codd.] *nitidus coma uagaris, Hispanis ego contumax capillis.* Cic. p. Mil. 24, 65 *se gladio percussum esse ab uno de illis.* mire tamen hoc in uniuersum dicitur, esse Egnatium unum ex numero capillatorum; quod neque crimini uerti potuit neque uero nimis insolitum fuit in tanta peregrinorum copia. succurrit hic lectionis quaedam uarietas sat memorabilis. non falso quidem Celtiberia, Hispaniae mediae regio, dicitur cuniculis diues (cf. ad XXV 1); sed neque quod fecunditatis innumerae sunt (Plin. h. n. VIII 217) neque quod molles habent capillos cuniculi, ad Egnatium eiusque crines longos pertinet. iam uero Priscianus duobus locis (cf. testim. uol. I) de uocatiuis 'une' et 'fili' agens ita affert uersus Catullianos, ut pro 'cuniculosae' praebeat 'celtiberosae'. at memoria lapsus est Priscianus, ut saepe grammatici latini. nego tamen fieri posse, ut bis ille eodem modo falleretur. accedit quod priore quidem loco aperte declarat, se haec ex Flauii Capri, 'doctissimi antiquitatis perscrutatoris', dissertatione quadam sumpsisse. et ad eiusdem de uocatiuis rarioribus disputationem etiam alterum Prisciani locum redire, lubenter mihi puersuadeo. Capro igitur si lectio illa debetur,

iam hoc quaero, num credibile sit grammaticum tam celebrem uel solius errore memoriae tam foede lapsum esse, ut uiolato metro 'celtīběrosae' poneret pro 'celtībērosae', cum praesertim coniunctum 'celtiberosae Celtiberiae' plane absurdum esset. quod ad scripturam in V traditam attinet, habemus, ut puto, conamen grammatici nesciocuius, qui quae expedire nequiit secundum XXV 1 interpolauit (cf. et praef. uol. I p. XLVIII sq.). itaque lectionem illam a Prisciano ex Capro seruatam non abiciendam puto, ut adhuc fecerunt editores, sed quaerendum, numquid bonae frugis ex ea recuperare possimus. hae rationes nescio an IVossium adduxerint, ut coniceret 'Celtis, perosae'. potuit tamen leniore et aptiore remedio Catulli manus restitui. nimirum, mihi ut uidetur, et Priscianus in Capri exemplari et ille recensionis in V obuiae tempore Gelliano auctor inuenerunt scriptum 'celtis berose', quod temere uterque inmutauit confusarum 'b' et 'u' inmemor. reddo enim poetae nostro 'une de capillatis Celtis, uerose Celtiberiae fili'. hoc nimirum aptissimum erat ad hominis istius contemptum apud Lesbiam mouendum, si ille tamquam puerorum sectator exagitaretur; quod ad rem, cf. Gell. VI 12, 5, quod ad formam, Ritschelius opusc. II p. 779 sqq. et Lucil. VII 18 M. nunc uero, ut 'cap.' quocum iungatur habet, ita Celtarum Romanis perosorum mentioni generali apte subicitur magis accurata patriae Egnatii commemoratio una cum huius insectatione. Lucan. IV 9 *profugique a gente uetusta Gallorum Celtae miscentes nomen Hiberis.* 'filium' autem 'Celtiberiae' sane insolentius Egnatium uocanti poetae obuersatum uidetur illud 'terrae filius' de homine obscurae originis dictum (Cic. ad Att. I 13, 4, Pers. 6, 59). — **19, 20. Egnati, opaca quem bonum facit barba et dens Hibera defricatus urina.** h. e. pulcrum (Ouid. am. III 2, 27 *tam bona crura*, Prop. II 28, 12 *oculos ausa negare bonos*) reddit hominem barba os large inumbrans (Pacuu. 362 R. *nunc primum opacat flora lanugo genas,* Claud. cons. Prob. et Olybr. 69 *genas .. flos iuuenilis inumbret,* Hom. Od. XI 319), et dentes bene expoliti (Cic. Tusc. V 16, 46 inter bona formae recensentur *candiduli dentes*; 'dens' singul. collectiuus, ut XXXIX 19, 20, Hor. epod. 6, 15), quos more in Hispania usitato urina sua ille fingitur defricare (cf. XXXIX 17 sqq., Ouid. a. a. III 216 *dentes defricuisse*). intellegimus quidem Mart. X 65, 7 *Hispanis ego contumax capillis,* h. e. quales in Hispania solent esse (= promissi et inculti); non perspicio equidem, quid sibi uelit 'Hibera urina'. contorte enim et uix permittente linguae genio explicaueris 'quae in Hispania ad dentes poliendos adhiberi solet'. fortasse scripsit noster 'Hibere', h. e. more Hiberorum; cf. Gell. XIII 21, 2 *Romane.* iam enim de ipsius Egnatii urina licet cogitare. ceterum non minus quam capilli etiam barba promissa abhorrebat ab eo qui tum Romae uigebat more; cf. Marquardtus antiqq. priu. p. 582, unde apparet Cic. Catil. II 10, 22 *bene barbatos* ad barbae cultum spectare. quodsi Egnatius, qui sine dubio ad bellorum elegantiumque hominum, quales fere appetebat Lesbia, numerum pertinuit, tamen morem Romanum accipere noluit, potest sane

peculiaris eius rei causa fuisse. unde eo perueni, ut agnoscerem hominem philosophum, cuius habitus ille proprius esset (Firmic. astron. III 3 *philosophi capillati,* de barba interpp. ad Hor. sat. I 3, 133), et Egnatium Catullianum eundem atque poetam a Macrobio [VI 5, 2 et 12] adlatum ducerem. cuius aetatem si respicis (ponitur a Macrobio inter Accium et Lucretium Cornificiumque), nihil hercle obstat quominus eum Catulli aequalem paulo seniorem uocemus. ad carmina autem quod attinet, scripsit, ut decebat philosophum, de rerum natura libros aliquot. itaque et a tempore et a carminum genere bene se habet suspicio nostra*). nam quod Celtiber (Eknatius occurrit in Beckeri inscr. celt. 15, 16) litteris operam nauauit, neminem puto offendet.

Carmen fere a. 58 scriptum in memoriam nobis reuocat truces illos c. VIII iambos, ex quibus uersiculus quidam non sine consilio est repetitus. nec enim ob eam unam causam hos uersus fecit poeta, ut Egnatium contemptui daret, sed ideo etiam, ut Lesbiae prioris temporis recordationem in animum reduceret. quid reconciliatione facta iureiurando pollicita esset, leui nimis mente oblita erat: hoc Catullus amasiae inmemori ita suggerit uersibus dulcibus 11 sqq., ut simul quam indignis cum hominibus nunc uersetur eam edoceat.

XXXVIII.

1. Malest, Cornifici, tuo Catullo. solita est uitae cottidianae formula (Kuehnerus gr. l. II p. 7), qua Cicero in epistulis saepius utitur, semel in orationibus (Verr. IV 44, 95 *numquam tam male est Siculis, quin* eqs.), quae hic testibus uu. 2 et 3 de corporis ualetudine aduersa est accipienda, ut Mart. X 13, 10 *uis dicam male sit cur tibi, Cotta? bene est,* Cic. ad Att. IV 6, 2 *meliuscule Lentulo esse*; cf. et Petron. 54 *pessime mihi erat* et Ter. Ad. IV 5, 21 *animo male est.* porro uide ad VI 1, XIII 6, XIV 13. Cornificius, Catulli sodalis, docente carminis fine poeta fuit; unde procliui sane ac paene certa coniectura inde ab AStatio docti illum non alium esse statuunt quam quem Ouid. tr. II 436 inter cantores Euphorionis commemoret, mortuum eum a. a. Chr. 41 teste Hieronymo: *Cornificius poeta a militibus desertus interiit, quos saepe fugientes 'galeatos lepores' adpellarat. huius soror Cornificia, cuius insignia extant epigrammata* (cf. Merkelius ad Ouidii Ibin p. 365). uide de eo supra p. 10 sq., Bergkium opusc. I p. 545 sqq., Teuffelium HLR. § 209, 2. 'male est si' quod **V** tradit, solitam breuiati illius 'st' librariis insoliti in 'si' corruptionem et simul additam correcturam 'est' habes. — **2. malest mehercule et laboriose.** grauiter iteratum 'malest'

---

*) quam cum a. 1874 anal. Catull. p. 45 ita protulissem, ut simul fragmenta Egnatii apud Macrobium extantia emendarem, nuperrime LMuellerus eandem et opinionem de Egnatii aetate et emendationem (libri illius famosi 'Q. Ennius' inscripti p. 282) tamquam suam denuo in medium protulit.

intenditur simul explicaturque addito 'laboriose', propria de corporis statu malo uoce; Cic. Phil. XI 4 *dolores Trebonius pertulit magnos; multi ex morbi grauitate maiores, quos tamen non miseros, sed laboriosos solemus dicere.* hiatum, quo foedatur tradita scriptura, constat tolerari non posse, quippe qui in thesi nisi in iusta sententiae pausa (ut Verg. ecl. 2, 53) nusquam inueniatur; nam corrupta exempla, quae ad nauseam usque proferuntur, non moror. apud nostrum olim LVII 7 alterum illius exemplum in eodem metro extare putabant: postquam innotuit **O**, id abiit eo, unde malum pedem attulit (LV 4 et CXIV 6 nil ad rem). mitto Italorum 'meherculēs'; sed neque Lachmanno 'ei' ante 'et' addenti prospere res cessit (cf. ad XXIX 20; et datiuum pronominis per se hic sublanguidi tam dura synaloephe delitescere non passus esset C.) nec placet repetitum 'est' in illo Silligii 'et est laboriose'. ut prius colon illo 'mehercule' (Pollio ap. Porph. ad Hor. a. p. 311 *male, hercule, eueniat*; de trisyllabo cf. Lachm. ad Lucr. p. 152; de forma Cic. or. 47, 157 *lubentius dixerim mehercule quam mehercules* et Neuius d. f. l. II p. 815 sq.), sic alterum colon apte interiectione 'a' fulciri uidetur, quae et poetam doloribus uexatum non dedeceat et a librariis saepius insuper sit habita. — **3. et magis magis in dies et horas.** 'et', et quidem. 'magis ac (et) magis' cum saepius dicerent, tamen nec illud asyndeticum 'magis magis' orationi concitatae conueniens (cf. et graecum μᾶλλον μᾶλλον) aspernabantur; cf. LXIV 274, Verg. G. IV 311, Haasii praelectt. I p. 193. auctor belli Afric. 1 *ut omnes in dies horasque parati essent*, CIL. I 1004 *uiue in dies et horas* (plura dat Naegelsbachius stil. lat. p. 276[7]). ceterum qui cottidie et paene singulis horis peius se habere dicit, de solius corporis (non animi) condicione loquitur aperte. — **4, 5. quem tu, quod minimum facillimumque est, qua solatus es allocutione?** hoc est, nulla. male nonnulli 'qua' accipiunt 'quali', scil. leui et nugatoria utpote tantum in amoribus uersante. hoc refutat enuntiatum secundarium, cuius sensus non aliter constat nisi ita: allocutionem aliquam mittere, uilissimum est amicitiae signum (Sueton. Tib. 50 *ut relegatae, quod minimum est, officii aut humanitatis aliquid impertiret*) et nullo labore fieri potest. si iam accepisset tale aliquid, quacumque ex materia petitum esset, eo contentus fuisset. 'adloqui' et 'adlocutio' (παραμύθιον, ut Theocr. 23, 7) ualet 'consolari' et 'consolatio' (carmen consolatorium); Varro d. l. l. VI 57 *allocutum mulieres ire aiunt quom eunt ad amicam in luctu* ['aliquam locutum' cod.] *consolandi causa*; Ouid. tr. I 8, 15 *illud amicitiae sanctum ac uenerabile nomen re tibi pro uili sub pedibusque iacet? quid fuit, ingenti prostratum mole sodalem uisere et adloquii parte leuare tui?*, Hor. epod. 13, 18 *deformis aegrimoniae dulcibus adloquiis*, alia. erat hoc Romae officium peruulgatum, amicos aegrotos uisere (Hor. sat. I 9, 18) et adloqui (Sen. ad Marciam 1); quod neglectum aegre tulerunt, ut Lucil. V fr. 6 M. — **6. irascor tibi.** Stat. silu. IV 9, 53 *irascor tibi, Grype.* — **sic meos amores?** 'amores' cum possessiuo coniunctum quia apud Catullum semper indicat personam aliquam adamatam (ad VI 16), propterea

docti siue de illius fratre siue de Lesbia uel Iuuentio cogitabant, quibus siue morte siue perfidia amissis doleret poeta solatii indigens. uerum enim uero ex initio (maxime u. 3) luce clarius apparet, in suo ipsius morbo in dies magis adgrauescente illum expectare amici consolationem. quodsi de eo amore, quem poeta animo gerit offertque Cornificio, propter usum loquendi alienum haec uerba accipere non licet (alioquin 'rependis' subintellegi posset), dubii haeremus de traditae lectionis integritate. nam plane inprobabile duco, quod Brunerus excogitauit, 'm. a.' ad ipsum spectare Cornificium; quippe hoc 'sic meum Cornificium nunc cognosco?' a concessa loquendi breuitate abhorret. quid si Catullus scripsit 'tuos amores', significans nimirum se ipsum (u. 1 'tuo Catullo'), quem 'amores suos' Cornificius appellare soleret? Cic. ad Att. II 19, 2 *Pompeius, nostri amores* et saepius. facile huius dictionis intellectus latuit hic librarios proinde corrumpentes. erit igitur sententia haec: tali modo (nulla adlocutione me solando) tu curas (tractas, sim.) laborantem carum, quem uocus, amiculum? decet autem hoc ellipticum dicendi genus (de quo cf. Draegerus synt. hist. I § 115 sqq.) concitatiorem poetam; cf. et XXIX 20. utique nulla est causa, cur cum Mureto et AStatio aliquid post hunc u. intercidisse statuamus. — **7, 8. paulum quid lubet allocutionis, maestius lacrimis Simonideis.** Cic. d. or. I 21, 95 *paulum aliquid,* p. Rosc. Am. 39, 115 *paulum nescio quid* ('eine Bagatelle von ..'). iam ad I 6 dixi, 'paulum quid all.' esse subiectum, praedicatiue poni 'lubet' ex certa priscae maxime latinitatis usu. nam qui 'paulum quidlubet' accusatiuum faciunt, iterum supplere debent 'da' uel 'praebe' non nimis grate. ceterum 'paulum' cum ui praepositum: paruolam tantum consolationem placet mihi a te mitti. et haec uis restrictiua redundat etiam in illud 'maestius l. S.', per appositionem prioribus accedens: licet id tristius sit quam poetae Cei θρῆνοι. non iubere C. potest, ut id quod sibi mitti desiderat poemation superet maestitia Simonidem; sed hoc significat, quidquid sibi mittatur, id acceptum fore; et quamquam Cornificius non operam sit daturus, ut recreet atque exhilaret amicum adflictum (quales fere erant consolationes), eo nunc corporis animique statu se esse, ut etiam ex tristibus uersibus delectationem capiat, si a caro sodali missi amicitiae sint signum. nec enim per se indigebat poeta carmine miserationem ciente (Quint. X 1, 64 de Simonide *praecipua eius in commouenda miseratione uirtus, ut quidam in hac eum parte omnibus eius operis auctoribus praeferant*), sed uel eo contentum se fore innuit, fortasse amici indolem talibus naeniis aptiorem respiciens. nec denique 'maestum' potest ualere omnino 'ad maestitiam commouens'; in uulgus contra sunt nota 'maestae lacrimae, questus, uoces' similiaque. per 'lacrimas' C. ad uerbum uertit graecum θρῆνοι, non nimis feliciter; melius hos elegos flebiles naeniae nomine designauit Hor. od. II 1, 38.

Paulo ante poetae mortem a. 54 hoc carmen scriptum esse recte sumpserunt Heysius Teuffelius Schwabius [q. C. p. 45].

XXXIX.

1. **Egnatius, quod candidos habet dentes, renidet usque quaque.** idem est Egnatius, nouus Lesbiae amator, qui iam breuiter perstrictus est c. XXXVII; nunc plane contemptui risuique traditur. hunc enim C. facit continuo in omni re et quocumque loco (tragicus inc. inc. fab. 78 R. *usquequaque sapere oportet,* Plaut. Bacch. IV 4, 83 *usque quaque loquitur*, Cic. Verr. V 5, 10 *nolite u. q. eadem quaerere*) ita ridentem leniter ore hilari (cf. Hor. od. II 5, 19 et III 6, 12 *et adiccisse praedam torquibus indigenis renidet,* Liu. XXXV 49, 7 *homo .. renidens ait*; cf. cum hoc placido mitique risu, qualem latina uox indicat, graecum *μειδιᾶν*), ut rictus paulum diductus ostendat dentes niueos, nimirum ut feminis placeat et arte plane meretricia; Muretus cp. Alexidis uerba Athen. p. 568ᶜ *εὐφυεῖς ὀδόντας ἔσχεν; ἐξ ἀνάγκης δεῖ γελᾶν, ἵνα θεωροῖεν οἱ παρόντες τὸ στῶμα ὡς κομψὸν φορεῖ*, Ouid. a. a. III 283 *sint modici rictus paruaeque utrimque lacunae, et summos dentes ima labella tegant,* Plaut. Truc. II 1, 14 *bonis esse oportet dentibus lenam probam, adridere quisquis ueniat* (cf. et Mart. II 41 et III 20). — **2, 3. sei ad rei uentum est subselium, cum orator excitat fletum.** 'sei' prisce pro 'si' positum hic seruauit **O**, sollemni uitio et intolerabili cum synaloephe 'seu' praebet **G**. nec minus ex codicum ductibus elicienda est prisca forma 'subselium', cuius exempla dedi in Fleckeis. ann. 1883 p. 786. subsellia non iudicum solum, sed etiam patronorum, accusatorum, reorum erant; Vulpius cp. Cic. ad fam. VIII 8, 1 *at ego inuocatus ad subsellia rei occurro.* difficile est dictu, quidnam sibi uelit 'si uentum est'. Muretus, qui solus explicare dignatus est, adnotat 'siquis eum amicus in graui aliqua causa periclitans aduocatum adduxit sibi'. quae refutantur uerbis 'cum .. fletum', quibus describitur patronus in peroratione omnes eloquentiae artes admouens ad misericordiam reo conciliandam animosque auditorum ad lacrimas usque afficiens; Cic. p. Sest. 57, 121 *sic egit ut .. fletum etiam inimicis atque inuidis excitaret.* iam dudum aduocatus adest in iudicio, cum haec peroratio incipit (praeterea, si ad Egnatium referuntur, potius 'uēnit' scribendum erat). et idem Muretus mox adiciens 'cum ad eam orationis partem uentum est, cum . .', summa sua confusione difficultates adhuc non perspectas inuitus nolensque patefecit. persequitur poeta illud 'usquequaque' hoc modo, ut duo exempla quam manifestissima risus inepti proferat: ex comparato altero membro 'si ad rogum pii filii lugetur, cum flet mater' apparet quid in priore expectandum sit, nimirum hoc fere: si iam ad summum discrimen causa accusati peruenit et qui ei adsunt (amici propinquique) inter spem metumque dubii haerent, cum patronus omni opera incumbit ad iudicum animos percutiendos. uideant alii, num probabiliora a litteris inuenire possint: mihi 'pendent' non intellectum a librariis in 'uentum est' corruptum esse uidetur; dictum est illud impersonaliter plane eodem modo, quo mox 'lugetur'; nec aliter quam u. 4 'ad' indicat circum-

stantes rei subsellium cognatos notosque. — **4. renidet ille.** his uerbis per epiphoram repetitis mira cum arte hic et u. 6 pronomen ita ponitur, ut Egnatius unus ita agere dicatur, ceteris expectationi summae uel fletui traditis. germanice recte pronuntiando hoc exprimendum est ('ér laechelt'). — **si ad pii rogum filei lugetur.** Tib. II 4, 45 *at bona quae nec auara fuit, centum licet annos uixerit, ardentem flebitur ante rogum.* pulcre autem impersonaliter est dictum 'lugetur', scil. a funeris sociis, amicis propinquisque; iam Vulpius cp. Ter. Andr. I 1, 102 *fletur.* — **5. orba cum flet unicum mater.** haec ad augendam imaginis tristitiam adduntur, quo ex opposito ineptior appareat Egnatii risus. Cic. ad fam. IX 20, 3 *patriam eluxi iam et grauius et diutius quam ulla mater unicum filium.* ad 'unicum' licet nullo negotio accersamus ex prioribus 'filium', tamen et absolute accipi potest, ut Plaut. Capt. I 2, 44 *cui ille est unicus* (Ciris 334 *unica*). nec minus 'orba' (scil. liberis) haud raro dicitur absolute, ut Iuuen. 3, 129. — **6. quicquid est, ubicumque est, quodcumque agit.** per asyndeton consummatiuum et dum illud 'usquequaque' per partes suas inlustratur, additur hoc, nec rem, cui cum maxime intersit, nec locum nec denique id quod ipse faciat (ex. gr. si dormiat) Egnatium ab hoc risu deducere. 'quidquid est' plerumque spectat ad rei familiaris paruitatem (cf. Don. et interpp. ad Ter. Hec. III 5, 13), rarius ualet 'quidquid inde eueniet' (Plaut. mil. II 3, 40), rarissime uel potius alio loco nullo, quantum memini, indicat 'siue parua siue magna de re agitur'; Vergilianum 'quidquid id est' nil ad rem. — **7. hunc habet morbum.** hoc laborat uitio, ut Hor. sat. I 6, 30 *ut si qui aegrotet quo morbo Barrus,* Vell. Pat. II 85 Plancus audit *morbo proditor,* h. e. uitio quodam insito; Sen. d. clem. II 6 *scias morbum esse, non hilaritatem, semper adridere ridentibus et ad omnium oscitationem ipsum quoque os diducere* et d. benef. I 14 *morbo suo morem gessit,* ubi Gronouius plura exhibet. Peerlkampius ad Hor. od. I 37, 9 cp. illud Epicharmi *νόσον ἔχει.* est 'habere' uox propria morborum, ut 'habere capitis dolorem, intestina soluta', similia. — **8. elegantem.** XIII 10. — **urbanum.** XXII 2. Cic. d. off. I 29, 104 *iocandi genus elegans, urbanum* eqs. — **9. quare monendum est te mihi, bone Egnati.** 'te', quod V omittit, uere addidit Spengelius, sed ante 'est', KPSchulzius post idem rectius (ut similiter 'te' post 'at' excidit LXVI 25); nimia cum licentia priores dederant 'monendus es'. adest autem quae usque ad Ciceronis aetatem durauit constructio antiquissima, qua gerundiuum impersonaliter adhibitum retinet quod uerbum regit obiectum, ut Priap. 69, 4 *quot pondo est tibi mentulam cacandum,* Lucr. I 111 *aeternas quoniam poenas in morte timendum est*; cf. Brixius ad Plaut. Trin. 869, Holtzius synt. Lucr. p. 135, Kuehnerus gr. l. II p. 543. 'bone' cum irrisione et contemptu, ut Cic. Verr. V 6, 12 *quid ais, bone custos?,* Ter. Andr. III 5, 10 *eho dum, bone uir*; cf. graecum *ὠγαθέ.* — de ea quae iam sequitur admonitione recte Muretus: 'subest uis argumenti *ἀπὸ τοῦ ἐλάττονος*, hoc modo. etiamsi oriundus esses ex aliqua earum gentium,

quae sibi candorem dentium sine ulla spurcitia comparant, tamen ita frequenter ac nulla occasione eos retegere ineptum esset. quanto igitur id ineptius[?] est, cum originem ducas ex ea gente hominum, quae sibi non horret cotidie urina confricare gingiuas, ut dentes efficiat candidos?' in catalogo iam subiecto uariarum gentium enumeratio iocosa nil sibi uult aliud quam ut doceatur, quot aliis nationibus sint postponendi Celtiberi isti contempti. — **10. si urbanus esses.** Romae natus, ut LVII 4, Suet. Caes. 51 *urbani, seruate uxores*, Varro d. r. r. II praef. 1 *nostri maiores praeponebant rusticos Romanos urbanis.* 'si', etsi. — **aut Sabinus aut Tiburs.** XLIV 1. Tiburis incolae cum haud raro uocentur Tiburtes, hic unicus est locus, quantum scio, ubi singularis substantiui illius inueniatur. ceterum optime Vulpius adnotauit, famam apud ueteres fuisse peruulgatam, aeri Tiburtino hanc esse facultatem, ut rebus conciliare possit candorem, cp. Mart. IV 62 *Tibur in Herculeum migrauit nigra Lycoris, omnia dum fieri candida credit ibi* (ib. VII 13, VIII 28, 12), Prop. IV 7, 82 *et numquam Herculeo numine pallet ebur,* Sil. Ital. XII 229. — **11. aut parcus Umber.** nec 'parcus' per se significat 'qui parco uictu utitur' nec hoc in Umbros quadrat (quae Ellisius attulit, tantum demonstrant, etiam inter eos fuisse homines pauperes); cf. Athenaeus XII 526 sq. *τὸ τῶν Ὀμβρίκων φησὶν ἔθνος ἐπιεικῶς εἶναι ἁβροδίαιτον παραπλησίως τε βιοτεύειν τοῖς Λυδοῖς, χώραν τε ἔχειν ἀγαθήν, ὅθεν προελθεῖν εἰς εὐδαιμονίαν.* solita autem significatione si accipimus 'parcus', nihil hoc epitheton facit ad propositum, secundum quod synonymum potius illius quod sequitur 'obesus' requirimus: adferuntur in hoc u. gentes, quae propter opulentum uiuendi genus saepius os conluunt. Scaliger non bene coniecit 'porcus' (Hor. epist. I 4, 16); Vossius 'pastus' cp. glossas 'Philoxeni' *pastus: πιμελής, λιπαρός*; omnium optime BVenator 'fartus'. Strabo V p. 217 *ἅπασα δ' εὐδαίμων ἡ χώρα, μικρῷ δ' ὀρειοτέρα, ζειᾷ μᾶλλον ἢ πυρῷ τοὺς ἀνθρώπους τρέφουσα* (cf. Hor. sat. II 4, 40 *Umber et iligna nutritus glande rotundas curuat aper lances*; OMuellerus libri de Etruscis I p. 275): hoc zeae et glandis cibo quod replentur Umbri, qui propterea *pingues* uocantur Pers. 4, 74, eo refero illud 'fartus', h. e. saginatus. male autem res successit GLoewio ex glossis (cf. testim. uol. 1) operosa flexaque argumentatione tamquam Catulli manum 'crassus' elicienti. medii aeui ludimagister, qui hunc u. attulit ut 'obesus' plus quam 'pinguis' esse optineret, Catulli exemplari est usus, in quo 'pinguis' glossema olim suprascriptum depulerat ueram lectionem 'fartus'. nam sane hoc ipsum 'pinguis', utpote uix et ne uix quidem in 'parcus' corruptum, pro Catulli manu haberi nequit. — **aut obesus Etruscus.** nouimus omnes ex museis, quae statuas sculpturasque Etruscas possident, staturam breuem et corpus pingue huic genti proprium; *pinguis Tyrrhenus* (carnibus uictimarum) Verg. G. II 193; idemque Aen. XI 732 sqq. inertiam ignauiamque hominibus illis dapes et plenae pocula mensae expectantibus obicit (cf. et Diod. Sic. V 40). Paulus Festi p. 188 *obesus, pinguis quasi obedendo* ['ob edendum' codd.]

factus; recte glossae illud plus quam 'pinguis' indicare aiunt. — **12. aut Lanuuinus ater atque dentatus.** mirum est, Lanuuii, oppidi Latini, mentionem non statim post 10 inici, ut ab urbe profecta ad uiciniam et hinc ad remotiores progrediatur oratio. dicuntur eius incolae 'atri' (cf. Plaut. Poen. V 5, 11) utpote solibus perusti; qua ex uultus colorati oppositione dentes niuei magis elucent. quamquam huic oppositioni magis conueniret 'dente albus'; nam 'dentati' siue dentibus instructi (Mart. I 72, 3) sunt plerique omnes homines; nec iuuat cum IVossio comparare Non. p. 25 *bronci sunt producto ore et dentibus prominentibus; Lucilius sat. lib. III: broncus Bouillanus, dente aduerso eminulo hic est, rhinoceros.* non opus est, ut 'Lanuinus' forma hic restituatur (LMuellerus d. r. m. p. 252). — **13. aut Transpadanus, ut meos quoque attingam.** 'meos', populares, conterraneos, ut Cic. p. Cael. 3, 6 *commendatione ac iudicio meorum.* Veronam constat tum pertinuisse ad Galliae cisalpinae partem eam, quae transpadana uocabatur. 'attingam', commemorem, non omittam indictos; lepide, quasi ad sui suorumque gloriam spectet dentium munda lauatio. — **14. qui puriter lauit dentes.** effer 'puriter', h. e. pura aqua (oppositum est lotium u. 21). de aduerbii forma prisca (LXXVI 19) cf. Neuius d. f. l. II p. 656 ibidemque II p. 420 de 'lăuit' pro 'lauat' *ἀρχαικῶς* posito. ceterum notum est, Romanos uariis dentifriciis, quae 'dentes candidos faciunt et confirmant' (Scribon. Larg. comp. 59 sq.) usos esse; qualia et Apul. apol. 6 et Plinius in hist. nat. commemorant. — **16. risu inepto res ineptior nulla est.** cf. ad IX 10. multi comparauere Menandri monost. 88 *γέλως ἄκαιρος ἐν βροτοῖς δεινὸν κακόν* et 108 *γελᾷ δ' ὁ μῶρος κἄν τι μὴ γέλοιον ᾖ.* Ser. Sammon. 426 *splen tumidus nocet et risum tandem addit ineptum.* — **17. nunc Celtiber es.** paulo breuius nec tamen dissimiliter ut XXI 10 'nunc' est positum: sed cum ex Celtiberia sis ortus, mutatur rerum condicio; iam enim non inepte tantum agis dentes usquequaque ostendendo, sed etiam spurcum turpisque foeditatis hominem te prodis. 'es' post 'er' in **V** interlapsum tam aperta ueritate est additum ab Conr. de Allio, ut incredibilia priorum commenta nil attineat in disceptationem uocare. — **Celtiberia in terra.** notus est hic usus loquendi 'terra Italia, t. Africa, t. Gallia', sim. (Drakenb. ad Liu. XXV 7, 4, Draegerus synt. hist. I § 308); poetis autem concessum est non solum notionem specialem (siue appositionem) ante generalem conlocare, sed etiam praepositionem mediam inserere; cf. Ritschelius ad Reifferscheidii Sueton. p. 492 (= opusc. III p. 228). — **18, 19. quod quisque mixit, hoc sibi solet mane dentem atque rusam defricare gingiuam.** de hoc spurcissimo (ut ait Apuleius) Hiberorum ritu cf. Diod. Sic. V 33, 5 *παρ' ἕκαστα γὰρ τὸ σῶμα λούουσιν οὔρῳ, καὶ τοὺς ὀδόντας παρατρίβοντες, ταύτην ἡγοῦνται θεραπείαν εἶναι τοῦ σώματος,* porro Strabo 164 *τοὺς οὔρῳ λουομένους ἐν δεξαμεναῖς παλαιουμένῳ καὶ τοὺς ὀδόντας σμηχομένους καὶ αὐτοὺς καὶ τὰς γυναῖκας αὐτῶν.* de 'mixit' forma, quam **O** seruauit (cf. LXXVIII[b] 2), uide Neuium d. f. l. II p. 444. ex ipso opposito 'mane' apparet agi de urina per noctem facta. 'rusam',

quod lubentius puto graphice ob dentium candidorum oppositionem esse additum quam proleptice (ut 'manus puras lauare'), rubri coloris speciem quandam denotat; Gell. II 26, 6 '*rusus*' ['rufus' codd.] *enim color et 'ruber' nihil a uocabulo 'rufi' diuertunt* ['dicuntur' codd.]; qui locus non minus quam Lucr. IV 75, ubi oblongus rarius *rusaque* praebens audiendus est, docet 'rūsam', quod V tradit, aeque bene se habere quam quod ex sua pronuntiandi ratione Apuleius posuit 'rŭssam'. idem Apuleius pro 'defricare' praebet 'pumicare'. et dentium pumicatio cum alibi quoque commemoretur, potuere sane umectatos lotio dentes gingiuamque pumice perpolire Hiberi. 'defricare' etsi defendi uidetur ex XXXVII 20, ex hoc tamen loco ad nostrum explicandi gratia adscriptum potest genuinum 'pumicare' sede sua depulisse. — **20. ut quo iste uester expolitior dens est.** XVII 21 *iste meus*, XXIX 30 *ista uostra.* 'uester', uestrum Hiberorum, sequente nihilominus unius Egnatii respectu 'te', plane ut XCIX 5 sq. *tibi — uestrae.* comparatiuum 'exp.' habet Colum. II 20, 6 *frumenta expolitiora*; adnotandum est, ad Corn. u. 2 expolitionem fieri pumice, quod fauet u. 19 lectioni Apuleianae. — **21. hoc te amplius bibisse praedicet loti.** sic recte BPisanus emendauit lectionem in V extantem 'lotus', cum haec quidem forma duplex 'lotium' et 'lotus' omni careat analogia (posses putare 'lotei' priscum uitio originem dedisse, nisi constaret 'i' interdum pro uirgula siue compendio illius 'us' esse acceptam). ceterum uox illa uulgaris nota est ex prouerbio ap. Petron. 57 *non ualet lotium suum.* 'dens praedicat', palam facit et quasi praeconis uoce clamat, ut VI 7 *cubile clamat.* ad 'bibisse' pessime Ellisius cp. locutionem 'lana colorem bibit': nihil ualet quam 'hausisse', scil. ad os totum (dentes gingiuamque) colluendum; nec dens (cf. XXXVII 20) bibit, quod dictum esset absurdissime, sed Egnatius.

XL.

1, 2. Quaenam te mala mens, miselle Rauide, agit praecipitem in meos iambos? Rauidus, homo ignotus, monstrante u. 7 riualis erat poetae in amore Lesbiae, ut probabiliter plerique statuunt; male nonnulli de Iuuentio cogitant, quippe in cuius amore praeter Furium et Aurelium, quantum quidem scimus, nullus Catullo extiterit aemulus. nec minus male erant qui nomen proprium adesse negantes agnoscerent appellatiuum (Colum. VIII 2, 9 *rauidi uel nigrantes oculi*). quamquam nomen illud alibi me reperire non memini. ceterum pronuntiandum est 'Raude'; cf. LMuellerus d. r. m. p. 271 ('nauta' pro 'nauita', sim.); quod utique praestat quam uersum hypermetrum statuere. 'miselle' miserationem eius, qui utpote longe impar despicitur, hic exprimit. de mala mente siue dementia dixi ad XV 14; Laberius 138 R. *quaenam mens, quae deliritas uos suppolitoris facit cum cano eugio puellitari?* 'ag. praecip.', impellit ut ultro incurras; cf. praeter Verg. Aen. V 456 Cic. Verr. I 2, 6 *agunt eum praecipitem poenae Romanorum.* 'iambi' inde ab Archilocho interdum per se significant uersus maledicos et lacessentes,

siue ei iambi ueri sunt siue hendecasyllabi; cf. LIV 6, CXVI 7, fragm. I, Hor. od. I 16, 24 *feruor et in celeres iambos misit furentem.* — **3, 4. quis deus tibi non bene aduocatus uecordem parat excitare rixam?** aduocantur dei et ad auxilium (ut Liu. VIII 33, 21 *deosque ab se duobus praeliis haud frustra aduocatos*) et in ueneratione, ut Varr. d. r. r. I 1, 7 *iis igitur deis ad uenerationem aduocatis*, ubi priora docent agi de adoratione. deus igitur non rite et satis ueneranter adoratus ideoque iratus est auersus et inimicus: hunc hominibus inicere malam mentem, communis ueterum erat opinio (cf. ex. gr. Hom. Il. XVII 469 sq.). unde haec saepius iunguntur, ut Verg. Aen. IX 601 *quis deus Italiam, quae uos dementia adegit?* (ibid. X 72), Florus I 22 [p. 37 Iahnii] *sed tum quidem illum, ut dici uolgo solet, aut fatum urbis imperaturae aut ipsius mala mens et auersi a Carthagine di in diuersum abstulerunt.* 'uecordem' (XV 14), ut Ouid. fast. I 73 *insana iurgia*; nisi potius huc referendum est, quod Rauidus necessario in hac rixa succumbet utpote longe inferior. 'parat', in eo est ut; cf. ad LXIV 332. 'tibi' pariter ad 'aduocatus' quam ad 'excitare' spectat. — **5. an ut peruenias in ora uulgi?** *εἰρωνικῶς* (an ideo fortasse: Kuehnerus gr. l. II p. 1018) et cum breuitate quadam, qua priorum uu. sententia in uniuersum comprehenditur, scil. ita demens es. Hor. epist. I 3, 9 *Romana breui uenturus in ora* (in bonam) et Liu. II 36 *timorem abiecit, ne in ora hominum pro ludibrio abiret* (in malam partem); cf. et Cic. Verr. I 46, 121 *in ore uulgi esse* similiaque. — **6. quid uis? qualubet esse notus optas?** solita est formula, qua ausum laeuum demensque notatur, 'quid tibi uis?', cuius exempla congessit Haasius praelectt. II p. 184 sq., ut Hor. epod. 12, 1 *quid tibi uis, mulier* et Prop. I 5, 3 *quid tibi uis, insane?* alterum locum, ubi 'tibi' omittitur, non habeo (nam Verg. Aen. IV 318 dissimilis), nisi Hor. sat. II 6, 29 *quid uis, insane?* (Ter. Ad. IV 2, 17). 'qualubet', quod solus noster hic et LXXVI 14 sic adhibuit, totam uim habet: quocumque modo, siue honorifico siue cum infamia iuncto. 'notus', uox media inter 'inlustris' et 'famosus'; Mart. X 3, 11 *cur ego laborem notus esse tam praue?* — **7. eris.** scil. notus, cum graui adfirmatione: morem tibi geram. neque dubito, quin hoc ipso carmine poeta se Rauidum infamiae tradidisse inmortali innuat. — **meos amores.** cf. ad VI 16; Lesbiam uideri designari, iam monui. 'q.', XXXIII 6. — **8. cum longa uoluisti amare poena.** potest hoc esse periphrasis illius 'amasti' (exempla dedi ad VI 3); simul tamen utique denotatur propria hominis hoc malum sibi ultro arcessentis uoluntas. 'cum', una cum, ut LXXVII 2: eo modo, ut poena longe duratura (scil. infamia) te sequatur.

Videtur Catullus in hoc carmine ob oculos habuisse Archilochi uersus in simili argumento uersantes; iam Scaliger cp. Archil. fr. 92 B. *πάτερ Λυκάμβα, ποῖον ἐφράσω τόδε; τίς σὰς παρήειρε φρενάς; ἃς τὸ πρὶν ἠρήρεισθα, νῦν δὲ δὴ πολὺς ἀστοῖσι φαίνεαι γέλως.* cf. et fr. 93 B. *τίς ἆρα δαίμων καὶ τεοῦ χολούμενος;*

XLI.

1. Ameana, puella defututa. est meretrix illa Veronensis, cuius amore deiectus est poeta a Mamurra; cf. supra p. 38 sq.; nomen ipsum, quod ex codicum ductibus efficitur, ita uidetur explicandum esse, ut more prisco et prouinciali simplex consona loco duplicis (Cic. ad Att. VI 1, 13 *de Amiano*) et 'e' pro 'i' posita putetur, 'Ameana' igitur ualeat quod magis urbanum erat 'Ammiana'; cf. GFroehnerus mus. Rhen. XIII p. 149. qua explicatione non contenti alii alia coniecere, tolerabiliter Hauptius 'Ametina' et Schwabius 'Anniana'; mutandi necessitatem adesse equidem nego, cum praesertim in his nominibus propriis summa sit opus cautione. 'defututa' explicaui ad XXIX 13. — **2. tota milia me decem poposcit.** uox haec sollemnis in significando uoluptatis ueneriae pretio flagitato: Lucil. XXIX 109 M. *quine* (pueri) *poscent te minus*, Hor. sat. II 7, 89 *quinque talenta poscit te mulier.* pretium sestertiorum decem milium non per se nimis magnum fuisse uidetur (CIII 1 soluerat illud poeta), sed nimirum eo indigna erat Ameana. 'totos', non minus quam, ut Ter. Eun. II 2, 46 *sex totos hos menses,* Verg. Aen. I 272 *hic iam ter centum totos regnabitur annos*, ad augendum inmane pretium facit. — **3. ista turpiculo puella naso.** foedam faciem puellae hic u. denotat, ut is qui sequitur eiusdem uilitatem. nam turpia sunt in corpore humano, quae id dedecent, ut Ouid. f. II 179 *turpes* (= foedos) *uultus*; nec hic deminuit ὑποκοριστικόν (quod aliter adhibent Varro d. l. l. VII 97 et Cic. d. or. II 61, 248) sed auget intenditque. posita autem erat haec nasi foeditas in longitudine (XLIII 1). 'ista' contemptim. — **4. decoctoris amica Formiani.** 'decoctor', h. e. is qui rem familiarem decoxit siue dissipauit (imagine primitus ab eis, qui metallum conflabant, ducta) graue erat apud Romanos conuitium; Cic. Catil. II 3, 5 *exercitum .. collectum ex senibus desperatis, [ex agresti luxuria] ex rusticis decoctoribus,* ubi apertum emblema seclusi, idem Phil. II 18, 44 *cum esset lege Roscia decoctoribus certus locus, quamuis quis fortunae uitio, non suo decoxisset.* loquendi more uulgi magis proprio Mamurra ex Formiis oriundus (ad XXIX 3, cf. et LVII 4) uocatur 'Formianus' (ad quod 'decoctor' accedit adiectiue), ut homo similiter 'sine ratione calculorum suorum prodigus' L. Cassius Nomenti natus audit breuiter 'Nomentanus' apud Hor. sat. I 1, 102 (ubi cf. Porph. et interpp.). huius hominis contempti quod 'amica' siue concubina appellatur Ameana, ad huius quoque contemptum redundat. — **5, 6. propinqui, quibus est puella curae, amicos medicosque conuocate.** dicit C., mente captam esse feminam istam decem sestertia poscentem et ei ut insanae iam dandum esse a praetore curatorem, secundum legem XII tabularum (Cic. d. inu. II 50, 148 et alibi) *si furiosus escit, agnatum gentiliumque in eo pecuniaque eius potestas esto*; Varro d. r. r. I 2 *mente est captus atque ad agnatos et gentiles est deducendus,* Hor. epist. I 1, 101 *insanire putas sollemnia me neque rides nec medici credis nec curatoris egere a praetore*

dati et sat. II 3, 117 *interdicto huic omne adimat ius praetor et ad sanos abeat tutela propinquos* (cf. et Reinius libri 'd. Privatrecht' p. 545). 'quibus curae est', h. e. siue tutoribus, quibus illa ut femina utebatur (ut contra interdum 'tutela' pro eo quod proprie dicitur 'cura' ponitur), siue eis, quibus cura legitima contingit, si usu ueniat; nullo pacto utpote in femina de curatoribus ex lege Plaetoria datis cogitare licet, cf. Reinius l. l. p. 547. hi propinqui nunc conuocare iubentur et medicos, quibus sanandam feminam tradant, et amicos, quorum adhibito consilio uere insanire aliquem confirmabatur quorumque testimonium plurimum sine dubio ualebat apud praetorem in dando legitimo insani curatore. nihil alibi de amicorum consilio in hac re est traditum, nisi huc lubet trahere uerba Cic. Tusc. II 21, 48 *uinciatur et constringatur amicorum propinquorumque custodiis*; sed in similibus illud commemoratur, ueluti Sp. Cassium Viscellinum a patre neci esse datum *adhibito propinquorum et amicorum consilio* Val. Max. V 8, 2 tradit. cf. idem II 9, 2, Cic. p. Rosc. Am. 10, 27 *de amicorum cognatorumque sententia* (RIhering, 'G. d. r. R.' II 1, p. 217). — **7, 8. non est sana puella nec rogare qualis sit solet et imaginosum.** per hoc 'insana est' (ob postulationem suam) poeta stabiliens, cur propinquos inuocauerit, simul illius indicium addit hoc, quod Ameana de faciei suae qualitate foeda consulere speculum non soleat. hanc enim esse loci turpiter corrupti sententiam, quasi per nebulam iam olim Beroaldus et Muretus aliique intellexerunt recordatione locorum, quales sunt Plaut. Most. I 3, 95 *mulier quae se suamque aetatem spernit, speculo ei usus est* et Mart. II 41, 8 *quare si speculo mihique credis* (Ellisius cp. etiam Alciph. I 33, 4, Anth. Pal. XI 266). sed nudum illud 'imaginosum' (quae uox praeterea non legitur) cum minime possit indicare speculum, de interpretationis illius per se omnium aptissimae fide dubitabant et 'imaginosus' (cf. 'imaginari') explicabant 'qui mente sibi fingit id quod a rerum ueritate abhorret', φανταστικός (cf. Petron. 38 *phantasia, non homo*). coniecere igitur (ut mittam incredibilia) Doeringius 'solet: en imaginosam' (uel 'solet haec imaginosa'), porro u. 7 'rogate' ex libris interpolatis arcessentes Hauptius 'sit: solide est imaginosa', Pleitnerus 'stolida atque imaginosast', Schwabius 'solet esse imaginosa'. nihil dico de illius 'rogate (rogare) qualis sit' in hac ratione superflua abundantia et languore: artis criticae praecepta fidem negare nos iubent eiusmodi periculis, quae non intra suos fines cohibent remedium, sed uarios locos simul attrectant. uere Froehlichius 'et' in 'es' siue 'aes' mutauit: Plin. h. n. XXXIII 9, 130 *ut omnia de speculis peragantur in hoc loco, optima apud maiores erant Brundisina. stagno et aere mixtis praelata sunt argentea: primus fecit Pasiteles Magni Pompei aetate.* Catulli igitur tempore, praesertim in prouincia, praeualebant adhuc specula ahenea (apte Ellisius cp. Aeschyl. fr. 384 κάτοπτρον εἴδους χαλκός ἐστ', οἶνος δὲ νοῦ, Anth. Pal. VI 211, 4 τὸ χάλκεόν τ' ἔσοπτρον, CIL. I 54—60). lepide autem nec abhorrente linguae genio speculum C. uocauit 'aes imaginosum', h. e. imaginum

plenum easque prompte semper exhibens; Apul. apol. 14 *quod tandem crimen est, imaginem suam nosse eamque non uno loco conditam, sed quoquo uelis paruo speculo promptam gestare.* sine iusta autem causa erant qui in fine carmen mutilum esse putarent.

XLII.

1, 2. Adeste, hendecasyllabi, quot estis omnes undique, quotquot estis omnes. in bellum aduersus meretricem rapacem gerendum poeta arcessit totum quasi exercitum hendecasyllaborum (de solita formula 'ades' et 'adeste', h. e. uenite, cf. LXII 5), quibus nimirum persequatur cingatque mulierem de rapina decedere nolentem (non plane similis est Mart. I 96). hendecasyllabi quod inuocantur, non propterea fit, quod hi ut iambi truces per se faciunt ad impetum inferendum (cf. ad XII 10), sed quod eis qui in pugillaribus scripti erant quasi ex quodam conlegialitatis iure subueniunt. multitudinem sibi necessariam designaturus C. uerba 'q. e. o.' ita repetit, ut hoc altero loco paulo fortius 'quotquot' ponat (cf. 'quot annis' et 'quotquot annis' Varr. d. l. l. IX 24); et potest alterius coli gradatio fieri robustior, si comma ante 'undique' ponimus, hoc ut cum ui in initio repetitionis extet. adnotandum est, u. 2 hendecasyllabi speciem ita describi, ut singuli eius pedes singulis exprimantur uocibus; quod hic consulto admissum (de I 9 cf. comm.). imitatur auctor Priapei Anth. lat. Mey. 1704, 13 *conuenite simul, quot estis omnes,* quod mox u. 16 repetitur. — **3. iocum me putat esse turpis moecha.** 'iocum' et 'risum' uocabant breuiter hominem, cui inluditur quique ridetur; Hom. Il. VI 82 *δηΐοισι δὲ χάρμα γένεσθαι* et Herod. III 29 *γέλωτα ἐμὲ θήσεσθαι*, Prop. II 24, 16 *sed me fallaci dominae iam pudet esse iocum* et III 25, 1 *risus eram,* Petron. 57 *ut nemini iocus sis.* 'turpis' ad foeditatem refer, ut Mart. VIII 79, 2; cf. et XLI 1. 'moecha' contemptim de meretrice. — **4. et negat mihi uestra reddituram pugillaria.** de omisso 'se' quod dixi ad XXXVI 7, etiam in negandi uerbum quadrat; Priap. 50, 3 *et nec dat mihi nec negat daturam.* 'codicilli' (cf. u. 11 sqq.) siue ex compluribus tabellis cera inlitis siue ex membranis consutis (unde et 'membranae' uocabantur) constantes 'pugillares' audiunt, quia ob paruitatem manu comprendi possunt; quam uocem quod neutraliter posuit C. propterea ab Asinio reprehensus (cf. testim. uol. I et supra p. 62), fecit sine dubio uulgi usum secutus, quo etiam Gell. XVII 7, 17 dixit *pugillaria noua, nondum etiam cera inlita, accepisse* (singulari neutrius Laberius et Ausonius utuntur). hi poetae codicilli quomodo in feminae istius manus peruenerint si quaerimus, de alio eorum usu quam qui expositus est ad XXII hic est cogitandum; epistularum quippe loco haud raro illi mittebantur (cf. ex. gr. Cic. ad Q. fr. II 11, 1), etiam in rebus amatoriis (Richius, lex. antiqq. s. uoc. 'pug.', Sueton. d. gr. 14); uideturque simili modo atque ab Ipsimilla (XXXII) ab hac meretricula per hendecasyllabos in pugillaribus perscriptos poeta rogasse concubitum. 'uestra', in quae uos referre soleo. — **5. si pati**

potestis. siquidem a uobis impetrare ualetis, ut id permittatis; nisi indignatione correpti uos prohibetis. XXIX 1. — **6. persequamur.** ut dux (C.) cum militibus (hend.) hostem. — **reflagitemus,** instanter reposcamus, ἅπ. λεγ. est. — **7. quae sit quaeritis?** introductio χαρακτηρισμοῦ. quaesiuere etiam docti, quam feminam perstringat poeta. erant qui Lesbiam esse dicerent (Schwabius q. C. p. 120), obliti, numquam ad hanc ipsam tam acerbi contemptus uerba derexisse Catullum, ut eam tamquam moecham turpem putidamque adloqueretur, cuius rei causa nulla aderat hic per se (quisnam amator puellae suae obicit id, cuius ipse extitit auctor?); quidquid notauit dolore cum summo mores illius in dies magis labentis, ab eiusmodi conuitiis foedis pudenter abstinuit poeta utpote in ea, quam tenerrimo olim amore dilexerat: indignam omnino hoc poeta dixerim opinionem istam. rectam iam PVictorius proposuit explicationem, quam deinde haud pauci iure optimo sunt amplexi. nec enim hercle casu mero factum est, quod hoc carmen inclusum est duobus poematiis ad Ameanam, malam feminam, spectantibus: hanc esse eandem, quam nostri uersus exagitent, oppido est probabile ac paene certum, maxime ob u. 9 comparationem. uidetur poetae noctem rogantis codicillos auaritia meretricia uel iactandi causa retinuisse Ameana, simul noctis pretium flagitans decem sestertia: utrumque C. in his duobus carminibus castigat. — **7. illa quam uidetis turpe incedere.** cf. IV 1. 'incedere', etsi e conexu accipit interdum aliquid sollemnitatis, plerumque tamen (ut hic) simpliciter ualet 'ambulare in publico'. maximi autem ducebatur in femina incessus decorus (Ouid. a. a. III 298 sqq.), hoc distinguebatur matrona honesta a meretrice: CIL. I 1007 de femina proba *sermone lepido, tum autem incessu commodo* et contra de eo incessu, qui meretriculam prodebat, Cic. p. Cael. 20, 49, Sen. rhetor p. 226, 20 K. 'turpe' neutrum aduerbii uice fungitur, cf. Kuehnerus gr. l. II p. 211. — **8, 9. mimice ac moleste ridentem catuli ore Gallicani.** de risu mimorum mimarumue proprio quoniam nihil constat (peruersissime Ellisius explicat de risu, qui mimos sequi soleat), haec uerba 'm. ac m.' epexegetice accedunt potius ad prius illud 'turpe'. nec tamen aut mollities mimorum siue cinaedorum cum Pithoeo in partes uocanda (quid haec ad feminam?) aut illud arcessendum, quod cum mima comparari summum feminarum erat opprobrium (cf. Friedlaenderus hist. mor. rom. II p. 395, Teuffelius HLR. § 8, 8 et 10) aut aliae uocis 'mimice' significationes comparandae sunt (Sen. rhet. contr. 12, 5, Tertull. apol. 46): 'incedere mimorum modo' est ambulare motu corporis gestuque artificiose composito; quod ipsum elegantiae studium differt ab honesta honestarum simplicitate; cf. Quintil. I 11, 3; Petron. 126 *quo* (spectat) *incessus arte compositus et ne uestigia quidem pedum extra mensuram aberrantia, nisi quod formam prostituis, ut uendas?* quod artificiosum mimorum genus respexit similiter Plaut. mil. II 2, 59 *euscheme hercle astitit is* ('astitis et' sim. codd.), *dulice et comoedice,* ubi uerba ultima itidem ad 'euscheme' explicatiue accedunt. et cum hoc optime conuenit

illi 'moleste' synonymo, h. e. modo nimis quaesito ideoque displicente (nostrum 'affektiert') quemadmodum recte interpretatur Vulpius cp. Sueton. Aug. 86 *opus est dare te operam, ne moleste scribas aut loquaris,* Cic. Brut. 30, 116 *simplex in agendo ueritas, non molesta*, Ouid. a. a. I 464, alia; cf. denique descriptionem Sueton. Tib. 68 *incedebat ceruice rigida et obstipa, adducto fere uultu, plerumque tacitus .. nec sine molli quadam digitorum gesticulatione: quae omnia ingrata atque arrogantiae plena et animaduertit Augustus in eo et excusare temptauit .. professus naturae uitia esse, non animi:* habes incessum mimicum et molestum. post haec igitur commate posito 'ridentem' non cum 'uidetis', sed cum 'incedere' artius copula. nobiles erant apud uenatores canes Gallici (Gratius 155 et 194, Ouid. met. I 533, Mart. III 47, 11), qui uocabantur uertragi uel uertrahae (Arrian. de uen. 3, 6, Grat. 203, Mart. XIV 200). qui quoniam non ueniunt hic in censum, de altero canum Celticorum genere est cogitandum, quod Arrian. de uen. 3, 1 ita describit *τὴν ἰδέαν ἀνιαρὸν καὶ θηριῶδες*, siue ab horum patulo diductoque rictu comparatio petita est, ut 'peruerso distorquere ora cachinno' (Ouid. a. a. III 287) Ameana dicatur, siue risus eius cum ingrato illorum latratu confertur. ab illo 'gallicus' nouom adiectiuum 'gallicanus' (cf. 'punicus' et 'punicanus') propterea esse formatum putauerim, ut Gallia transalpina (cuius erant maxime canes illi nobiles) distingueretur a Gallia cisalpina. quod confirmat plane usus, ex quo gallicanum dicitur omne quod ad Italiae prouinciam Galliam attinet ex eaque prouenit (nugas uendunt synonyma Beckii p. 60, quibus adsentitur uir doctus in Woelfflini archiuio lexicogr. I p. 193). hoc ergo uelle uidetur poeta: dum (ambulans) ridet eo ore, quale habent in prouincia (cf. XLIII) canes, h. e. inter risum plane similat canibus patriis. quod ut commendatur u. 17, ita lepide perstringit feminam, quae dum omnibus in rebus puellas urbanas imitatur (huc quoque ex parte 'mimice' refero), utpote rus merum, ridicula existit et a cachinno prouinciae canibus conferenda. — **10. circumsistite eam.** cingite orbe facto. Plaut. Men. V 7, 9 *quid me circumsistitis?,* Asin. III 3, 28; Tib. I 2, 97 *hunc* (senem amatorem) *puer, hunc iuuenis turba circumstetit* ('terit' codd.) *arta, despuit in molles et sibi quisque sinus* de inludentibus; Hor. sat. I 3, 135 *urgueris turba circum te stante.* et quasi in choro clamate: — **11. moecha putida, redde codicillos.** caue ne 'put.' de anu uieta accipias, ut Hor. epod. 8, 1; nam reddit uox illa plane illud 'mimice ac moleste'; coniungit Cic. d. or. III 13, 51 *molesta et putida,* h. e. ob nimium artis studium odiosa taediosaque. bene AStatius cp. Ouid. a. a. III 449 *'redde meum' clamant spoliatae* (a fure) *saepe puellae, 'redde meum' toto uoce boante foro,* ubi 'redde meum' naturae rerum conueniens instantes reflagitantium uoces bene exprimit aeque ut apud Plaut. Most. III 1, 74 *redde fenus, fenus reddite* et hoc loco. — **13. non assis facis?** Priap. 8, 3 *non assis faciunt cuntque recta*; cf. ad V 3. — **o lutum, lupanar.** bene Muretus cp. Plaut. Pers. III 3, 2 *lutum lenonium, commictum caenum, sterquilinium*

publicum et Cic. in Pis. 62 *o tenebrae, lutum, sordes*; cf. et Plaut. Poen. I 1, 30 *illius domino non lutumst lutulentius*, CIL. IV 1516 *hic ego nunc futui formosa(m) forma puella(m) laudata(m) a multis, sed lutus intus erat* (de 'lutus' forma Non. p. 212, 14). 'lupanar' pro 'lupa', ut contra Caesar audiit *Bithynicus fornix* et *stabulum Nicomedis* (Suet. C. 49). coniunxit utrumque Apul. apol. 74 *est enim* (Herennius Rufinus) .. *libidinum ganearumque lutus, lustrum, lupanar.* grauius multo haec opprobria cumulantur asyndetice quam si auctore AStatio rescribatur 'o lutum luparum' uel 'o lutum, o lupanar'. — **14. aut si perditius p. q. e.** peius corruptiusque; Cic. ad Q. fr. III 9, 1 *nihil est enim perditius his hominibus, his temporibus.* cf. ad XXII 12. quod in V legitur 'potes' inmutandi cum Italis in 'potest' (et 13 'facit' cum THalbertsma) nulla est causa: habemus u. 13 et 14 poetam tacite secum loquentem. ubi satellites suos emissos nil proficere uidet, dux secum deliberans haec effundit iratus tamquam ad feminam praesentem: dramatis uiuidam actionem omnia spirant. — **15. sed non est tamen hoc satis putandum.** nec tamen (ad rem rediens iterum adfatur C. milites suos) hoc, quod simpliciter reddenda nostra flagitamus, contenti esse debemus: acrioribus armis eam adgrediamur oportet. XCI 9 *tu satis id duxti,* Hor. sat. II 3, 178 *quod satis esse putat,* Nep. Epam. 4 *neque uero id satis habuit.* — **16, 17. quodsi non aliud potest, ruborem ferreo canis exprimamus ore.** os canis gerens (cf. Homericum κυνώπης) 'ferreum', h. e. durum siue impudens (cf. Sen. dial. II 17 *duritia oris, qui adsiduis conuitiis pudere dedidicerat,* Licinius Crassus apud Suet. Ner. 4 *cui os ferreum, cor plumbeum esset,* Cic. in Pis. 26, 63 *os tuum ferreum senatus conuicio uerberari maluisti,* Muretus cp. et Arist. Acharn. 590 ἀναίσχυντος ὢν σιδηροῦς τ' ἀνήρ), Ameana rubore tamen nunc temptandum est num possit moueri. ad adhortatiui illius 'rub. exprimamus' (Sen. epist. 11, 7 *ruborem sibi exprimere non possunt*) sententiam Vulpius cp. auct. ad Her. IV 10, 14 *tum uero iste clamare uoce alta* ['ista' codd.], *quae uel rabulae cuiuis rubores elicere potest* et Mart. I 52, 8 *haec si terque quaterque clamitaris, impones plagiario pudorem.* 'potest', scil. fieri (cf. Brixius ad Plaut. Trin. 253, Lorenzius ad mil. 181, Cic. d. fin. IV 18, 48 *quo nihil potest breuius,* alia), h. e. licet: nam si (de 'quodsi' cf. XV 14) nil aliud iam restat, faciamus quod est faciendum et pudorem isti inponamus conclamando eqs. uerum quidem est, hanc non ultimam rationem fuisse (22); sed quo magis iam ad extremum auxilium se confugere significat poeta, eo efficacius euadit u. 21. et erat saltim hoc postremum in adgredienda muliere. — **18. c. i. altiore uoce.** scil. ut omnes hoc opprobrium audiant. in 'altiore' uoce efferenda inest omnis actionis progressus: non bene Westphalius 16 (ubi 'quo si' scribit) et 17 posuit post 23. — **21. sed nil proficimus, nihil mouetur.** ecce habet os uere ferreum, nil ne publicum quidem conuicium curat, nondum nostra reddit. 'nil' et 'nihil' (= neutiquam) uariatur, ut XVII 21, LXIV 146. Verg. Aen. IV 449 *mens inmota manet.* — **22. mutanda est ratio modusque nobis.** alia plane nouaque uia est proce-

dendum; Hor. epist. II 1, 20 *simili ratione modoque*; est graecum μέθοδος (Naegelsbachii stil. lat. p. 119 et 189[7]). Cels. praef. I *medendi rationem ex magna parte mutauit,* Cic. diu. in Caec. 8, 25. 'nobis', quod V praebet, multo se habet melius quam uulgatum 'uobis', siquidem poeta, tamquam exercitus hostem persequentis sit imperator, ut alibi se ipsum simul nominat (6, 17, 21, contra 8, 10, 18 subiecti execuntur ducis mandata), ita hic, ubi de summa imperii utpote in consilio capiendo agitur, se excludere nullo pacto potest. — **23. si quid pr. a. potestis.** hic quoque 'si' pendet ab eo quod mente supplendum est 'experturis'; cf. ad XXII 24. nullo modo post illud 'nobis' recte se habet 'potestis', quod nimirum ipsum potius e coniectura mutandum est quam necessarium illud 'nobis'. temptauere Schwabius 'putatis', lMaehly 'uoletis': nihil huic contemptui est adcommodatius quam quod ego proposui 'pote stic', h. e. si iam apud istam feminam (cf. LXXVI 11 *istinc*) aliquid proficere liceat (cf. XVII 24 *potē stolidum,* LXXVI 16); Lachm. ad Lucr. p. 197. — mira cum breuitate, quae ex locis quales sunt XXVIII 9 uix defenditur, statim sine ullo transitu noua exclamatio subicitur. puto equidem post 23 talem fere uersiculum intercidisse: 'submissique humilesque nunc rogate'. — **24. pudica et proba, redde codicillos.** uera opprobria quoniam nil profuerunt, fortasse proficiet falsa laudatio ad ruborem exprimendum, quo mota redditura sit mulier. congeritur igitur in lupam summa honestarum puellarum laus, 'probitas' siue castitas incorrupta (Ouid. rem. 330 *et poterit dici rustica, si qua proba est*) et 'pudicitia', amor castitatis uiuus uigensque; iam AStatius cp. Afran. com. 116 R. *nam proba et pudica quod sum, consulo et pareo mihi* et Hor. epod. 17, 40 *tu pudica, tu proba perambulabis astra sidus aureum* (quamquam hinc non in nostro quoque carmine statuenda est παλινῳδία).

XLIII.

1. Salue, nec minimo puella naso. est teste u. 5 eadem Ameana, quam cc. XLI (4) et XLII exagitant. uidentur amici poetae, cum hunc iratum magnopere puellae uiderent, per iocum illusuri forte iecisse, hanc tamen Ameanam minime esse deformem foedamque, immo cum Lesbia posse conferri. tunc uero ille indignatus hoc carmine meretriculam prouincialem amara cum inrisione hoc modo carpit uexatque, ut omnia eius uitia enumeret λιτότητος figura ita usus, ut et haec uitia augeat et uirtutes, quae in femina uere pulcra requirantur, simul indicet. primo igitur loco de naso eius monet non minimo (XLI 3 *turpiculo*; cf. ex. gr. Ouid. ex P. II 3, 46 *non minimum furoris*); in quali exagitando multi erant ueteres, ut Lucil. XXII 7 M. *nasum rectius huic* ('nunc' codd.) *hominist soeraene pedesne?,* idem VI 11 *si non nosti* ('nosti non' codd.), *magnus homost, nasutus, macellus,* Hor. sat. I 2, 93 de amica *depugis, nasuta, breui latere ac pede longo est.* — **2. nec bello pede.** foedus pes siue longus est (cf. Hor. l. l., ibid. 102 *ne crure malo, ne sit pede turpi*; et notum est illud Ouidii am. III 3, 7 *pes erat exiguus, pedis est aptissima*

forma, a. a. I 623 *et teretes digitos exiguumque pedem*) siue latus nimis planusque, ut illa in Moreti u. 35 *spatiosa prodiga planta.* — **nec nigris ocellis.** summo in honore erant nigri oculi, ut ex Hor. od. I 32, 11 (ubi cf. Lambinus) et a. p. 37 sat constat. Varro sat. Men. 375 B. *oculi suppactuli nigellis pupulis a! quam hilaritatem significantes annuunt* (cf. Miscell. Crit. p. 15). — **3. nec longis digitis.** oblongis, proceris et teretibus; Prop. II 2, 5 *fulua coma est longaeque manus et maxima toto corpore et incedit uel Ioue digna soror* (ibid. II 12, 23 *et digitos et lumina nigra puellae canit*), Apul. flor. 15 [p. 17, 12 Kr.] *manus eius tenerae, procerulae.* — **nec ore sicco.** Apul. apol. 59 in descriptione hominis foedi *madentis oculos, cilia turgentia, rictum restrictum, saliuosa labia, uocem absonam.* — **4. nec sane nimis elegante lingua.** lubenter acciperem haec de lingua nimis exerta conligens Cic. d. or. II 66, 266 *Gallum in Mariano scuto Cimbrico . . distortum, eiecta lingua, bucis fluentibus*, si 'elegans' ad corporis partes spectare posset (Cic. ad Fam. IX 19, 2 *aures elegantes* translate est dictum). nec tamen cum plerisque refero aut ad sermonis inconditi barbariem aut ad balbutiendi uitium, sed de uocis sono atque pronuntiandi ratione explico; cf. Gell. XIII 20, 18 *huius uocis cum elegantior hoc in loco sonus est.* Priap. 49, 2 *non nimium casti c. p. ioci*; 'sane' synonymum (ex. gr. Ter. Ad. V 2, 8 *haud sane commodum*; cf. ad X 4) ad augendam adfirmationem insuper est additum. — **6. ten prouincia narrat esse bellam?** 'tene', talem, tam foedam, cum contemptu effertur praeponiturque (eadem illius per anaphoram repetiti 'tecum' u. 7 uis). 'prouincia', scil. Gallia Cisalpina, pro 'prouinciales'. 'narrat', dicit uocat, ut Ter. Phorm. II 3, 54 *filium narras mihi?* cf. et infra LXVII 29. — **7. Lesbia nostra.** non ita haec accipienda (ut fecere nonnulli), quasi tum cum Lesbia in bonam gratiam redierit poeta. qui iam dudum euolserat ex animo omnem illius amorem, sed nunc propter iniectam Ameanae cum Lesbia comparationem hanc commemorat tamquam suam, h. e. pristinam amasiam carminibus multum celebratam, animo sedato tranquilloque et plane ut iudex siue arbiter pulcritudinis in rem solam intentus. — **8. o saeclum insapiens et infacetum.** cf. XIV 23. 'insapiens' pro uulgari 'insipiens' interdum in sermone familiari et plebeio adhibitum uidetur, unde Caper [Gr. L. K. VII p. 110, 7] *insipiens, non insapiens.* de 'infac.' cf. ad XXII 14.

XLIV.

1. O funde noster seu Sabine seu Tiburs. sententiam aperit Hor. sat. II 1, 34 *sequor hunc, Lucanus an Apulus, anceps; nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus*: eodem modo fundus Catulli haud longe a Tibure in confinio Latinorum et Sabinorum situs erat, unde ad quam terram pertineret ille dubium esse potuit. similis condicio erat uillae Horatianae: Suet. uit. Hor. *uixit plurimum in recessu ruris sui Sabini aut Tiburtini.* Dig. L 16, 211 *fundi appellatione omne aedificium et omnis ager continetur; sed in usu urbana aedificia aedes, rustica uillae dicuntur;*

locus uero sine aedificio in urbe area, rure autem ager appellatur (cf. Reinius libri 'das Privatrecht' p. 177); et uillam mox commemorat poeta. ad hoc cum gratae recordationis affectu dictum 'o funde' per attractionem uocatiui 'Sabine' et 'Tiburs accedunt; exempla (ut Hor. sat. II 6, 20, Tib. I 7, 53) collegit Kuehnerus gr. l. II p. 191 sq.; adiectiuum 'Tiburs' (ex 'Tiburtis' ortum) haud rarum est. — **2. nam te esse Tiburtem autumant, quibus non est cordi Catullum laedere.** ager Tiburtinus aeque ob fertilitatem salubritatemque quam ob amoenitatem clarus uillis multis Romanorum nobilium diuitumque semper ornatus erat (cf. omnino Friedlaenderi hist. mor. Rom. II p. 128): pauca erant oppida, ubi aestiuare magis amabant. Catullus modicum ibi possedisse uidetur praedium, ab oppido recedens magisque agreste. unde erant qui illud naso adunco suspenderent tamquam parum ad Tiburis uillas lautas elegantesque, sed magis ad Sabinos duros rigidosque pertinens. 'aut.', affirmant, contendunt (ut Lucil. XXVIII 46 *Socraticum quidam tyranno misse Aristippum autumant*), a bonis scriptoribus alienum, priscorum et posteriorum est proprium (cf. et Gell. XV 3, 6, Quint. VIII 3, 26). 'q. cordi est', qui student (qui data opera uolunt pungere *φιλαυτίαν* meam), ut Lucil. XXVI 21 M. *et quod tibi magnopere cordi est, mihi uementer displicet*, Liu. IX 1, 4 *satis scio, quibuscumque diis cordi fuit, subigi nos ad necessitatem dedendi res.., iis non fuisse cordi tam superbe ab Romanis foederis expiationem spretam* (cf. et LXIV 158; Kuehnerus l. l. p. 253). — **4. quouis Sabinum pignori esse contendunt.** pignus, nisi id quod contendat uerum est, cum alio dat is qui affirmat (cf. Plaut. Cas. prol. 75 et Epid. V 2, 35); idque 'pignore certare cum aliquo' (Verg. ecl. 3, 31) uel 'pignore posito quaerere' (Ouid. a. a. I 167) uocabant; Phaedr. IV 20, 5 *a me contendet fictum quouis pignore*, Gell. V 4, 2 *contra librarius in quoduis pignus uocabat, si in una uspiam littera delictum esset* (Cic. ad fam. VII 32, 2 *ut sacramento contendat mea non esse*). prisca ablatiui forma 'pignori' (cf. ad XXXV 12) hic quoque a scribis non intellecta in V abiit in 'pignoris', quod ante me in 'pignore' correxerunt minus probabiliter. — **6. fui libenter in tua suburbana uilla.** Cic. ad Att. IX 3, 1 *Tusculanum, ubi ceteroquin sum libenter* et XVI 6, 1 *Veliae fui sane libenter* (Kuehnerus l. l. p. 7). 'fui' post poetae Romam reditum hos uersus scriptos esse ostendit. 'tua', quam contines, ut XLII 4. uilla cum fundo semper coniuncta quod tamquam 'suburbana' propria mentione effertur praeter expectationem, eadem factum esse uidetur superbia, qua poeta u. 5 illo 'siue uerius' refutauit dubitationes quorundam; qui de hac quoque re dubitasse uidentur, num uilla Catulli possit uocari 'suburbana' utpote potius in Sabinis posita. et in Romae uicinia praedium possidere, magni ducebatur; notio autem suburbanitatis fortasse usque ad Sabinos extendebatur. — **7. malamque pectore expuli tussim.** sic uere rescripsit Auantius secundum Hor. epist. II 2, 137 *expulit helleboro morbum*, Cic. ad Fam. VII 26, 2 *si morbum depulero*. Scaliger cum mallet 'expui', restituit quod uix ex

locis, quales sunt Ter. Eun. III 1, 16 *illam exspueres miseriam ex animo* defendatur (nedum ex Celso IV 11, 1 *sanguinem exspuere*). V 'aliamque' praeterea habet, unde AStatius maluit 'aridamque', recte quidem per se, cum medici tussim siccam cum grauedine iunctam etiam 'aridam' uocarent; sed idem designat Italorum emendatio 'malamque' ('malus' et 'alius' saepe confusa in codd.), h. e. uehementem et noxiam; Sil. Ital. XIII 581 *malis morbis*, Hor. a. p. 453 *mala scabies* et sat. II 5, 102 *male tussiet.* — **8, 9. non inmerenti quam mihi meus uenter, dum sumptuosas appeto, dedit, cenas.** quam non sine culpa mea mihi contraxi, dum gulosior lauto cuidam conuiuio interesse uolo; 'uenter' hic de sola edendi cupiditate uel potius de epularum exquisitarum appetitu intellege (Hor. sat. II 8, 5, Pers. prol. 11); nec enim poeta interfuit illi conuiuio. 'inmerenti', cf. LIV 7, Haasii praelectt. I p. 125. Cic. ad fam. IX 23 *hospitem quam minime edacem, tum inimicum cenis sumptuosis,* h. e. lautis et opiparis. de uerborum conlocatione insolentiore nec a Graecis aliena (Ellisius cp. Bergkium ad Theogn. 461) cf. Verg. epigr. 13 (5), 1 *iacere me, quod alta non possim, putas, ut ante uectari freta*, Hor. sat. I 5, 72 *sedulus hospes paene, macros, arsit, dum turdos uersat in igne,* Ouid. met. IX 94 sqq., Sil. Ital. IX 462. 'dum appeto (ideoque lego), dedit' nil recedit a solita constructione (Kuehnerus gr. l. II p. 910), sed praestare 'Qum' (= eo quod) pro 'Dum' uerum est (etiam ob u. 10). — **10. Sestianus dum uolo esse conuiua.** cupio (VI 16) conuiuii a Sestio exhibiti particeps esse. dicitur sine dubio P. Sestius ex Ciceronis Sestiana (de forma in 'anus' cf. Woelfflini archiu. lexic. I p. 181) notissimus, bonus ille ciuis, sed idem homo insulsus scriptorque malus (ἰδιώτης Plut. Cic. 26, Cic. ad Att. VII 17, 2 *nihil umquam legi scriptum σηστιωδέστερον*, ad fam. VII 32, 1, ad Q. fr. II 4, 1, de intemperantia hominis ad Att. IV 3, 3; cf. et Schwabius q. C. p. 303 sqq.). — **11, 12. orationem in Antium petitorem plenam ueneni et pestilentiae legi.** de hoc Antio nil certi constat. IVossius eum putat esse C. Antium Restionem, qui legem sumptuariam tulit (Macr. III 17, 13, Gell. II 24, 12) quique in nummis intra a. 49 et 45 cusis occurrit (Mommsenus de re num. Rom. p. 653); praeterea Cic. ad Att. IV 16, 6 commemorat Antium quendam. 'petitor' dubitas, ut in re plane ignota, sitne 'candidatus (AStatius cp. Macrob. III 14, 7 *puerum bullatum petitoris*, et sane saepius sic qui magistratus petebant uocabantur, ut Hor. od. III 1, 11) an 'accusator', quod ex mente nimirum Catulli sit additum (= qui eum accusauit). hoc si adsumimus, Antium Sestii nomen detulisse ob legem Aemiliam de luxuria ab eo uiolatam possis hariolari, ut cenae illae sumptuosae nouum accipiant acumen et Restionem in hac quoque causa suam rem agere agnoscamus. de candidato Antio qui cogitant, conferunt orationes, qualem ex. gr. Cicero in senatu in toga candida contra C. Antonium et L. Catilinam competitores habuit (cf. Asconii argumentum p. 73 edit. Berol.). 'uenenum', uerba tamquam punctu uenenato uulnerantia, summum acerbitatis, qua Sestius in aduer-

sarium inuectus est, uirus (Hor. sat. I 7, 1 *Regis Rupili pus atque uenenum,* Sen epigr. 22, 1 [PLM. IV p. 63] *carmina mortifero tua sunt suffusa ueneno,* Stat. Theb. I 171 *humili laesisse ueneno summa*) ita designat, ut tamen ab altera parte etiam hoc innuat, lectores oratione illa lecta tamquam ueneno affici (XIV 19, LXXVII 5, ubi 'uenenum' et 'pestis' iuncta). eademque ambiguitate utitur 'pestilentia': pestem interitumque Sestius minabatur aduersario, nec non legentibus quasi quandam pestilentiam attulit opusculum illud. inepte olim ex Italorum coniectura scripserunt 'legit', Sestium nimirum conuiuis hanc orationem suam praelegentem fingentes (Mart. III 50), sed neglegentes nullo pacto coire haec 'dum conuiua esse uolo, legit Sestius.' lubet hoc fundamentum disputationis ad u. 21 proferendae hic ponere, Catullum omnino non adiisse illam cenam, sed tantum uoluisse adire (9 et 10), ab ea re prohibitum morbo, quem legendo opusculum illud sibi contraxisse iocose fingit. — **13. hoc me grauido frigida et frequens tussis quassauit.** recepi ex O 'hoc', h. e. hac re, legendo (Hor. sat. I. 6, 87; cf. et homericum τῷ); G quod praebet 'hic' (= tunc uero), ut lectio facilior, postponendum est illi. 'grauido' uel 'grauedo' (utraque forma proba est, uariatque in ea ipse noster u. 19 soni gratia, ut puto; cf. PVictorius uar. lectt. IV 8, Lucil. XXIX 31 M., Fronto p. 85 N.) est grauitas maxime capitis; Celsus IV 5 *haec* (grauedo) *nares claudit, uocem obtundit, tussim siccam mouet, sub eadem salsa est saliua, sonant aures, uenae mouentur in capite, turbida urina est.* 'frigida', non tam 'frigore percutiens' (Plin. h. n. XXVI 115 *frigidae febres*), sed 'ex frigore concepta': in hoc uersatur lepor Catullianus, quod orationis illius frigore morbum sibi incussum esse fingit (u. 20); nec male Vulpius cp. Priapeum 61. 'frequens' medica dictio, ut Cels. IV 11 (5) *frequens tussis sanguinem quoque extundit.* 'quassare' concutere; cf. praeter Ser. Sammon. 292 *fauces tussi quatiuntur atroci* (Verg. G. III 496) Sueton. Aug. 81 *austrinis tempestatibus grauedine temptabatur; quare quassato corpore neque aestus neque frigora tolerabat.* — **14. usque dum in tuum sinum fugi.** Cic. ad fam. VII 26 *cum decimum iam diem grauiter ex intestinis laborarem . ., fugi in Tusculanum.* ut conuenit ei quem tamquam personam adloquitur, fundo tribuit poeta sinum, h. e. tutelam refugiumque securum, intellegens nimirum uillam. 'usque dum' (LXI 154) pro simplici 'dum': Kuehnerus l. l. p. 912 sq., Holtzius synt. scr. pr. II p. 129. — **15. et me recuraui otioque et urtica.** olim legebant auctore BPisano 'ocymoque', dum IVossius scripturam traditam explicauit ex Celso IV 5 *in grauedine primo die quiescere, neque esse neque bibere, caput uelare, fauces lana circumdare* aliisque medicis. de urtica, quam et pauperum cibum nouimus (Hor. epist. I 12, 8, Pers. 6, 70), cf. Plin. h. n. XXII 13, 35 *condidit laudes eius Phanias physicus, utilissimam cibis coctam conditamue professus arteriae, tussi . . . cum tisana pectus purgare*; Cels. IV 10. uox recurandi potest fuisse plebeculae, quae saepius cum 're' uerba composuit praeter necessitatem (cf. 'resanare'); sed qui praeterea eam habent, Plin. h. n. XIII 75 '*rec. cartam* (= iterum

tractare), Stat. Theb. III 583 *gladios recurare*, Apul. met. VI 25 et VIII 18 *rec. plagas* et *corpus laniatum*, Isid. XIX 22, 23 *rec. uestem ueterem ad nouam speciem* (= resarcire), num satisfaciant ad explicandum nostrum locum dubitare licet. Scaliger non bene coniecit 'procurauit'; equidem malim 'me recuperaui', h. e. refeci, recreaui, ut dixit Varr. d. r. r. I 13, 1 *se quiete recuperare* (de soluta secundi pedis arsi cf. XXII 19). — **16. refectus.** ad sanitatem reductus, ut Hor. epist, II 2, 136. — **grates** (Neuius I p. 466) forma poetis magis usitata. — **17. meum quod non es ulta peccatum.** fundum per totum carmen adlocutus poeta credi non potest sine ulla causa subito se conuertisse ad uillam. unde Faernus coniecit 'ulte'; quod num Vergiliano 'expectate uenis' aliisque (cf. ad u. 1) possit defendi, ut in re non plane eadem perquam est dubium. melius se haberet Muretianum 'ultu', nisi abicere 's' finalem repugnaret mori Catulliano (supra p. 16). conieci ego 'ultus erratum', sed dubius haerensque. quidquid id est, loquitur poeta de gulositate sua. — **18. nec deprecor iam.** et abhinc non recuso; de 'quin' sequenti cf. Kuehnerus l. l. p. 829, Fronto p. 84 N. *nec deprecor quin me oderis.* — **si.** si umquam. — **nefaria scripta.** de 'a' in arsi ante 'scr' producta cf. ad IV 9; XIV 12 *horribilem et sacrum libellum.* — **19. recepso** (= recepero: Neuius II p. 545), primaria cum significatione uix alibi obuia: iterum in manus sumpsero. dicitur latine tam recte 'librum manibus capere' quam 'in m. sumere'. — **19, 20. quin grauedinem et tussim non mi, sed ipsi Sestio ferat frigus.** luditur in uoce 'frigus. quod collectum percurrensque corpus procreat grauedinem tussimque, sed simul designatur illud scriptorum Sestianorum frigus: Quint. VI 1, 37 *et imperitia et rusticitas et rigor et deformitas afferunt interim frigus* (= horrorem frigidum; cf. et 'dicta frigida', h. e. ieiuna, inepta). ceterum salse hoc genus frigidum poeta imitatur uerbis suis. cum enim expectemus 'iterum mihi morbum ferat (= afferat) frigus librorum Sestianorum', hoc potius satis lepide (recte Muretus: 'iocus παρὰ προσδοκίαν Plauto ualde usitatus') subiungit 'non mihi sed ipsi Sestio auctori', noue urbaneque, ut puto, adhibens sollemnem deprecationis formulam 'capiti sint illius.' 'mi' recte Itali: 'mihi' V; cf. LMuellerus d. r. m. p. 156. — **21. qui tum uocat me, cum malum librum legit.** recte Hauptius dedit 'tum' pro tradito 'tunc': requirit illud sollemnis formula 'tum, cum'. 'uocare' notissimum est saepe absolute ualere 'inuitare ad cenam' (XLVII 7). 'librum' apparet esse scriptam editamque orationem in Antium, ut Cic. ad Att. II 1, 3. talem orationem neque (prae)legebant omnino neque uero Sestius legit coram Catullo, qui eius conuiuio nullus interfuit. Lachmannus ad Lucr. p. 290 proposuit 'legi', non recte. nec enim ad cenam uocauit Sestius poetam, postquam hic eius orationem legit: quod undenam ille compertum habuit? an ex Catulli epistolio? apage has nugas! Schwabius, qui malum istud commentum recepit, de explicatione fluctuat; nam modo [q. C. p. 302] poetam, 'ut in Sestii familiaritatem et cenas lautissimas se insinuaret', orationem a Sestio transmissam legere non

recusasse, modo [Fleck. ann. 1878 p. 262] eum incitatum spe, fore ut inuitaretur, librum illum ab auctore rogasse legendum opinatur. sed poposcisse eum librum Sestianum, ubinam tandem in carmine nostro legitur? nihilominus Schwabio nuperrime haud pauci sunt adsensi: nimirum Catullum misellum adulatorem similem illius, de quo Petron. 10 *multo me turpior es tu hercule qui ut foris cenares poetam laudasti,* malunt facere quam coniecturae Lachmannianae falsitatem fateri. uocauerat Sestius poetam, qui uentre ductus uoluit quidem ad eum cenatum ire, sed legendo orationem illius ante conuiuii tempus morbo correptus (ut fingit) in suburbanum suum fugit. curnam autem cum conuiuii aditione necessario coniuncta erat libri lectio? causa in aperto est: Sestius edita oratione sua uocauerat homines bellos et in litteris eminentes, quorum et praesentium laudes audiret et in iudicanda illa beniuolentiam sibi conciliaret. uocationem qui sequebantur, ei necesse omnino erat ut legerent opusculum, quo disputandi respondendique haberent materiam. Catullus bonam cenam minime aspernatus uentrique suo delicias facere cupiens coepit quidem perlegendi onus in se suscipere; sed coepto mox destitit homo probus, qui sibi dixit *mentiri nescio; librum, si malus est, nequeo laudare* (Iuuen. 3, 41). rus igitur die cenationis abiit; idemque post reditionem, quod non uenisset ad conuiuium, ita excusauit hoc carmine, ut fingeret uenuste, frigore ex lecta oratione adlato grauedinem tussimque se habuisse, Sestio simul hoc salse obiciens, quod is tum demum poetam inuitare dignaretur, cum huius laudationem audire cuperet. certam esse censeo nostram emendationem 'cum malum librum fecit'; cf. Nepos Cat. 3, 5 *plura in eo libro persecuti sumus, quem separatim de eo fecimus* (uitium ex u. 12 ortum uidetur). — de tempore huius poematis nihil erui potest. nam quod nonnulli ultimis poetae temporibus propter morbi mentionem adscribere uoluerunt: tota haec ratio in ioco aperto, quem nunc agnouimus, concidit.

XLV.

1, 2. Acmen Septimius suos amores tenens in gremio. Septimius, adulescens nobis ignotus, et Acme, siue liberta et Graeca siue puella Romana ficto nomine paucis notis indicata, quomodo amorem inuicem sibi confitentes foedus adnuente deo alato pepigerint, exponit poemation dulcissimum. 'amores', cf. ad VI 16. Ouid. am. II 18, 6 *in gremio sedit protinus illa meo.* 'septimios' scripturam, quam in **V** fuisse liber **O** maxime reddit probabile, uix est quod moneam adsimilatione accusatiui sequentis ortam esse; praeterea Catullum ipsum 'Septumius' (ut u. 21) scripsisse certum est. — **3. ni te perdite amo.** Ter. Heaut. I 1, 45 *eius filiam ille amare coepit perdite* (ubi Donatus *aduerbium, i. e. misere et nimis uehementer et in perditionem morum suorum*) et Phorm. I 2, 32 *hanc amare coepit perdite.* sed quamquam 'perditi', quod **V** praebet, potest ex E et I confusis ortum esse, probabilius puto, uirgula addita reponendum esse 'perditim', qua forma a Charisio [p. 215, 1 K.]

testata utitur Afran. com. 353 R. *quia scit me illam amare perditim* (Neuius II p. 664). — **3, 4. atque amare porro omnes sum assidue paratus annos.** male Froehlichius 'amore', cum proximo 'perire' quod cohaereret: 'amo et amare porro' apertissime optimeque coeunt. 'porro', in tempore futuro 'abhinc', ut Afran. 359 R. *sinunt di et porro passuros scio.* 'paratus est aliquid facere' is qui lubenter faciet, ut Hor. od. II 17, 12. 'assidue' (XCII 4) iunge cum 'omnes annos', scil. uitae; Ouid. tr. I. 6, 25 *femina seu princeps omnes tibi culta per annos* (= per totam uitam); de accus. temporis ad VI 6. — **5. quantum qui pote plurimum perire.** (tantum amare,) quantum is qui potest plurimum amare, h. e. amore omnium ardentissimo. 'pote' non solum passiue (= pote est, LXXVI 26), sed interdum etiam actiue ('pote' ex 'potis', h. e. potis est, decurtatum) adhibetur pro 'potest', ut Prop. II 1, 46 *qua pote quisque, in ea conterat arte diem* (Kuehnerus gr. l. I p. 359). 'perire', quod uarians poeta pro 'amare' posuit, ut 'deperire' XXXV 12, pro 'ardere' (construebant itidem cum accusatiuo). Cic. ad. fam. XIII 22, 2 *si huic meae commendationi tantum tribueris, quantum cui tribueris plurimum,* Fronto p. 18 N.. *cur me nondum ames tantum quantum plurimum potest,* Hor. sat. I 4, 102. — **6, 7. solus in Libya Indiaque tosta caesio ueniam obuius leoni.** in solita formula 'nisi te amo semperque amabo, male peream' (Kuehnerus gr. l. II p. 936) Septimius illud 'peream' exquisitiore modo, quo maxime se moturum putat timidam puellae mentem, expressit, augendo insuper terrori per copulam cumulans terras peregrinas, quod eo facilius facere potuit, si has terras cohaerentes sibi finxit, h. e. Indiam ex sententia Homerica nec postea plane abolita sumpsit pro Aethiopia, de cuius leonibus cf. Plin h. n. VI 195. sed uel tum, si de Asiae terrae cogitamus (de Indiae leonibus Strabo p. 703), non opus erit ut accurate distinguatur scribendo 'Indiaue', quod ante Silligium uulgo legebant. 'tosta', sole perusta: AStatius cp. Verg. G. IV 424, Tib. II 3, 55 *illi sint comites fusci, quos India torret,* Manil. IV 724. 'solus', auxilio comitum destitutus, ut Sall. Iug. 14, 17, Verg. G. III 249; Hor. od. III 27, 51 *utinam inter errem nuda leones.* AStatius cp. Simonidis Amorgei fragm. 14 B. *οὐκ ἄν τις οὕτω δασκίοις ἐν' οὔρεσιν ἀνὴρ λέοντ' ἔδεισεν οὐδὲ πάρδαλιν μοῦνος στεννυγρῇ συμπεσὼν ἐν ἀτραπῷ.* 'caesio', *συνεκδοχικῶς* ab oculis; Hertzbergius ad Prop. p. 362: 'adiectiuum aliquod animali tribuitur, cuius in partem tantum insignem illud quadrat, uelut in Homerico *ἕλικας βοῦς*: camura cornua Vergilius interpretatur G. III 55. sic *γλαυκιόων λέων* Hom. Il. XX 172 a solis oculis epitheto repetito: caesium leonem Catullus uertit'. denique 'obuius' pro 'obuiam', ut Aen. I 314 (Kuehnerus l. l. p. 177). — **8, 9. hoc ut dixit, Amor sinistra ut ante dextra sternuit approbatione.** sic V*). sternutamentum

---

*) etiam **O**, id quod male nuperrime [Fleckeis. ann. 1884 p. 183] negatum est, ut docet compendium in editione mea exhibitum. 'approbationem' ita exaratur potius: approbaroe}.

sat constat inter bona omina fuisse. conferri solent (cf. MSchookius de sternutatione, Amstelodami 1664, Hermannus antiqq. Graec. ad cultum pertin. § 38, Beckeri Charicles I p. 353, alia) Hom. Od. XVII 545, Aristot. h. a. I 11 et probl. 33, Theocr. 18, 16, Cic. d. diu. II 40, 84, Ouid. epist. 18, 151, Plin. h. n. XXVIII 23. transferebatur hoc ad Amorem bonum signum dantem, ut Theocr. 7, 96 *Σιμιχίδᾳ μὲν Ἔρωτες ἐπέπταρον*, Prop. II 3, 23 *num tibi nascenti primis, mea uita, diebus candidus argutum sternuit omen Amor?* sed tamen, quamquam in uniuersum pro bono accipiebatur sternumentum omine, in hac quoque re diligenter obseruabant haud raro, quanam ex parte sternumentum accidisset. et Graecis quidem *πταρμὸς ἐκ τῶν δέξιῶν* secundus erat (cf. Plut. Them. 13); apud Romanos bene inter populare loquendi genus, secundum quod omen 'dextrum' itidem bonum erat, et instituta iuris sacri distinguendum est, ex quo *laeua* (sinistra) *prospera existimantur, quoniam laeua parte mundi ortus est* (Plin. h. n. II 142); cf. Pauly, Encycl. real. II p. 1160, interpp. ad Liu. I 18, Verg. Aen. II 693 *intonuit laeuom* et VIII 302 et IX 631, G. IV 7 *siquem numina laeua sinunt.* uulgo autem legentes 'sinistra ut ante, dextra st. approbationem' Graecorumque usum respicientes sic interpretantur, Amorem, quemadmodum ante ex parte sinistra, ita nunc ex parte dextra sternuisse, h. e. auersum antea iam propitium esse Septimii et Acmes amori. quod perquam peruerse est excogitatum. nam ut sternumenti omen in loco et tempore ualet nec per longius spatium (ex. gr. annuum) inimicus amantibus Amor semper ex laeua parte sternuisse dici potest, ita infelicem qui antea erat amorem pluribus sine dubio persecuturus fuisset poeta. unde ne IVossio quidem, qui priorem offensionem sublaturus 'sinister ante' coniecit, accedere possum: uix et ne uix quidem impedimenta olim obstantia et id quod praesentem adduxit felicitatem commemorare omisisset Valerius. denique uulgata illa lectio inludit arti criticae. nam cum haec uerba recurrant uu. 17 et 18 ibique V exhibeat 'dextram st. approbationem', nostro quoque loco ablatiuum inconcinnum cum Italis Scaligeroque mutare oportet in accusatiuum, non ex nostro loco corrumpere u. 18, ibi quoque 'dextra st. approbationem' scribendo. nam sicut apud Propertium l. l. 'omen sternuere', ita hic 'sternuere approbationem' consueto illo poetis loquendi genere (Kuehnerus l. l. p. 211) significat 'dare sternuendo approbationem'; cf. Marklandus ad Stat. silu. IV 1, 45. iam in hoc 'sinistra . . dextram' habemus duplicem illum Romanorum usum apte coniunctum: ex sinistra (bona) parte accidens omen dextrum siue secundum erat; neque mirabimur superflue ad 'approbationem' additum 'dextram', si quanto efferendae oppositionis amore flagrauerint Romani recordamur; cf. LXVI 38. sed hanc interpretationem lectionemque pariter ab arte et sententiae iam praestantia commendatam si amplectimur, stare nequit 'ut ante': quod u. 17, ubi ad nostrum u. respicitur, ratione aliqua non caret, id ineptum fit hic, ubi quo spectet habet nihil: nunc nondum antea sternutauerat Amor. et per se patet, 'ut ante' non ualere per latinitatem 'ut etiam

ante', h. e. tam sinistra quam ante (inante). Scaliger praeter alia audaciora coniecit 'sinistra inante', graecum ἔμπροσθεν, recordatus Plut. de gen. Socr. 11 ἀλλὰ μήν, ἔφη, καὶ αὐτὸς Μεγαρικοῦ τινος ἤκουσα, Τερψίωνος δὲ ἐκεῖνος, ὅτι τὸ Σωκράτους δαιμόνιον πταρμὸς ἦν ὅ τε παρ' αὐτοῦ καὶ ὁ παρ' ἄλλων. ἑτέρου μὴν πταρόντος ἐκ δεξιᾶς εἴτ' ὄπισθεν εἴτ' ἔμπροσθεν, ὁρμᾶν αὐτὸν ἐπὶ τὴν πρᾶξιν. iuncta enim asyndetice 'sinistra inante' repetitam sternutationem prosperam indicant (Petron. 98 *ter continuo sternutauit*). omnia igitur in hoc commento Scaligerano bene se habent praeter ipsum illud 'inante'. quam uocem Vegetii posteriorumque propriam Catullo uindicare non ausim. missa quam olim proposui coniectura subuiolenta 'ab Acme' (nec post me meliora protulere) nunc rescribo 'sinistra et ante', sensu nimirum eodem quem Scaliger intulit. adhibuit illud fortasse ex C. sumptum in alio conexu auctor Priapei Vergil. 2, 3 [PLM II p. 158] *agellulum hunc, sinistra et ante quem uides.* est igitur sententia: haec Septimii uerba Amor, bis sternuens ex parte bona, plenissime approbauit. — **10. at Acme leuiter caput reflectens.** scil. a Septimii sinu, in quo caput iacebat. Cic. Arat. fr. Phaen. 9, 5 *caput tereti ceruice reflexum.* 'at' in noua persona (Kuehnerus l. l. p. 689). — **11, 12. et dulcis pueri ebrios ocellos illo purpureo ore sauiata.** dulcis (XXXII 1, LXVI 33, LXVII 1) pueri (sic amasium lyrici, ut LXII 47 et LXXVIII 4, Hor. od. I 5, 1 saepiusque, 'iuuenem' elegici uocant) oculi audiunt 'ebrii', quippe qui haurientes (LI 6 sq.) amorem perbiberint carae puellae ueneres iamque tremulo fulgore micent (Ouid. a. a. II 72); Aen. I 749 de Didone *longumque bibebat amorem*; AStatius cp. Anacr. fr. 19 B. μεθύων ἔρωτι; cf. et Anacr. 15, 21, Hor. od. I 36, 17, Pers. 1, 18, Quint. XI 3, 76, Apul. met. III 14 *oculos . . udos ac tremulos et prona libidine marcidos.* de oculorum osculis cf. ad IX 9, XLVIII 1. 'illo' effert, ut VIII 6. 'purp. ore', roseis labiis, qualia sunt tenerae uirginis (cf. ad LXIII 74) danturque Veneri Aen. II 593 *roseo ore*; Apul. apol. 9 *oris sauia purpurei* ex nostro loco fluxit. — **13. sic i. mea uita Septimille.** de deminutiuo blandifico in 'illus' desinente cf. ad XXXII 1. eiusdemque notionis appellationem 'm. u.' in puellis notissimam (ad LXVIII^{b} 115) etiam uiris tribuebant, ut Plaut. Cas. I 1, 47 et Stich. IV 2, 6. 'sic' (et 'ita') in adfirmatione siue iureiurando cognouimus ad XVII 5; de sequente 'ut' cum indicatiuo cf. Prop. I 18, 11 *sic mihi te referas leuis, ut non altera nostro limine formosos intulit ulla pedes,* Cic. diu. in Caec. 13, 41, Kuehnerus gr. l. II p. 964 (cf. et ad LXI 189). — **14. huic uni domino usque seruiamus.** LXI 127 *lubet iam seruire Talasio.* est autem dominus ille, cuius unius imperio Septimium seque semper uult esse subditos Acme, ipse Amor, in cuius statuam forte astantem loquens illud 'huic' digitum ea uidetur intendisse. alii 'huic' ad ipsum referunt Septimium, ut sit 'h. u. d.' idem atque 'tibi', male utique ob pluralem 'seruiamus' puellae non conuenientem. — **15, 16. ut multo mihi maior acriorque ignis mollibus ardet in medullis.** 'multo' (LXVIII^{b} 85, LXXII 6, LXXXII 3, LXXXIII 5) intendit conparatiuum, ad quem supple 'quam

tibi': uincere studet Septimium ardentissimi amoris significatione, ut Hor. od. III 9 similiter Lydia. tum cf. XXXV 15, Ouid. epist. 4, 70 *acer in extremis ossibus haesit amor* et met. XIII 867 *exaestuat acrius ignis.* 'molles' (duris uirorum oppositae) medullae audiunt femineae utpote amori minus resistentes, ut Verg. Aen. IV 66 *est mollis flamma medullas,* ubi de accusatiuo adiectivi nemo prudens dubitare potest (recte Zingerleus [dissert. philol. min. III p. 19] cp. Ouid. am. III 10, 27 *ut tenerae flammam rapuere medullae*): hoc ipso iam se plus amare quam Septimium indicat. Arnob. VII 20 *mollesque in ossibus medullas.* — **17, 18.** hanc repetitionem admodum uenuste instituit poeta Amorem ut modo pueri ita nunc puellae uerba approbantem faciens: sic demum commune foedus utrimque uere est sancitum, uere 'mutuis animis' amant illi (u. 20). et quamquam 'ut ante' hic ferri potest aliquo modo, quis tamen paulo elegantior non lubenter sibi persuadebit, hic quoque dictum esse Amorem bis sternutare, 'sinistra et ante'? necessario enim uitium priore loco receptum hunc traxit. — **19, 20. nunc ab auspicio bono profecti mutuis animis amant amantur.** 'nunc', post tam praesentem dei approbationem. Ouid. am. I 12, 28 *auspicii numerus non erat ipse boni.* 'profecti', initium itineris sumentes: bonum illud omen uiam amoris illis tutam securamque fecit; contra *a falsis initiis profecti* Cic. d. fin. I 21, 72. 'mut. an.' (Hor. od. II 12, 15 *bene mutuis fidum pectus amoribus* et IV, 1, 30 *spes animi credula mutui*) iam dixi ad efferendum omen utrique datum addi, quamquam haec notio 'inuicem amant' etiam inest uerbis 'amant amantur'. solent enim Romani hoc modo id quod mutuom fit exprimere: incertus poeta (Catullo coaeuus?) apud Caesium Bassum [Gr. L. K. VI p. 263, 13] *uiuis, ludis, haues* ('habes' codd.), *amas amaris,* Cic. Catil II 10, 23 *amare et amari*, Phaedr. II 2, 1 *a feminis utcumque spoliari uiros, ament amentur, nempe exemplo discimus,* Tac. Germ. 38, ut alia mittam, uelut Petron. 77 *habes, haberis* (ubi male codd. 'habeberis' dittographe). Muretus cp. Theocr. 12, 15 *ἀλλήλους δ' ἐφίλησαν ἴσῳ ζύγῳ, ἦ ῥα τότ' ἔσσαν χρύσειοι πάλαι ἄνδρες, ὅτ' ἀντεφίλησ' ὁ φιληθείς.* — **21. misellus.** amore saucius (XXXV 14, LI 5). res notissima: ut amor omnis pro morbo habebatur, amans uel in amore potens felixque sibi aliisque aegrotus uidebatur; cf. ex. gr. Hor. epod. 14, 13 *ureris ipse miser* (Lucr. IV 1076). — **22. quam Syrias Britanniasque.** quam ditissimarum terrarum, quales sunt S. et Br., opes possidere (cf. similem locum Tib. I 9, 31 sqq.). de diuitiis Syriae, quam Cic. p. dom. 23 opimam et fertilem uocat, constabat; de Britannicis suspicabantur (unde earum in c. XXIX mentio), meliora demum a. 54 (Cic. ad fam. VII 7, 1) edocti. ceterum recte hinc concluserunt (cf. Schwabius q. C. p. 316), anno 55 hoc carmen esse ascribendum, quippe quo et Caesar primum in Britanniam transgrederetur et Crassus appeteret Syriam. de plurali illo generali iam Scaliger cp. Prop. II 16, 20 *dic alias iterum nauiget Illyrias* (alias terras opulentas Illyriae similes, Kuehnerus l. l. p. 50 sq.). — **23, 24. uno in S. fidelis A. facit delicias libidinisque.**

'in' (ut LXI 97, ubi uide) non tam cum 'fidelis' (Plaut. Capt. II 3, 79 *fac fidelis sic fideli,* Cic. ad Q. fr. I 3, 3 *fidelissimam coniugem*: foederis icti respectus habetur) cohaeret quam cum uno 'facit delicias' h. e. delectatur (Plaut. Poen. I 2, 83, LXXIV 2); quocum liberius per zeugma iungitur 'libidinisque' (de accus. Neuius I p. 257), id est, libidinis siue cupiditatis motus sentit; hunc pluralem metonymicum (de quo cf. Naegelsbachius stil. lat. p. 143 sqq.[7]) habes apud Cic. d. n. d. II 51, 128. — **25. beatiores.** IX 10. — **26. uenerem auspicatiorem.** amorem inde ab initio magis secundum. de comparatiuo, quem habet Plin. h. n. XIII 118, cf. Draegerus synt. hist. I § 12. 'uenus' concubitus notione praeualente amorem semper significat liberum et cum libidine mixtum Varr. d. r. r. II 10, 6 *uenus pastoralis*, alia), qualem inter libertinam scilicet Acmen et Septumium fuisse libenter nobis persuademus (cf. *libidinisque*); germanice cum ambiguitate uertas 'Verhaeltnis'.

XLVI.

1. Iam uer egelidos refert tepores. 'egelidum' e priuatiua indicat, quidquid gelu exuit: Colum. X 282 *nunc uer egelidum, nunc est mollissimus annus,* Ouid. am. II 11, 10 *egelidumque notum* (alibi sane etiam 'ualde frigidum' significat); quod ad tepores (h. e. auras tepidas; aliter plurali utitur Lucr. II 517) eodem modo accedit, quo I 10 *tristis curas* legimus. — **2. iam caeli furor aequinoctialis.** tempestates, quae aequinoctio uerno (circa diem XXI m. Martii) caelum infestare solent, et ceteris uentis eo tempore uehementioribus et Apheliote tunc orto regnante; Aristot. *π. κόσμου* 4 p. 394, Sen. q. n. V 16, Plin. h. n. XVIII 221. — **3. iocundis Zephyri silescit aureis.** Stat. silu. IV 5, 7 *iam pontus ac tellus renident, iam Zephyrost Aquilo refractus*; Ouid. tr. II 149 *ac ueluti uentis . . non est aequalis rabies continuusque furor, sed modo subsidunt intermissique silescunt,* Verg. G. II 330 *Zephyrique tepentibus auris.* 'aureis' (cf. LXIV 164) tam datiuus quam ablatiuus esse potest. Plin. h. n. II 122 *ueris in principio fauonii* (= Zephyri) *hibernum molliunt caelum* (Hor. od. I 4, 1). — **4. linquantur Phrygii, Catulle, campi.** XXXI 5, 6. dicitur autem Phrygia minor, cuius pars erat Bithynia. speciosa est lectio libri **O** 'liquantur', h. e. liquefiunt, quod AStatius ex coniectura uoluit restitui cp. Verg. G. I 43 *uere nouo gelidus canis cum montibus umor liquitur*; sed num 'campi liquati' possint innuere solutas sole uerno in campis niues, equidem uehementer dubito; casu potius credo lectionem illam esse natam, omissa nempe uirgula. accedit quod nisi in adhortatione a poeta ad se ipsum facta non locum habet illud 'Catulle'; cf. VIII 1. etenim, quidquid passus est a praetore suo Memmio, inuitus hanc terram relinquit poeta ideoque nolentem se admonet. — **5. Nicaeaeque ager uber aestuosae.** 'que' explicatiuum, ex Vergilio bene notum, accuratius definit et Phrygiae partem et campos. in his enim, qui fertilitate sua nobiles erant, posita erat Nicaea, caput Bithyniae; Strabo XII p. 564 *Νίκαια ἡ μητρόπολις τῆς Βιθυνίας ἐπὶ τῇ*

Ἀσκανίᾳ λίμνῃ (περικεῖται δὲ κύκλῳ πεδίον μέγα καὶ σφόδρα εὔδαιμον, οὐ πάνυ δὲ ὑγιεινὸν τοῦ θέρους), κτίσμα Ἀντιγόνου κ. τ. λ. (ubertatem soli iam praedicat Hom. Il. XIII 793 Ἀσκανίης ἐριβώλακος); qui locus etiam inlustrat 'aestuosae' (VII 5, Stat. silu. I 6, 15 *aestuosa Caunos*): sole iam intentiore commorari ibi periculosum. — **6. ad claras Asiae uolemus urbes.** dialogus similis illius, quem habes VIII 5. animus poetae diutius uult commorari in sede adamata, ipse (7 et 8) desiderat noua uisere: ad animum igitur facit uerba, ut similiter Hor. sat. I 2, 68 sqq., Stat. Theb. X 597 *uincamur, pietas.* 'uolare', properare (nam hoc quoque nonnulli non intellexerunt), ut ex. gr. Cic. ad Att. II 19, 3 *litterae Capuam ad Pompeium uolare dicebantur.* 'clarus', h. e. fama multum celebratus, haut rarum est urbium epitheton: Hor. od. I 7, 1 *claram Rhodon,* Ouid. met. V 652 *clarae Athenae* et trist. I 2, 79 *Alexandri claram urbem.* Asiam autem, Bithyniae oppositam, patet esse Asiam minorem, cuius urbes graeco cultu asiaticoque luxu mixtas multi praedicabant: Ouid. ex P. II 10, 21 *te duce magnificas Asiae perspeximus urbes* (tr. I 2, 78), Phaedr. IV 21, 4 *circumire coepit urbes Asiae nobiles*; enumerat Cic. leg. agr. II 15, 39 *Pergamum, Smyrnam, Trallis, Ephesum, Miletum, Cyzicum*; cf. et Hor. epist. I 11, 1 et Friedlaenderus hist. mor. Rom. II p. 67 sqq. — **7. mens praetrepidans auet uagari.** ante uisendi tempus iam expectatione erecta commotaque; qua significatione uerbi solus noster utitur (cf. 'praemetuo, praetimeo'), adiectiuum adhibet simillime Pers. 2, 54 *laetari praetrepidum cor.* Hor. od. II 19, 5 *recenti mens trepidat metu.* 'uagari', huc illuc pedem ferre; quomodo qui sine certo itineris proposito curisque solutis peregrinantur faciunt. — **8. laeti studio pedes uigescunt.** prompti atque alacres sunt; Quint. VII praef. 2 *et artus etiam leuiter loco moti perdunt quo uiguerunt usum,* Sen. de breu. u. 19, 2 *nunc dum sanguis calet, uigentibus* (scil. pedibus) *ad meliora eundum est.* transfertur autem poetice studium (scil. uagandi), quo ipse poeta laetus tenetur, ad eam corporis partem, per quam illud maxime manifestabatur, simulque affectus ipse ei uindicatur (prosam sapit nimis, quod Schwabius coniecit 'laeto'). pedibus peragraturus est C. Asiam; Prop. I 6, 33 *seu pedibus terras seu pontum carpere remis ibis.* — **9. comitum ualete coetus.** sunt Memmii comites (XXVIII 1) inter se ut contubernales amicitiae uinculis iuncti. — **10, 11. longe quos simul a domo profectos diuerse uarie uiae reportant.** 'longe' in initio positum utrique uerbo se sociat diuerse: ualet 'ex longinquo' coiens cum 'profectos', at 'longum per iter' ad 'reportant' accedens. a domo longinqua, Roma, quidem una abierant (ὁμόστολοι) in comitatu Memmii; nunc hoc prouinciam relinquente ita discedunt, ut pro se quisque itinere diuerso et uario (breuiore longiore, terrestri maritimo) in patriam redeant. ab exercitu, qui domum ex. gr. nauibus reportatur (Caes. b. g. V 53), sumpta locutio ita est inuersa poetice, ut uiae ipsae, quibus pedem reportant (Verg. Aen. VI 764) redeuntes, hos reportare dicantur. 'diuerse uarie' in **V** traditum uarie

est temptatum; uulgo enim 'diuersae uariae' legunt, Scaliger 'diuerse uariae', Guarinus 'diuersae uarie' proposuere; denique nec defuerunt, qui codicum scripturam retinerent. in qua ultima ratione non minus quam in prima quod duo siue adiectiua siue aduerbia sine copula iunguntur, factum est ex certo et priscae latinitatis et ipsius Catulli usu, quo non solum synonyma (ut 'laetus lubens') cum quadam gradatione et contraria (ut 'clam palam'), sed etiam alias uoces a significatione sat diuersas (mitto hic rhetorica genera) sociare per asyndeton adamabant; de Plauto cf. Brixius ad Trin. 243 (uerba) et 302 (substantiua), porro ad mil. gl. 663 (adiectiua); interpp. ad Ter. Andr. 248; habes apud nostrum: ad Corn. 1 *lepidum nouum libellum,* IV 8 *horrida Thracia Propontis,* VIII 11 *perfer obdura,* XIV 21 *ualete abite,* XXXVI 10 *iocose lepide,* XLII 13 *o lutum lupanar,* LIV 2 *rustica semilauta crura,* LV 16 *committe crede,* LXIII 3 *opaca siluis redimita loca,* LXIV 126 *praeruptos tristes montes,* CXV 8 *mentula magna minax* (contrarium XLV 20 *amant amantur,* LXIV 405 *fanda nefanda,* LXVIII^b 93 *hinc illinc*). itaque quamuis Cicero 'uarius et diuersus' dixerit, Catullum sine copula siue adiectiua siue aduerbia iungere potuisse claret. sed aduerbia quominus amplectar, prohibet 'uiae' nimis nudum euadens. deinde cum nec in uiis diuersis siue in contrarias quam maxime caeli partes ferentibus (Liu. XLIV 43 *diuersae semitae*) uarietatis ratio nec uero in uarietate diuersitatis notio premenda sit, requiesco in uulgata lectione, qua uiae simul diuersae et uariae recte dicuntur redeuntes reportaturae esse.

XLVII.

1. Porci et Socration, duae sinistrae Pisonis. hic est idem L. Calpurnius Piso Caesoninus, Macedoniae proconsul, quem iam nouimus ex c. XXVIII. Cic. in Pis. 10, 22 *iacebat in suorum Graecorum fetore atque uino* (21, 67 et 36, 89): ex quorum numero sine dubio erat Socration, homo aliunde ignotus, quem Muretus pro liberto habuit. Porcius quidam, ut adnotauit AStatius, commemoratur a Cic. p. Font. 9, 19, qui iussu Fontei in Gallia exegerit portorium in uinum; sed incertum est omnino, num hic cum nostro Porcio sit idem. quidquid id est, adiuuerunt isti homines Pisonem in diripienda Macedonia. 'manus' cum synonymis haud raro adhibetur ad significandum ministrum in aliqua re, ut Ouid. met. V 365 *arma manusque meae, mea, nate, potentia,* eleg. ad Maecen. 1, 13 [PLM. I p. 126] *regis eras, Etrusce, genus; tu Caesaris almi dextera,* Tacit. Agric. 15 *alterius* (legati) *manus centuriones, alterius* (procuratoris) *seruos uim et contumeliam miscere,* ubi Peerlkampius alia contulit, ueluti Cic. in Verr. II 10, 27 *comites illi tui delecti manus erant tuae* et IV 15: salse C. istos Pisonis ministros uocat illius 'sinistras', h. e. in furando adiutores (cf. ad XII 1). eodem cum acumine nepos iste Horatianus [sat. II 1, 53] 'Scaeua' uocari mihi uidetur, quippe qui manu sinistra furtiuum moliatur scelus, quod pia dextera non audeat. 'duae' et omnem potentiam fiduciamque in eos potissimum

contulisse proconsulem et ipsos inter se iunctos esse fideli concordique animo innuit. — **2. scabies famesque mundi.** hic quoque uitium ipsum ponitur pro hominibus, h. e. pro scabiosis et famelicis. Cels. V 28, 16 *scabies est durior cutis rubicunda, ex qua pustulae oriuntur, quaedam umidiores, quaedam sicciores; exit ex quibusdam sanies, fitque ex his continuata exulceratio pruriens . . quo asperior est quoque prurit magis, eo difficilius tollitur.* missis autem quae de pecudis scabie tradunt (Cato d. r. r. 5, 7; Iuuen. 2, 79) alienis hoc subest conuitium: uos qui turpi morbo laboratis et famelici estis. putant his inesse acumen quoddam: quamquam magnis cum sumptibus facitis conuiuia, tamen re uera estis famelici. mihi et hoc frigidiusculum esse uidetur et illud de uero morbo turpi non ad rem pertinere. malim igitur 'scabies' translate dictum accipere, ut factum est ab Hor. epist. I 12, 14 *cum tu inter scabiem tantum et contagia lucri nil paruum sapias,* quibus uerbis Iccius uersari dicitur inter homines affectos turpi illo lucra conradendi morbo, qui et tamquam inter pecora contagio serpat et adsidue animum mordeat uratque. eodemque modo si secundum Vergilii Aen. III 57 *auri dira fames* interpretamur 'fames', bene haec tamquam synonyma iunguntur: uos, qui tamquam scabie correpti semper auidi inhiatis (opibus, rapinis, sim.). iam ut aliorum malas in uerbis illis explicationes mittamus, restat uox 'mundi' et per se suspectissima nec cum interpretatione supra exhibita concilianda. cui quod Itali ridicule 'Memmi' substituerunt ex XXVIII 9 credulosque habuere anteriorum editorum nonnullos, refutatione non eget. docuit autem FBuechelerus [coniectt. lat. p. 5 sqq.] accurata disputatione, uocabula 'mundus, mundare, munditiae' apud ueteres Romanos 'frequentari in cultu ornatuque aedium, in apparatione conuiuii ministeriisque, in elegantiis ac nitore mulierum et amatorum', deinde Catonis et Scipionis Laeliique tempore, h. e. cum philosophorum Graecorum notitia imbui coepissent, graecum κόσμος de uniuerso maximeque de caelo dictum latine uersum esse 'mundus', non tamen ante Horatium Propertiumque hanc uocem nactam esse eum significatum, quo nostrum orbem terrarum innuat. uoce igitur ob sensum a Catullo aliena expulsa ille restituit 'mundae', h. e. merae puraeque, cp. Petron. 41 *mundum frigus habuimus* et Mart. III 58, 45 de uilla misella *at tu sub urbe possides famem mundam.* hanc coniecturam, quam olim recepi, speciosam esse, quis non concedat? num uera sit, nunc dubito ob interpretationem meam, quae additum 'auri' desiderat. quod iam requiro, hoc est: 'scabies famesque num(m)i', h. e. qui cupiditate pecuniae tamquam morbo taetro affecti estis. cf. ex. gr. Cic. Font. 5, 11 *nummus in Gallia nullus commouetur,* Vopiscus Saturn. 8, 7 *unus illis deus nummus est* aliaque. — **3. uos** cum affectu indignationis effertur (cf. XLIII 6), ut mox u. 6 contrarium 'mei sodales'. ceterum cf. XII 17. — **4. uerpus p. Priapus ille?** 'uerpi', a uerpa siue mentula dicti (XXVIII 12), ut ψωλὸς a ψωλή, uocantur homines libidinosi; δρῖλος, *uerpus* explicant glossae apud Hauptium [opusc. III 585], qui cp. Iacobsium Anthol. IX

p. 443. hinc emendandus est Iuuen. 6, 406 *quibus uerpis* ('uerbis' codd. inepte) *concumbat quaeque, modis quot.* aliter uerpi interdum dicuntur, qui praeputium habent circumcisum (unde de Iudaeis adhibet Iuuen. 14, 104). cum illo autem adiectiue posito apte iungitur 'Priapus' (*Πρίαπος ἰθύφαλλος*): uidere nobis uidemur Pisonem illum uoluptuarium plane instar Memmii comparis consimilisque (XXVIII 10) *tota ista trabe tentum.* quae comparatio hominis libidinosi cum salaci hortorum custode admodum obuia parataque erat Romanis (Ouid. am. II 4, 32), qui tot locis statuas dei illius ob oculos haberent. — **5. uos conuiuia lauta sumptuose de die facitis?** tantum lucri ex prouincia rettulistis, ut nunc Romae cenas magnificas (Paulus Festi p. 117, Gell. XV 8, Suet. Cal. 32 *lautiore conuiuio* et Galba 12 *adposita lautiore cena*) splendide possitis exhibere? 'sumptuosa' maluit Italus quidam commendauitque Casaubonus; quod quamquam ex XLIV 9 eisque quae ad XLVI 11 disputaui satis tutum est, tamen iusta mutandi causa adest nulla: *uictum piscibus ministrare sumptuosius* dixit Varro d. r. r. III 17, 6. de conuiuiis tempestiuis, quae ganeones iam horis antemeridianis incipiebant ('de die epulari'), cf. Marquardti antiqq. priu. p. 291 ², ubi loci ueterum sunt collecti, ex. gr. Liu. XXIII 8 *coeperunt epulari de die et conuiuium non ex more Punico aut militari disciplina esse, sed ut in ciuitate atque etiam domo diti ac luxuriosa omnibus uoluptatis illecebris instructum.* Cic. ad fam. IX 24, 2 *cenulas facere.* — **6, 7. m. s. quaerunt in triuio uocationes?** contra V. et F. tam parum rettulerunt, ut nunc, qui uictum praebeat ad cenam uocando, quicumque sit, anquirere debeant in plateis? 'uocatio', inuitatio (XLIV 21), casu nunc non alibi extat sic usurpatum (Iustin. XXVII 4 iam IVossius monuit 'auocationibus' esse ueram lectionem), extat tamen *uocatu ipsius* Sueton. Cal. 39 saepiusque 'uocator'. 'triuium', ut semper, cum contemptu. Cic. ad fam. IX 26, 3 *cenam te quaerere a mane.* — decantatorum illorum *probitas cum paupertate iacebit* (laus Pis. 121) et *nequitiae classes candida uela gerunt* (Petron. epigr. 82, 8) nouum exemplum proposuit poeta, qui hos uersus eodem fere tempore quo c. XXVIII scripsit.

XLVIII.

1. Mellitos oculos tuos, Iuuenti. in cyclo carminum ad Iuuentium spectantium (supra p. 38) hoc carmen facile primum locum optinere, plerique animaduerterunt. ultro nobis in memoriam reuocantur uersus illi septem fere annis ante ad Lesbiam missi, cc. V et VII, eandem insanam osculandi libidinem prae se ferentes. de oculorum basiatione cf. IX 9 et XLV 11. 'mell.', ad III 6 et ad Corn. 8. — **2. siquis me sinat usque basiare.** Vulpius cp. Plaut. Cas. I 1, 48 *sine tuos ocellos deosculer, uoluptas mea.* pro eo quod expectamus 'si sinas' quod poeta utitur formula 'siquis sinat', tectius retinentiusque rogat utpote minus derecte, fortasse etiam Furii et Aurelii impedientium respectu. 'usque', III 10 et XXXIV 24 (in u. sq. 'usque ad' cohaeret). — **3. milia trecenta.**

scil. basiorum. de numero summo infinito cf. ad IX 2. — **4. nec umquam uidear satur futurus.** cum V sollemni errore 'numquam' praebeat, AStatius uoluit 'mi unquam'. uerum est 'uideor mihi' esse usitatius, sed pronomen haud raro omitti non minus notum est in uulgus. 'uidear', quod ceteris coniunctiuis 'basiem' et 'sit' modeste uotum indicantibus conuenit, BGuarinus ex apicibus in V obuiis 'inde cor' rectius elicuit quam qui scripsere 'uideor'; nam ut 'in' et 'ui', ita 'a' et 'co' difficillime in scriptura langobardica distinguuntur. 'satur', VII 2 et 10. — **5, 6. non si densior aridis aristis sit nostrae seges osculationis.** 'non si' post praecedentem negationem, ut LXIX 3, LXX 2, LXXXVIII 8. segetem translate dixerunt multitudinem densam rei alicuius; Verg. G. II 142 *galeis densisque uirum seges horruit hastis*, Aen. III 46 *telorum seges.* haec seges osculationis (Cic. p. Cael. 20, 49, cf. 'basiatio' VII 1) 'densior' siue crebrior et numerosior est quam aristae (quae in segete laeta spissae compactaeque esse solent: Cic. d. fin. V 30, 91 *seges spicis uberibus et crebris*) aridae. mirum est hoc attributum. quo significantur aut aristae solibus nimiis perustae sitientesque (Claud. in Eutr. I 115 *qualis sitientibus aruis arida ieiuna seges interlucet arista,* ubi libri 'ieiunae aristae' male habent, 'ieiunae arenae' maluit Marklandus) aut quae e segete messa et in areis trita relinquuntur stipulae inanes (Vulpius ep. Augustin. d. c. d. IV 8 *quam diu seges ab initiis herbidis usque ad aridas aristas perueniret*). neutra ratio probari hic potest: stipularum inanium seges cum per se tum in comparatione instituta ridicula est. expectamus 'seges densior quam seges uberrima (aristae densissimae)'. hoc recte beneque expressit poeta, si scripsit id quod Marklandus [epist. crit. p. 154 sqq.] eum scripsisse intellexit 'Africis aristis'. seges quippe Africana ob ubertatem abiit in prouerbium: Varro d. r. r. I 44, Plin. h. n. V 24, Hor. od. I 1, 10 et III 16, 31, sat. II 3, 87 *frumenti quantum metit Africa*, Ouid. ex P. II 7, 25 *Cinyphiae segetis citius numerabis aristas* et IV 15, 9, alia multa. et propter ipsum 'seges' Marklandi rationem sequi praestat quam conlatis VII 3 et LXI 199 conicere 'aridis arenis'.

XLIX.

1. Disertissime Romuli nepotum. Romulidarum; non rara haec Romanorum circumscriptio, ut XXXIV 22 *Romuli gentem*; cf. ad XXVIII 15, ubi iam adnotaui, per se dictioni illi nihil inesse inrisionis, sed accedere hanc posse ex ipsa sententia tacitaque oppositione, quae hic deest. 'disertus', etsi subtiles iudices differentias statuebant (Cic. or. 5, 18 *M. Antonius .. disertos ait se uidisse multos, eloquentem omnino neminem,* de or. I 21, 95 *talis orator qualem quaerimus, qui iure non solum disertus, sed etiam eloquens dici possit*), tamen in uita cottidiana eiusdem prorsus ualoris erat quam illud 'eloquens', ut habet Cic. Phil. II 43, 111 *disertissimum cognoui auum tuum*; et sic ipse noster summum in Caluo suo eloquentiae gradum designaturus LIII 5 uoce ea utitur. — **2, 3.** cf. ad

XXI 2 et 3 (XXIV 2 et 3). uix est quod moneam, huic quoque formulae e solo conexu locoque aut malam aut bonam adhaerere sententiam. — **Marce Tulli.** sollemnis est haec adlocutio, ut discimus ex Cic. ad Att. VII 7, 7 *ad summam 'dic M. Tulli': adsentior Cn. Pompeio, id est T. Pomponio*, id. Catil. I 11, 27 *Marce Tulli, quid agis?*, eandemque reuerentiae plenam fuisse ut aliunde uidemus, ita ex Gellio, qui, quem plerumque M. Ciceronem uocat, eum maiore ueneratione elatus appellat M. Tullium, ex. gr. X 3, 1 (C. Gracchus) *quod nonnullis uidetur seuerior acrior ampliorque M. Tullio, ferri id qui potest?*; neque aliter Plinius in epistulis (ueluti IX 2, 2 et 26, 8). itaque quod Catullus, qui alibi amicos sodalesque uno tantum nomine adpellat, hic sollemni formula utitur, reuerentiam admirationemque aduersus oratorem nobilissimum summumque reip. uirum exprimit. — **4. Catullus.** hoc quoque cum maiore affectu dictum esse nouimus ex eis, quae ad VI 1 disputata sunt. — **5. pessimus omnium poeta.** ecce poetam ea quae insita erat et in bonam et in malam partem intemperantia sibi suisque laudibus inimicum. in talibus ne obliuiscamur gentium meridianas regiones incolentium inmodicum haud raro in affectu commotiore sentiendi loquendique genus: pessimum poetam, quasi cum Caesiis et Aquinis Suffenisque (XIV 23) aut cum Volusio (XXXVI 6) comparandus sit, se uocat de sua laude detrahens quae accedant ad Ciceronis honorem. et tamquam hoc nondum contentus sit, repetit persequiturque amplius sententiam illam: — **6, 7. tanto pessimus omnium poeta, quanto tu optimus omnium patronus.** AStatius cp. Vell. Pat. II 11 *quantum bello optimus, tantum pace pessimus* et porro Seruium ad Verg. Aen. VII 787 *tam magis illa fremens . . quam magis effuso crudescunt sanguine poenae*, qui in his adesse docet 'exaequationem', non comparationem, cp. Sall. Iug. 31, 4 *quam quisque pessime fecit, tam maxime tutus est* (cf. ex. gr. Mart. I 7, 4 sq.). et est haec exaequatio etiam conspicua tam in numeris quam in adlitteratione. ad 'omnium' ut u. 6 'poetarum', ita u. 7 'patronorum' supplendum est aperte: ipsa exaequatio uetat, nequid ambiguitatis subesse statuamus; nimis enim nasuti erant, qui nuper adludi ad dictum illud putauere, quo 'omnium patronus' (h. e. malorum bonorumque reorum sine dilectu defensor) audiit bonus Cicero; cf. ad fam. VI 7, 4. argutius etiam illud est, quod cp. Cic. Brut. 97, 332 (ubi omnis uis in 'turba' et 'uulgo' est posita) de patronis minus honorifice sensisse Tullium sibi persuaserunt inepte: optimum esse patronum, summa et erat laus et habebatur sine dubio a Cicerone. nos uero ex hac uoce concludemus simpliciter, agi in hac gratiarum actione de causa aliqua a Tullio defensa.

Catullus quod ut in re Ciceroni bene nota materiam ipsam, ad quam pertinet hoc poemation, non tetigit, hinc par est coniecturarum quasi quandam segetem laetam prouenisse. nec enim contenti, uerba sic ut ipsa uolunt intellegi intellexisse, odorabantur docti recentiores in eis tectam quandam inrisionem. primus, quantum scio, homo cetera insigniter peruersus, Clumperus [miscell. phil. et paedag. fasc. II, Amstelod.

1850, p. 150], pronuntiauit, hoc carmen esse 'ironice accipiendum'. suis rationibus ducti idem statuerunt OIahnius praef. ad Cic. or. praef. p. 8, MHertzius libelli 'Renaissance und Rococo' p. 20, ORibbeckius, denique recentissimorum haud pauci, ex quibus commemoro Suessium [Cat. p. 30 sq.]. cuius opinionis causae in propatulo sunt positae: quid enim amicitiae esse potuisse poetae nostro cum Cicerone, qui et in poetica nouorum uatum inrisor fuerit (supra p. 8, 19 sq.) et in eloquentia longe aliam inierit uiam quam Catulli amici, Caluus Cornificius Hortensius, cum praesertim Caluus familiarissimus priuatis causis Tullio fuerit inimicus atrocissimus? sed talia argumenta in uniuersum prolata quum parum ualeant, tua sponte perspicis. inter Catulli in poesi socios haud dubie multi erant, qui merito risum prouocarent: cantores Euphorionis qui exagitat atque adeo totam poesin nouam non magni se facere declarat, num is necessario singulorum, qui ex turba eminent, est inimicus? neque ego credo, Catullum comprobasse eam eloquentiae speciem, quam Tullius sectabatur: num haec causa erat idonea odio persequendi Tullium ipsum? porro inepte duco statui, nostrum inimicos amicorum etiam pro suis inimicis habuisse: cur non ex altera parte amicus communis, Cornelius Nepos, inter poetam Veronensem et oratorem Arpinatem, si non familiaritatem, at notitiam tamen certamque consuetudinem potest conciliasse? nimirum nihil de his rebus omnibus scimus. sed ista opinione praeiudicata occupati tectas in huius carminis uerbis quaesiuere ambiguitates, quae indagantibus et ui extorquentibus tandem repertae simpliciter iudicantibus inanes futtilesque uidentur omnes. et cum iam res perueniret ad probabilem uerborum 'gratias tibi maximas C. agit' interpretationem, aut obmutuerunt aut nugas uendiderunt. uerum enim uero ecquis graui iniuria (ex. gr. acerbo salsoque dicto) a Cicerone lacessitus ita loqui potuit? suffecit in hoc responsum, quod fingunt, εἰρωνικόν 'gratias tibi ago': unum illud 'maximas' talem suspicionem omnem excludit. sed, quod maioris est momenti, nego omnino hanc tectam inrisionem quadrare in Catulli indolem. aperte ille aut amare solet aut odisse: haec media per εἰρωνείαν in inimicum agendi ratio aut non noui Valerium aut ab eo alienissima est. et quae tandem sana causa huius rationis excogitari potest? an forte, qui Caesarem, quem animo intimo suspiciebat, iambis omnium acerbissimis incessere non dubitauit, idem ueritus esse dicetur Ciceronem perosum armis apertis inpugnare? nihil magis abhorret a poeta nostro. cui uiderint sententiae istius auctores quantam iniuriam inferant, cum eum se ulciscentem faciant uersibus eis, quos nemo ueterum, nisi forte ab antiquo quodam Clumpero admonitus, tectam quandam inrisionem continere agnouit. si igitur carmen ipsum eiusmodi est, ut nullum his suspicionibus ansam praebeat, coniecturis de rebus nobis incognitis plane abstineamus peruersis et per se inprobabilissimis tantumque ea scire uelimus, quae carmen simpliciter enarratum nobis suppeditat. iam significaui agi de causa a Cicerone defensa. hinc profectus ad eam sententiam perueni, quam postea uidi iam

ex parte adumbratam esse ab Helbigio adsentiente Schwabio [q. C. p. 127]. Ciceronem enim statuo autumno a. 56 Veronam siue Sirmionem orationem pro M. Caelio Rufo mense Martio eiusdem anni habitam misisse ad Catullum e Bithynia reuersum. hanc orationem poeta uixdum ad bonam mentem reductus sanatusque ex uulnere in amore Lesbiae accepto non potuit non legere animo et commoto denuo et tamen grato. ita enim Cicero Clodiae uitam libidinosam descripserat, ut tamen parceret nominando ei illius amatori, quem summo dolore affecisset mulier ista quemque ut notissimum huius amatorem omnium Romae sermones celebrarent. habuit hercle Catullus, cur Tullio huius reticentiae gratias ageret maximas; habuit etiam, cur admiraretur, quidquid sensit de optimo genere dicendi, eloquentiam Ciceronianam, quae aut me fallit Caelianae amor aut in hac eminet et purissime et splendidissime. comparans autem mente iam integra ieiunaque imaginem Lesbiae, quam ipse olim sibi finxerat exhibueratque nimis ornatam, cum ea quam depinxit Cicero, rubore perfusus sibi professus est quod postea in simili re Propertius [IV 24, 4] *uersibus insignem te pudet esse meis*; taedio uictus feminae se ipsum ut poetarum pessimum significauit, quanto magis sibi detrahens, tanto magis ad iustas et gratias et laudes Ciceronis conferens; et fecit hoc, ut est in sensis declarandis nimius, nimio modo.

L.

1. Hesterno, Licini, die otiosi. dicitur C. Licinius Caluus, orator et poeta nobilissimus, de quo cf. ad XIV 2. cum hoc amico dulcissimo Catullus, incertum quo loco, hilariter inter bibendum uersificandumque degerat. illius 'heri' circumscriptionem haud raram (Cic. Catil. III 2, 5) ostendit etiam aduerbii loco usitatum 'hesterno' (Charis. p. 200, 20 K.). 'die', de uocis iambicae elisione cf. Lachm. ad Lucr. p. 198 sq. 'otiosi', X 2. — **2. multum lusimus in meis tabellis.** 'ludere', fetus poeticos ex tempore fundere sine cura anxia poliendi indulgentem ingenio; Verg. ecl. 1 10, Hor. od. I 32, 2, alibi; maxime de his minutis poematiis, quae nugas ineptiasque uocare solebant (ad Corn. 4), usitatum est, quemadmodum Mart. IV 49, 2 epigrammata *lusus iocosque* uocat; cf. et LXVIII[a] 17 *multa satis lusi.* 'tabellas' intellege pugillares (ad XXII 5, Festus p. 359), in quos coniciebant hos lusus ingenii. mirum est autem illud 'meis'. ex u. 7 'illinc abii' discimus, non apud Catullum, sed siue in Calui domo siue in taberna aliqua amicos simul fuisse. iam solebant Romani hos pugillares secum portare (XXV 7); unde, si metrum permitteret, requirendum esset 'in nostris tabellis'. hinc Sabellicus [Grut. Lamp. I p. 164] proposuit 'inuicem libellis', hoc alterum quidem superflue. Schwabius contra scribendo 'in tueis tabellis' locum restitui posse putauit. altius uidetur haerere uulnus, siquidem illud 'illinc' certi loci notionem desiderat. 'tabernis' potest latere; sed 'meis' emendare nesciens nihil decerno. — **3. ut conuenerat esse delicatos.** quemadmodum inter nos constitueramus totos nos dedere lusui deliciisque (ad XVII 15); male

et respuente rhythmo Muretus 'delicatos' hinc separans traxit ad sequens 'uersiculos', cp. Cic. in Pis. 29, 70 *delicatissimis uersibus.* — **4. uersiculos.** uersus minutos, quos Sentius Augurinus (cf. supra p. 64) proprios Catulli et Calui dixit, puta hendecasyllabos maxime ceteraque huius libri primi metra his nugis lusibusque conuenientia. — **5. ludebat numero modo hoc modo illoc.** Ouid. tr. II 538 *bucolicis iuuenis luserat ante modis*, Verg. ecl. 6, 1 *ludere uersu.* 'numeri' (= pedes) plerumque uersum siue metrum indicant, interdum et singularis collectiuus 'numerus' (ut et 'pes') adhibetur, uelut Ouid. am. I 1, 1 *graui numero* (= hexametro), Cic. or. 59, 191, idem acad. I 3, 5 de Varronis saturis polymetris *uarium et elegans omni fere numero poema.* 'illoc' prisce pro 'illo'; Neuius II p. 212. — **6. reddens mutua per iocum atque uinum.** certatim uersus fundebant, non uidentes 'uter plus scribere posset' (Hor. sat. I 4, 16), sed ingenio prompto facetiisque paratis alter alteri respondentes ioci causa et inter uinum. nam ad 'reddere' (h. e. respondere) tamquam aduerbium 'mutua' (= inuicem) accedit; cf. Lucr. II 76 et IV 325. Plaut. Poen. V 5, 41 *siquid per iocum dixi* saepiusque (cf. et Priap. 44, 2 *per lusum iocumque,* Plin. epist. V 13, 10 *per ludum ac iocum*); quocum mirifice coniungitur 'per uinum', quod semper in malam partem indicat 'ebrietate', ut Plaut. Aul. IV 10, 65, Cic. acad. II 16, 51, Liu. XXXX 7 (Sen. epigr. 22, 15 traditum est *sed tu per totum dicis uinumque,* ubi 'totum' aliam medelam requirit), cum desideretur hic 'super uinum' uel 'in uino' (recte iungitur XII 2 *in ioco atque uino*). quod adsequemur reponendo 'adque uinum': Cic. p. Cael. 28, 67 *ad uinum diserti sint.* — **7, 8. atque illinc abii tuo lepore incensus, Licini, facetiisque.** 'atque' in continuatae narrationis parte noua, ut LXIV 16. 'illinc' respicit ad locum u. 2 in corruptela latentem. arte deinde cohaeret 'abii incensus', h. e. toto animo percussus admiratione. 'lepor' singularis exprimit gratiam illam amabilem, quam Graeci χάριν uocant, ut de Venere Lucr. I 14 *ita capta lepore* et I 28 *da dictis, diua, leporem*; coniunguntque cum hoc singulari pluralem 'facetiae' (cf. XII 9), ut Sall. Iug. 25 *prorsus multae facetiae multusque lepos inerat,* Vell. Pat. I 17, 1 *dulcesque latini leporis facetiae.* quod V praebet 'faceti tuique', ex glossa 'tuis' recepta ortum uidetur; idem quod habet 'lacini', ex elementorum 'i' et 'a' confusione non infrequenti prouenit, non ex forma 'Lucinius', quam medii aeui homines sibi finxerunt (glossae *Licinius dictus quasi Lucinius* inepte). — **9. ut nec me miserum cibus iuuaret.** horis igitur matutinis obuii (fortasse in foro) sibi facti usque ad cenam indulserant his lusibus. Val. Flacc. VIII 162 *nullae te, nata, dapes .. iuuabant.* LXIV 57 *miseram se.* — **10. nec somnus tegeret quiete ocellos.** LXIII 37 *oculos sopor operit,* Verg. G. IV 412 *incepto tegeret cum lumina somno,* Aen. XII 909 *oculos ubi languida pressit nocte quies*; Prop. I 10, 7 *quamuis labentes premeret mihi somnus ocellos.* — **11. sed toto indomitus furore lecto uersarer.** me uolutarem; Ouid. am. I 2, 3 *et uacuus somno noctem (quam longa!) peregi, lassaque uersati corporis*

ossa dolent, Prop. I 14, 21, Iuuen. 13, 218 *et toto uersata toro iam membra quiescunt,* Maxim. eleg. 5, 71 *toto uersatus corpore lecto.* furorem hic de mente concitata inflammataque (8) intellege. 'indomitus' (qui domari nequit) hic sane insolentius est dictum de eo, qui ad statum quietis nequit peruenire; mirum tamen, ni poeta scripsit 'indomito furore' (cf. ex. gr. LXIV 54), quod duplex ablatiuus et localis et causalis certe non dissuasit. nam Homeri (Il. XXIV 4) ὕπνος πανδαμάτωρ nil ad rem. — **12. lucem.** nouom mane; Suet. Cal. 50 in simili re *expectare lucem.* — **13. ut tecum loquerer simulque ut essem.** praeponit C. id quod maxime optat, mutuom sentiendi commercium; unde, cum illud 'et omnino tecum uersarer' (cf. ad XXI 5) ut res minor postponatur, specie quidem euadit quod uocant ὕστερον πρότερον. — **15, 16. at defessa labore membra postquam semimortua lectulo iacebant.** animi furentis corporisque uersati aerumnis (πόνοις); cf. de uoce 'labor', quae a significatione haud raro attingit eam quae est 'dolor', Cic. Tusc. II 15, 35. 'semimortua', rigida nimirum per insomnia; uocem raram sensu proprio Apul. met. VI 21 *anus semimortuae,* de ebriis Hygin. astr. II 4 *semimortua membra iactantes* adhibent. praeter expectationem euenit quod, postquam se per noctem dormire nequisse dixit poeta iamque per 'at' ad nouam rem transitus est factus, tamen subicitur 'postquam membra in lecto iacebant, hos tibi uersus scripsi'. nam 'postquam' in re aut repetita aut durante cum imperfecto construitur. haec autem durandi notio cum nouae lucis mentione praecepta sit cumque 'at' hanc potius continuationem reddat necessariam 'postquam consurrexi' (et hac in re sensit membrorum defessorum tamquam mortuorum rigorem), noli dubitare quin hic quoque offucias fecerint optimo poetae librarii pessimi ex litterulis 'iebaui' utcumque aliquid sensu non plane cassum suo Marte elicientes. tu ex illa, quam supponimus, scriptura antiquitus tradita mecum elice 'leuaui'. cf. ex. gr. Ouid. tr. I 3, 94 *et gelida membra leuauit humo.* — **16. iocunde.** XIV 2. — **17. dolorem.** desiderium, ut I 7. — **18, 19. nunc audax caue sis precesque nostras, oramus, caue despuas, ocelle.** 'nunc', post hanc meam confessionem liberam. 'caue' (de 'e' breui cf. LMuellerus d. r. m. p. 340, Neuius II p. 435) cum ui repetitur, ut LXVIII^b 2. ceterum tute ipse caueas, ne de uulgari formula 'caue sis (= si uis)' cogites, ut ex. gr. Plaut. Asin. I 1, 30 *caue sis malam rem,* quam haud raro 'cauesis' scribebant per medium aeuum cuiusque confusione conciliante litterarum 's' et 'r' similitudine hic in V legitur 'caueris', quemadmodum Caton. dist. IV 43, 1 *suspectus caue sis* itidem traditum est 'caueris'. 'audax' fere hic adaequat 'superbus, confidens', ut Plaut. Amph. II 2, 207 *decet audacem esse, confidenter pro se et proterue loqui.* rem exponit Petron. 91 *postquam amari sensit, supercilium altius sustulit* (= superbus factus est). 'preces' quae sint facile ex u. 13 adsequi licet: quamquam non apertis uerbis dixit poeta utpote amici consiliorum ignarus ideoque tecte magis rogans, tamen id sibi uelle uidetur, ut Caluus hoc quoque die uersetur cum amico eum-

que recreet exhilaretque lepore facetiisque suis. 'oramus' (ut LV 1) maiorem prae se fert modestiam quam usitatius illud 'oro' siue 'oro te'. 'despuas', contemnas, ut Plaut. Asin. I 1, 26 *ut, quae locutus, despuas*; magicus despuendi ritus (Ciris 371) nihil ad rem. 'ocellus' est hominis carissimi (ad II 5) interdum appellatio, ut Plaut. Trin. II 1, 18 *ocelle mi, fiat* (XIV 1). — **20. ne poenas Nemesis reposcat a te.** ne superbiorem hac mea confessione factum fastuque rogata mihi negantem te puniat diua Ultio, quae adrogantiae amorem oblatum fastidiose repudiantis est uindex (Ouid. met. III 406 et XIV 694 sqq., Anth. Pal. XII 140; cf. et de Nemesi ad LXIV 394, LXVI 71, Tac. ann. III 18; Aeschyl. fr. 257 *ἡμῶν γε μέντοι Νέμεσίς ἐσθ' ὑπερτέρα*). reposcimus siue reflagitamus tamquam debitum id quod nostrum est (interdum quod promissum est), siue a dis, ut Verg. Aen. VI 530 *pio si poenas ore reposco,* siue ab hominibus, ut Verg. Aen. II 139 *quos* (= a quibus propinquis) *illi fors et poenas ob nostra reposcent effugia* (cf. et ibid. II 72 et VIII 495). Nemesis aut a Ioue Calui poenas (re)poscit aut, quoniam haec sententia et nimia est nec ulla re indicatur, ipsa a Caluo poenas r e p e t i t. uere Rubino libri 'Untersuch. ueber roem. Verf. u. Gesch.' I p. 460 '*poena*', inquit, 'ist, wie das griechische *ποινή* zunaechst das Suehnegeld; wer sie erleidet, gibt sie (*dat, soluit, pendit*); wer sie zufuegen will, fordert sie ein (*petit, repetit, expetit, exigit*); wer sie vollzieht, nimmt sie an (*sumit, capit, habet poenas*)'. et loco illius 'repetere' poetae fortiorem ualidioremque reposcendi uocem posuere. quod non intellegentes Itali infeliciter 'reponat' scripsere: 'tibi', non 'a te' haec uox requirit necessario (Cic. ad fam. I 9, 19). — **21. est uemens dea: laedere hanc caueto.** 'uemens' (male V 'uehemens': cf. Lachm. ad Lucr. p. 133, LMuellerus d. r. m. p. 253), acris feroxque, in uindictam prona; Doeringius cp. *βαρὺς θεός*. 'laedere', fastu mihi oblato prouocare in te. grauiterque haec adhortatio, quam utpote ad notum bene perspectumque amicum factam non nimis seriam esse putemus, finit in repetita uoce cauendi in superbia fere sollemni; Fronto p. 101 *tu igitur, nisi caues, superbiorem aliquando me experiere.*

LI.

Est hoc carmen (quod attinet ad tres strophas primas) fere conuersum ex Sapphus ode celeberrima, quam seruauit nobis Longinus [*περὶ ὕψους* c. 10, 2], hace (Poet. lyr. Bergkii 878):

φαίνεταί μοι κῆνος ἴσος θέοισιν
ἔμμεν ὤνηρ, ὅστις ἐναντίος τοι
ἰζάνει καὶ πλασίον ἆδυ φωνεί-
σας ὑπακούει.
καὶ γελαίσας ἱμερόεν, τό μοι μάν
καρδίαν ἐν στήθεσιν ἐπτόασεν·
ὡς γὰρ εὔιδον βροχέως σε, φώνας
οὐδὲν ἔτ' εἴκει.

ἀλλὰ καμ μὲν γλῶσσα ἔαγε, λέπτον δ'
αὔτικα χρῷ πῦρ ὑπαδεδρόμακεν,
ὀππάτεσσι δ' οὐδὲν ὄρημ', ἐπιρρόμ-
βεισι δ' ἄκουαι.
ἁ δέ μ' ἴδρως κακχέεται, τρόμος δὲ
πᾶσαν ἄγρει, χλωροτέρα δὲ ποίας
ἔμμι, τεθνάκην δ' ὀλίγω 'πιδεύης
φαίνομαι ἄλλα.

uidere licet, respondere inter se tantummodo uu. 1—12, reliqua longe dissentire. et in ipsis strophis primis libere hic illic egit poeta noster, ut alibi quoque solet, non ad uerbum uertens. cur autem poetriae Lesbiae potissimum elegerit odarium, quo suae Lesbiae aperiret teneri qui ipsum tenebat amoris sensus, supra p. 27 et 31 exposuimus. — **1. ille mi par esse deo uidetur.** summae felicitatis significatio (Ter. Heaut. IV 2, 15, Cic. d. n. d II 61, 153 *uita beata par et similis deorum*, Seneca Herc. Oet. 104 *par ille est superis qui* eqs.), praesertim in amore: Plaut. Curc. I 3, 11 sq. *est lepida.* ⌗ *nimis lepida.* ⌗ *sum deus.* ⌗ *immo homo haud magni preti.* ⌗ *quid uidisti aut quid uidebis magis dis aequiperabile?*; Prop. II 15, 40. extat in V 'mihi impar': inuenerat librarius in suo exemplari 'impar', scripta supra 'im' (quod ex 'mi' corruptum) correctura 'mihi'. — **2. ille, si fas est, superare diuos.** haec addidit C. de suo, propterea ἆδυ φωνείσας omittens (num certa de causa, dubito: erat qui Lesbiae minus suauem uocem fuisse putaret, quasi talia curaret cupidi amatoris ueneratio). uulgo religionis esse ducunt adiectum 'si fas est', ne scilicet magnos deos laedat lingua superba, comparantque ex. gr. Cic. Tusc. V 13, 18 *cum ipso deo, si hoc fas est dictu, comparari potest.* sed hoc ipsum 'dictu' uel tale aliquid abesse omnino nequit. neque amantes semper respectus dis debiti memores. itaque accedimus eis, qui 'fas' graecum δυνατόν esse dicunt: Caesar b. g. I 50 *non esse fas superare Germanos*, Verg. Aen. VII 692, Ouid. trist. II 223 et ibid. III 12, 41. 'superare', excedere beatitudine. 'diuos' (quae forma est magis grauitatis plena ideoque in sollemni dictione usitata, sed hic fortasse ob solum metrum adsumpta), cunctos deos indicans, positum est post singularem 'deo', ut Grat. Cyneg. 96 *deus ille an proxima diuos mens fuit,* Iuuen. 3, 132 *siquis deus aut similis dis.* — **3, 4. qui sedens aduersus identidem te spectat et audit.** optime fecit Catullus, quod degressus paululum ab exemplari suo 'id. spectat' intulit. in medio positas uoces 'identidem' et 'te' pariter ad 'sedens aduersus' quam ad 'spectat et audit' referas: perquam adamata duplex haec relatio linguae latinae. iam Vulpius bene cp. Celsum III 6 *medicus neque in tenebris neque a capite aegri debet residere, sed illustri loco aduersus eum, ut omnes notas ex uultu quoque cubantis perspiciat*; idemque adnotat, Sapphus locum persecutum esse Lucianum [ἔρωτες 53]. in uoce 'ident.' (h. e. sine fine; repetit postea C. XI 19 fortasse cum huius loci recordatione) omnis uis inest: sperat, si usque sit simul cum amata, se leuare posse

animi curas, quae ex repetito breue in tempus illius aspectu et auditu risus semper excitantur saeuiores. — **5. dulce ridentem.** cui non in memoriam hic redit *dulce ridentem Lalagen amabo, dulce loquentem,* Hor. od. I 22, 23, in quibus magis fidelem habes uersionem? — **misero quod omnis eripit sensus mihi.** de 'misero' cf. ad XLV 21. 'quod' (traiectum, ut ad Corn. 9) ad utrumque 'spectat et audit' pertinet. 'eripit sensus' (aliter autem de diuturna amantium consternatione LXVI 25 est adhibitum) ualet 'mentem confundit perturbatque'; Verg. Aen. II 736 *hic mihi nescio quod trepido male numen amicum confusam eripuit mentem*; Lucr. IV 435 *labefactari undique sensus.* — **6, 7. nam simul te, Lesbia, aspexi, nihil est super mi.** 'simul (ad XXII 21) te aspexi' de nouo quoque uisu (aliter LXIV 86): iterum tum incitatur amor, quem notum est finxisse ueteres per ipsos oculos influere in animum. 'sunt enim oculi quasi uiae, per quas inmissum pulcritudinis effluuium et in animum delatum amoris flammas excitat' Waardenburgius opusc. p. 275, quamquam de flammis mox meliora proferemus. Publilius Syrus A 40 *amor ut lacrimast: ab oculis oritur, in pectus cadit* (sic enim legimus); Prop. I 19, 5 et II 22, 7; de Graecis uide Rohdium libri 'der griech. Roman' p. 149 not. 2. ad totam autem hanc descriptionem mentis consternatae iam Vulpius cp. Lucret. III 152 sqq. *uerum ubi uementi magis est commota metu mens, consentire animam totam per membra uidemus, sudoresque ita palloremque existere toto corpore et infringi linguam uocemque aboriri, caligare oculos, sonere auris, succidere artus.* sed descriptio illa in initio manca est: suppleuerunt u. 8 secundum illud Sapphus φώνας οὐδὲν ἔτ' εἴκει, ut incredibilia mittam, Parthenius 'quod loquar amens', Westphalius 'gutture uocis', omnium optime Franc. Ritterus et Doeringius 'uocis in ore'. 'est super' per tmesin pro 'superest (= restat)', ut Ouid. fast. V 600, Aen. II 567, Nepos Alc. 8, 1 *praeter arma et nauis nihil erat super,* alibi. — **9. lingua sed torpet.** Ouid. epist. 11, 82 *torpebat gelido lingua retenta metu,* Liuius I 25, 4 *torpebat uox spiritusque*; Plaut. mil. IV 6, 55 *uerbum edepol facere non potis, si accesserit prope ad te: dum te obtuetur, interim linguam oculi praeciderunt.* Aedituus (supra p. 5) 1, 2 *uerba labris obeunt*; Hor. od. IV 1, 33—36; Verg. Aen. IV 76 (Dido praesente Aenea) *incipit effari mediaque in uoce resistit.* 'sed' traiectum, ut LXI 102. — **tenuis sub artus flamma demanat.** de flammis per oculos conceptis cf. nitidum epigramma Pompeianum supra p. 6 a me exhibitum: accensus nimirum ignis ex amatae amatiue luminibus igne micantibus (Rohdius l. l. p. 152 not. 2); ab oculis autem ignis deorsum manat sub artus siue totum per corpus. pro rariore uocabulo 'demanat' (de quo cf. Gellius XVII 11, 1) iam in antiquis editionibus (ueluti AStatii) legitur 'dimanat'; sed haec notio iam inest attributo 'tenuis', quo ignis significatur dispersus (λεπτὸν πῦρ). — **10. sonitu suopte tintinant aures.** 'suopte', suo ipsarum: Paulus Festi p. 311 M., Corssenus de pronunt. II 860[2] (etiam 575); Kuehnerus gr. l. I p. 383. de tinnitu siue strepitu, qui ut in omnibus fere animi commo-

tionibus ita in amore aures inuadit, cf. Meleager Anth. Pal. V 212, 1 *αἰεί μοι δύνει μὲν ἐν οὔασιν ἦχος ἔρωτος* (de superstitione cum hoc tinnitu coniuncta cf. Burmannus Anth. lat. II p. 639). 'tinire, tinitus, tintinire, tintinare' prisce etiam postea interdum per unam 'n' scribebant. huc rettulit Hauptius glossam Labb. p. 185ª 'tintino *ἀλαλάζω*'. Cels. VI 7, 8 *ubi aures intra se ipsas sonant.* — **11, 12. gemina teguntur lumina nocte.** de oculorum caligine cf. Ouid. am. III 5, 45 *gelido mihi sanguis ab ore fugit et ante oculos nox stetit alta meos*; epist. 13, 23 *tenebris exsanguis obortis*; Italicus Il. lat. 973 *nox oculos inimica tegit.* AStatius etiam Archilochi uerba [103 Bergkii] cp. *τοῖος γὰρ φιλότητος ἔρως ὑπὸ καρδίην ἐλυσθεὶς πολλὴν κατ' ἀχλὺν ὀμμάτων ἔχευεν κλέψας ἐκ στηθέων ἁπαλὰς φρένας.* sine sensu tamen est, quam V praefert, nox 'gemina'; quod per grammaticam cum 'nocte' coniunctum a sensu referre uelle ad 'lumina', hoc uero est artificium hodie uel a pueris inrisum. plerique editores nunc scribunt id quod excogitauit non male ISchraderus 'aures geminae, teguntur'. quod commentum, quamquam a latinitate defenditur (cf. ad LXIII 75), tamen neque ab arte rhythmica (post caesuram quippe in hac strophe semper nouum colon incipere uoluit poeta egregie ut in enumeratione; aliter Hauptius opusc. I p. 106) neque uero ab eo, quod iam in initio ultimi membri positum 'teguntur' nimis forti neque apto accentu effertur, probandum mihi uidetur. LSpengelius 'gemina et teguntur' proposuit, de copulae traiectae legibus (cf. Hauptius opusc. I p. 119) securus. reponendi ego extiterim auctor 'gelida t. l. nocte': notum est, quam saepe 'gelidus' in hoc uel illo adfectu amaro denotando adhibeatur (cf. interpp. ad Aen. II 120); uide ex. gr. epist. Sapphus 112 *astrictum gelido frigore pectus erat*; et saepe 'gelidus' et 'geminus' in codd. confusa. — hic desinit conuersio. quartam autem in Sapphus odario stropham non itidem a Catullo expressam esse, haud pauci mirabantur; multo etiam magis bilem mouit doctis necopinatus durusque ad otium poetae periculosum transitus. unde alii (ut iam AStatius) inter u. 12 et 13 unam duasue strophas intercidisse, alii uu. 13—16 diuersi carminis fragmentum esse, alii eosdem adeo ab interpolatoris mala manu prouenisse sunt opinati. nobis contra uidetur. nam si erat hoc carmen non stili exercitatio aut poetica miseri amantis descriptio duce Sappho facta, sed ideo compositum ut mitteretur amatae, optime hercle quousque sibi procedere liceret solus perspexit Catullus: quae de sudore e toto corpore manante, de pallore uiolaceo, de spiritu deficiente poetria Lesbia adiecit, in carmine ad suam Lesbiam misso tam nimia esse quam sese non decere agnouit. in eis quae antecedunt animi sensa deuelauerat; et quamquam de amore suo nihil diserte dixerat, nihilominus omnia dixerat, fortasse etiam plura quam licebant. erat enim Lesbia alieni uiri uxor; quae quid de se sentiret, magis noster animo cupiente diuinabat quam sciebat certo: quid, si adulescenti procaci succenseret mulier ingenua? noluit ergo ignis sui descriptionem plenam nimisque apertam reddere addita quarta Sapphici poematii stropha

(cuius praeterea mollitiem fortasse putauit magis in femina quam in uiro tolerandam); cohibuitque eius impetum metus ne laederet amasiam, quam ut puram et pudicam uenerabatur. et suffecerunt omni ex parte tres illae strophae, siquidem feminam poetae amor misso hoc carmine trunco neque latere poterat, si ipsa illi fauebat, neque uero offendere, si respuebat. fruatur suo quisque sensu iudicioque: mihi semper amabilis est uisus Catullus ob hanc ipsam reticentiam tenerumque pudorem, quo ne lineas temere transiliret ueritus substitit nihilque porro adiecit nisi quae in excusationem licentiae iam sibi permissae proferre potuit; et ut homine, ita poeta condignum censeo hunc abruptum (etsi non sine aliqua duritie) carminis exitum. sic autem qui semper statuebam, gauisus sum, cum similiter iudicantem uiderem Westphalium [p. 48]. — **13. otium, Catulle, tibi molestum est.** audaciae suae culpam totam confert in animum labori serio negotiisque seueris non deditum, sententia cum in aliis rebus adamata, tum in amore, quem philosophi non aliunde quam ex mente uacua nasci declamabant: Stobaeus flor. LXIV 29 *Θεόφραστος ἐρωτηθεὶς, τί ἐστιν ἔρως, πάθος ἔφη ψυχῆς σχολαζούσης*, unde fluxisse puto quod legitur in altercatione Hadriani et Epicteti [Fabric. Bibl. graeca XIII p. 563], ubi ad interrogationem *quid est amor?* respondetur *otiosi pectoris molestia*; cf. et longior expositio Ouid. rem. 135 sqq., Plaut. Trin. III 2, 32 *ui Veneris uinctus otio .. in fraudem incidi* et Truc. I 2, 34 sqq., Ter. Heaut. I 1, 57, P. Syrus A 34, Tac. ann. IV 20 *otia et turpes amores exercendo.* 'molestum' hic eatenus est 'incommodum', ut designet id quod a recta morum uia retinet, et inde fere aequat 'periculosum' siue 'perniciosum'; uidetur hoc quoque ex philosophorum dictione ortum (cf. Cic. ad fam. VII 26, 1; Caelianae § 43; Hor. epist. I 1, 108). iocularem Publilii Syri de otio molesto disputationem (fortasse cum philosophorum inrisione) uide apud Macrobium [sat. II 7, 6]. — **14. otio exultas nimiumque gestis.** ut tot uocabula latina, haec quoque e Romanorum pastorali quondam uita profluxerunt, siquidem pecudes tam exultant quam gestiunt: Don. ad Ter. Eun. III 5, 7 *'gestire' est motu corporis monstrare, quid sentias; constat autem a pecudibus ad homines esse translatum.* unde cum et 'gestire' maxime in rebus laetis usurpetur (Paulus Festi p. 95), utrumque uerbum 'effuse lasciuire' et 'inaniter efferri' denotat; Liuius IV 36, 1 *Veliterni coloni gestientes otio,* Iustin. XVI 4 *aduersus plebem nimio otio lasciuientem*, Cic. Tusc. V 6, 16 *inani laetitia exultans et temere gestiens.* fortasse iuuenci libere in prato ludentis nec adhuc iugo imposito durum laborem ferre docti imago obuersata est poetae. non neglegendum est autem illud *ἀπὸ κοινοῦ* positum 'nimium': quod in quouis alio amorum genere et ipsum nimium unice quadrat in feminam nuptam, cuius possessione interdictum erat ex iure diuino humanoque. eandemque sententiam continent sequentia: — **15, 16. otium et reges prius et beatas perdidit urbes.** sic olim (cf. ad IV 25) Priamum et Troiam pessumdedit Paris per desidiam corrumpens alienam uxorem. Octauia 816

(Cupido) *regna euertit Priami, claras diruit urbes.* Tibullum quoque sic tacite Troiae mentionem facere puto I 3, 47 *non facinus, non ira fuit, non bella* (raptus Helenae, Graecorum indignantium ultio, circa Troiam caedes pugnaeque). porro AStatius comparat Euripidis fragm. 241 N. ὁ δ' ἡδὺς αἰὼν ἡ κακή τ' ἀνανδρία οὔτ' οἶκον οὔτε γαῖαν ὀρθώσειεν ἄν. Ouid. ex P. IV 8, 33 *urbesque beatae* (= diuites et potentes). denique animaduerte pulcram uocis 'otium' anaphoram, quam licet sub alia significatione adhibet etiam Hor. od. II 16, 1 sqq.

LII.

1. Quid est, Catulle? quid moraris emori? quid tardas abire e uiuis, apud quos nunc indignissime uigent regnantque pessimi? taedium contemptusque rerum praesentium tenet poetam fortasse ipso morbo ingrauescente ad tam tristes cogitationes inclinantem. Hor. od. III 27, 50 *inpudens Orcum moror* et 58 *quid mori cessas?*, Verg. Aen. XI 177 *quod uitam moror inuisam.* 'emori' fortius grandiusque quam simplex 'mori': Cic. in Pis. 7, 15 *populo ita fuerat ante uos consules libertas insita, ut emori potius quam seruire praestaret*, Sall. Iug. 14, 24 *utinam emori fortunis meis honestus exitus esset neu uiuens iure* ('neuiuere' codd.) *contemptus uiderer* (cf. Herzogius ad Sall. Cat. 20, 7). uehementer poeta semet interpellat curis amaris traditum per illam sollemnem indignationis formulam 'quid est', de qua cf. Ussingius ad Plaut. Amph. 552, Tibull. Priap. 2, 38. superflue olim 'quid e., C., quod' scripsere. — **2. sella in curuli struma Nonius sedet.** de duobus illius temporis Noniis, inter quos optio nobis detur, aliquid memoriae est traditum. AHaackhius [Pauly, Encycl. real. V p. 688] et Lehmannus [Philol. suppl. II p. 205], quibus accessit Schwabius [q. C. p. 35 sqq.], cogitauere de Nonio Asprenate, a. 46 proconsule, legato Caesaris in bello Africano Hispanicoque; hunc illi putant creatum esse aedilem curulem eodem anno, quo Vatinius praetor sit creatus, scil. a. 55 (Schwabius l. l. p. 43). de altero, Nonio Sufenate, a. 56 tribuno plebis (eodem fortasse cum M. Nonio, quem Cic. ad Att. VI 1, 13 propraetorem uocat), cf. Haackhius. sed fatendum est, plane incertum esse quis fuerit Nonius Catullianus. quidquid id est, necesse est fuerit hic Nonius homo flagitiis coopertus famosusque (cf. Boethius in testim. uol. I), qui potentium ope auxilioque eo anno, quo Catullus haec scripsit (ut uidetur a. 54, cum tristi morbo uexatus ultro sibi optaret mortem), primum in magistratuum curulium serie gradum est adsecutus, aedilitatem. notum est enim, sellam curulem (cf. Richius lex. antiqq. s. u.) propriam fuisse aedilium curulium, praetorum, consulum; Vulpius ap. Gell. VII 9, 5 *Cn. Flauius, Anni filius, dicitur ad collegam uenisse uisere aegrotum. eo in conclaue postquam introiuit, adulescentes ibi complures nobiles. sedebant hi contempnentes eum, assurgere ei nemo uoluit. Cn. Flauius, Anni filius, aedilis, id arrisit: sellam curulem iussit sibi afferri, eam in limine apposuit, nequis illorum exire posset utique hi omnes inuiti uiderent sese in*

sella curuli sedentem. quod spectaculum hic iusta elatus superbia ingessit pueris inepte fastidiosis, id Nonius optulisse uidetur cum ostentatione quaesita erubescentibus hanc indignitatem bonis probisque omnibus. 'struma' autem cum olim praeeunte Scaligero habuissent pro cognomine (neque tamen hoc quidem cognomen notum est aliunde, alioquin cum sat constet multa corporis uitia in cognomina abiisse, cf. ex. gr. 'Plautus' et 'Plancus'), rectius Haackhius ceterique quos dixi docti cogitauere de conuitio. Celsus V 28, 7 *struma est tumor, in quo subter concreta quaedam ex pure et sanguine quasi glandulae oriuntur .. nascuntur maxime in ceruice, sed etiam in alis et inguinibus.* postea 'scrofulas' siue 'scrofas' hoc uitium uocabant, unde per glossam uaria lectio in Marii Victorini codd. obuia 'scrofa' uel 'strofa' prouenit. quo igitur uitio constat Vatinium deformem fuisse (cf. interpp. ad Cic. Sest. 65, 135 *qui execant pestem aliquam tamquam strumam ciuitatis,* Schwabius l. l. p. 35), eodem etiam Nonius insignis fuit (recte Heysius uertit 'der Kielkropf Nonius'). quodsi cum hoc statim coniunctum legimus Vatinium ob strumam exagitatissimum, ultro exclamamus 'pulcre conuenit improbis homullis', cum praesertim illud 'struma' ita sit positum ante 'Nonius', ut facili opera etiam ad 'Vatinius' referri possit. — **3. per consulatum perierat Vatinius.** P. Vatinius, de quo cf. ad LIII, consul fuit a. 47 teste Dione Cassio XLII 55 (cf. et de hoc consulatu salsum Ciceronis dictum Macr. II 3, 15). usque ad quod tempus uixisse Catullum eumque uidisse Vatinium consulem cum plane sit inprobabile (supra p. 40), dudum inde ab Hadriano Turnebo [adu. XXI 11] intellexere prudentiores, non per eum quem gessit (quod per se parum est credibile), sed per eum quem optauit consulatum Vatinium falso iurauisse. optime rem explanauit (indicante Hauptio opusc. I p. 9) Henricus Valesius ad Amm. Marcell. XXIV 3, 9 *animabat autem Iulianus exercitum, cum non per caritates, sed per inchoatas negotiorum magnitudines deieraret adsidue: 'sic sub iugum mitteret Persas, ita quassatum recrearet orbem Romanum'. ut Traianus fertur aliquotiens iurando dicta consuesse firmare: 'sic in prouinciarum speciem redactas uideam Daciam et Parthiam*), sic pontibus Histrum et Euphratem superem' et similia plurima.* ad quae Valesius: 'antiqui per uota iurabant, ut Vatinius *ita consul fiam* ... et Cleopatra quotiens iurare uolebat, maximum id uotum concipiebat *sic in Capitolio iura reddam,* teste Dione 50, 5; et Otho ipsum Neronem adhuc priuatus adloquens sic iurauisse ab eodem [Dione] dicitur *sic me Caesarem uideas',* comparatque deinde Cic. ad fam. 10, 9, Sen. epist. 117, 23, alia. tuto igitur nobis fingemus Vatinium sic quauis occasione loquentem 'ita consul fiam, uera haec uerba sunt' similiterue. nam et

---

*) 'et Parthiam' ex mea coniectura addidi, ut suadet tam pluralis 'prouinciarum' quam quod codd. habent 'redactas' ('redactam' uulgo) et quod sequitur 'Euphratem'; hoc enim recte Gardthausenus restituit ex Gelenio et Accursio pro ineptissimo illo 'aufidum'.

pulcre haec iunguntur, Nonium iam compotem aedilitatis esse, Vatinium bona spe consulatus teneri, et certo constat hunc iam longe antequam consul factus est de consulatu suo locutum esse (Cic. in Vat. 2, 6 et 5, 11). quaerat hic quispiam: cur haec Vatinii consuetudo tam anxium sollicitumque reddidit nostrum, cum spei illius euentus incertus tamen esset? non obliuiscendum est nimirum, Vatinium, quidquid impugnatus est uehementissime et a Cicerone et a Caluo (cf. LIII), tamen a. 55 praetorem esse creatum et hinc suo iure certissimam consulatus optinendi spem concepisse. Catullus autem eo magis intellegimus cur taedio horum temporum, quibus Vatinii uicerunt et Catones repulsam tulerunt, correptus sit. acerbe autem iuraiuranda siue uota hominis commemorans poeta ea uocat 'periuria'; Cic. in Vat. 1, 3 *inconstantiam cum leuitate, tum etiam periurio inplicatam.* de forma 'perierare', quae pro uulgari 'peierare' haud raro in codd. est obuia, cf. Usenerus in Fleckeis. ann. 1865 p. 226. — **4.** sic postquam id quod u. 1 posuerat stabiliuit ostendendo quid iam nunc sit quidque mox futurum sit, grauiter quasi confirmationis loco ita ut amat (cf. supra ad VIII 7) interrogationem suam repetit poeta; suppleas mente 'nonne iure meo dixi: q. e. C. q. m. e.?'

LIII.

1. Risi nescio quem modo ec corona. turbam auditorum oratorem iudiciumque circumstantium ultro apparet mixtam fuisse ex diuersissimi generis hominibus; Tac. dial. 19 *cum in corona uix quisquam adsistat, quin elementis studiorum, etsi non instructus, at certe imbutus sit,* ibid. 20 *uulgus adsistentium* et 32 *non doctus modo et prudens auditor, sed etiam populus.* ex hoc uulgo auditorum (*corona sordidiore* Sen. epist. 114, 12) aliquem indicat illud cum quodam despicatu dictum 'nescio quem'. 'modo': fingas tibi audita oratione Catullum domum reuersum hoc poemation tamquam admirationis, qua tenebatur, testimonium lepidum iocosumque in cartas coniecisse Caluoque misisse. formam praepositionis 'e, ex' eam quae est 'ec' non recte Neuius [II p. 766 sqq.] solummodo in compositis inueniri putat: plurimi extant loci, ubi eam solita in hoc 'ec' corruptela 'et' adserit; cf. ex. gr. ORibbeckius prolegg. Verg. p. 418. — **2, 3. cum mirifice Vatiniana meus crimina Caluos explicasset.** 'mirif.', mira siue singulari arte, ut LXXXIV 7 *mirifice locutum.* 'meus' hic poeta iusta amici superbia elatus potius praeponit quam sermonis cottidiani usum secutus. de quanam C. Licinii Calui in P. Vatinium (de quo cf. AHaackhius in Pauly encycl. real. VI p. 2396 sqq.) oratione hic agatur ut eruamus, proficiscendum est a Tacito, qui ita iudicat [dial. 21] *quotus enim quisque Calui in Asicium aut in Drusum legit accusationes? at hercule in omnium studiosorum manibus uersantur, quae in Vatinium inscribuntur, ac praecipue secunda ex his oratio; est enim uerbis ornata et sententiis auribus iudicum accommodata.* unde has orationes minimum tres fuisse edocemur. de quibus post priorum dis-

putationes parum ut in materia impeditissima fructuosas nuperrime GMatthiesius [comm. philol., Lips. 1874, p. 99 sqq.] ita inquisiuit, ut solidum referret laborum praemium. et prima quidem oratio necesse est adscribatur a. 58, ad quam adludit Tacitus [dial. 34], Caluum non multum XXIIum aetatis annum egressum in Vatinium orasse dicens; agebatur autem ea causa e lege Licinia Iunia, iudicio tamen ui Vatinii et Clodii inpedito (Cic. in Vat. 14). unde et Calui, qui sine dubio orationem tum habendam emisit, in hominem istum, *in quo deformitas corporis cum turpitudine certabat ingenii* (Vell. Pat. II 69, cf. et Sen. de const. sap. 17 *Vatinium hominem natum et ad risum et ad odium*), contemptus persequendique furor et contra Vatinii in accusatorem molestum tenacemque odium acerrimum (XIV 3). occasio autem noua accusatione adgrediendi Vatinium offerebatur Caluo a. 56, quo ille in petenda aedilitate repulsus praeturae in annum sequentem extitit candidatus quoque in Sestii causa testis adeo et reum et eius patronum Ciceronem lacessiuit dictis, ut huius in se prouocaret interrogationem illam notissimam, qua miserrime uapulauit. iam hac in causa Caluus inter Sestii defensores una cum Cicerone et Hortensio uersatus sese accusaturum denuo Vatinium minabatur (Cic. ad Q. fr. II 4, 1). a quo promisso ita stetit, ut aut exeunte anno eodem aut potius ineunte a. 55 nomen Vatinii deferret lege Tullia de ambitu in petenda praetura facto (maxime ludis gladiatoriis ineunte a. 56 datis), insistens ille minis iam a Cicerone [in Vat. 15, 37] iactis. hoc enim Matthiesius uere mihi uidetur ostendisse, non posse hanc de ambitu orationem anno 54 adsignari; in hoc ab eo dissentio, quod eam ineunte potius anno 55 esse habitum puto paulo ante comitia praetoria eo anno post mensem Maium habita, quibus Vatinius ope amicorum potentissimorum tamen praetor est creatus (Langius ant. rom. III p. 328 sq.). sic enim propterea statuo, quod Catullus autumno a. 56 Veronam ex longo itinere redux uix eo ipso anno actioni illi adesse potuit. eundemque cum admodum improbabile sit uixisse adhuc mense Quintili a. 54, quo Caluus tertium accusauit Vatinium de sodaliciis, aut postea, cum quartum ille de ui nomen inimici detulit (in his autem duabus causis postremis mutata temporum condicione Cicero Vatinii antea una cum Caluo tantopere impugnati extitit defensor), consentaneum est ut Catullum interfuisse statuamus Calui orationi secundae a. 55 ineunte habitae, cum ambitus reus esset Vatinius. ad quam orationem maxime nobilitatam et in scholis lectitatam perprobabile est spectare praeter unum a Quint. IX 2, 25 adlatum (quod ad a. 54 referendum esse docet illud 'fieres') omnia fragmenta nobis seruata (in Meyeri collectione p. 477[2]), quamquam unum tantum pleniorem titulum prae se ferat. ex quibus quantumuis (eheu) paucis paruisque tamen adhuc uim impetumque accusationis perspicere licet. initium Caluus sumpsit ab hominis prauitate: *hominem nostrae ciuitatis audacissimum, de factione diuitem, sordidum, maledicum accuso* (Halmii rhet. lat. p. 366, 6). deinde 'crimina explicasse' (ut ad Catullum reuertar), h. e. seriem facinorum

Vatinio obiciendorum ordine exposuisse censendus est. denique grauiter inuectus est in iudices corruptos, quos praeuidit non condemnaturos esse reum: *factum ambitum, scitis omnes, et hoc uos scire omnes sciunt* (Quint. V 1, 13) et porro *at ita mihi Iouem deosque immortales uelim bene fecisse, iudices, ut ego pro certo habeo, si paruuli pueri de ambitu iudicarent* (Charis. p. 224, 9 K.), ubi fere supplendum est 'melius quam uos (scil. dissimulantes intellegere) rem apertam esse intellecturos'. sed pulcrum fragmentum apud Aquilam Romanum [p. 35, 5 H.] huc pertinere, etsi non inprobabile, tamen non certum est. ad hanc autem orationem adludere putauerim Senecam rhet. [p. 331 K.] *Caluus .. usque eo uiolentus actor et concitatus fuit, ut in media eius actione surgeret Vatinius reus et exclamaret: rogo uos, iudices, num, si iste disertus est, ideo me damnari oportet?* — **4. manusque tollens.** ad testificandam admirationem (Lamb. ad Hor. epist. I 18, 94): Cic. ad fam. VII 5, 2 *sustulimus manus et ego et Balbus*, id. Acad. II 19, 63 *Hortensius uehementer admirans, quod quidem perpetuo Lucullo loquente fecerat, ut etiam manus saepe tolleret*, Arnob. VII 33 *manus ad caelum tollunt, rebus admirabilibus moti prosiliunt, exclamant.* — **5. 'dei magni, salaputtium disertum!'** exclamationem 'd. m.' inseruire hic exprimendae admirationi, monui ad XIV 12. 'disertus' autem eloquentiam summam indicare, et XLIX 1 ostendit et Vatinii ipsius interrogatio modo adlata. omnis uero carminis lepor iocusque positus est in uoce tertia. nimirum Caluus cum paruolus esset statura (cf. praeter Senecae testim. in uol. I Ouid. trist. II 481 *exigui Calui*), homo iste ex corona plebeius fortiter hoc expressit uoce plebeia et in urbanorum circulis sine dubio ignota 'salaputtium', h. e. salax penis. de scriptura uocis alibi non obuiae constat ex Senecae libris; a quibus V 'salapantium' exhibens in tanta ductuum 'a' et 'u' porroque 't' et 'u' similitudine parum recedit. habemus praeterea nomen proprium *Salaputi* CIL. VIII 10570 (cf. Mommsenus Hermae XV p. 393): quin syllabae 'pūt' et 'pŭtt' pronuntiando tantum differant, post ea quae de consonarum in lingua latina geminatione disserui nemo dubitat. accusatiuum neutrius potius quam masculini ('salaputius') adesse, comprobare uidetur quod ad uocem explicandam recte arcessitum est 'praeputium'. quod cum radice 'pu', quae procreandi notionem continet (cf. pubes, putus, pupus, puer, alia: GCurtius libri 'Grundzuege' p. 287 [5]) in propatulo est cohaerere. cum 'putium' autem, quod ipsum iam non adest, Scaliger cp. graecum (*πόσθη* penis, *πόσθιον* praeputium) *πόσθων*, quod notum est iocosa appellatione etiam puerulum indicare; et sic plebs latina pusillos homines solebat appellare 'penes', ut Horatium *habitu corporis breuem* Suetonius in eius uita narrat ab Augusto uocatum esse *purissimum penem*, sat ambigue (h. e. tam meram breuitatem quam in re uenerea mundum). hinc una pars dicti illius salsi intelligitur. sed quoniam 'salaputium' indicat penem salacem, de paruo homine autem libidinoso cogitare non facile licet, ad primariam uocis 'salax' et 'salire' significationem rediens designari puto simul agendi genus pro-

prium Calui, qui secundum Sen. rhet. p. 332 K. *solebat excedere subselia sua et impetu latus usque in aduersariorum partem transcurrere.* itaque plebeia illa uoce indicatur Caluus noue sane ac lepide homo et paruus et semper mobilis inquietusque.

LIV.

1. Otonis caput opido est pusillum. de hominibus in hoc carmine commemoratis nil scitur. uersus ipsi mihi uidentur docere, in eis Caesarem et Fuficium turpes exercuisse libidines, apertius illud quidem et cum Veronensium offensione. unde Catullus hac leni eademque acri adhortatione admonet Caesarem, ut caueat nouos iambos. 'Otonis' reduxi ex V, cf. Cic. or. 48, 160 *Orciuios tamen et Matones et Otones .. dicimus, quia per aurium iudicium licet*; 'Othonis' antea legebatur. 'oppido' siue prisce 'opido' est uox apud bonos auctores non obuia, de qua cf. Paulus Festi p. 184, qui interpretatur 'ualde, multum'; cf. ex. gr. Apul. d. d. Socr. prol. [p. 3, 18 G.] *corpus tam concinnum est, ut neque oppido paruum neque nimis grande sit.* caput 'pusillum' quid sibi uelit, nemo dum explicauit. physiognomici quidem inter se differunt, cum caput breue ab Aristotele [probl. 30, 3] prudentiae, ab auctore incerto a Rosio edito [anecd. gr. p. 114] insipientiae esse signum dicatur, ut obseruauit Ellisius: utrumque abhorrere a carminis proposito, quod patefaciunt uu. sqq., unusquisque semel admonitus intellegit. agitur autem, ut mihi uidetur, de fellatore; Mart. XIV 74 *corue salutator, quare fellator haberis? in caput intrauit mentula nulla tuum*; quam interpretationem confirmant sequentia. sed licet caput sit pusillum, hoc nihil ad officium aut male aut bene praestandum facit: denegat mentulam recipere os tantum nimis magnum. unde nequiens accedere editoribus priscis, qui rectissime in constructione offensi huic uni consulebant 'est' delentes, ipsumque illud 'os' ut necessarium plane requirens conieci 'Otonis caput (opido est pusillum os!)': in parenthesi capitis quidque in eo sit offensioni redditur ratio. nam si idem adsequi uelis 'est' in 'os' mutato, uide ne iam contra Catulli usum absit 'est'. ipso autem monosyllabo (LV 13) in fine uersus cum synaloephe posito ridicule depingitur os nimis patulum et rustice magnum, quod per *εἰρωνείαν* apertam dicitur 'opido pusillum'! — **2. et eri rustice semilauta crura.** quasi per nebulam hoc perspicimus, agi de catamito quodam et itidem prouinciali, qui Caesari pedicanti mala et sordida crura praebeat uidenda (cf. Ouid. rem. 317, idem a. a. III 776); eiusque nomen latere sub litterulis illis 'et eri' (nam interpolata lectio est 'et heri'), est sane in propatulo. nec recte AStatius hoc nomen requisiuit in uoce sequenti 'Rustice' scribens, ut mox uidebimus; nec comprobandi sunt, qui Otonem tantum et Libonem explendis Caesaris Fuficiique libidinibus fuisse praesto autumant: arcet talem opinionem tacitus symmetriae sensus, quo 'semilauta crura' non cum nimia adcumulatione Liboni, sed tertio cuidam dari debere intellegimus (unde concidit illud Munronis 'et, trirustice, s. cr.' et ipsum

trirusticum). sed quamquam certo latet nomen, tamen quidnam id sit difficillimum est dictu. uulgo scribunt 'Heri' (a nominatiuo 'Herius'); et potuit 'H' in 'Et' dissolui. sed non minore cum probabilitate alia licet excogitare. 'Vetti' uoluit IVossius, 'Neri' LMuellerus, 'Thori' Peiperus, 'Terei' FSchoellius; possis etiam 'Veri' aliaque comminisci, modo ne inter Caesaris amicos nomen aliquod quaeras, ut fecit Ellisius 'Hirri' cp. Plin. h. n. IX 171 proponens. mihi etiamnunc placet, quod olim recepi. nimirum in 'et' latere 'os' in fine uersus prioris necessarium perspiciens (prouenit uitium ex exemplari aliquo, in quo scriptura continua omnia essent exarata) ex 'eri' elicui AERI siue AFRI, nomen tam seruorum quam libertorum haud rarum. sed quidquid latet (neque enim meum ut in re suapte natura incerta pro uero uendito), genetiuus subest, non uocatiuus. huic enim nullus est locus, cum Caesarem solum in hoc carmine et adloquatur et possit omnino adloqui poeta. nam qui nuperrime comparauere locos, ubi in media narratione subito tales adlocutiones habentur, neglexerunt eas usu uenire cum grata uarietate in carminibus maioribus (ut LXIV 299), ineptas esse in poematiis minutis, cum praesertim in his iam adsit, ad quem uerba derigantur. quibus ita se habentibus consequitur, recte porro Italos dedisse 'rustica', quod omnes fere editores receperunt. coit autem illud cum sequente uoce 'semil.' eo modo, quem exposui ad XLVI 11; dicunturque (ut equidem interpretor) *duris aspera crura pilis* (Ouid. a. a. III 194). 'semilauta' (ἅπαξ λεγόμενον), parum munda; Non. p. 337, 11 *lautum, mundum.* — **3. subtile et leue peditum Libonis.** alius catamiti, Libonis, describitur uitium; qui hunc habet morbum, ut dum pedicatur pedat. peditum (-tus), crepitus uentris, praeterea non extat nisi in glossis Labbaei p. 131 *peditum* πορδή et *peditus* πορδή; pro uitio illud hic notari, animaduertit Scaliger, Claudium Caesarem eo laborasse adnotans. certius id potest demonstrari, nec solum ex Mart. IV 87 maximeque VII 18. nam, ut iam Scaliger obseruauit, peditum siue πορδή est sonitus aures feriens, nares contra ingrato odore tangit βδέσμα. hoc quid sit latine, docent glossae Labb. p. 195 *uissium* βδέσμα et *uisso* βδέω, unde intellegitur Cic. ad fam. IX 22, 4 *non honestum uerbum est 'diuisio'? at inest obscenum, cui respondet intercapedo.* in uita cottidiana synonyma 'uissere' et 'pedere' sine discrimine adhibebant: CIL. IV 1884 *qui uerpam uissit, quid cenasse illum putes?*, ubi male de uisendi uocabulo cogitant sine iusto sensu et acumine, ego hinc apparere puto uitium in delicatis reprehensum simulque transitiuum uocis usum. sed quod nequitiarum genus subtilitas leuitasque pediti contineat, nescio (an mentula concacata innuitur?); dubitoque num huc pertineat locus corruptus funditus Lucilii V 39 M., ubi *uisire minutim* optimi codices. — **4, 5. si non omnia displicere uellem tibi et Fuficio senei recocto.** horum uerborum cum prioribus sequentibusque conexus obscurus est. mitto priorum conatus explicandi incredibiles, ueluti Scaligeri. Vulpius post 'omnia' comma ponens ita enarrat: 'concedit (poeta) aliqua fortasse esse in Othone,

Vettio aut Libone haud omnino improbanda, sed quae tanti non sint, ut propter illa tolerari reliqua possint', cp. Cic. p. Sest. 3, 7 *ut ille .. si non omnem, at aliquam partem maeroris sui deponeret*; adicitque Munro illius sectator Lucr. III 406 *si non omnimodis at magna parte animai priuatus* et II 1017 *si non omnia sunt, at multo maxima pars est consimilis*, Cic. ad fam. XVI 24, 1 *a Flamma, si non potes omne, partem aliquam uelis extorqueas.* quibus locis praecedit recte 'si non omnis', subsequitur 'pars', quae effertur plerumque per 'at': inuersam rationem, quam hic codices prae se ferunt, omissa partis mentione diserta, nec usus stabilit nec causa interna. praeterea (quod maioris est momenti) num homine sano, per deos te oro, digna est haec sententia: cetera fortasse boni sunt catamiti, sed mali in re uenerea? mirabimurne, talibus nugis missis priores criticos hoc carmen se non intellegere professos esse? ego ex inepto illo 'sinonomnia' leni emendatione erui abiecta 's' dittographa 'illo nomine' (h. e. ob illam causam, ut XXIX 11 et 23, Prop. I 9, 28 *alio nomine*, alibi): notum est quam saepe 'll' in 'n' abierit, maleque diuisis uoculis ('inon omine') latius serpsit deprauatio ansamque ita dedit monachorum correcturis. nunc uero bene per asyndeton explicatiuum secuntur uu. 6 et 7, qui causam illam continent. 'uellem', ut ex. gr. Hor. sat. I 3, 41: parua se spe teneri significat imperfecti coniunctiuo poeta, fore ut aurem det his uerbis Caesar. 'Fuficio' (Scaligero 'Fuffitio' praeeunte) Hauptius dedit pro tradito 'Suffitio', quod nomen latinum plane ignotum est; nominis 'Fuficius' haud pauca habentur exempla; ueluti notus est C. Fuficius Fango (Pauly, encycl. real. III p. 527) et qui a Vitruuio VII praef. 14 commemoratur scriptor de architectura, occurrunt Fuficii etiam in titulis. ad nomen stabiliendum haec adferimus; nam quis fuerit noster Fuficius plane incertum est. sed quisquis erat, homo senex uideri uoluit iuuenili ardore pueros sectari, tamquam Aeson recoctus siue iterum iuuenescens (Plaut. Pseud. III 2, 79, Cic. d. sen. 23, 83, Val. Flacc. VI 444, Quint. VII 6, 7), plane ut illa apud Petron. fr. 21 B. *anus recocta uino trementibus labellis* (h. e. uinum dapsilius sumptum facit puellascere anum, quam produnt tamen trementia labella). Vulpius cp. etiam Anth. Pal. XI 256. — **6, 7. irascere iterum meis iambis inmerentibus, unice imperator.** (propterea istos delicatos tibi tuoque socio uellem displicere,) quod denuo tibi stigmata imposita fateberis iambis nouis in te derectis, quales iam ante in te et Mamurram uibraui sine mea omnino culpa, qui tua sim uiuendi ratione ad eos compulsus. scite autem poeta haec comminans per uerba 'illo nomine' et 'unice imperator' iamborum carminis illius famosissimi XXIX memoriam resuscitat Caesari. 'inmer.' (scil. iram tuam), cf. ad XLIV 8.

Postquam Parthenius et AStatius de interpretatione carminis desperantes complurium poematum miseras relliquias adesse adfirmauerunt, non defuerunt qui uariis locis lacunae signa ponerent (ueluti Lachm. post 3 et 5, LMuellerus post 1 et 3 et 5). contra inde a Scaligero multi extiterunt, qui unum indiuisumque carmen esse contenderent, quamquam

de interpretandis singulis inter se discrepantes. quorum sententiam nos illis per se ineptis 'si non omnia' apte apertaque ueritate emendatis ita nobis uidemur corroborasse, ut prudentibus quidem hominibus scrupulus superesse nequeat. totum enim carmen ut perlustremus, poeta breuissimis lineis adumbrat futuram illam quam minatur inuectiuam, paucis uerbis obiter indicans, qui homines ob quae uitia nouis iambis acerbissimis aptam possint praebere materiam, et simul ueterum iamborum sonum ingratissimum Caesaris auribus iterum suggerens: apparet quam uere supra dixerim, leni eademque acri adhortatione Caesarem ad mutandam uitae rationem impelli.

LV.

1. Oramus, si forte non molestum est. solita uitae cottidianae formula, ut Lucil. XXX 23 M. *sed tamen hoc dicas, quid rest, si noenu molestum est,* Ter. Ad. V 3, 20 *ausculta paucis, nisi molestum est,* CIL. IX 60 *si non molestum est, hospes, consiste et lege,* Mart. I 96, 1 et V 6, 1, alibi (cf. et Ouid. tr. III 1, 19 *si non graue*); eidemque modestiae inseruit 'oramus', cf. L 19. ineptissime et contra Catulli usum ex lectione in V tradita 'molestus es' Rossbachius elicuit 'molestu's', h. e. si non iracundus es. mirabuntur lectores huius uersus hendecasyllabi pedem secundum, qui alibi semper esse solet dactylus, contractum in spondeum. habet hanc contractionem (de qua cf. Lachm. ad Terentianum p. XV, LMuellerus d. r. m. p. 166, HWeilius in Iahnii ann. 85 p. 337) carmen nostrum hoc modo, ut alternis tantum uersibus (1, 3 cett.) eam admittat. beneque FHandius, qui peculiarem de hoc opusculo scripsit libellum [Ienae 1848], intellexit in strophas binorum uersuum siue disticha maiorem carminis partem esse diuisam; quam in rem potuit adferre Prudentii exemplum, qui in duobus carminibus [cath. 4 et perist. 6] binos hendecasyllabos in disticha copulauit. sed sat miro modo haec diuisio locum habet. in priore enim parte (1—13) uersus contractus praecedere solet, subsequitur phalaecius integer; contra in altera (15—22) ordine inuerso praecedit integer, subsequitur contractus. in uniuersum autem causam huius rei iam perspexit IVossius: 'studio C. in hoc passim epigrammate tam tardigrados captat numeros, ut suam exprimat lassitudinem'. accuratius sic est distinguendum, ut dicamus, uersum contractum lassitudinem, contra integrum indagationem amici indefessam tamen indicare. nam ut hic materiam carminis ob oculos ponam: Camerium (10, 18[b]) hominem nobis ignotum, postquam conuenire cupiens totam per Romam frustra quaesiuit, poeta hunc laborem quaerendi iocose describit amicum in fine rogans, ne amores suos, quibus detineatur, tacere uelit. bene autem Vulpius cum illa Catulli descriptione cp. Plaut. Amph. IV 1, 1 *Naucratem quem conuenire uolui, in naui non erat; neque domi neque in urbe inuenio quemquam qui illum uiderit. nam omnis plateas perreptaui, gymnasia et myropolia, aput emporium atque in macello, in palaestra atque in foro, in medicinis, in tonstrinis, aput omnis aedis sacras: sum*

defessus quaeritando, nusquam inuenio Naucratem (cf. et Plaut Epid. II 2, 13, Ter. Ad. IV 6, 1). ad huius descriptionis Catullianae artem ut redeamus, si uersus integer actionem quaerendi et contractus retardationem exprimit, propterea quod in altero strophae uersu maior uis est sita indeque eius indoles elucet, disticha prioris partis magis indagationem cum laboribus iunctam, contra posterioris partis strophae inritum quaerendi conamen depingunt. sed artem illam quominus plenam perciperemus, inuidus prohibuit casus, qui mediam partem suo artificio insignem ita ab hoc carmine reuolsit, ut in initio ac fine mutilatam in alienam traiceret locum. qua de re uidebimus ad u. 13[b]. — **2. demonstres, ubi sint tuae tenebrae.** loci, in quibus lates, tenebrosi. superflue Palladius uoluit ʻlatebrae': Sall. Iug. 14, 15 *clausi in tenebris,* Verg. Aen. II 92 *uitam in tenebris luctuque trahebam* (Sen. ad Marc. 22, Gell. VI 6), Prop. III 15, 17 *inmundis habitare tenebris,* Amm. Marc. XIX 5, 5 *per has tenebras ob dirupta neglectas.* opponuntur hae tenebrae luci (u. 16), ut apud Cic. p. Sest. 9. 20 a multis cp. *hominem emersum subito ex diuturnis tenebris lustrorum ac stuprorum . . qui ne lucem quidem insolitam aspicere posset.* — **3. te campo quaesiuimus minore.** recte ita Scaliger: ʻin minore' **V**, quod Silligius ʻin' ante ʻcampo' traiciens corrigere studuit, cum uideatur potius adesse glossa; Liu. XXI 8, 7 *patenti campo* (Kuehnerus gr. l. II p. 261). aliorum autem, Mureti et Statii, rationem a me inprudenti olim amplexatam ʻt. q. in m. c.' iam non est quod refutem. ad rem autem quod attinet, praemonendum est poetam potissima loca ab adulescentibus frequentata ita enumerare, ut certam quandam uiam teneat. primum igitur sese conuertit ad campum ʻminorem', quem apparet tacite opponi maiori, hoc est, campo Martio. iam Paulus Festi p. 131 haec praebet *Martialis campus in Caelio monte dicitur, quod in eo equiria solebant fieri, siquando aquae Tiberis campum Martium occupassent* (Ouid. fast. III 521 sq. idem tradit). haec sufficiunt. nam cum miremur, cur non nobilissimus ille campus Martius sit commemoratus, ubi iuuenes Romani ludere seque exercere solebant, inundatione Tiberis tum eum quippe flumini proximum detractum fuisse publico usui eiusque in locum cessisse minorem illum, quem non posse esse alium quam Martialem, ut olim Scaliger intellexit, recte Handius defendit contra Beckerum [antiqq. rom. I. p. 600]. postea autem complures erant Romae campi, unde Prop. II 23, 6 *campo quo mouet illa pedes?* situs est autem minor ille campus in regione secunda, unde non longe abest circus. — **4. te in circo, te in omnibus libellis.** circum nude nominantes intellexerunt ʻmaximum' (non Flaminium), in regione undecima positum, de quo cf. Beckerus l. l. I p. 467 sqq., Pauly encycl. real. II p. 377 sqq. contendit autem ad circum poeta, non quod ibi ludi haberentur (Ouid. a. a. I 96, 135, 163), sed quod ibi essent lupanaria: Priap. 26, 1 *magno notissima circo Quintia,* Iuuen. 3, 65 *ad circum iussas prostare puellas.* a circo pedem poeta profert per uicum Tuscum ad forum et Capitolium. in quo uico Tusco porroque in foro tabernae

librariorum sedem habebant; cf. Schmidius ad Hor. epist. I. 20, 1 et Cic. Phil. II 9, 21. iocose autem haec poeta coniungit 'et apud lupas et in librariis te quaesiui', morem Graecorum in eo secutus, quod 'libellos' uocat loca, in quibus libelli ueneunt, h. e. tabernas librariorum. IVossius cp. Pollucem IX 5, ubi τὰ βιβλία hae tabernae audiunt, et locos, quales sunt Aristoph. eq. 1375 ἐν τῷ μύρῳ pro. μυροπωλίῳ, uesp. 755 ἐν τοῖς ἰχθύσι similiaque; ex Latinis solus Mart. V 20, 8 *libelli, campus, porticus* nostrum secutus uidetur (nam Priap. 2, 2 huc non pertinet). conuenire autem solebant in his tabernis et nouorum librorum cognoscendorum causa et ad confabulandum homines litterati bellique; cf. Gell. V 4, 1, XIII 31, 1, XVIII 4, 1. 'te' ut monosyllabum ante breuem syllabam cum hiatu corripitur, ut XCVII 1 'di ament' Hor. sat. I 9, 38 'si me amas', Verg. Aen. VI 507 'te amice' (LMuellerus d. r. m. p. 307). — **5. te in templo summi Iouis sacrato.** Iouis Optimi Maximi Capitolini, de cuius templo cf. Prelleri myth. rom. p. 193. Ouid. fast. I 608 *summo cum Ioue* et saepius, Mart. IX 1, 5 *Tarpeia summi saxa dum patris stabunt.* 'sacrato', sancto, ut Tib. I 2, 86 *sacratis liminibus.* ceterum poeta hoc unum templum exempli gratia ponit: Plautus l. l. *apud omnis aedis sacras*; in quibus nimirum et ipsis femellae iuuenesque haud raro conuenire solebant. — **6. in Magni simul ambulatione.** in porticu Pompei, qui ex bello Africano a. 80 redux a Sulla accepit cognomen Magni eoque solo, postquam ipse eo uti consuerat post bellum Sertorianum, haud raro designabatur; cf. Pauly encycl. real. V p. 1849. hic theatrum in regione nona situm dedicauit aestate a. 55 (cf. Drumannus HR. IV p. 529 sqq., Schwabius q. C. p. 250). cui theatro adiuncta porticus uere erat 'ambulatio', ubi puellae conuenire solebant adulescentes (cf. Ouid. tr. II 285 *cum quaedam spatientur in hoc, ut amator eodem conueniat, quare porticus ulla patet?*); cf. Prop. II 32, 11 et IV 8, 75, etiam Cic. d. fat. 4, 8 et Ouid. a. a. I 67. 'simul' absolute positum interdum fere ualet 'etiam'; interpp. ad Curt. IX 1, 3 (diuersus est u. 18^{b}, ubi 'simul' ualet 'una'). nam quod propter hoc 'simul' uulgari significatione acceptum Lachmannus deleto puncto, quod post 5 ponit, hunc uersum cum sequenti coniungit ('simul prendi'): femellarum prehensio non solum usu uenit in porticu Pompei, sed omnibus, quae adiit C., locis; praeterea distichi finis flagitat maiorem interpunctionem. ceterum mirum foret, si poeta hic neglexisset additum in ceteris colis omnibus 'te': culpa librariorum hoc intercidisse putauerim ante 'in' post 'sacrato'. — **7. femellas omnes, amice, prendi.** praepositis 'femellis' (quam uocem casu solo extare hoc uno loco docet Isidorus X 107 feminarum leuium sectatorem uocans 'femellarium') cur maxime loca commemorata adierit, poeta significat, suspicans nimirum furtiuo amore teneri Camerium. 'prendi', manu iniecta properantes pedem sistere iussi, ut Ter. Andr. II 2, 16 *tuus pater modo me prehendit,* Heaut. III 1, 89, Phorm. IV 3, 15. — **8, 9. quas uultu uidi tamen serena a uelte sic ipse flagitabam.** pro 'serena' Itali aut 'sereno' aut 'serenas'

scripserunt. hoc uulgo accipientes explicant aut ‘eas tamen puellas, quae hilarem prae se ferrent uultum’ (quasi uero hae femellae in publico incedentes captantesque amatores alium quam laetum uultum gerere solerent) aut ‘quas a me prehensas uidi tamen uultu non conturbato nihil signi prodere’ (quasi non ‘serenus’ haberet oppositum ‘tristis’, quod minime ualet ‘non conturbatus’). ‘sereno uultu’, quocum cf. Aen. II 285 *serenos foedauit uultus* et Hor. od. I 37, 25, quam rectius se habeat (‘a’ et ‘o’ frequenter confusae, ut LIV 1 ‘apido’ pro ‘opido’), docet alterius rei contemplatio. ‘uidi’ enim regulae supra expositae, ex qua hic uersus est unus ex integris, solum in parte priore repugnat. unde olim Itali ‘uideo’ reposuere, adprobantibus doctis haud paucis, qui hoc tamen neglexerunt, posse quidem praesens tempus significatione perfecti uti (Kuehnerus gr. l. II p. 88), sed uix sequente imperfecto ‘flagitabam’ illud habere locum. deinde ut ‘uideo serenas’ ineptum esse modo optinui, ita nec ‘uideo uultu sereno’ ad poetam relatum latine dicitur, siquidem ‘uidere’ non ualet ‘aspicere’ siue ‘uisere’. denique mutatio illa inludit coniectandi arti. mihi nihil aliud in ‘uidi’ latere est uisum quam ‘uicli’ (millies ‘d’ et ‘cl’ confusae), quod scriba neglegentius exarauit pro ‘uigili’ (cf. ‘peruiclare’ et ‘peruigilare’). Aen. IV 182 *uigiles oculi,* Ouid. f. I 456 *uigili ore* (Neuius d. f. l. II p. 18); cf. et Gell. XI 7, 4 *requirente uultu.* iam igitur haec ad poetam referuntur, qui uultu attento quidem (scil. ut siqua ore appareret confuso rubroque, inde indicium caperet) puellas interrogauit, sed eodem tamen sereno, ne sibi seuero nimis inmitique de industria illae iratae negarent. nam et ‘quidem’ haud raro (ex. gr. Ter. Andr. prol. 11) omitti et ‘tamen’ praeponi notum est. hinc fundamentum est iactum emendandis litteris ‘auelte’. mitto explicandi conamina: quis LMuellero fidem habebit ‘a uel te’ sic scribenti, ut ‘a te’ cohaerens discindatur illo ‘uel’, quod incredibiliter plane ad pessimas puellas spectet [anal. Cat. p. 46]? nec proficiunt coniecturae plurimae. ueluti ineptum est quod uario modo inferre studebant auellendi uerbum; porro uulgatum ‘ah uel te’ (‘uel’ est qui explicet ‘ueluti’ siue ‘exempli gratia’!), Scaligeri ‘has uel te’, Froehlichii ‘has ut te’, Handii ‘at uel te’ non minoribus scatent offensionibus; constructioni autem repugnat IPohlii [lect. p. 47] ‘a queis te’, Heysii ‘Aulum te’, Schwabii ‘auens te’. quamquam hoc is, quem postremo loco nominaui, recte perspexit, latere participium praesentis; quod instructum esse debere significatione aspiciendi, post ea quae de uersu priore disputaui elucet. olim dedi ‘uisens te’, postea intellexi sic esse redintegrandum locum ‘quas uultu uigili, tamen sereno, lustrans te sic ipse flagitabam’. exaratum nempe erat *l’τ*$^{\tilde{a}}$*s te sic*, ut saepe in mediis quoque uocibus ‘us’ per uirgulam indicatur et ‘tra’ syllaba sic ut significaui abbreuiatur. sed *ã* illud supra lineam natans cum in loco obscuriore ante *l’* scriptum esset, iam hanc litterulam *l’* pro noto compendio uoculae ‘uel’ accepere neglexeruntque elementa nunc sensu cassa *ts.* ‘quas’ pariter ad ‘lustrans’ (Aen. VIII 152 *os . . loquentis . . lustrabat*

lumine) quam ad 'flagitabam' spectat, quod cum duplici accusatiuo construi pueri sciunt. restat 'ipse', quod sane alienum potest uideri (unde profluxerunt coniecturae 'inde' et 'usque'), quod tamen ex illo 'omnes femellas' non male explicatur: 'uel ab eis, quas alioquin non soleo adloqui, ipse te reflagitaui', nimirum non per pedisequum (uertas 'direct', cf. Naegelsbachii stil. lat. p. 292[7]). — **10. Camerium mihi, pessimae puellae.** scil. reddite; de qua ellipsi cf. ad XXXVIII 6 laudata. 'Camerjum' per i consonam pronuntia: Lachm. ad Lucr. p. 130 et 193, LMuellerus d. r. m. p. 257. Plaut. Truc. II 2, 56 *pessumae* de scortis; hic dictionem non nimis seuere accipiendam potius aequare 'callidissimae iuuenum corruptrices' (nos 'Teufelsmaedchen'), iam monui ad X 33 et XXXVI 9. — **11, 12. quaedam inquit nudum reduc em hic in roseis latet papillis.** grauiter urguent premuntque interpretem in hoc carmine cruces criticae. nam post 'reduc' cum in fine lacunosus sit u. 11, uulgo optinuit quod Auantius reposuit 'nudum sinum reducens': habemus sic puellam iocose pectus nudantem, in quod digitum intendens uerba sequentia loquatur (ad locutionem stabiliendam quod adferunt Claud. in Eutr. I 86, alienum est). uerum enim uero 'sinus' ubique ita est 'pectus', ut translatae significationis a ueste sinuosa sumptae remaneat uestigium: facile apparet, cur 'sinus nudus' nusquam reperiatur. quod euertit non solum Riesii coniecturam 'nudum sinum recludens', sed etiam meam ipsius 'uelum sinu reducens', siquidem uelum tegit pectus, non sinum pectus uelantem. melius quidem ab hac parte uoluit Froehlichius 'tunicae sinum reducens', nisi quod deleuit uersum contractum. ducem autem certissimam hic quoque se praebet firmiter adserta critices regula, qua iubemur ibi adhibere remedium, ubi adest uitium: finis uersus est lacunosus: finem hunc ita expleamus, ut cetera a mutationibus maneant intacta. et hic duplex uia patet. aut enim insistens Auantii rationi potes conicere quod protulit Ellisius 'nudum reducta pectus' aut (si illud recte auersaris, cum Catullo non loqui liceat ut Vergilio Aen. VI 481 *tunsae pectora palmis*, h. e. cum 'reducta' pro 'reductum habens' a nostri more abhorreat) potius Schwabio adstipulabimur, qui Handii bonam suspicionem 'tu nudulum reduce' artis respectu habito premens proposuit 'nudum reduc puellum', haec uerba nimirum ipsi tribuens meretriculae. huic accedens nunc ante 'emhicin' interlapsum esse puto 'amicum'. dicit igitur femella illud 'pessimae puellae' respiciens 'nudum reduc amicum', mala usa ambiguitate et spoliatum a malis puellis Camerium fingens et reiecta tunica libidini seruientem. Cic. ad fam. IX 22, 1 *ita me destituit nudam* hanc ambiguitatem tetigit. 'reduc', scil. ad domum eius; similiter Naeuius com. 110 R. *eum suus pater cum pallio uno domum* (om. codd.) *ab amica abduxit.* neque uero necessaria est pectoris nudati mentio, quippe quod in meretriculis aut fuerit semiapertum aut tenuissimo pellucidoque amictu tectum. deinde retinemus quod **O** praebet 'em' (**G** solita cum confusione 'hem'); hoc enim 'em' a priscis scriptoribus et in sermone familiari eodem modo adhiberi quo 'en',

quod in cultiore loquella tum increbescere coepit (cf. ad LXI 149), usu nempe δεικτικῷ (ad quem etiam 'hic' refer), post ORibbeckii dissertationem ad X 27 laudatam sat constat: *em hic* . ., *em illic* . ., *em istic* . . similiaque (sine synaloephe) comicis est usitatissima formula, qua ipse adhuc Cic. ad Fam. XV 1 *em hic ille est* dixit: nullam causam esse, cur eam a Catullo in hoc quidem carmine abiudicemus, recte statuit Ribbeckius [l. l. p. 35]. LXI 100 *a tuis teneris uolet secubare papillis*; Hor. od. I 13, 2 *ceruicem roseam,* Stat. Theb. IX 703 *roseae malae* similiaque. in uoce 'latet' uis; femellam sic quasi certo sciat, Camerium rem cum meretricula nota habere, haec pronuntiantem facit poeta. — **13. sed te iam ferre Herculei labos est.** per 'sed' ad propositum reditur. 'iam', post ea quae femella aperuit, unde te apud amasiam latere scio. notum illud *Herculis perpeti aerumnas (labores),* de quo cf. Cic. de fin. II 35, 118, ita inflexit C.: 'te tuamque reticentiam sufferre patique, hic uero est unus ex duodecim Herculis laboribus'. ponitur autem 'Herculei' (prisce pro 'Herculi'), ut 'Pericli' pro 'Periclis', porro 'Ulixi' similiaque: Neuius d. f. l. I p. 332 (non recte Lachm. ad. Lucr. p. 246 pro datiuo habet). itidem 'labos' prisce pro 'labor', ut 'honos': ibid. I p. 168. — post u. 13 Lachmannus traiecit fragmentum decem uersuum, quod in V extat post c. LVIII. quos uersus per se sensu conexuque omni carentes anteriores editores in fine nostri poematis adtexuerant. et pertinere eos ad hoc carmen certum est. nam et hoc credi nequit (quod Silligius sibi persuasit), Catullum altero carmine eandem rem eodem artificio usum cecinisse, et inepta est Riesii opinio uersus illos a Catullo omnino abiudicantis. neque uideo, quo cum commodo Froehlichius Schwabiusque potius eosdem inseruerint post u. 14, qui uersus melius multo rectiusque sequitur fragmenti finem. Lachmanno autem obtemperantes si fragmentum inter 13 et 14 inserimus, hoc, etsi optime iam excipitur a u. 14—22, nihilo setius tamen in initio non bene coit cum u. 13. quod non solum ex sententiae hiatu apparet, sed inde quoque quod et u. 13 et 13ª (nam 13ª – 22ª significaui fragmenti uersus) est contractus, cum hoc tamen negandum sit omnino, posse duos uersus, quorum non integer est status, sese excipere (quod et Froehlichii Schwabiique rationem adlatam euertit). nam quod ceteri huius fragmenti uersus non plane quadrant in regulam supra expositam, mox defendemus; hic id solum negamus, posse admitti ut duo uersus contracti sese excipiant. sed, ut dixi, sententiae defectus ipse ostendit, librarium cum hoc fragmentum in suo conexu omissum adiceret in fine quaternionis, in initio unum uersiculum omisisse. quem si talem fere fuisse statuimus 'nam nullus reperire te ipse possim', quo modo subiciantur sequentia melius intellegemus. ad quae iam AStatius et PVictorius cp. Alexidis uerba [Com. gr. fr. Mein. III p. 470] *ἐμοὶ παρασιτεῖν κρεῖττον ἦν τῷ Πηγάσῳ ἢ τοῖς Βορεάδαις ἢ εἴ τι θᾶττον ἔτι τρέχει ἢ Δημέᾳ Λάχητος Ἐτεοβουτάδῃ. πέτεται γάρ, οὐκ οἷον βαδίζει τὰς ὁδούς.* nostrum autem respexit fortasse Prop. II 30, 3 *non si Pegaseo uecteris in aere dorso nec tibi si Persei mouerit ala pedes, uel si te sectae*

rapiant talaribus aurae, nil tibi Mercurii proderit alta uia (quamquam imitatio minime certa est). — **13ª. non custos si fingar ille Cretum.** si deus aliquis me faciat (Ouid. met. XIV 685 *formasque apte fingetur in omnes*) Talum illum cursorem Cretensem, quem fabulae ferunt gigantem fuisse toto corpore aheneum, qui ab Hephaesto Minoi dono datus Cretam insulam ter unoquoque die circuierit (cf. Priap. 17, 1 *circitor moleste, ad me quid prohibes uenire furem?*), custodiens nimirum a peregrinis et aduenis: Orph. Argon. 1348, Apoll. Rhod. IV 1638 sqq., Apollod. I 9, 26, Plat. Min. 15 (schol. Plat. p. 926). 'custos', in cuius tutela fuerit illo modo Creta; cf. Cic. d. n. d. III 23, 57 (Apollinem) *custodem Athenarum.* — **14ª. non si Pegaseo ferar uolatu.** Pegasi, equi alati (de quo cf. Prellerus myth. Gr. p. 79 sqq., Cic. p. Quint. 25, 80), instar uolantem poeta fingit se ire per auras celeri cursu; Claud. in Eutr. II 169 *tot montes uno contenta uolatu transilit.* LXII 20, LXIII 58. — **15ª. non Ladas ego pinnipesue Perseus.** Ladas celeber erat *δολιχοδρόμος*, cuius statua Corinthi extabat; Paus. II 19, 7 *Λάδας ποδῶν ὠκύτητι ὑπερβαλλόμενος τοὺς ἐφ' αὑτοῦ.* saepius eum ut celeritatis adferebant exemplum, ut auct. ad Her. IV 3, 4, Mart. X 100, 5, Iuuen. 13, 97 (ubi Weidnerus cp. Iacobsii comm. Anth. XII 58). de Persei Medusam interfecturi talaribus alatis a Mercurio datis cf. Prellerus l. l. p. 67 (66); saepius hunc quoque commemorant, ut Val. Flacc. I 67, ubi Iason scrutans qua arte Colchos posset quaerere *nunc aerii plantaria uellet Perseos aut currus et quos frenasse dracones creditur* scilicet Triptolemus, quae ducta sunt ex Ouid. am. III 6, 13. adiectiuum 'pinnipes' solus habet noster. difficultas iterum adest critica ob absentiam uerbi et coniunctionis. aegerrime enim aut subintellegimus 'si ferar' aut absolute haec accipimus ('non sum ego L. p. P.'). quid multa? uere Scaliger 'si' ante 'ego' inseruit; sine difficultate iam 'ferar', cuius uice 'ego' fungitur, mente supplemus. nam quod nunc poeta deserit institutum prius neque persistit in uersibus contractis: enumeratio fabulosorum cursorum poetam et ipsum celerem alatumque reddit. seruata autem in eis qui secuntur uersibus huius metri indole genuina mox, ubi ad labores suos describendos redit (inde a u. 21ª), reuertitur ad rationem priorem, ut tamen per artificium supra enarratum iam praecedant uersus integri, subiciantur contracti. — **16ª. non Rhesi niueae citaeque bigae.** haec quoque nullo modo accedere prioribus (nam cum 'si ferar' ultro excludatur, uelle liberius supplere 'si mihi sint' et putare poetam feruore suo abreptum, haec uero sunt artificia hodie explosa) in aperto est non minus quam hoc, parum nos proficere Mureti coniectura 'non R. niueis citisque bigis' (quae utique praeferenda est Handianae 'niuea citaque biga'). nam molestissimum est arcessere 'si ferar'. ferri enim poeta se fingit mutatum in eos quos enumerauit: in bigas quomodo potest omnino mutatum se fingere? uersa nimirum ratione nunc profert C. uehiculum, cuius ope in quaerendo amico possit uti. librarii autem repetitis illis 'non' inhaerentes, ut saepissime similiter errauerunt, hic quoque illud reposuerunt male et cum ceterorum uerborum inmutatione loco uoculae,

quam sequens 'adde' tam manifesto indicat, ut dubitatio superesse nequeat hominibus cordatis. dedit poeta: 'da (= praebe mihi) R. niueas citasque bigas'. Thraciae rex Rhesus, Hecubae frater et a Diomede occisus, notus est ex Hom. Il. X 433 sqq.; de eius equis fatalibus ab Ulixe abductis cf. Hom. l. l. 437 *τοῦ δὴ καλλίστους ἵππους ἴδον ἠδὲ μεγίστους. λευκότεροι χίονος, θείειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι* (Aen. XII 84 *qui candore niues anteirent, cursibus auras*), Eurip. Rhes. 301 sqq. — **17ª. adde huc plumipedas uolatilesque.** 'huc' ad Rhesi bigas dandas tantummodo spectare potest. et est hoc indicium ingens, poetam non de Mercurio alato et Daedalo et Zete Calaique cogitare, ut uulgo putant (illi in priore potius serie erant adferendi); refero ego ad columbas Veneris, pauones Iunonis, dracones Cereris currum trahentes similesque alites, quas insuper suis bigis iungi nunc optat poeta. nam artius cohaerent plumipedae et uolatiles, h. e. quae ex plumis pedum uolare possunt; Colum. VIII 4, 3 *pecus uolatile*, Cic. d. n. d. II 60, 151 *bestiae uolatiles.* 'plumipeda' (*ἅπ. λεγ.*) deriua a 'peda' substantiuo, quod Paulus Festi p. 211 explicat *uestigium humanum* quodque latius patens alteram illius 'pes' formam fuisse apparet; cf. 'bipeda' et 'decempeda', porro 'centipeda' (qui uermiculus etiam 'multipeda' et 'millepeda' audit), denique 'remipeda' (Varr. sat. Men. 489 B.) et 'scrupipeda' (Iuuent. com. 5 R.). substantiui autem uim hic habet uox noue ficta, ut LXIII 41 'sonipedibus'. — **18ª. uentorumque simul require cursum.** postula una cum his celeritatem uentorum. sed a quonam postulare hanc iubetur Camerius? statim ad haec respondere conabimur. — **19ª. quos uinctos, Cameri, mihi dicares.** 'uinctos' fuisse uidetur in V (ita G m. 1, O 'uictos' leni errore: 'iunctos' G m. 2, fluctuant inter utrumque codd. deteriores). hoc si ad notam fabulam Homeri [Od. X 17 sqq.], apud quem Aeolus dat Ulixi uentos in utre uinctos ad regendam nauigationem, referimus auctore Benoistio, apte quidem in his quoque habemus recordationem fabularum, sed quomodo haec constructio 'uentos require, quos uinctos mihi dicares' stare possit minime perspicimus. ut hoc addam, 'dicare' fere ualet hic 'donare' siue 'dare', ut Verg. I 73 *propriamque dicabo.* sed praeter constructionis foeditatem hoc quoque nos latet, quomodo uocatiuus 'Cameri' in uno aliquo colo locum habeat. quem cum probe intellexerint tantum in initio enuntiati (hic priora comprehendentis) legitimum esse, uulgo sic interpretantur, ut ab his uerbis incipere putent apodosin per formam enuntiati condicionalis expressam 'da mihi Rhesi nobiles bigas, adiunge his alites omnes, fac ut uenti simul flent: haec omnia si mihi copulata parares daresque, tamen te horum ope commodissime celerrimeque quaerens tandem desisterem defatigatus'. legunt autem qui ita explicant 'iunctos' aut, cum hoc difficillimum sit explicatu, auctore Schradero 'cunctos'. sed in illa interpretatione male se habet 'quos' ad omnia priora relatum (necessario requiritur 'quae'); et num 'si' hic quidem omitti possit perdubium est; denique uersus prioris sensus obscurus manet. has difficultates si accu-

rate perpenderis uiderisque ab una parte 'quos uinctos' continere continuationem eorum quae de uentis dicuntur ualde optatam, ab altera parte 'Cameri' uocem non minus necessario in nouo enuntiato ponendam pertinere ad initium apodoseos, iam hoc delibera, num uere equidem possim mihi gratulari restitutam poetae manum hance: 'uentorumque simul require cursum, quos uinctos ⟨mihi tradat Aeolus rex: haec si, inquam,⟩ Cameri, mihi dicares' eqs. nam sic etiam explicatur, cur tempora (13ª sqq.) iam mutentur. — **20ª. defessus t. omnibus medullis.** Plaut. Stich. II 2, 16 *at ego perii, cui medullam lassitudo perbibit.* 'omnibus' fortius adeo est quam solitum 'imis': in toto corpore nihil omnino intactum mansit a defatigatione. — **21ª. et multis langoribus peresus.** non solum pluralis omnium membrorum defatigationem depingit ('multis', magnis, uehementibus), sed ad hanc picturam augendam etiam facit reditus poetae ad uersus contractos. 'peresus', confectus, cum magna hyberbole, respectu medullarum, ut LXVI 23 *exedit cura medullas* (interpp. ad Verg. Aen. VI 422); paulo aliter Seren. Samm. 62 *tali languore peresus.* — **22ª. essem te mihi, amice, quaeritando.** Plautus l. l. *sum defessus quaeritando* (priscorum maxime proprium est intensiuom); Ter. Eun. V 6, 7 *defessa ridendo,* Pacuu. 315 R. *defessus perrogitando.* 'essem', scil. futurus. 'mihi' παρέλκει eleganter, ut LXIII 56 'sibi'. causa, cur uulgatam lectionem 'mi' (breuiatum hoc cum hiatu, ut u. 4 'te') sequamur, nulla adest. — **14. tanto te in fastu negas, amice?** 'in' explicationem non habet. recte quidem Plaut. Bacch. IV 9, 91 *in stultitia si deliqui,* h. e. dum stultus eram. hic sensus est: estne tibi fastus tantus, ut te neges? Muretus 'ten' uoluit, quod uulgo receperunt. sed accedit 'ne' ad uocem elatam, quae minime est 'te' (cf. XLIII 6), sed 'tanto'. rectius erit hoce 'tanto te en fastu'. quod accipe pro interrogatiuo illo 'en' ('e-ne', an, num forte), de quo cf. ORibbeckius de part. lat. p. 34. 'fastus' est superba reticentia, qua amico concredere amores suos recusat Camerius instar puellae fastiodiosae (Handius cp. Burm. ad Prop. III 11, 10); ad qualem etiam spectat locutio 'se negare', h. e. copiam sui non facere ut Ter. Phorm. I 2, 63 (ubi non recte de ellipsi cogitant) et Hec. I 2, 45. 'amice' grauiter repetitum est a blandienti nimirum poeta, qui sciendi cupiditate ardet; quamquam fortasse praestat 'amico'. — **15. dic nobis, ubi sis futurus.** ubi te reperire (conuenire) possim; Cic. ad Att. XIV 7, 1 *Brutum nostrum audio uisum sub Lanuuio: ubi tandem est futurus?* cf. VI 16. — **ede audacter.** mecum communica libere, ut ex. gr. Hor. sat. II 4, 10 *ede hominis nomen*; Cic. p. Rosc. A. 11, 31 *omnia non modo dicere, uerum etiam libenter, audacter libereque dicere,* Caes. b. g. I 18, 2 *dicit liberius atque audacius.* de 'audacter' Quint. I 6, 17. — **16. committe crede lucei.** tertium instat C. grauius urgentiusque, apte per asyndeton (ad XLVI 11) cumulans uocabula, quae alii per copulam iungunt, ut Ter. Heaut. V 2, 13 *ei commisi et credidi* (cf. et Prop. I 10, 11 sq.). 'lucei' siue 'luci', scil. publicae h. e. notitiae meae, dictum est respectu occultarum tenebrarum, in quibus uersatur Camerius (2); Cic. Acad. II 19, 62 *cum res occultissimas*

aperueris in lucemque protuleris. — **17. nunc te lacteolae tenent puellae?** uulgo scribunt 'num' plane absurde. nam narratio illa femellae u. 11 prolata siue uera erat siue potius ficta, de re ipsa, Camerium nescio quid scorti sectari, non dubitat uel certe se non dubitare fingit poeta; unde hoc 'num (forte) amas?' eius consilio prorsus repugnat. reliqui igitur in editione 'nunc' traditum, non quia uerum putaui (frustra enim quaesiueris, cur et praesentiae notio urgeatur et hoc per interrogationem fiat), sed quia tum quod reponerem non habui. confessionem autem, quam ab amico flagitat C., ipse paene elicit hoc modo cum magna inpatientia ex eo quaerens: 'non te l. t. p.?', h. e. nonne uerum est quod dixit illa? cf. ad XXIV 7; nō et 'n̄c' frequenter commixta inter se. puellae, hic generaliter nominatae, a candore cutis audiunt 'lacteolae', ut Apul. met. III 14 *interibit ipse quam tuam plumeam lacteamque contingat cutem* (cf. ad LXIV 65); Handius cp. et Mart. III 58, 22. Seneca epigr. 4, 6 [PLM. IV p. 57] *lacteolasque animas* (agnas) *lacteus umor alit*, ut casui sit tribuendum, quod uox illa praeterea nunc non extat nisi apud Prudentium Ausoniumque; nec uero necessaria est Perrei coniectura 'papillae' pro 'puellae' restituentis secundum u. 12. 'tenent', deuinctum, ut XI 18. — **18. si linguam clauso tenes in ore.** tamquam de responsione amici certus statim adhortationem subiungit, in imagine puellae fastidiosae (u. 14) persistens. nam cum suffecerit 'linguam tenes' (= taces), illud 'clauso in ore' per se sat otiosum (cf. *κλείειν στόμα*; aliter Ouid. a. a. II 92) propterea additur, quod *παρθένος κατάκλειστος*, in thalamo retenta, poetae obuersatur animo. 'tenes' post 'tenent' u. 17, etsi significatio est diuersa, neglegentiori poetae excidit; cf. V 13 et XXXVII 5. — **19. fructus proicies amoris omnes.** fructus amoris uulgo sunt gaudia uenerea, ut Attius 70 R. *postremo amplexa fructum, quem di dant, cape*, Prop. III 20, 30 *fructu semper amoris egens* (Lachm. ad Prop. p. 100); hic paulo aliter 'fructus' dicuntur commoda iocunditatesque ex his gaudiis profluentes, nimirum quae communicando haec cum amicis percipiuntur; iam AStatius cp. Lucr. IV 1073 *nec Veneris fructu caret is qui uitat amorem.* 'proicere', ut rem uilem abicere, LXIV 82. 'omnes', praecipuos. — **20. uerbosa gaudet Venus loquella.** eadem sententia quam VI 3, ubi uide. adnotant docti, plane ab ea diuersa inueniri alibi, uelut Muretus laudat Tib. I 2, 36 *celari uult sua furta Venus* et Tib. epigr. 1, 8 [p. 84 ed. m.] *qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu.* nimirum amantes silere se melius bene perspexerunt, etsi ipsi uino laetitiaue superati interdum neglexere; amici curiosi (et unus ex curiosissimis erat bonus Catullus) ex sua parte contrarium adserunt pro loco et tempore, ut et Prop. I 9, 33. 'gaudet', amat, ut ex. gr. Hor. sat. II 5, 32. 'uerbosa', silendi impotente; cf. XCVIII 2; glossae *uerbosa: inuerecunda.* — **21. uel, si uis, licet obseres palatum.** 'licet', per me licet: aut, si tu uis tacere (in silentio persistis), non impedio, quominus os tuum claudas. palatum etiam ut loquentis linguae sedes commemoratur, uelut in epist. Sapph. 111 *et lacrimae derant oculis et*

lingua palato (= loqui nequii), Hor. sat. II 3, 274 (hinc Pers. 1, 35). Hor. epod. 17, 53 *obseratis auribus.* — **22. dum uestri sis particeps amoris.** haec libri V scriptura propterea est reiectanea, quod nec 'uestri' ualet simpliciter 'tui' nec 'particeps' idem est ac 'potens' (modo sis in amore tuo potens siue felix). quod G pro uaria lectione habet fluxitque in libros deteriores 'nostri', AStatius ita explicat: 'ut tua tu nos celes gaudia, nos te tamen nostrorum nobis amorum conscium esse uolumus.' Iustin. I 4, 6 *Harpago regis arcanorum participi* (= conscio). nec tamen hac lectione difficultates omnes remouentur, siue Catullum uere promittere et de Iuuentii amore certiorem facturum esse amicum siue potius promisso doloso hunc noui nuntii cupidum curiosumque ex tenebris suis elicere uelle statuimus: remanet nescioquo pacto aliquid, quod a carmine uniuerso abhorrere uidetur. et male se habet lectio uulgaris a Scaligero inuecta 'uestri sim' (Auantius ante 'uestri sim ego'); nam hoc 'taceas, si uis, modo conscius sim' absonum esse patet, patet iustam oppositionem requirere hoc 'taceas, si uis, aliis, modo ego sim conscius'. nec intellego Rossbergii illud 'ueri', cum 'uerus amor' dici soleat castus sanctusque (XI 19), qualem apud scorta (cum quibus una esse suspicatus erat amicum C.) uix repperit Camerius. potest subesse 'fausti' uel 'dextri': caro amico quamuis taciturno omnia fausta optat poeta.

Ex mentione porticus Pompeiae, quam ut rem nouam diserte commemorat poeta, manifestum fit, aestate fere anni 55 hos uersus iocosos esse compositos.

LVI.

1. O rem ridiculam, Cato, et iocosam. dubitari nequit, quin hoc poemation sit missum ad Valerium Catonem grammaticum, de quo supra p. 8 sqq. dixi, ut interpretes plerique omnes statuerunt. neque ullo modo est credibile, ad M. Porcium Catonem Uticensem hos uersus spectare (ut, quidquid monuit iam Muretus, nuperrime sibi persuasit Ellisius), quippe a cuius seueritate rigida, quae fere in prouerbium abiit (cf. Rittershusius ad Phaedr. IV 7, 21 *lector Cato*, Plin. epist. III 21 *tunc me uel rigidi legant Catones*), abhorreat prorsus huius carminis materia sane ridicula et iocosa, sed quae austero uirtutis exactori bilem mouerit non mediocriter. — **2. dignamque auribus et tuo cachinno.** 'tuo' ad utrumque substantiuum pertinet, ut Aen. I 553 *sociis et rege recepto.* Cic. ad fam. VI 7, 3 *tot malis tum uinctum, tum fractum studium scribendi quid dignum auribus aut probabile potest afferre?* Prud. c. Symm. II. 402 *quae quis non uideat sapientum digna cachinno?* ceterum Westphalius non nimis probabiliter statuit, in hoc initio obuersatum esse Catullo locum Archilochi [fr. 79 B.] *Ἐρασμονίδη Χαρίλαε, χρῆμά τοι γελοῖον ἐρέω, πολὺ φίλταθ' ἑταίρων, τέρψεαι δ' ἀκούων.* — **3. ride, quicquid amas, Cato, Catullum.** uitae cottidianae erat formula, qua preces commendare solebant, Ter. Heaut. IV 5, 1 *caue, si me amas,* Cic. ad Q. fr. II 10, 4 *adduc, si me amas, Marium* et ad Att. V 17, 5

si quidquam me amas, hunc locum muni; hanc leniter mutatam lepide adhibet noster. ʻquidquid' interdum aduerbii uice fungens adaequat ʻquantum' uel ʻutcumque', uelut Gell. XII 1, 23 *quicquid ita educati liberi amare patrem atque matrem uidentur*: quantum amat Cato amicum, tantum iubetur ridere eum (ʻCatullum' commune obiectum; cf. LIII 1), hoc est, risum ridere maximum, *ἄσβεστον γέλωτα*, ut bene explicat AStatius; qui addit ʻet leporis nonnihil est in uerborum *παρωνυμία* Cato Catullum'; cuius similis est illa u. 5 *pupulum puellae,* XCIV 2 *olera olla.* — **4. res est ridicula et nimis iocosa.** cum graui adfirmatione (ut VIII 8) repetit C. uerba u. 1 per asyndeton explicatiuum. Plaut. As. prol. 14 *ridicula res est, date benigne operam mihi.* ʻnimis', ualde; cf. ad LXIV 22. — **5. deprendi modo pupulum puellae trusantem.** ʻdeprehendi' uox est propria, siquis (ut in alio facinore ita) in medio adulterio capitur siue in furtiuo Veneris opere subito interrumpitur: Hor. sat. I 4, 114 *deprensi non bella est fama Treboni,* Ouid. met. III 6 *quis enim deprendere possit furta Iouis?* ʻpupulus' est paruus puer; Varro sat. Men. 546 B. *ac mammam lactis sugentem pascere pupum,* deminutiuo praeterea Sen. epist. 12, 3 *pupulus etiam delicium meum factus est* de sene uieto contemptim utitur. non defuerunt, qui nugas uenderent cogitantes de Lesbia tamquam puella hic commemorata. quasi hanc in furto cum riuali aliquo deprehendere res ridicula et iocosa uisa fuisset Catullo! quibus ineptiis conueniebat, quod sub pupulo agnoscere sibi uidebantur P. Clodium. hic enim cum pusio cubabat cum sorore maiore (Cic. p. Cael. 15, 36), Catullus ipse pupulus erat. mittamus haec; nam uel ipsa *παρωνυμία* indicat puellam pupulo isti coaeuam. uocem alibi non lectam ʻtrusare' uolunt esse aut ʻfortiter trudere' aut ʻtrudere conari', obscene accipientes instar graeci *ὠστίζεσθαι* (ut Arist. Lys. 330); unde ex. gr. Muretus: ʻsiculam suam in puellae uaginam intrudere molientem'. sed neque hoc intrudendi uerbum omnino extitit in sermone latino neque uero ʻtrudere' umquam sensum habet obscenum (quae res summi est momenti) neque denique qua ratione hoc uerbum possit regere datiuum ullo modo apparet. ipsum autem ʻtrusare' adfuisse in lingua latina, ex sola mola trusatili redditur probabile; nam apud Phaedr. II 7, 8 ʻtrusitare' inprobabilis est coniectura. altera eaque non minor difficultas posita est in re. subesse aliquid obsceni, propter poenam a Catullo mox sumptam res est certa. sed puerulum illum futuisse siue futuere uoluisse puellam, propterea non credo quod haec res minime tam ridicula et iocosa est. talia ut hodie, ita antiquo tempore accidebant; et uix opus est comparare historiolam notam Petronii [25]. si poeta in his rebus plane rudis, ubi uixdum e prouincia Romam aduenit, tale aliquid audisset, fortasse miratus esset; sed nec tum, puto, tot uerbis celebrasset rem eam, quae, si non dolore iraque philosophi, tamen nec risu digna erat, certe apud homines liberaliter educatos nec plane deprauatos efferatosque. post magnificum illud exordium cum quaeramus, quidnam tanto dignum ferat hic promissor hiatu, spe decepti miramur Catullum

plane sui dissimilem, inlepidum inuenustumque. tam a uerbis igitur quam a re suspectus dubiusque locus. hinc digniora Catullo circumspiciens mea sponte perueni ad loci emendationem, quam postea ex parte uidi praeceptam. nam in editione principe iam legitur, quod Dousa pater et IVossius commendabant recipiendum, 'crissantem'. ego conieci 'crusantem'. nam 'crusare' est forma uetustior (LMuellerus comm. Lucil. p. 229) uerbi 'crisare', quod male uulgo scribunt 'crissare' (Lachm. ad Lucr. p. 276). hoc 'crusare' uel 'crisare', quod adhibetur de feminis inter concubitum nates uibrantibus ('ceuere' de uiris), construitur cum datiuo: Priap. 19, 4 *crisabit tibi fluctuante lumbo.* superuenit igitur poeta huic rei sane iocosae ridiculaeque. luserant paruoli illi (ut mihi uidetur) maritum et feminam, sed ut rerum coniugalium nondum ad amussim essent periti: puerulus tamquam mulier supra se positam habuit puellam ut uirum eique crisauit. inuersas igitur a paruolis semignaris maris feminaeque partes inridet noster et hanc sumit poenam (certe sumpsisse se uenuste lepideque iactat), ut puerulum pro femina se gerentem tamquam feminam faciat muliebria pati: — **6, 7. hunc ego, si placet Dionae, protelo rigida mea cecidi.** intellegimus nunc, cur Dione commemoretur; quae Westphalio tam parum in hunc locum uidebatur quadrare, ut 'Dianae' coniceret, adludi ad Catonis carmen notum ratus. nec tamen matrem Veneris (ut nuper est uisum secundum Hom. Il. V 370), sed ipsam diuam Cypriam saepissime Diones nomine uocitatam intellegamus. subest autem recordatio quaedam formulae 'si dis placet'; quam non solum εἰρωνικῶς adhibebant ad contemptum indignationemue exprimendam in re mala (ut ex. gr. Ter. Ad. III 4, 30, Eun. V 3, 10); immo ea interdum in bona re ualet fere 'dis bene iuuantibus', ut Plaut. Capt. II 3, 94 *expediui ex seruitute filium, si dis placet* (aliter in re futura Priap. 50, 1). nimirum placebat haec poena Veneri, quippe cum poeta ulcisceretur uiolatam rem uenereum. adnuente igitur Venere Catullus puerulum caedit, non (ut pater praeceptorue iratus facit) lenta uirga, sed ea parte corporis sui, qua uir est. 'rigidus', ut 'tentus', de mentula erecta adhibetur; sic ipse Priapus audit Priap. 45, 1 *rigidus deus,* diciturque pars illa tenta simpliciter 'rigida', ut Mart, IX 47, 6 *in molli rigidam clune libenter habes.* 'caedere' autem cum compositis sollemne est de fututione: Lucil. VII 19 M. *uetulam atque uerosam uxorem caedam potius*, Priap. 26, 10 *fures caedere quamlibet ualentes* et 15, 6 *percisum sciet esse me*, Pompon. com. 82 R. *nunc ea propter me cupis concidere?*; maximeque huc facit Hor. sat. II 7, 49 *quaecumque excepit turgentis uerbera caudae.* codices uariant inter 'pro telo' et 'protelo'. illud retineri fortasse posset, si 'telum' designaret ferulam magistri; nunc telum uix aliter intellegere licet quam membrum uirile (Priap. 9, 14, alibi). sed 'loco huius teli mea rigida' absonum est. contra 'protelo' est ablatiuus (aduerbii uice fungens) ductus a prisco substantiuo 'protelum', de quo cf. Scaliger ad Varr. d. r. r. III 16, 12: designat aduerbium 'uno tenore', ut apud Lucr. IV 190

et quasi protelo stimulatur fulgure fulgur. dicit igitur apte Catullus, se usque et usque pene suo uerbera ingessisse pupulo (Apul. met. IV 9 nil ad hanc quidem rem).

LVII.

1. Pulcre conuenit improbis cinaedis, Mamurrae pathicoque Caesarique. ut c. XXIX in Caesarem Mamurrae fautorem nimis beniuolum largumque est derectum, ita hoc poemation eodem fere tempore scriptum in ambos simul utpote amicos sociosque bonos concordesque inuehitur. hic quoque 'cinaedis' magis ut conuitium accedit et ad totius carminis sententiam (quae res plerosque fefellit) parum confert: pulcram duorum per omnia conuenientiam demonstrare sat aculeate, poematii summum est propositum. quod ita efficit poeta, ut hoc ipsum in his uersibus primis ponat, deinde positum argumentis confirmet stabiliatque. 'pulcre', bene, ut XXII 5 et 8, simul tamen aliquid ambiguitatis habet, scil. 'more exoletorum' significans: Seru. ad Aen. II 119 *pulcros a ueteribus exoletos dictos* bene AStatius ad 'conuenit' cp. Mart. VIII 35, 1 *cum sitis similes paresque uita, uxor pessima, pessimus maritus, miror non bene conuenire uobis* (concordi concentu uos uiuere), quae non sine Catulli recordatione scripta. 'improbis' ad mores relatum est 'prauis, impudentibus', ut ex. gr. Plaut. Truc. IV 3, 59 *tamen ab ingenio inprobust,* Iuuen. 4, 106 *inprobior saturam scribente cinaedo.* metri causa prius 'que' adnexum est uoci 'pathico', cum a sententia spectet ad 'Mamurrae' (Lucil. VII 15 *ne uermiculique*; XXXII 11); nec recte Doeringius 'pathico' etiam ad 'Caesari' pertinere sibi persuasit, quod nulla ratione fieri potest. quamquam de hac re nemo quaesiuit, cur, cum sint 'pathicus' et 'cinaedus' synonyma, tamen, postquam utrumque esse cinaedum iam est dictum, Mamurra iterum uocetur pathicus. sed quidquid uoces illae sunt synonyma, non deest eis subtilior quaedam differentia, cum 'cinaedus' sit is qui pedicationem, 'pathicus' is qui omnia (etiam inrumationem) patiatur. itaque cinaedi quidem conuitium etiam in Caesarem cadit (XXIX 3), sed maius illud pathici in solum Mamurram. — **3, 4, 5. nec mirum: maculae paris utrisque, urbana altera et illa Formiana, impressae resident nec eluentur.** iam igitur ad demonstrationem positi illius accingitur poeta. cf. ad XXIII 7. primum autem argumentum repetitur ab infamia, quam ipsi subierunt, consimili. 'maculam', labem ignominiamque, alter eorum (Caesar) in urbe, Romae (XXXIX 10), ille (h. e. prior, Mamurra) Formiis in se contraxit quid rei sit, ex Mamurrae appellatione, qua XLI 4 et XLIII 5 audit 'decoctor Formianus', cognoscimus: decoctorum illorum dissipatio rei familiaris et prodiga luxuries, summum apud Romanos opprobrium, innuitur. et Caesar quanto aere alieno fuerit oppressus, ut inpedientibus creditoribus paene abire nequiret a. 61 in Hispaniam, satis est notum (Suet. Caes. 18, Plut. Caes. 11 et Crass. 7, App. II 8). haec infamia summa (et de hac una agi docet u. 4) communis utrisque (ponitur interdum hic pluralis de

duobus hominibus solis, ut Caes. b. g. I 53, 4; Kuehnerus gr. l. II p. 476) inpressa siue tamquam stigma seruis inusta (Petron. 105) remanet (cf. praeter Plaut. Truc. prol. 7 Cic. leg. Man. 3, 7 *macula bello Mithridatico concepta .. penitus iam insedit atque inueterauit*) nec umquam abstergebitur; adamata erat haec imago, ut exempla a Vulpio conlecta docent Plaut. Poen. I 1, 70 *inest amoris macula huic homini in pectore, sine damno magno quae elui numquam potest,* Cic. p. Rosc. A. 24, 66 *ex quo siqua macula concepta est, non modo elui non potest* eqs., id. p. Sest. 29, 63 *quoniam illa in rep. macula regni publicati maneret, quam nemo iam posset eluere,* declam. in Sall. 6, 16 *nonne tibi uiderer aeternas inurere maculas, quas reliqua uita tua eluere non posset?* de nominatiuo 'paris' cf. Buechelerus de declin. lat. p. 15 sq. — **6. morbosi pariter, gemelli utrique.** nunc corporis habitus utrique similis in medium profertur. glossae Labb. p. 116 *morbosus* παϑικός, νοσερός. non tamen hic uox illa indicat 'cinaedi' (hos esse C. et M. posuerat poeta), sed potius designat morbidum misellumque corporis statum, qui est catamitorum post superatum aetatis florem proprius utpote ex ipso νόσῳ ϑηλείᾳ (cf. Bentl. ad Hor. od. I 37, 10) profluens (nec refutat hoc Suet. Caes. 45 de prospera Caesaris ualetudine loquens); Priap. 46, 2 *sed morbosior omnibus cinaedis*; nam de turpiore quodam morbo (Iuuen. 2, 12) non cogitauerim. ad 'gemelli' uulgo cp. Hor. sat. II 2, 243 *par nobile fratrum, nequitia et nugis, prauorum et amore gemellum* et epist. I 10, 3 *cetera paene gemelli fraternis animis,* ubi recte explicant 'consentientes conuenientesque', porro Mart. XII 49, 12 *uniones formosos niueos pares gemellos.* miros interpretes! gemellos esse C. et M., h. e. optime eis conuenire, posuerat Catullus u. 1: quomodo hoc nunc in argumentatione proferri potest? et quam inepte ad illud additur 'utrique'! aliis causis traditam lectionem inpugnauit uitium magis sentiens Hauptius [opusc. I p. 112], quem Schwabius [q. C. p. 189] in hoc carmine mire infelix minime refutauit. 'tenelli' uoluit Hauptius, quod nimis est delicatulum pro hoc carmine nec, ut puto, per se aptum. traiectis litterulis 'm' et 'g' siue 'c' effeci 'macelli', quo multo fortius et ut conuenit illi 'morbosi' (attende etiam ad adlitterationem) depingitur nata ex uita libidinosa mala ualetudo: Priap. 26, 7 *ecfututus ut sim confectusque macerque pallidusque,* ipse noster LXXXIX, Lucil. VI 11 M. *magnus homost, nasutus, macellus* (Non. p. 136, 30 'macellum' explicat 'macilentum'). 'sunt' hic (ut et in u. s.) omissum utpote in enumeratione. — **7. uno in lecticulo erudituli ambo.** ab alia parte bona amborum concordia ostenditur, a litterarum studiorumque communione. eruditio tam ad philologiam tum etiam apud summos reip. uiros magno honore gaudentem spectat (et notum est, quanto cum studio Caesar etiam inter strepitum armorum uacauerit quaestionibus grammaticis: plura apud Teuffelium HLR. § 195, 4) quam ad poesin doctam nimirum et Alexandrinorum uestigiis incedentem (Priap. 41, 3 *inter eruditos poetas*), a qua nec ipsa abhorruisse Iulium constat. non ita benigne de huius uersibus iudica-

uere ueteres (Teuffelius l. l. nota 3), nos ex fragmento maiore in Terentii uita Suetoniana seruato ingeniosum facetumque uirum lubenter agnoscimus. de Mamurra poetanti cf. c. CV. Catullus deminutiuo noue formato (certe alibi non occurrit) 'eruditulus' significasse uidetur cupiditatem eruditionis adquirendae (cf. 'querulus, credulus, garrulus'); simul tamen formatione sat quaesita exagitare uidetur Caesaris maxime in adhibendis deminutiuis insuetioribus nec feliciter repertis amorem nimium. hinc etiam explico illud 'lecticulo', quod ex **O** recepi, ante me cum secundum **G** uulgo legerent 'lectulo'. quod ad rem, in lectulis (cf. Richius lex. antiqq. s. u.) haud raro studiis litterariis operam dabant; Ouid. tr. I 11, 38, Plin. epist. V 5, 5. maligne autem hoc adicitur, ambo simul uno in lectulo legisse et scripsisse: tam cinaedis hoc conuenit quam amicis (Mart. IV 40, 6 *communis nobis lectus et unus erat*). sed tamen hoc magis in transcursu adicitur; nam omnis uis sententiae est posita in communi erudiendi se cupiditate: uere Hauptius, qui comma post 'lectulo' uulgo male positum deleuit, illud dicit 'accedere, non suum sibi pondus requirere'. ipsum autem illud 'lectulo' falluntur quod satis tutum putant ab hiatu, quippe cui in thesi (ut uulgo locuntur) nisi sub certis condicionibus hinc alienis non sit locus. quodsi hic subuenit **O**, liber multo quam **G** melior nec ullis foedatus interpolationibus, praebendo 'lecticulo' a metrica offensione liberum, non est hercle cur non ambabus manibus egregiam hanc lectionem amplectamur. nam ex uoce insueta fieri uulgare illud 'lectulo' obuium erat; contrario modo uix et ne uix quidem peccari potuit (ineptum est arcessere Apul. met. IX 27 *tribus nobis conueniat in uno lectulo*, quae uerba sine ulla Catulli recordatione sunt scripta). at non est uox latina. iam dixi, ut 'eruditulus' ita 'lecticulus' noue esse formatum a poeta cum certo consilio. at haec ipsa conformatio non comprobanda. iam in uol. I prolegg. p. XXIII adduxi 'pannus', a quo fiant deminutiua 'pannulus' et 'panniculus' (potui etiam 'paniculus' a 'panus' deductum adferre). nimirum 'lectus' plerumque quidem est declinationis secundae, rarius multo quartae (Neuius I p. 526), a qua fit 'lecticulus' ut 'uersiculus' a 'uersus'. — **8. non hic quam ille magis uorax adulter.** construe: non hic m. u. a. quam ille, h. e. aeque (Kuehnerus gr. l. II p. 986) uterque auidus est adulter (XXXV 7 *uiam uorabit*). nam 'hic' et 'ille' ut ualidius iungantur, distorta sunt uerba, ut apud Lucil. I 32 M. *inritata canis quam homo quam* (litteram caninam) *planius dicit.* de Caesaris adulteriis, quae tam proprio quam ampliore sensu accipe, nota est expositio Suetonii (Caes. 50 sqq.); Mamurram nouimus ex c. XXIX (cf. et XCIV). — **9. riuales sociei puellularum.** sic uere correxit Scaliger id quod **V** tradit 'socii et'. nam hoc sane nullius est momenti, C. et M. socios siue amicos esse femellarum; quod ut nullum habet acumen, ita quid hoc pacto riualitas sibi uelit non claret. denique 'et' traiectum a more Catulli alienum. ortum est uitium ex SOCIET, suprascripta correcturae causa I. idemque Scaliger recte sententiam poetae est adsecutus: 'riuales

socii, ut distinguantur a riualibus aemulis'. nam quod Hauptius sic potius explicat 'dicuntur qui et socii sint amatoresque puellarum et riuales earundem tamquam pathici; iteratur muliebris patientiae criminatio, in qua totum carmen uersatur': hoc funditus est falsum peruersumque. uersatur enim totum carmen in demonstranda bona inter C. et M. conuenientia. uulgo autem si forte duo unam eandemque mulierem amant, hi aemuli solent esse acerrimi (ex. gr. Prop. II 34, 17) et ut riuales inimicissime rixari (Sen. rhet. p. 221 K. *turpes cum riualibus rixas*, unde ibid. p. 223, 5 emenda *tamquam riuales rixati sunt*); contra hi riuales unici, ut fidi bonique sodales, concorditer futuunt easdem puellulas (animaduerte deminutiui salsum leporem): ecquod maius grauiusque excogitari potest pulcri inter eos concentus documentum? — sic postquam a maxime diuersis partibus, ab ignominia nominis, a corpore libidinibus exhausto, a litterarum studiis, ab adulteriorum ardore, denique ab earundem femellarum amore Caesarem et Mamurram consimiles conparesque esse ostendit, poeta more sollemni (cf. ad LVI 4) tamquam certum iam indubitatumque repetit ouanter uersus primi positum.

LVIII.

1. Caeli, Lesbia nostra. Caelium esse M. Caelium Rufum oratorem (supra p. 33) inde a PVictorio [uar. lectt. XVI 1] plerique statuerunt; recteque intellexit AStatius singulare sic euadere acumen illius 'nostra', scil. quam nos ambo quondam amauimus. cui rationi quod uere possit opponi, nil quidquam adest. nam etsi hunc Rufum olim tam acriter inuectus erat Catullus utpote in amore Lesbiae aemulum (maxime LXXVII et LXIX), nihil tamen obstat quominus postquam Rufus a Clodiae amore destitit ueterem inter eos amicitiam restitutam esse aiamus. neque nominis diuersitas huic sententiae est impedimento. iam alias monui, nostrum adfari C. Licinium Caluum modo Licinii modo Calui nomine; praeterea quem inimicum olim ut Rufum exagitauerat, eundem reconciliatum ut Caelium non male adloquebatur. denique quod ad alterum (qui uidetur) Caelium attinet, cf. commentarius ad C 1. — **1, 2, 3. Lesbia illa, illa Lesbia, quam Catullus unam plus quam se atque suos amauit omnes.** affectum tristitiamque summam spirat repetitio; cuius uis non tam in 'illa' iterato inest (Cic. ad Att. I 16, 5 *nosti Caluum ex Nanneianis illum, illum laudatorem meum*), sed in iuncto 'L. i.' per chiasmum duplicato, ut Hor. od. IV 13, 1 *audiuere, Lyce, di mea uota, di audiuere, Lyce*; et ita in altero colo praeponitur 'illa', ut efferens (ad VIII 6) designet 'nota inlustrisque uersibus meis'. iam si se ipsum nomine uocet proprio (ad VI 1), hoc non solum fit affectu, sed etiam ob praecedens modo Lesbiae nomen in memoriam nobis reuocat nobile illud totque sermonibus hominum celebratum par amantium, Lesbiam et Catullum. intellegimus autem, si poeta se amatam plus quam semet ipsum dilexisse praedicat; cf. praeter LXXXII Cic. Tusc. III 29, 72 *quasi fieri ullo modo possit, quod in amatorio sermone dici*

solet, ut quisquam plus alterum diligat quam se; illud difficilius est dictu, cur C. Lesbiam unam (quod ob oppositum 'omnes' est additum, ut V 3; cf. et XLV 21 et 23) plus quam patrem matremque ac propinquos reliquos amasse se significet. adeone ille oblitus erat fratris unici tenerrimo amore dilecti? cur hoc commemorat? uidetur Catullus improbantibus suis tum cum Lesbia in dies magis bonos desereret mores feminam perdite amatam sibi retinere studuisse: caris suis omnibus sese praetulisse mulierem indignissimam non sine paenitentis animi dolore nunc sentit ille. — **4, 5. nunc in quadriuiis et angiportis glubit magnanimi Remi nepotes.** caue ad amussim exigas haec uerba: fortiter et dictante indignatione Lesbia describitur tamquam 'omnium amica', quam uocat Cicero (supra p. 33) depingiturque mulier effrenate libidinibus suis seruiens et trecentos amatores complexos tenens cum maximo contemptu ut scortum diobolare. quadriuia, loca in quibus quattuor uiae concurrunt, frequentissima sunt hominibus (Iuuen. 1, 64 *medio quadriuio,* et sic etiam triuia passim ut plebis maxime plena memorantur, cf. et Hor. sat. II 3, 25 *frequentia compita*); contra ad loca desolata (Hor. od. I 25, 10) nos ducunt angiportus, quos glossae medii aeui a Mommseno [Herm. III p. 303] editae sic explicant *angiportus uiae angustae inter minores uicos, quae exitum ad muros aut nullum aut angustum habent*; cf. et Donatus ad Ter. Ad. IV 2, 39 *id quidem angiportum non est peruium* (de forma in 'um' desinenti Neuius I p. 542). in his angiportibus ut habebant lenones cellas meretricias, ita femellae uulgares conuenire solebant amasios; cf. Plaut. Pseud. IV 2, 6 (IV 7, 137). quaerit igitur sibi Lesbia in plateis amatores, quibus in cellula aliqua sese dedat. 'glubere', ut et 'deglubere' (glossae Labb. p. 50 *deglubo* ἐκδέρω), h. e. corticem uel pellem detrahere, ab arboribus (ut Varr. d. r. r. I 55, 2) et pecore (ut Paul. Festi p. 98) translatum est ad turpissimum libidinis genus, quod inlustrat Auson. epigr. 67 (71), 7 ubi femina perditissima et cunctas libidines in uno corpore exercens *deglubit, fellat, molitur per utramque cauernam*: quod uir ipse masturbatione, hoc ei facit manus mulieris glubentis. uix est quod moneam, indicare uocem ineffabili despicatu plenam fere idem, quod mitigato dolore iraque lenius expressit poeta XI 19 *omnium ilia rumpens*: eneruandi significatione uox foeda utitur. Remum iam ad XXVIII 15 monui aeque ac Romulum ut auctorem gentis Romanae celebrari a poetis: Prop. II 1, 23 *regnaue prima Remi* et IV 6, 80 *signa Remi,* Iuuen. 10, 73 *turba Remi*, Mart. XII 3, 6 *domus alta Remi.* quodsi in Remi mentione per se nihil inest inrisionis, sed simpliciter per eius nepotes significantur Romani, in ipsa oppositione tacita potius latet acumen acerbitasque, quae intenditur Remi attributo 'magnanimus' (Verg. G. IV 4 *magnanimosque duces*): dicit poeta, deprauatissimo cuique et a primo nominis Romani auctore quam maxime degenerato adulescenti Romano (ipsa uocis 'nepos' duplici significatione fauente) libidines nunc turpiter explere Lesbiam. **V** quod habet 'magna amiremini' (sic **O**, **G** 'admir.' latius serpente corruptela),

id 'ni' syllaba olim suprascripta in suom locum reiecta simplicissime corrigitur in 'magna animi remi'; unde efficitur id quod lemma praebet, ut intellexit IVossius; uulgo quod legitur 'magnanimos' et ab arte coniecturali et a sententia prauom est.

Dubitant docti de tempore, quo poematium sit scriptum. Iungclaussenus, Schwabius, Westphalius a reuerso ex itinere Bithynico poeta in cartas coniectum putant. sed amore illo a. 57 semel ex animo radicitus extirpato iam posthac Catullus numquam Lesbiae facit mentionem nisi necessitate aliqua extrinsecus inlata (ut cc. XI et XLIII). tum potius, cum poeta magis magisque intellexit omnem suum in retinenda sibi Lesbia laborem frustra insumi et ingratae perditaeque funditus menti amorem suum credi (paulo post cc. LXXII et LXXV), hoc est, aut exeunte a. 58 aut ineunte a. 57 hos uersus scripsisse ille mihi uidetur, quibus sese renuntiasse in omne tempus Lesbiae non solum Caelium familiarem sed etiam ceteros amicos notosque faceret certiores: ut per c. LXXVI eodem spatio confectum semet exhortatur ad faciendum id quod fieri debeat, ita hoc poematio id quod factum est explicat, causam renuntiationis re ipsa suppeditante.

LIX.

1. **Bononiensis Rufa Rufum fellat, uxor Meneni.** Palladius metrum stabiliuit scribendo 'Rufulum'. uulgaris est opinio, hoc carmine M. Caelium Rufum insimulari cum despectissimae notae femina rem habere. cui opinioni qui accessit Schwabius [q. C. p. 88] ita disputat: 'manifestum est in nominibus Rufae et Rufi, unde Rufuli nomen per contemptum poeta deminuit, acuminis aliquid reconditum esse; quod quale sit etsi hodie plane enodari nequit, tamen certum mihi esse uidetur, Doeringium, cum Rufulum coniceret a libidinis suae ministra accepisse nomen, errasse. e contrario Rufae nomen fictum et a poeta uero Rufi nomini adsimilatum esse, eo lubentius ut credam adducor, quo diligentius nominibus patriae urbis et mariti mulieris additis poeta prouidit, ut etiam sub falso nomine uera persona cognosceretur'. errauit Schwabius ut ex parte in Doeringii opinione (hic a. 1834: 'uxor Menenii, quam Rufulus simul uxoris loco habuerit, iocose dicta uidetur Rufa'), ita in re ipsa tota. Rufum, qui alibi hoc nomine inpugnatur, nunc ut Rufulum sine ulla causa (nisi forte metri causa factum esse dices!), cum praesertim periret inuectiuae uis omnis in facili cum quouis uero Rufulo confusione, castigatum esse equidem numquam credam. multo minus hoc, ficto illi Rufulo adcommodatum esse παρωνυμίας gratia nomen feminae et ipsum fictum. et, quod ad M. Caelium Rufum, Catullus, quem certum est hoc primum uolumen composuisse ipsum, uix et ne uix quidem statim post c. LVIII, amicitiae inter ipsum et Caelium extantis documentum, inseruit uersus nostros acerbissimam huius amici inrisionem continentes. praeterea (id quod uulgarem illam opinionem funditus euertit) eius, quem mulier ista fellat, adeo quasi in transcursu

fit mentio adeoque omnia contendunt deriguntur que ad ipsius mulieris turpitudinem denotandam, illam solam ut censendus sit poeta contemptui dare uoluisse. uerum quidem est, quo despectior depingatur femina, eo plus infamiae redundare in eius amasium; sed hunc exagitari tum crederem, si unicus praeterea in eum uersus in fine adiectus esset (ex. gr. 'et tale nunc scortum ecce Rufulum fellat!'); nunc puto uni solique mulieri infensum ob nescioquam causam (et mille causae fingi possunt) iratumque poetam publice proposuisse carmen hoc maledicentissimum. recte enim Vulpius conferens uersus famosos, quos Itali recentiores uocant 'pasquinate', talia epigrammata apud Romanos quoque clam locis celeberrimis proposita esse dixit: notissima est hodie res ex titulis Pompeianis. 'rufulum' siue 'Rufulum' uere correxit Palladius; nec enim lenior faciliorque mutatio fingi potest (saepissime illud 'ul' deminutiuorum in codd. euanuit, ut LXI 175 et 181); nec Munronianum 'Rufum anus' similiaque nuper excogitata sunt emendationes, sed deprauationes. et sapit, quod maximi est momenti, illud plane ingenium Catulli, qui LVI 3 *Cato Catullum* coniunxit. sed de interpretatione sane dubia res est. possumus cogitare de homine militari: schol. ad Cic. Verr. p. 142, 7 Bait. *tribunorum militarium duo genera, primum eorum, qui rufuli dicuntur; hi in exercitu creari solent.* sin placet accipere pro nomine proprio, quam peruulgatum fuerit Rufi cognomen recordandum est: 'Rufulum' idem fere sonuisse uidetur quam 'Gaium' aut 'Titium delicatum'. etiam de Rufa haud inscitam dubitationem mouit nuper Munro [eluc. p. 134], hic quoque de epitheto cogitans et ut doceret rubri capilli homines in contemptu etiam apud Romanos fuisse comparans locos notos Plaut. Asin. II 3, 20, Ter. Heaut. V 5, 17, Mart. II 32, 2 et XII 32, 4 et 54, 1; addo conferens illa 'Nomentanus' et 'Formianus' (ad XLI 4), contemptim a plebe feminam secundum patriam uocari: 'ista ex Bononia mulier rufa'. contra, si 'Rufa' pro nomine proprio habemus, additi 'Bononiensis' haec erit uis 'peregrina illa Rufa, ex Bononia quae huc aduenit', siue Romae siue potius Veronae poeta hos uersus proposuit. quod si accipis, caue ne Vulpio accedas, qui hanc nostram Rufam ad nobilem illam familiam Ruforum pertinuisse dixit, de qua Mart. V 85 loquitur; quae opinio in tanta et Ruforum crebritate et temporum distantia ne umbram quidem uerisimilitudinis habet, cum praesertim hic de infimae sortis femina agi sequentia doceant. duplicem igitur explicandi rationem inire licet, in quarum utraque παρωνυμίας lusus integer manet, aut 'Rufa Rufulum' aut 'rufa rufulum' scribendo. equidem quam uiam ineam dubius haereo, cum rerum quae hic tanguntur scientia plane simus destituti; ad alteram rationem magis me inclinare fateor, quippe qua planius appareat, hominem istum, quicumque fuerit, non propter se, sed ob solum lusum accersitum esse. sed hanc siue Rufam siue uero mulierem rufam Catullus ita contemptam publice reddit, ut fellatricem uocet, h. e. turpissimo generi libidinum inseruientem, dum uirile membrum in os sumens sugendo titillat uoluptatem. ut fellatores ita fella-

trices saepius memorant tituli Pompeiani, partim in opprobrium partim in commendationem, ut 2268 *Myrtale cassacos fellas,* 2273 *Murtis bene felas,* 2275 *Fortunata fellat,* 2421 *Rufa, ita uale, quam* (scriptum fertur 'quare' sine sensu) *bene felas!,* alia. hic opprobrium summum eo fit turpius, quod femina ista est nupta Menenio cuidam. quo addito 'uxor Meneni' praeterea accuratius designari illa potest uideri, si 'rufa' merum est epitheton. — **2, 3. saepe quam in sepulcretis uidistis ipso rapere de rogo cenam.** 'saepe uidistis' apprime facit ad commendandam Vulpii explicationem laudatam: uos omnes, ciues, scitis. 'sepulcretum', ἅπαξ λεγόμενον, designat locum ubi complura sunt sepulcra (Kuehnerus gr. l. I p. 660), qualem christiani uocabant coemeterium. communia busta ('busticetum' dixit simillime Arnob. I 41) habebant gentes familiaeque, habebant collegia societatesque pauperum; nam puticuli, *miserae plebi commune sepulcrum* (Hor. sat. I 8, 10), hinc procul arcendi; cf. omnino Marquardti antiqq. priu. p. 353 sqq. erat fundus, qui praeter busta siue sepulcra proprie uocata (de differentia horum cf. Paulus p. 32) habet ustrinam, hortum, aediculas aliaque (Marqu. l. l. p. 357 sq.). in illa autem ustrina exstruebatur qui cadauer cremandum excipiebat rogus; hunc propinqui sociique funeris cumulare solebant, ut aliis donis plurimis diuersisque, ita cibis (Marqu. l. l. p. 369). iam bustiraporum, quos Plaut. Pseud. I 3, 127 cum contemptu uocat, duo genera bene esse distinguenda (nec distinxit Marquardtus p. 355 locum nostrum iterum adferens), res ipsa docet. infimi enim extremaeque paupertatis famelici haud raro hunc rogum ardentem circumuolare tamquam uolturia solebant, cum praesertim funeris participes 'aue atque uale' dicto abiissent, et rapere e uiuis adhuc flammis ('ipso de rogo') cum alia tum cenas illas iniectas: Ter. Eun. III 2, 38 *e flamma petere te cibum posse arbitror,* Lucil. XXVI 77 M. ex optima sed neglecta Franc. Dousae emendatione *mordicus petere aurum e caeno expediat, e flamma cibum,* Mart. XI 54, 2 *turaque de medio semicremata rogo et quae de Stygio rapuisti cinnama lecto,* Ouid. Ib. 20 *hic praedam medio raptor ab igne petit.* ad alterum genus, quod appositos maxime inter feralia et parentalia sepultorum iam tumulis cibos rapere solebat, adludit Tib. I 5, 53 *ipsa fame stimulante furens praedasque* ('herbasque' codd.) *sepulcris quaerat et a saeuis ossa relicta lupis* et Calpurn. ecl. 3, 82 *qui metere occidua* (occulta?) *ferales nocte lupinos dicitur* (ubi cf. Wernsd.). — **4, 5. cum deuolutum ex igne prosequens panem ab semiraso tunderetur ustore.** admodum graphice persequitur poeta furantis de rogo feminae imaginem: adstat illa auidos circumiciens oculos, uidet flammae late sparsae ui detrudi ex rogo panem (liba maxime inicere solebant: CIL. III 2919), adsilit detrusum captatura, a seruo ignes rogi custodiente baculi ferrei ictu feritur abigiturque mulier contempta ab homine contempto. AStatius cp. Sidon. Apoll. III 13 (= III 4 Bar.) *deformior cadauere rogali, quod facibus admotis semicombustum moxque sidente strue torrium deuolutum reddere pyrae iam fastidiosus pollinctor exhorret.* panem deuolu-

tum qui adprehendere studet, non prosequitur (ineptus est iocus Ellisii ad illud 'prosequi exequias, extinctum' adludi putantis), sed persequitur; eaque uox cum altera illa millies confusa sine cunctatione est reddenda Catullo. ustores sumebantur ex seruis pessimis (Cic. p. Mil. 33, 90, Lucan. VIII 738, Mart. III 93, 26), qui notabantur capite semitonso; locos congessit Marquardtus l. l. p. 177 not. 4.

LX.

1. Num te leaena montibus Libystinis. 'leaena' noster primus sermoni latino intulisse uidetur ex graeco; ante eum Plautus apud Philarg. ad Verg. ecl. 2, 63 dixit *leo femina* et Lucr. V 1317 *lea*; cf. Varro d. l. l. V 102. 'Libystinis', quod Scaliger restituit ex Macrob. I 17, 24 *Apollo Libystinus* (nam alibi apud Romanos non extat), unum est ex adiectiuis haud paucis a Libyae nomine formatis, cuius similia sunt 'Libyssa' apud nostrum VII 3 aliosque multos, 'Libystis' Verg. Aen. V 37 et VIII 368. Libyam leonum aridam nutricem iam nouimus ex XLV 6. — **2. aut Scylla latrans infima inguinum parte.** cf. praeter alia (uide et ad LXIV 156) Verg. ecl. 2, 77 Scyllam *candida succinctam latrantibus inguina monstris* cum docto Heynii excursu, Aen. III 426 de eadem *prima hominis facies et pulcro pectore uirgo pube tenus, postremo inmani corpore pistrix delphinum caudas utero commissa luporum* (h. e. canum marinorum, u. 432); hinc emendandus Lucr. V 892 *aut rabidis canibus succinctas semiferinis* ('semimarinis' inepte codd.) *corporibus Scyllas.* — **3. tam mente dura procreauit ac taetra.** adamatum erat apud ueteres, homines crudeles feros duros dicere aut ex mari truci (maxime ex aestuosis uoraginosisque eius partibus Scylla Charybdi Syrtibus) aut ex petris saxeis genitos, natos educatosque ab inmanibus beluis, iam inde ab Homero. Graecorum locos conlegit Valckenarius ad Eurip. Hippol. p. 195 (cf. ex. gr. Eur. Med. 1342 *λέαιναν, οὐ γυναῖκα, τῆς Τυρσηνίδος Σκύλλης ἔχουσαν ἀγριωτέραν φύσιν*), ex latinis scriptoribus cf. (praeter nostrum LXIV 154 sqq.) Verg. Aen. IV 566 *duris genuit te cautibus horrens Caucasus Hyrcanaeque admorunt ubera tigres,* Ouid. tr. III 11, 3 *natus es e scopulis, nutritus lacte ferina* (met. VII 33, VIII 120, XI 612 sqq.), Lygdam. 4, 85 *te nec uasti genuerunt aequora ponti* eqs., alia multa. 'taeter' a corporis foeditate ad animum turpem est translatum haud raro. — **4. supplicis uocem.** precem meam instantem; cf. Sall. Cat. 31, 7 *uoce supplici postulare* similiaque. — **in nouissimo casu.** in ultimo, extremo uitae periculo. Tac. a. XII 33 *nouissimum casum experitur,* Apul. met. VI 26 *uel quid iam nouissimum expectas?* — **5. contemptam haberes.** contemneres, ut LXVII 31 *cognitum habere* pro 'cognosse'; Plaut. Cas. II 2, 15 *uir me habet pessumis despicatam modis* (Kuehnerus gr. l. II p. 571, Holtzius synt. II p. 235). — **a, nimis fero corde.** interiectio 'a' hic indignantis est, ut LXVI 84. 'nimis', supra modum in amico concessum (ad LXIV 22). 'fero', crudeli, ut Tib. I 10, 2.

De hoc poematio sane quam miro ita certant docti, ut ad quemnam

sit missum pertineatque dubitent. missis his opinionum commentis quod certum est proferam. nam contra ius fasque carent hi uersus nomine eius, ad quem sunt dati: neque Catulli neque alius poetae (nisi certissimae rationes adsunt, ueluti si tecte adpetitur inimicus) hoc defenditur exemplo. porro equidem facile persentisco, initium tantummodó adesse querellarum, non has integras. quid multa? hi uersus ad amicum male fidum similem Alfeni (XXX) et Cornificii (XXXVIII), fortasse etiam ad horum alterutrum missi suo fine carent; perieruntque una cum hoc reliqua huius libri primi carmina. nec deest externum huius rei testimonium, siquidem **O** post u. 5 spatium quinque uersuum in pagina exeunte uacuum reliquit, siue exemplaris Veronensis fidem secutus itidem lacunam adnotantis siue de suo pagellas in hoc ipso deficientes indicans. propterea autem hoc summi est momenti, quod ubi fragmenta I—IV olim habuerint sedem nunc probabiliter statuere licet. periit igitur libri primi exitus; nam quae iam secuntur carmina maiora ad secundum librum pertinent (supra p. 60 sq.).

LIBER SECUNDUS.

LXI.

1, 2. Collis o Heliconiei cultor, Uraniae genus. hoc carmen, ad celebrandas Viniae Aurunculeiae et Manlii Torquati (ad u. 16) nuptias conpositum ideoque, etsi metro graecanico scriptum et mythologiae graecae ornamentis ex more temporis instructum, tamen Romanos ubique ritus respiciens Romanumque spiritum per omnia prae se ferens, diuisum est in duas partes principales; quarum una tamquam scaenam habet uestibulum domus paternae nouae nuptae (1—113, siue potius 120 uersibus uel 24 strophis constans), altera agitur ante aedes noui mariti (114—228, h. e., si textus integer est, 23 strophis constans). in utraque parte adsunt quidem chori, uirginum nouae nuptae aequalium in priore, in posteriore iuuenum noui mariti sociorum; tamen hi chori ita tantum carminis huius sumunt partem, ut utriusque turbae principe siue chorago (puero inuesti: ad u. 12 sq.) cetera uerba plurima pronuntiante (cf. 115 *uideo,* 189 *ita me iuuent,* 210 *uolo*) concinant uersum intercalarem (cf. uu. 38 et 117). iterum autem in duas particulas distributa est haec pars prior. incipit enim ab Hymenaei inuocatione (1—75) diei festi indoli adcommodata tenerisque uerbis (ut decet et locum et uirginum chorum) dei potentiam celebrante; sequitur (76—113) ad nouam nuptam, ut ad mariti domum deduci se patiatur, adhortatio non minus suauiter anxium eius pudorem pauoremque consolans. initium igitur uersatur cum in causa carminis exponenda, tum in arcessendo inuocandoque eo deo, sine quo nuptiae fieri nequeunt, Hymenaeo. hic tamquam nuptiarum deus celebrabatur a poetis graecis inde a Sappho (Hephaest. 129), a qua iam uidetur coniuncto nomine appellatus esse Hymen Hymenaeus (Anth. Pal. VII 407, 5). quae copulatio fortasse explicanda est ex duplicata Hymenis appellatione: primitus ita inuocabatur uirginitas (est enim ὑμήν *membrana uirginalis, qua rupta desinit esse uirgo,* Seru. ad Aen. IV 99, Don. ad Ter. Ad. V 7, 7), ut adiungerentur exclamationes ex re petitae ὦ gaudii et αἶ doloris; ex hac altera coniunctione illius ὑμέν (Callim. fr. 461 Schn.) et αἶ nata est conciliante uersus intercalaris formula certa (ad u. 4) paulatim Hymenaeus, qui ut gemellus eius Hymen mox inter deos relatus est. quod numen ex carminibus natum esse cum recordarentur, illud ex Musis genitum fecerunt; cf. Claud. epith. Pall.

et Cel. 31 *hunc* (Hymenaeum) *Musa genitum legit Cytherea ducemque praefecit thalamis: nullum iunxisse cubile hoc sine nec primas fas est attollere taedas*, Mart. Cap. I 1 *tu quem psallentem thalamis, quem matre Camena progenitum perhibent .. o Hymenaee decens.* quamquam in certa matre ei adsignanda uariant: Uraniae filium ('genus', ut LXIV 22 Aen. IV 12; cf. graecum *γένος*) praeter Catullum uocat illum Nonn. Dionys. XXXIII 67, alii Calliopae uel Terpsichores (cf. Pauly Encycl. real. III p. 1543 sqq., Prelleri myth. gr. II p. 493). hinc igitur Hymenaeus, totius nuptiarum actus praeses, audit Heliconis, notae Musarum sedis (Prellerus l. l. 381 sq.), 'cultor' siue incola (LXIV 228): Plaut. Amph. V 1, 13 de Ioue *et tibi et tuis propitius caeli cultor aduenit*, incertus apud Charis. p. 13, 22 K. *Cyclops, Aetnaeus cultor, Neptunia proles*, Verg. G. I 14, infra LXIV 300. — **3. qui rapis teneram ad uirum uirginem.** raptus uirginis, de quo uidebimus ad u. 56 sqq., hic in deum graecum transfertur recordatione Consi, quem Romani raptui praeesse fingebant; cf. ARossbachius libri opulentissimi saepiusque abhinc in usum uocandi 'Untersuchungen ueber die roem. Ehe' p. 330. 'tener' perpetuum feminarum, maxime ubi uiris opponuntur, epitheton, ut Hor. od. I 21, 1 *tenerae uirgines* et I 1, 26 *tenerae coniugis.* copulata 'uirgo' et 'uir' adamabant, ut Lydia 50 *uirum uirgo sicut captiua secuta est,* Verg. Aen. I 493 *audetque uiris concurrere uirgo.* — **4, 5. o Hymenaee Hymen, o Hymen Hymenaee.** hae formulae ab antiquis temporibus in nuptiis cantatae: Arist. au. 1736 (1742, 54) *Ὑμὴν ὢ Ὑμέναι' ὤ* cum scholiis, Eurip. Tro. 311 *Ὑμὴν ὢ Ὑμέναι' ἄναξ* et 331 *Ὑμὴν ὢ Ὑμέναι' Ὑμήν*, Theocr. 18, 58 *Ὑμὴν ὢ Ὑμέναιε*, Plaut. Cas. IV 3, 3 *io Hymen Hymenaee io Hymen* (ibid. 10), Ouid. epist. 14, 27 *uulgus 'Hymen Hymenaee' uocant* (ibid. 12, 143), noster LXII 5. prima syllaba in 'Hymen' anceps est, longa in carmine LXII, breuis in nostro. u. 5 cum in **V** ita sit traditus 'o hymenee hymen' (ut similiter 40, 50, 60), simplicius est uisum cum Aldina a. 1502 duas uoculas postremas inter se traicere quam, ut Itali fecere, reponere 'Hymen o Hymenaee': decet finem maxime elatum formulae species genuina ('Hymen Hymenae' iunctum) et commendat illud formulae per chiasmum repetitio. ab hac per 'o' inuocatione mera, qualis parti priori conuenit, differt altera per 'io' inde a. u. 117. — **6, 7. cinge tempora floribus suaue olentis amaraci.** rogatur deus non solum ut nitidus pulcherque diei festo intersit (Tib. II 5, 5 sqq.), sed etiam ut eodem habitu, quo ipsa noua nupta erat induta, appareat omniaque in hac sollemnitate usitata suscipiat, h. e. aduentu suo pompae faciat initium. 'amaracus', Graecorum *σάμψυχον*, est flos ille odorifer, qui hodie uocatur 'maiorana origanum'; Plin. h. n. XXI 11, 61, Verg. Aen. I 693 *ubi mollis amaracus illum floribus et dulci aspirans complectitur umbra,* ubi interpp. cp. Dioscor. III 41 Spr. et Billerbeckii Flor. class. p. 156; saepe eum adhibitum esse in corollas uidemus ex Lucr. II 847 et IV 1179. *suaue olentia mala* Verg. Priap. 3, 13 [PLM. II p. 160]; cf. Kuehnerus gr. l. II p. 211. Hor. od. I 7, 23 *tempora populea fertur cinxisse corona.*

coronam autem ut gestabat noua nupta (Rossbachius p. 292, qui cp. Paul. Fest. p. 93 *corollam noua nupta de floribus uerbenis herbisque a se lectis sub amiculo* [= flammeo] *ferebat*), ita hic fert deus, de quo Ouid. epist. 12, 44 *pronuba Iuno affuit et sertis tempora uinctus Hymen* et ibid. 20, 165 sqq. (Sen. Med. 70 *praecingens roseo tempora uinculo*). — **8. flammeum cape.** sume, gere. sollemne hoc nuptarum amiculum capitis primitus indicante nomine coloris ignei siue rubri, mox lutei siue crocei (Lucan. II 361 *lutea demissos uelarunt flammea uultus*); de quo uestimento caue falsam mente tibi fingas opinionem; cf. Rossbachius p. 280 (Richius lex. antiqq. s. u.). — **laetus.** scil. uultu; cf. Ouid. met. X 5. — **huc huc.** ad LXIV 195. — **9, 10. niueo gerens luteum pede soccum.** luteus color, ut est laetitiae, inprimis nuptiarum erat proprius (de flammeis iam uidimus: Plin. XXI 8, 46 *lutei uideo honorem antiquissimum, in nuptialibus flammeis totum feminis concessum*): Festus p. 286 s. u. *regillis*, Ouid. epist. 20, 162 *et trahitur multo splendida palla croco* (met. X 1), Claud. nupt. Hon. 211, Burm. ad Petron. 26, Rossbachius p. 283 (qui cp. Boettigeri 'Aldob. Hochz.' p. 195). uides autem adamatam colorum oppositionem (infra 187 sq., LXVI 59) in niueo pede (ad LXVIII^{b} 31) et luteo socco; quod calceamenti genus Graecorum proprium Romae maxime mulierum fuisse notum est (cf. Richius s. u.): hic deo nuptae insignibus induto attribuitur, ut simillime Herculi uxorio dat Sen. Phaedr. 322 *luteo plantas cohibente socco.* — **11. excitusque hilari die.** 'excitus', i breui, alacer uegetusque, ut conuenit diei laeto (Plaut. Poen. V 6, 30 *ut hunc diem habeamus hilarem*), significatione alibi non obuia. nam post ea quae praecedunt minus aptum uidetur, 'excitus' (de 'ī' ad XXXIV 22) interpretari 'euocatus' (ex sede Heliconia) uel 'expergefactus e somno'. 'hilari', scil. hoc; abest omnis recordatio diei fausti, qualem anxia cum religione sane eligebant nuptiis (Rossbachius p. 270 sqq.). — **12, 13. nuptialia concinens uoce carmina tinnula.** quae aures feriat aeris instar acuti (Ouid. met. VI 589 *tinnitibus aeris acuti*); AStatius cp. Pompon. com. 57 R. *uocem deducas oportet, ut uideantur mulieris uerba.* ‡ *iube modo adferatur munus, uocem reddam ego tenuem et tinnulam*; Plaut. Poen. prol. 33 *matronae .. uoce sua tinnire temperent*; hic acuta et exilis uox feminarum propria uidetur esse translata in deum a puero inuesti, cuius fuerit dicere *uerba sollemnia,* quae uocat Ouid. met. X 4, h. e. *μέλη γαμήλια* proprie uocata, quale est hoc carmen. Seru. ad Aen. VII 695 *Fescenninum est oppidum, ubi nuptialia inuenta sunt carmina*; hic 'carmina', quia de uno agitur poemate, intellege uersus; cf. ad LXV 15. 'concinere' interdum ponitur pro simplici 'canere'. Stat. silu. I 2, 238 *quaerit Hymen thalamis intactum dicere carmen.* — **14. pelle humum pedibus.** haec non de choreis ad artem factis, sed de libera saltatione intellege, qua recurrentem uersum intercalarem comitari atque efferre solebant; Enn. ann. 1 V. *Musae, quae pedibus magnum pulsatis Olympum,* Lucr. V 1402 *duro terram pede pellere matrem,* Hor. od. I 37, 1 et III 18, 15, Ouid. a. a. I 111 sq. 'pedibus' graphice additum, ut mox

'manu'. — **15. pineam quate taedam.** hoc quoque in deum translatum arte cum prioribus cohaeret: dum praecinentis uerba recurrentia chorus uniuersus concinit inter saltandum, uibrat idem quas manibus tenet faces, quae sic *aureas quatiunt comas* (78, 95). est autem inter faces (Rossbachius p. 337 sq.), insigne potissimum pompae nuptialis (unde et Hymenaeo dantur, ut Phaedr. app. 14, 10, Ouid. fast. II 561, met. X 6, epist. 20, 160, Claud. nupt. Hon. 202), bene distinguendum. in uniuersum cf. Seru. ad Verg. ecl. 8, 29 *Varro in aetiis ait sponsas faces praeire, quod antea non nisi per noctem nubentes ducebantur a sponsis* (idem Varro ap. schol. ad Lucan. II 356 *uenienti nouae nuptae funal praeluceat*). pompa autem propria, a qua noua nupta deducebatur, certo quinque taedarum numero erat instructa (Rossb. p. 338), ex quibus una in capite agminis erat spinea, ceterae pineae; cf. Plin. h. n. XVI 75, Varro ap. Charis. p. 144, 21 K. *fax ex spinu alba praefertur, quod purgationis causa adhibetur,* idem apud Non. p. 112, 20, Festus p. 245, Ouid. fast. 129 (de hac face, si ad domum mariti aduentum erat, certabant: Rossb. p. 339). sed praeter has quinque pompae propriae par est choros ceterosque homines et ante domos nouae nuptae uel mariti congregatos et pompam euntem circumstrepentes manibus uentilasse faces easque pineas. nulla igitur est causa illi 'pineam' auctore Parthenio substituendi 'spineam', nunc cum tantum de chori adsistentis lampadibus agatur; et est 'pinea fax' usitatissima in designandis in uniuersum nuptiis: Ouid. fast. II 557 *expectet puros pinea taeda dies.* 'quate'; mouentur nimirum uentilanturque faces tam ne extinguantur quam ad efferendos numeros; cf. ex. gr. Stat. silu. I 2, 4 *quatiuntque nouena lampade sollemnem thalamis coeuntibus ignem.* — **16. namque Vinia Manlio.** expositio causae. de noua nupta Vinia, quae u. 82 sq. Aurunculeia uocatur, nihil omnino constat. 'Vinia' non solum **O** certo habet, sed fortasse etiam **G** antequam correxit 'Iunia', quam lectionem olim plerique receperunt. saepe haec nomina fluctuant in codicibus; sed nomen multo rarius 'Vinia' a libro meliore indubitate praestitum nec hercle interpolationis suspicioni obnoxium nos amplecti par est. de gente Vinia cf. AHaakhius in Pauly Encycl. real. VI p. 2629; neque obscura est gens Aurunculeiorum (Teuffelius ibid. I p. 2183). illud quaeritur, quo iure duplici nomine gentili haec femina utatur. Scaliger Aurunculeiae a Vinio quodam adoptatae etiam Viniae nomen contigisse putauit (Schwabius q. C. p. 334). equidem hanc in re incerta praetulerim explicationem, ut a patre (fortasse T. Vinio, de quo Dio XLVII 7, Appian. b. c. IV 44) Viniam, a matre Aurunculeiam eam dictam esse statuam (cf. ad u. 82), siquidem nihil obstat quominus rationem ineunte Caesarum imperio usitatam, qua ex. gr. Germanici filia quaedam Iulia Agrippina audiit (a patre ex gente Iulia et matre Agrippina), iam sub finem liberae reip. floruisse aiamus; cf. Marquardtus antiqq. priu. p. 18. plura de marito scire licet. hic enim fuit L. Manlius Torquatus (u 209), de quo cf. Broeckerus in Pauly Encycl. real. IV p. 1494 et Schwabius q. C. p. 340. is ex Manliorum gente antiquissima nobilissimaque

(ad u. 206) ortus fortasse paulo ante Catullum a. 89 natus est, adulescens accusauit a. 66 P. Sullam lege Calpurnia de ambitu, a. 62 quaesturam petiit (Cic. p. Sulla 8, 24, cf. et 12, 34), a. 49 praetor factus, a. 47 in Africa contra Caesarianos dimicans interfectus est. Epicureus fuit, homo plurimarum reconditarumque litterarum (πολιτικόν uocat Cic. Brut. 76, 265); poesi eum fuisse deditum conligunt ex Cic. d. fin. I 7, 25 *quid tibi, Torquate, quid huic Triario litterae, quid historiae cognitioque rerum, quid poetarum euolutio, quid tanta tot uersuum memoria uoluptatis adfert?,* certius sequitur ex Plinii supra p. 10 exscripti uerbis, quibus et Lucium nostrum et fratrem Aulum designari probabile est (non ad hunc Manlium missum est c. LXVIII[a]). quidquid id est, hic uir certe dignus est, quem Catulli amicum fuisse dicamus. — **17, 18. qualis Idalium colens uenit ad Phrygium Venus iudicem.** ut amant per 'qualis' adnectere siue inserere conparationes (cf. infra 221, LXIV 89, LXVIII[b] 69, Weidnerus ad Vergil. p. 464), nunc Viniae formositas (cf. et 84) confertur cum pulcritudine Veneris, imagine haud rara, qua et amans amasiam suam Venerem uocauit (ex. gr. Verg. ecl. 3, 68); cf. Rohdius libri 'd. griech. Roman' p. 156. de Idalio Cypri a Venere culto cf. ad XXXVI 12. Paridem simpliciter 'iudicem' audire (Hom. Il. XXIV 28, Eurip. Tro. 924, Hel. 26, Hec. 644), in uolgus est notum; Hor. od. III 3, 19 *fatalis incestusque iudex,* Dracont. r. H. 39 *iudex Idaeus* (Verg. Aen. VII 363 *Phrygius pastor*); duplicem uocis 'iudex' naturam bene expressit Dracont. r. H. 31 *caelicolum praetor .. arbiter idem*: conposuit Paris litem dearum certantium et pulcritudinis extitit arbiter. sed haec conparationis pars num ad Manlium aliquatenus spectet, perquam dubium est; immo una Vinia formosa ad nouum maritum profectura apte uenusteque confertur Veneri omni gratia per naturam et artem plenae ad iudicium iturae. — **19, 20. bona cum bona nubet alite uirgo.** 'bona' hic non ad formam (quae iam descripta est) pertinet, sed ad mores incorruptos honestosque, quorum praedicatio cum illa saepe iungitur; Ter. Phorm. I 2, 65 *bonam, bonis prognatam*; nec sine causa 'uirgo' grauiter in finem est reiectum, tam nimirum ad efferendam uirginitatem intactam quam ad adnectendam apte conparationem sequentem. summa cum religione captabantur auspicia in ineundis nuptiis, et quidem harum ipsarum die: Cic. d. diu. I 16 *nihil fere quondam maioris rei nisi auspicato ne priuatim quidem gerebatur, quod etiamnunc nuptiarum auspices declarant*; rem accurate exponit Rossbachius p. 294 sqq. secundum graecum *ὄρνιθι αἰσίῳ* (Soph. Oed. tyr. 52) et *σὺν οἰωνοῖς ἀγαθοῖσιν* (Hesiod. fr. 149 M. ab AStatio cp.) 'ales' et 'auis' poni pro eo quod est 'auspicium' siue 'omen', notum est; Hor. od. I 15, 5 *mala ducis aui domum* ibique Lambinus. pulcre autem copulatur 'bona cum bona': probae et honestae uirgini di secunda faustaque misere omina. saepe sic internum quoddam uinculum designatur hac repetitione, ueluti Ouid. f. IV 129 *et formosa Venus formoso tempore digna est* (cf. et infra 44 sq., 195 sqq., 225 sq.). — **21, 22. floridis uelut enitens myrtus Asia ramulis.** ex

clausula strophae superioris 'uirgo' pendet haec imago poetis ueteribus adamata, qua puella pulcra et Veneri matura confertur uel flori (infra 87 sqq., LXII 39 sqq., LXIV 90) uel arbori (myrto, ut hic, etiam LXIV 89; cf. et Verg. ecl. 7, 6 *teneras myrtos*); exempla, ueluti Hom. Od. VI 163, Theocr. 18, 30, congessit Rohdius libri 'd. griech. Roman' p. 154. myrtus Veneri sacra (unde conparationi hic in noua nupta nouom accedit acumen) 'Asia' ('A' longa) audit utpote in Lydiae regione prope Caystrum nata; Verg. G. I 383 *Asia prata Caystri* ex Hom. Il. II 459 sqq., Aen. VII 701; qua in regione myrtos maxime floruisse etsi aliunde non constat, tamen ipsa illius umiditas (quae potissimum profert myrtos, cf. ad LXIV 89) ei rationi fauet, cum praesertim hic ignotam quandam fabulam cum Hamadryadibus coniunctam sequi uideatur poeta. alii, ueluti Muretus, totam Asiam minorem intellegunt; sed ad quantitatem quod attinet, solum illud 'Asis' confusione Lydicae regionis et totius orbis ex imitatione Alexandrinorum priore longa adhibuit Ouidius (met. V 648 et IX 448). 'enitens', splendens, late conspicua, ut Accius trag. 234[1] R. *probae etsi in segetem sunt deteriorem datae fruges, tamen ipsae suapte natura enitent*, Gell. XII 1, 16 *arborem laetam et nitentem*, per ramorum tenerorum florem pulcrum. — **23, 24, 25. quos Hamadryades deae ludicrum sibi rosido nutriunt humore.** Hamadryades (nymphas Seruius ad Verg. ecl. 10, 62 dicit, *quae una cum arboribus nascuntur et intereunt*; Prellerus myth. gr. I p. 568) educant fouentque hos ramos 'sibi ludicrum', ut ita habeant παίγνιον siue ἄθυρμα, delicias oblectamentumque (cf. Ruhnkenius ad Hom. hymn. Cer. 16 ibidemque Mitscherlichius, qui nostrum locum ex Aristoph. auu. 1099 fluxisse putauit): uis ac robur arboris uegetum ubere pleno laetos in omnes partes ramos emittere gaudet, qui nutrimentum accipiunt ex rore caelesti. Plin. h. n. IX 10, 38 de testudinibus *sunt .. in Africae desertis .. roscido, ut creditur, umore uiuentes*, quae de rore nocturno intellegenda esse apparet; neque hic de terrae umore propter abundans sic moleste epitheton cogitare licet. immo per umorem illum, *quem serenis astra rorant noctibus* (Peruig. Ven. 20, ubi 15 sq. *roris lucidi .. umentis aquas*) deae educant ramos laetos, h. e. arbor alitur crescitque, postquam ex aquis infernis uim roburque collegit; audacius etiam Verg. G. II 425 *hoc* (umore) *pinguem et placitam Paci nutritor oliuam* agricolam monet. uulgaris illius 'roscidus' (consol. Liu. 282) forma altera prisca 'rosidus' habetur in glossis Labb. p. 161 *rosidus* δεδροσισμένος, recentior 'roridus' apud Prop. II 30, 26 et IV 4, 48. de contracto in spondeum dactylo (coniecerunt praeter necessitatem BGuarinus 'in odore', Pleitnerus 'in agello', Maehly 'nutriuntur honore') cf. Lachmannus praef. Ter. Maur. p. XVI, LMuellerus d. r. m. p. 166. — **26, 27, 28. quare age huc aditum ferens perge linquere Thespiae rupis Aonios specus.** LXIV 372 *quare agite,* solita adhortandi formula. 'aditum ferre', quod recurrit u. 43, pro 'adire', ut LXIII 47 et alibi 'reditum ferre' pro 'redire'. saepe 'pergere' cum infinitiuo iunctum inseruit celeritati exprimendae, ut Ter. Phorm. I 4, 17

domum ire pergam, Cic. Arat. 326 *Capricornus uadere pergit,* Verg. Aen. VI 198 *quo tendere pergant.* eodem modo quo a Pi(m)plea oppidulo ad radices Olympi sito hic audit 'mons Pi(m)pleus' (CV 1), etiam 'Thespia rupes' (= mons, LXVIII^b 13, Verg. ecl. 6, 29 *Parnasia rupes,* Grat. Cyn. 430 *in Trinacria specus ingens rupe*) audit Helicon a Thespiis urbe in eius radicibus posita ad sinum Crissaeum; cf. Strabo p. 409, Paus. IX 26, Steph. Byz. s. u. *Θέσπεια*, Eust. ad Hom. Il. II 478 (Cic. Verr. IV 2, 4, Plin. h. n. XXXVI 4, 39); Varro d. l. l. VII 20 de Musis *ita ab terrestribus locis aliis cognominatae Libethrides, Pipleides, Thespiades, Heliconides.* 'Aonia' (Strabo p. 412) notissimum est dici proprie partem Boeotiae circa Heliconem sitam et inde omnia quae et ad Musas (hinc 'Aonides' dictas) et ipsum montem et totam Boeotiam pertineant uocari 'Aonia'; ex. gr. Verg. G. III 11 *Aonio rediens deducam uertice Musas*; hic Musarum respectu specus dicuntur 'Aonii'. nam antra Heliconis utpote frigida Musarum habitacula recessusque tranquillos (Pausan. IX 34, Strabo p. 410) poetae saepius commemorant, ut Hor. od. III 4, 40 *Pierio antro*, Prop. III 3, 27 sqq., Colum. X 267 *antraque Castaliis semper rorantia guttis.* — **29, 30. Nympha quos super irrigat frigerans Aganippe.** de hoc fonte Heliconis Pausan. IX 29, 3 dicit *ἐν Ἑλικῶνι δὲ πρὸς τὸ ἄλσος ἰόντι τῶν Μουσῶν ἐν ἀριστερᾷ μὲν ἡ Ἀγανίππη πηγή· θυγατέρα δὲ εἶναι τὴν Ἀγανίππην τοῦ Τερμησοῦ λέγουσι· ῥεῖ δὲ καὶ οὗτος ὁ Τερμησὸς περὶ τὸν Ἑλικῶνα. τὴν δὲ εὐθεῖαν ἐρχομένῳ πρὸς τὸ ἄλσος ἐστὶν εἰκὼν Εὐφήμης ἐπειργασμένη λίθῳ· τροφὸν δὲ εἶναι τὴν Εὐφήμην λέγουσι τῶν Μουσῶν· ταύτης δὲ οὖν εἰκὼν καὶ μετ' αὐτὴν Λίνος ἐστὶν ἐν πέτρᾳ μικρᾷ σπηλαίου τρόπον εἰργασμένῃ· τούτῳ κατὰ ἔτος ἕκαστον πρὸ τῆς θυσίας τῶν Μουσῶν ἐσαγίζουσι* (cf. et Callim. fr. 100^e, 4 Schn.). 'Nympha' proprio igitur sensu accipe; male posteriore tempore Musas easdem cum Nymphis fecerunt (cf. HDeitersius libelli 'ueber die Verehrung der Musen bei den Griechen', Bonnae 1868, p. 15 sqq.); nimirum Musae quoque Heliconiae *siluestria templa tenebant Nympharum, quibus e scibant umoris fluenta lubrica proluuie larga lauere umida saxa, umida saxa, super uiridi stillantia musco* (Lucr. V 948); qualis domus Nympharum (Verg. Aen. I 166, Prop. I 20, 34) grata erat frigore ex aquis aspersis inlato. hoc uerbum 'frigerare' nunc casu non extat nisi apud medicum Cael. Aur. acut. III 21, 208 (e coniectura fortasse est restituendum paneg. Mess. 60); 'refrigero' etiamnunc apud idoneos auctores habetur. 'super' aduerbialiter pro 'desuper' (Aen. IX 168). — **31, 32. ac domum dominam uoca coniugis cupidam noui.** iterum Hymenaeo attribuitur id quod chorus facit, qui nouam nuptam ex domo paterna uocat in domum mariti. 'domum dominam' cum pulcra paronomasia respectu deriuationis est dictum; nam a domo erus siue paterfamilias dictus est 'dominus', era siue materfamilias 'domina' (Plut. q. R. 30 *ὅπου σὺ κύριος καὶ οἰκοδεσπότης, καὶ ἐγὼ κυρία καὶ οἰκοδέσποινα*); falluntur que nostri etymologistae ad alia aberrantes (GCurtius libri 'Grundzuege' p. 232^5); amabant illam cognationem indicare ueteres iungentes ex. gr.

Cic. d. fin. I 18, 58 *neque enim ciuitas in seditione beata esse potest, nec in discordia dominorum* (eri et erae) *domus*, tragicus inc. 184 R. *o domus antiqua, heu quam dispari dominare domino*, Plaut. Capt. pr. 18, Ouid. tr. III 1, 58 *isdem sub dominis aspiciare domus,* Petron. 76 *dominus in domo factus sum*; Macr. I 15, 22 *nuptam in domo uiri dominium incipere oportet adipisci.* quamquam inest in uulgata scriptura, quod oppido displiceat. nam cum requiramus, 'coniugis noui' accedere ad 'domum', obstat huic rationi paene necessariae intercedens illud 'cupidam'. licet enim domus mariti ipsa possit dici cupida dominae (cupide eam expectare), tamen ita sunt posita uerba, ut nemo non 'cupidam' ad 'dominam' referat. hanc uero desiderio teneri uiri, nunc, ubi prae pudore tardat paternam domum relinquere, nihil sane attinuit commemorare. hinc natae sunt coniecturae nonnullae ualde infelices (ueluti Passeratii 'domu'). mihi omnis ambiguitas sublata uidetur mutatis uocum finibus 'cupidi nouam'. iam enim non potest 'coniugis cupidi' (cf. 54) non referri ad unum 'domum', ut 'nouam' ad solum 'dominam'. notum est, 'nouos coniunx' et 'nouos maritus' (u. 54 sq.) et 'nouos uir' (LXVI 20), νεόνυμφος, porro 'noua nupta' (domina), νέα νύμφη (Fest. p. 170[b], 26), dici de sponso sponsaque uixdum per iustas nuptias iunctis. — **33. mentem amore reuinciens.** haec quoque iam melius intelleguntur. neque enim tantum amor mariti dicitur, sed multo magis ipsius domus, in quam illa est intratura materfamilias: Hymenaeus efficiet ut huic domo sit recta ueraque domina futura neque extra domum libera solutaque bonis moribus uagetur. 'reuinciens', adligans firmis quasi uinculis, rarius ponitur translate; similiter Aen. VIII 394 *tum pater aeterno fatur deuinctus amore.* — **34, 35. ut tenax edera huc et huc arborem implicat errans.** haec de arto maritorum amplexu (102 sqq.) uulgo accipiunt, cum sit sensus: tam firmo uinculo ad noui coniugis domum adligetur Vinia quam edera; quae solet natura sua in omnes partes (Hor. epod. 4, 9 *huc et huc euntium*: Hand. Turs. III p. 106) euagari passimque crescere (Verg. ecl. 4, 19 *errantes ederas,* Cic. d. sen. 15 *serpens multiplici lapsu et erratico,* cf. et κισσὸς πολυπλανής), sed tenax siue astricta (Ouid. met. IV 377 *complexu coierunt membra tenaci*) se illigat arbori, quacum est coniuncta; Paul. Festi p. 100 *hedera . . in tutela Liberi putabatur esse, . . quia ita omnia, sicut ille mentes hominum, illigat,* Amm. Marc. XV 2, 9 *opulenti pulsantes praesidia potiorum isdemque tamquam ederae celsis arboribus adhaerentes.* — **36, 37. uosque item simul, integrae uirgines, quibus aduenit par dies.** conuertit se puer praecinens ad uirginum chorum, qui et ipse Hymenaeum inuocandi partem sumat. 'que' interdum nouam personam siue addens siue opponens fortiter fere adaequat 'quoque', ut CII 3, Sall. Cat. 27, 4 *seque* (= se quoque) *ad exercitum proficisci cupere,* glossae Hildebrandi p. 208 *meque, et me*: sibi accedere in auxilium iubet puer puellas; quod eo facilius hic licet, quod 'item' praeterea accedit ad efferendum pronomen, ut Plaut. Aul. II 2, 49 *te esse hominem diuitem factiosum, me item esse hominem*

pauperum pauperrimum. 'simul', una mecum. 'integrae', ut XXXIV 2. 'par', idem (scil. nuptialis). 'aduenit' (LXIV 328) pro 'adueniet', quia puellae nouae nuptae aequales iamiam in eo sunt, ut ipsae nubant. — **38, 39. agite in modum dicite.** canite (ad LXII 4), agedum, ad certos numeros (εὐρύθμως) mecum hunc uersum intercalarem. infra 116 *concinite in modum,* Verg. ecl. 6, 27 *in numerum faunosque ferasque uideres ludere*, Tib. I 7, 38 *mouit et ad certos nescia membra modos*; cf. supra ad 13. uerba autem a uirginibus canenda tantummodo intellege ea quae recurrunt siue ἐπιφώνημα (39 sq., 49 sq., 59 sq. *quis — ausit* ectr., 91 ectr.). nam quam difficile fuerit, docere hos choros modos carminum integrorum, ex iocosis Horatii uersibus (od. IV 6, 35 sqq.) intellegimus, ut non sine causa in his fescenninis solos uersus intercalares a choris cantari uoluerint poetae. — **41, 42. audiens se citarier ad suum munus.** si percipit (Ellisius cp. Callim. h. Apoll. 21 ὁππότ' ἰὴ παιῆον ἰὴ παιῆον ἀκούσῃ), se ab omnibus uocari, inuitari, ad obeundum proprium sibi officium. nam 'citare' hic respectu superioris strophae habeas pro mero frequentatiuo; ceterum cf. Ouid. epist. 7, 101 *hinc ego me sensi noto quater ore citari* et fast. V 683 *citaui .. numina magna Iouis.* priscam infinitiui terminationem (Neuius II p. 409) in hoc carmine saepius adhibet C. (*compararier* 65 ectr., *nitier* 68), semel praeterea LXVIII^{b} 101 *componier*: indicium ingens, nostrum poema ante LXVIII^{b}. h. e. anno fere 62 uel 61 esse scriptum. 'munus', scil. a Venere inpositum, quod u. 44 sq. designant. — **44, 45. dux bonae Veneris, boni coniugator amoris.** praedicatiue haec accedunt ad 'huc aditum ferat'. Hymenaeus est dux thalamis constitutus (Claudian. l. ad u. 1 l. *Cytherea ducemque praefecit thalamis*) siue honestae legitimaeque ueneris signifer, et hinc simul faustum amorem coniungit: est eadem uocis 'bonus' a significatione uarietas, ut supra 19 et infra 195 sqq. 'coniugator' (ἅπαξ λεγόμενον), qui sub iugum redigit (cf. ad LXVIII^{b} 78), ueterum Romanorum deus Iugatinus (Prelleri myth. Rom. p. 582); Caluus fr. 6 de Cerere *et cara iugauit corpora conubiis,* Arnobius, qui V 25 *iugator boum* dixit, similiter habet II 16 *nos corporum coniugationibus nascimur* (V 21 *coniugatio uxoria*), Augustin. conf. VI 13 *iam coniugatus* (uxorem habens); Cic. d. off. I 58 *amicitia, quam similitudo morum coniugauit* (= copulauit). — **46, 47. quis deus magis amatis est petendus amantibus?** transitur iam ad sollemnem dei laudem. 'magis' ad 'petendus' refer, ut 48. corrupta uox 'amatis', quae metro repugnat, excitauit iam olim ingenia criticorum uaria sine probabilitate temptantium, ut Auantii 'optimis', Statii 'a macris', BGuarini 'magis ac magis', Scaligeri 'm. ah magis' proponentium male utique, ut recte ostendit Hauptius [opusc. I p. 16 sq.], qui ipse maluit 'anxiis'. sed licet *anxius optat* (h. e. inter spem metumque dubius) similiaque recte dicantur, recte etiam apud Stat. silu. I 2, 81 Stella amore nondum declarato *premat anxius ignes* (ut alia magis abhorrentia mittam), tamen amantibus coniungi cupientibus, quales hic commemorantur, non anxietas mentis conuenit, sed

triste animi desiderium (I 10). neque melius Bergkio res successit periclitanti 'est ama-tis petendus amantibus'; nam certam formulam 'amare amari' (XLV 20) nemo Romanorum ita deflexit, ut diceret 'amati amantes' similiterue. refutabone ceterae turbae conamina, ut Heysii 'a catis', Froehlichii 'a diis', Pleitneri 'mage mutueis'? satis datum esse puto lusibus. ego comparans LX 5 *a! nimis fero* (V 'animis') et LXVI 85 *a! mala dona* (V 'amala') ex 'amatis' erui 'a! malis', hunc datiuum fere adaequare statuens 'finiendis miseriis suis' (XXX 3, Hor. od. III 12, 1 *neque dulci mala uino lauere*). etenim si 'deum petere' non tantum ualet 'rogare' (cf. Verg. Aen. VI 115, Plaut. Curc. 148), sed sensu latiore 'dei auxilium inplorare', facile in nota dictione 'aliquid alicui (rei) petere' datiuus quem uocant commodi accedit ad alterum illum personae (= ab amantibus), cum praesertim non uerendum fuerit nequis sine sensu 'malis amantibus' copularet; similiter Cic. d. or. I 23, 105 *gerendus est tibi mos adulescentibus* (et sic duo diuersi datiui iuxta sunt positi IV 22). notum est autem, quam saepe interiectio ex mente eorum, qui siue in tristitia uersantur siue alio modo adfecti sunt, adiciatur. — **48, 49. quem colent homines magis caelitum?** supple 'igitur'. nam ut futurum indicat (Kuehnerus gr. l. II p. 111), ex posito illo, nullum deum magis esse inplorandum amantibus, hoc iam consequi dicitur, ut neminem deorum magis uenerentur omnes homines; et haec quidem sententia ab amantibus magis in uniuersum ad totum genus humanum progressa inlustratur 65 sqq. — **51. te suis tremulus parens inuocat.** persequitur C. illud, nullum deum magis pie colendum esse, ante omnia patri grandaeuo (infra 154, LXIV 307, Plaut. Curc. I 3, 3 *anus tremula*, Ter. Eun. II 3, 45 *incuruos, tremulus .. gemens*), qui de sorte suorum (LXII 45, 58), quos hic maxime intellege filias nondum locatas, sollicitus has quam primum nubere cupit. Plaut. Amph. V 1, 9 *deos sibi inuocat*, Anth. lat. Mey. 1704, 30 *multa inuocant prece uos, dede puellae* (ubi cf. et 48 sq.) — **52, 53. tibi uirgines zonula soluunt sinus.** ut Graeci λύειν ζώνην siue μίτραν (Hom. Od. XI 245, Theocr. 27, 55; Spanhem. ad Callim. h. Dian. 14), ita Romani 'soluere zonam' siue 'cingulum' dicebant de marito, qui nouae nuptae potitur uirginitate cingulo ante munita saeptaque (Richius s. u. 'zona'); II 6 et LXVII 28, Varro sat. Men. 187 B. *nouos maritus tacitulus taxim uxoris soluebat cingillum,* Ouid. epist. 2, 116 *castaque fallaci zona recincta manu,* Paul. Festi p. 63 *Cinxiae Iunonis nomen sanctum habebatur in nuptiis, quod initium* ('initio' codd.) *coniugii solutio erat cinguli, quo noua nupta erat cincta* et ante *cingulo noua nupta praecingebatur, quod uir in lecto soluebat, factum ex lana ouis, ut, sicut illa in glomos sublata coniuncta inter se sit, sic uir suus secum cinctus uinctusque sit; hunc Herculaneo nodo uinctum uir soluit ominis gratia, ut sic ipse felix sit in suscipiendis liberis, ut fuit Hercules, qui septuaginta liberos reliquit.* cf. et Schraderus ad Musaeum p. 344. hic uirgines, quod fieri alibi patiuntur, ipsae faciunt (ut Eurip. Alcest. 175), dum sinus siue uestem laxant remota zonula (quod deminutiuum praeterea habent Lamprid. Alex.

Seu. 52 et Serenus fragm. 14 LM.) et corpus uiro tradunt (LXVI 80 sq.). 'tibi', in tuam gratiam, ut Verg. ecl. 8, 30 *tibi deserit Hesperus Oetam,* infra 185. — **54, 55. te timens cupida nouos captat aure maritus.** nouos (ad 32) maritus in domo sua anxius metuensque, nequid inprouisi turbet gaudia sperata (paulo aliter Stat. silu. I 2, 31 sq.), expectat deductam sollemniter feminam, auide auscultans, num pompam Hymenaeum clamantem adpropinquare audiat. Verg. Aen. III 514 *atque auribus aera captat,* ubi cp. Liu. XXXVIII 7, 8 *sonitum aure admota captare.* 'timens' inmutandi iusta causa non adest ('tumens' Dousa iunior, alia alii uoluere). forma prisca 'nouos' non intellecta effecit, ut 'maritos' quoque reponeretur in V, plane ut LIII 3. — **56, 57, 58. tu fero iuueni in manus floridam ipse puellulam dedis e gremio suae matris.** Festus p. 289 *rapi simulatur uirgo ex gremio matris aut, si ea non est, ex proxima necessitudine, cum ad uirum traditur, quod uidelicet ea res feliciter Romulo cessit*; Rossbachius p. 329. ipso duce Hymenaeo (cf. u. 3) hunc raptum usu uenire fingit poeta, quippe cum illo permittente ac procurante omnia haec fiant. 'ferus' autem sponsus audit et ut raptor crudelis inmitisque et ut indomita libidine flagrans (LXII 23 *ardenti iuueni*, Ouid. rem. 267 *ne te ferus ureret ignis*). 'florida', cf. ad XVII 14, Ouid. met. VII 216 *in florem redeat primosque recolligat annos* (LXVIII[a] 16 *florida aetas*), Ter. Maur. 2155 *florea uirginitas.* 'in manus dedis', tradis in potestatem arbitriumque et propriam dicas (LXIV 374), cum recordatione ueteris illius sed Catulli tempore iam paene abolitae in manum conuentionis dictum est; de qua conubii forma cf. Rossbachius p. 10 sqq., 53 sqq. 'gremio matris', siue ubi antea dormire solebat filia (LXIV 88) siue in quod ea raptorem pauens uirginali metu fugerat (LXII 22); Val. Flacc. VII 49 *gremiis abducere natas,* Ambros. epist. I 6 *pactam e gremio matris non abduci* (Apul. met. IV 26 *de medio matris gremio rapuere*). — **61, 62, 63. nil potest sine te Venus, fama quod bona comprobet, commodi capere.** 'sine te' ex opposito 'te uolente' apparet esse 'te nolente nec adiuuante'; nisi malis interpretari 'sine tua praesentia'; cf. Claudian. l. ad. u. 2 l. *nullum iunxisse cubile hoc sine fas.* iuncta quippe furtim nec legitimo foedere uenus non gaudet rumore secundo (Verg. Aen. IV 221 *et oblitos famae melioris amantes,* Ouid. fast. IV 155 *supplicibus uerbis illam* [Venerem] *placate*; *sub illa et forma et mores et bona fama manet,* Ter. Phorm. IV 5, 12 *id si non fama adprobat*) et uero fructu caret, scil. liberis, ut persequitur strophe proxima (apte Passeratius cp. Aen. IV 33 *nec dulcis natos, Veneris nec praemia noris*). iam Vulpius cp. Ter. Eun. V 6, 1 *ex meo propinquo rure hoc capio commodi* (ibid. III 5, 25). — **63, 64. at potest te uolente.** propitio ac iubente (cf. ad XI 13), ut Verg. Aen. I 302 *ponuntque ferocia Poeni corda uolente deo.* ceterum attende ad bellam oppositionem hic et in sequentibus 'nil potest — at potest'. — **64, 65. quis huic deo compararier ausit.** mala adest in hoc uersu intercalari oppositio. nam hominum certe nemo facile se conferre audeat Hymenaeo utpote deo; at si nec Venus sine eo quid-

quam ualet, nemo scilicet deorum huic, i. e. tam potenti, sustineat se comparare: qualis laus per se nimia in nullo ad certum aliquem deum hymno offendit. itaque 'deo' aut ex 'deum' mala ad prius 'huic' adsimilatione aut potius ex 'deus' (de⁹) ortum puta. — **66, 67, 68. nulla quit sine te domus liberos dare nec parens stirpe uitier.** omnis uitae cultae fundamentum est conubium legitimum, ut indicauit stropha prior: illinc domus iusta cum patre et matre familias, illinc liberi ueri scilicet, quorum maxime quaerundorum causa iniri conubium apud Romanos peruulgata erat opinio (Rossbachius p. 4). opponuntur haec tacite contubernio maris et feminae et qui ex hoc gignuntur liberis spuriis. infra 205 *liberos date* (procreate, edite), Colum. X 385 *subolem dabit illa capacem.* Aen. I 274 *geminam partu dabit Ilia prolem.* amplificantur haec per proxima: nec ullus qui parit liberos (ex. gr. seruus) sine te tuisque taedis sollemnibus auctor esse potest familiae. Scaliger haec ita intellegit 'nec transmittere ad liberos hereditatem, quia ex non iusto coniugio conceptus est peregrinae condicionis'. contra quem recte Bernardus Martinus [uar. lectt. III 17]: 'de iure sanguinis potius, ut loquuntur nostri, quam de iure hereditatis interpretandus ille locus, ut dicat Catullus . . non rite peractis nuptiarum sollemnibus nec uxorem nec dotem nec matrimonium intellegi; siquidem certissimi iuris est, ex impuro et illicito concubitu natos communes parentes appellare non posse, ut dicitur de eo qui ex libera et serua aut ex adultera matre conceptus est; iubet enim lex eum tamquam uulgo quaesitum et *ἀπάτωρα* ceu spurium haberi' eqs.; apte Pleitnerus in hanc interpretationem cp. Gaium I 64. nimirum 'stirpe' siue 'prole' (Aen. XI 394 *Euandri totam cum stirpe uidebit procubuisse domum*) tamquam radice nititur spes generis nominisque ad posteros propagandi; iam AStatius cp. Prop. IV 11, 69 *et serie fulcite genus*; adice ex. gr. Stat. silu. IV 7, 30 *alma prole fundasti uacuos penates* et Plin. epist. IV 21, 3 *cui nunc unus ex tribus liberis superest domumque pluribus adminiculis paulo ante fundatam fulcit ac sustinet*; et notum est quam saepe filii columnae ac fulcra domorum audiant (Eurip. Iph. Taur. 57 *στῦλοι οἴκων*). hinc licet opitulari corrupto illi 'uitier' (O 'uities', G 'uicier'), unde omnium et facillime et oportunissime elicuit Auantius 'nitier', quod nunc amplector conf. Cic. p. Cael. 32, 79 *qui hoc unico filio nititur.* nec a mutationis lenitate nec a sententiae bonitate huc aspirant cetera commenta, Italorum 'uincier' ('superari, ut maiorem nepotum uideat subolem' BPisanus frigidiuscule), Scaligeri 'iungier', Schraderi 'cingier'. — **71, 72, 73. quae tuis careat sacris, non queat dare praesides terra finibus.** sacrificiis tibi oblatis: Ouid. met. VII 700 *post sacra iugalia* et epist. 12, 87 *Iuno sacris praefecta maritis,* Seru ad Aen. III 136 *apud ueteres neque uxor duci neque ager arari sine sacrificiis peractis poterat*: auspicia et sacra legitimi conubii fundamentum; cf. Rossbachius p. 309. haec si desunt, h. e. si more ferarum libera uenere miscentur homines, deest et familia et quae ex hac prodiit complurium et in uicis pagisque et in urbibus et in ciui-

tatibus societas, desunt quae ex hac rursus profluxerunt iura omnia et respublica bene constituta legibusque moderata certisque finibus comprehensa, deest denique hos fines contra hostes defendendi amor ardorque ciuium, qui iam nulli sunt. indicat enim 'praesides' tutores defensoresque, ut Plaut. Rud. IV 4, 7 *ite, inquam, domum ambo iam nunc ex praesidio praesides*, Liu. XXIII 48; maxime numina tutelaria praesides terrae dei appellabantur. modestiore modo per 'quae careat .. non queat (at queat)' haec profert poeta non nescius, se utpote Romanum sic sentire ac loqui nec deesse gentes alio more uiuentes. — finito sic in summa potestate Hymenaei hymno nunc, quasi dei praesentiae certus sit, ad rem ipsam transgreditur is qui uerba facit, nouam nuptam admonens ut ex paterna domo cum pompa sua prodeat incipiatque ire ad maritum. — **76, 77. claustra pandite ianuae, uirgo ades.** uere omnino Schraderus correxit 'ades' (h. e. adesto, ut LXII 5, Verg. ecl. 2, 45 et saepe) pro tradito 'adest'. neque enim iam adest uirgo ibi, ubi flagitatur, sed ut adsit tandem rogatur identidem per totam quae sequitur partem (cf. u. intercalarem, qui huius partis indolem reddit, 'prodeas noua rupta'). et ut hoc 'u. a.' altiore uoce dicitur ad puellam pone fores in ostio siue in atrio remorantem, ita ad ministros adstantes, qui ad domini (patris puellae) nutum aperturi sunt fores, ex quibus pompa nuptialis est proditura, inpatientior praecentor haec uerba facit, ut claustra siue ea quae claudunt, repagula et obices, reserent et ita ianuam patefaciant; Ouid. am. I 6, 2 *difficilem moto cardine pande forem*, Petron. 89 *Danai relaxant claustra* (Ouid. l. l. 17), Sil. Ital. VII 334 *reserent quo claustra*: apparet cum quadam breuiloquentia duas locutiones esse confusas. — **77, 78. uiden ut faces splendidas quatiunt comas?** nonne uides, quam omnia te prodeuntem expectent ad deductionem? ad puellam haec quoque dicta putabis aptius quam in uniuersum; nam illud 'uiden' (h. e. uidesne, cf. Neuius II p. 435) potest sane etiam ad complures pertinere, ut LXII 8, Tib. II 1, 25. ceterum 'uiden ut (= quomodo)' recentiores maxime cum coniunctiuo (Tib. l. l., ubi u. Huschkius, Sil. Ital. XII 713 *uiden ut Latonia uirgo accensas quatiat Phlegethontis gurgite taedas?*), uetustiores (ut praecipue comici) cum indicatiuo iungere amant, ut LXII 8, Verg. Aen. VI 779 sq. (Bentl. ad Hor. epist. I 1, 91); sic et 'uidete quam' construitur in fragmento C. Gracchi apud Charis. p. 240 K. *em, uidete, quam par pari non stat* ('pari si non at' codex, perrexit grammaticus per 'quidam'). uibratae ad uersum intercalarem faces (cf. ad 15) iubar late coruscans spargunt emittuntque 'comas' siue 'crines', imagine ualde adamata, in quam Gronouius [diatr. Stat. I p. 536 H.] inter alia cp. Sen. Oed. 309 *utrumne clarus ignis et nitidus stetit . . et summam in auras fusus explicuit comam*, Val. Flacc. I 205 *protulit ut crinem .. ignis*, Sil. Ital. X 550 *celsam pinum flammaque comantem* (AStatius cp. Aesch. Ag. 306 φλογὸς μέγαν πώγωνα, Vulpius id. Prom. 1044 πυρὸς ἀμφήκης βόστρυχος). — post u. 78 aperte nonnulla interciderunt; nam uelle restituere strophen integram u. 80 auctore Lachmanno reiciendo in lacunam illam post u. 106, id uero et inopor-

tunum plane est et arti criticae contrarium. illud dubitari potest, sitne ante an post 79 lacuna statuenda; in qua quid fere interciderit manifestum est. postquam enim haec strophe finem fecit in adhortatione fugiendae amplioris morae, in nouae strophae initio causae, cur tamen remoretur sponsa nec uelit relinquere patrios lares, exponuntur; ire quidem iubet amor desideriumque uiri futuri, sed repugnat retinetque uirginalis modestia pauorque. — **79. tardet ingenuus pudor.** 'tardet' etsi ignotis eis quae praecesserunt potest esse coniunctiuus, tamen fortasse praestat repetere a uerbo 'tardere', quod a priscis pro eo quod est 'tardescere' aeque sit usitatum, ut IV 26 'senet' pro 'senescit'. 'ing. pudor' modestia ruborque, qualis decet uirgines ingenuas siue honestas: Plin. h. n. praef. 21 *est . . plenum ingenui pudoris fateri, per quos profeceris,* Sen. Phaedr. 250; et hic pudor siue rubor audit *ingenuus color* Prop. I 4, 13 et Petron. Anth. 98 [PLM. IV p. 98]; AStatius cp. Phil. fr. 16 B. *ἀγαθὴ δ' ἐπὶ ἤθεσιν αἰδώς* et Claudian. 14, 3 G. *iam nuptae trepidat sollicitus pudor, iam produnt lacrimas flammea simplices.* Lygdam. 4, 32 *ut iuueni primum uirgo deducta marito inficitur teneras ore nitente genas.* — **80, 81. quem tamen magis audiens flet quod ire necesse est.** 'tamen' et 'magis' fauere uidetur ei quam indicaui affectuum in uirgine repugnantiae: fortior cuique magis obtemperet uirgo est pudor. 'audire aliquem', alicui aures dare siue parere, ut Cic. ad fam. II 7, 2 *te audi, tibi obtempera,* Verg. G. I 514 *neque audit currus habenas.* Rossbachius p. 262 cp. Plut. q. R. 105 *ὁ Βάῤῥων εἴρηκεν ὅτι λυπούμεναι μὲν αἱ παρθένοι γαμοῦνται, χαίρουσι δὲ αἱ γυναῖκες.* cf. de his lacrimis LXVI 16. — **82, 83. flere desine: non tibi, Aurunculeia, periculum est.** lepide lacrimae ex pudore femineo profusae siccantur blanditiarum genere exquisito. 'Aurunculeia' nominis formam rectam (cf. Teuffelius in Pauly Encycl. real. I p. 2183) habet optimus liber **O**, 'Arunculeia' **G** cum solita illius 'au' in 'a' deprauatione (de qua cf. ex. gr. Guil. Schmitzius libri 'Beitraege' p. 96 sqq.). nouum autem acumen his uerbis accedit, si Viniae a matre accessisse nomen Aurunculeiae statuimus, ut supra significaui: cur eo appelletur hoc loco, intellegimus recordantes Horatianum *o matre pulcra filia pulcrior.* Nepos Eum. 8, 2 *itaque periculum est, ne faciant quod illi fecerunt* et saepius (AStatius: 'ita prope dixit, ut Cicero *caue putes*'). — **84, 85, 86. nequa femina pulcrior clarum ab oceano diem uiderit uenientem.** uis inest uoci 'femina', h. e. puella ex uirgine iam facta coniunx. 'clarum', ut omnia inlustrantem ita te nouam feminam ostendentem. 'diem', solem, ut ex. gr. Aegrit. Perd. 132 [PLM. V p. 118] *iamque dies ortus clarior.* 'ab' (= ex parte oceani) pro consueto magis 'ex', ut Anth. lat. 139, 45 [PLM. IV p. 136] *surgit ab Oceano Tithoni fulgida coniunx.* Ciris 350 *uenientem ignem.* 'uiderit', licet sit coniunctiuus, uim simul habet futuri exacti (in oratione derecta: crastinum diem nulla umquam mulier uiderit formosior). Ellisius, qui et Eurip. Hec. 635 cp., putat esse inuersionem illius Callim. h. Dian. 249 *τοῦ δ' οὔτι θεώτερον ὄψεται Ἠώς.* —

87, 88, 89. **talis in uario solet diuitis domini hortulo stare flos hyacinthinus.** similis atque u. 21 sqq. (ubi uide) comparatio ad efferendam Viniae pulcritudinem faciens. 'hortulus' ut iam excitat in legentium animo imaginem horti saepti (LXII 39) et cura multa culti, ita huius curae inpensae notio intenditur attributo 'diuitis' (Hom. Il. XI 68 ἀνδρὸς μάκαρος κατ' ἄρουραν); audit autem ille 'uarius' utpote uariis coloribus siue floribus (LXIV 90) distinctus pulcherque, hoc ampliore uocis usu nouo. 'stare', recto (non fracto nec inclinato) caule uigere. expressit C. graecum ὑακίνθινον ἄνθος (Hom. Od. VI 231 et XXIII 158, Eur. Iph. Aul. 1298), ut uidit Teufelius de uoc. sing. p. 34, qui posteriores (ut Pers. 1, 32) 'hyacinthinus' de colore potius adhibere adnotauit. Verg. Aen. XI 69 *florem hyacinthi*; de quo flore ipso cf. Vossius ad Verg. G. IV 137 (p. 779 sqq.), de fabulis Hemsterhusius ad Lucian. d. d. 14 (II 290 sqq. Bip.) et Rohdius libri 'd. griech. Roman' p. 91. — **90. abeit dies.** sic restitui hic ceterisque locis pro tradito in V 'abiit' (cf. supra p. 51). nam perfecto tempore omnino est opus, siquidem Vesper defluxisse diem et initium pompae instituendae adesse indicans nunc, ubi haec dicuntur, dudum apparuit. ualet igitur 'abiit dies' (cf. Plaut. merc. III 2, 32 *sol abit*) plane idem atque illud 'Vesper adest' LXII 1. de forma contracta 'abit' (i longa, unde priscum 'ei') cf. Neuius d. f. l. II p. 522. — **91. prodeas.** scil. ex domo paterna; cf. et Broukhus. ad Tib. I, 10 70. de adhortatiuo ad VIII 1. — **92, 93. si iam uidetur.** haec uitae cottidianae formula (ex. g. Plaut. Capt. II 1, 23 *secede huc nunciam, si uidetur, procul*) hic instat urguetque aliquantum, ut alibi interdum 'sis', 'sodes', 'si placet' similiaque. — **94. nostra uerba.** aut eius qui loquitur choragi aut totius chori uerba recurrentia 'p. n. n.' canentis; nam ut 'dicere' pro 'canere', sic 'uerba' pro 'cantus', ut Hor. od. IV 9, 4. inepte Ellisius ad 'nupta uerba' (Fest. p. 170) adludi putat. — **uide ut.** sic melius Itali restituerunt quam 'uiden?' pro eo, quod in V mala u. 77 recordatione scripsit librarius 'uiden ut' metro repugnante. 'uide ut' autem et ipsum multo magis eius qui urguet est quam 'uiden?' — **95. aureas.** color ignis (ut et lucis, cf. χρύσεον φάος) saepe cum auro comparatur: Lucr. VI 205 *liquidi color igneus auri,* Pindar. Ol. 1, 1 ὁ δὲ χρυσὸς αἰθόμενον πῦρ. — **97, 98. non tuus leuis in mala deditus uir adultera.** iterum cum moretur Vinia, alio modo ea est elicienda: describitur nunc (97—113) mariti fidus amor et gaudia Veneris coniuges expectantia. 'non' pariter ad 'leuis' et 'deditus' pertinens cum ui praepositum, ut et 'tuus' conlocatione effertur prae aliis: tuus maritus, utpote non leuis (inconstans et facile tui inmemor, ut ex. gr. Prop. II 24, 18), non scorti alicuius foedi amori indulgens eqs. 'malus' (ut contra 'bonus' pro 'ingenuus, honestus') pro 'infamis, turpis', ut XV 10, Ter. Eun. prol. 37 *bonas matronas facere, meretrices malas.* nam 'adultera' hic sensu primario est quaelibet mulier (paelex) maritum corrumpens; cf. Paul. Festi p. 22 et Ouid. met. X 347 *adultera patris.* 'in' praepositio curam intentam, quae in persona aliqua uel re commoratur

residetque, multo fortius quam nudus ablatiuus exprimit; unde omnibus uerbis, quae amoris aliqua significatione utuntur, addi amat; cf. XLV 23 et LXIV 98, Ouid. met. VI 490 *in illa aestuat* et VII 21 *quid in hospite . . ureris* et IX 725 *ardetque in uirgine uirgo*, plura dant Heins. ad Verg. Aen. VII 623, Broukhus. ad Prop. III 6, 28, Burm. ad Ouid. met. IV 234, Hertzbergius ad Prop. I 13, 7, qui cp. Lucr. III 647 *et semel in pugnae studio quod dedita mens est* et VI 815 *quibus est in rebus deditus ipse,* denique Draegerus synt. hist. I § 298, 6. — **99. probra turpia persequens.** sic optime Itali correxere lectionem in V obuiam 'proca'; quam uocem nihili frustra nonnulli defenderunt ad procandi uerbum (unde 'procax, procatio, procus') prouocantes, nec sententia nec prosodia fauente. 'probrum', flagitium uel stuprum, saepe in femina adhibetur de adulterio (Plaut. mil. II 4, 11, Liu. XXV 2 *matronas apud populum probri accusarunt,* Gell. IV 3 *paelicem autem appellatam probrosamque habitam* et X 23, 4 *si cum alieno uiro probri quid fecit*) et in uiro de malo rumore et turpitudine, quae ex libidine profluit, ut Ter. Andr. V 3, 10 *hanc habere studeat cum summo probro,* Phorm. V 4, 6, alibi; hic magis in uniuersum accipio 'flagitia foeda', ut XCI 4 *ab turpi mentem inhibere probro.* 'persequi', exercere, facere. — **100, 101. a tuis teneris uolet secubare papillis.** seorsum a te cubare solus, ut Tib. I 3, 26, Ouid. am. III 9, 34. Liu. XXXIX 10 (LXIV 378). Reposian. 59 [PLM. IV p. 351] *teneras papillas.* recte Ellisius priscam quandam simplicitatem hic agnouit, ut Lucr. I 38 *tuo corpore sancto* et I 413 *meo diti de pectore,* ubi cf. Munro. — **102, 103, 104. lenta sed uelut adsitas uitis implicat arbores, implicabitur in tuum complexum.** sollemnis in arto amantium amplexu imago (cf. et ad LXII 54): Hor. od. I 36, 20 et epod. 15, 5 sq., Stat. silu. V. 1, 46 *sed te ceu uirginitate iugata* ('iugatum' codd.) *uisceribus totis animaque amplexa fouebat, qualiter aequaeuo sociatam palmite uitem ulmus amat,* ubi itidem ratione huius comparationis neglecta uir uiti confertur, Anth. lat. 113, 3 [PLM. IV p. 103] *brachia non hederae uincant,* Claudian. 14, 19 G. *tam iunctis manibus nectite uincula quam frondens edera stringitur aesculus, quam lento premitur palmite populus*; alia dant IGrimmius opusc. min. II p. 378, Rohdius libri 'd. griech. Roman' p. 158. 'lenta' flexibilis, ut Verg. ecl. 3, 38 *lenta uitis* et 10, 40 *lenta sub uite.* 'sed' (s;) recepi ex **O**, 'que' (q;) errore obuio habet **G**, unde 'quin' elicuit Muretus; de 'sed' postposito cf. LI 9 (supra p. 18). 'adsitus', iuxta satus, ut Cato d. r. r. 32 *arbores bene maritae sint uitesque satis multae adserantur,* Varro d. r. r. I 16, 6; Beda in Keilii G. L. VII p. 276, 17 *insita arbor est cui incisae alienum germen includitur, adsita cui incolumi aliud, quod sustineat, adiungitur.* uitis imagine praeualente cum arbores magis illius adminiculum sint, non 'adsita' sed 'adsitas' est positum. 'implic.', firmiter adstringere, ut Ouid. met. IV 364, Tib. I 4, 51. — **107, 108. o cubile quod omnibus . . . . candido pecte lecti.** strophe aperte lacunosa continuit adlocutionem ad lectum (VI 7), quam in rem iam Muretus praeter Prop.

II 15, 2 *lectule deliciis facte beate meis* cp. Ticidae fr. 2 M. eodem metro scriptum *felix lectule talibus sole amoribus.* 'candido', eburneo (quos lectos Vulpius monet a Graecis ἐλεφαντόποδας uocatos esse, cf. Plato com. fr. inc. 8), quales pedes erant in lectis magnificis (LXIV 48). cf. et Ter. Ad. IV 2, 46 *lectulos ilignis pedibus,* Lucil. I 44 M. *pedes lecti.* — **109, 110. quae tuo ueniunt ero, quanta gaudia.** 'tuo', siue lecti (continuata adlocutione) siue potius Viniae domino (h. e. marito). 'quae' (= qualia) et 'quanta' (= quot, ut LXVIII^{b} 2) asyndetice iunguntur in gradatione. 'ueniunt', obueniunt, ut Prop. II 3, 46; de praesenti ad u. 37. 'gaudia', scil. uenerea, ut LXVI 16, Tib. I 5, 39, Prop. III 8, 30 et saepe. — **110, 111, 112. quae uaga nocte, quae medio die gaudeat.** de figura etymologica, quam uocant, cf. praeter alios GLandgrafius in actorum semin. Erlang. uol. II; cf. ex gr. Ter. Andr. V 5, 8 *gauisurum gaudia,* Cic. ad fam. VIII 2, 1 *ut suum gaudium gauderemus.* alia apud Cat. exempla sunt haec: XIV 3 *odissem odio*, LXIII 15 *sectam secutae,* LXXXI 6 et CX 4 *facinus facere* (etiam XXIII 18). recte monet AStatius, ut solem currentem 'uagum' LXIV 271, sic noctem utpote curru uectam (Tib. II 1, 87 *iam uox iungit equos*, ubi cf. Broukhusius, CRobertus Hermae XIX p. 467) et uolantem (Enn. ann. 416 V.) dici 'uagam' siue celerem, fugacem. de medii diei gaudiis cf. XXXII 3.

In eis quae secuntur longe alia indoles uersuum et mutata plane scaena apparet. pueri nunc adsunt, qui eodem modo, ut antea puellae, admonentur ad concinendos uersus intercalares; neque iam tenera uerba, qualia decebant et uirginum chorum et uirginis sponsae aures, sed lasciui et aculeati ioci proferuntur in medium; ad maritum porro abhinc saepius fit adlocutio; denique nouam nuptam intrare uiri domum omnia ostendunt. uulgaris est opinio (cui accessit Rossbachius p. 340 sqq.), post u. 113 iam prodire Viniam, procedere pompam nuptialem (huc spectare 116 'ite'), in hoc itinere ea quae legantur u. 114—158 locum habere. uerum enim uero credere equidem nequeo, in magnis urbibus, in quibus domus paterna et noui mariti longe distabant haud raro, per totam uiam cantum Fescenninum et nucium iactum et ceteros iocos lasciuos factos esse. Rossbachius (p. 347) in hoc itinere nouum maritum nuces pueris sparsisse putat, oblitus nimirum hunc non interesse omnino pompae, sed in sua domo positum expectare aduentum sponsae adducendae: hinc Stat. silu. I 2, 230 *festa feruet domus utraque pompa* (et ante paternas et ante mariti aedes turbae hominum sunt collectae, illi ut egredientem, hi ut aduenientem puellam uiderent; illi magis sponsae, hi magis sponsi domo amici), et est in carmine illo nuper male intellecto ea res, ut a Musis consimilique turba noua nupta ad Stellam deducatur, ut apparet ex u. 16 *te concinit iste* (*pande fores*), *te*, *Stella, chorus*; hinc apud Claudian. 10, 287 G. impatiens coniunx *callet obuius ire* pompae nuptiali. itaque fauente singularum rerum (cf. ad u. 121) interpretatione sic ego statuo, quae abhinc dicuntur ante mariti domum dici: hic collectus puerorum uel iuuenum, noui uiri amicorum, chorus

praecinente chorago concinit cum maiore licentia (ut huic loco conuenit) iocos Fescenninos, ubi adpropinquare uidet pompam, qua sponsa adducebatur. Origines in cantico canticorum praef. [Hieronym. opp. edd. Benedict. V p. 603] dicit *epithalamium libellus, id est nuptiale carmen, in modum mihi uidetur dramatis a Salomone conscriptus*: consimilis dramatis hic habemus ecce actum secundum. respondet autem haec pars ex 23 strophis constans male priori, cuius sunt strophae 24: non dubito quin illic interlapsa sit quae ad aequabilitatem deest stropha una; quamquam aegre potest definiri, ubinam loci eadem excidisse sit putanda.

114, 115. tollite pueri faces: flammeum uideo uenire. choragus, pompam nuptialem cum sponsa procul aduenire cernens (de infinitiuo cf. Kuehnerus gr. l. II p. 519), admonet pueros, ut iam faces ad uersum intercalarem (tam 117, 118 saepius posthac recurrentes quam 128 et 133) quatiendos attollant, cum iam incipiant fescennini. tali simplici admonitioni, neque sollemni neque affectus pleno, non conuenit 'o', quod uulgo post 'tollite' inserunt (et cf. 36 *integrae uirgines*), sed 'en', quod ibidem inserui quodque saepius cum imperatiuo iungitur (ut Verg. G. III 42). 'flammeum' hic est ipsa noua nupta sponsarum insigni principali (ad u. 8) obtecta. — **116. ite** plane ut in eadem re u. 38 'agite' positum (quocum et coniungitur, ut Prop. III 4, 7 *ite, agite*) ad instimulandum additur, siue omissa in uiuidiore oratione siue adiecta copula; cf. ex. gr. Bachius ad Ouid. met. XII 475. — **117, 118. io Hymen Hymenaee io, io Hymen Hymenaee.** 'io' nunc conuenit pueris, qui Hymenaeum pompae quasi ducem aduenientem salutant laetabundi; cf. ex. gr. Tib. II 5, 118 *'io' magna uoce 'Triumphe' canet.* ceterum haec interiectio cum sit plerumque bisyllaba, metri necessitate (etiam ob uersuum praecedentium ultimas syllabas) hic primo et tertio loco, h. e. in initio uersuum, est monosyllaba, 'i' litterae (ut ait RDawesius misc. crit. p. 33) consonantis potestate tributa, ut apud Mart. XI 2, 5 *clamant ecce mei 'io Saturnalia' uersus* (ubi sine causa mutant docti). mero errori debetur aperte, quod G (nam O ultimum uersum omittit) quartum 'io' a metro exclusum in fine adicit ubique. — **119, 120. ne diu taceat procax Fescennina iocatio.** hanc certam NHeinsii emendationem illius in V traditi 'locacio' uel 'lotatio' (pro quo recepta est uulgo uaria lectio in G obuia 'locutio', frigida illa et intolerabilis langoris) indignum est nuper reiectam esse ab Ellisio inepte comparanti auct. ad Her. III 13, 23; at cf. contra (si opus est in uoce, quae ex re et loco et materia suam accipit rationem propriam) Cic. ad fam. IX 16, 7 locosque mox adferendos, ubi Fescenninorum ioci commemorantur. de his nota sunt testimonia (cf. Rossbachius p. 341, Teuffelius HLR. § 5): Paul. Festi p. 85 *Fescennini uersus, qui canebantur in nuptiis, ex urbe Fescennina dicuntur allati, siue ideo dicti quia fascinum putabantur arcere* (Seru. ad Aen. VII 695). sed non solum Etruriae, sed omnibus gentibus Italiae mediae fescenninos fuisse proprios, recte concludunt ex Lucan. II 368 *non soliti lusere sales, nec more Sabino excepit tristis conuicia*

festa maritus ideoque rectius a 'fascinus' insigni fertilitatis deriuari uersus illos primitus in omnibus festis rusticis cantari solitos (cf. Hor. epist. II 1, 139 sqq., supra p. 1 sq.). in nuptiis autem, quarum post proprii erant fescennini, his maritum maxime petebant pueri eius sodales per iocos liberos obscenosque (hoc sibi uult loco nostro uox 'procax', ut Priap. 1, 1 *lusus lecture procaces,* Claud. d. VI cons. Hon. 246 *dicta procacia*): Lucan. l. l., Sen. rhet. p. 347 K. *inter nuptiales fescenninos in crucem generi nostri iocabantur,* Sen. Med. 105 *felix Aeoliam corripe uirginem nunc primum soceris, sponse, uolentibus: concesso, iuuenes, ludite iurgio, hinc illinc, iuuenes, mittite carmina* et ibid. 113 *festa dicax fundat conuicia fescenninus, soluat turba iocos*; Claudian. 14, 31 G. *permissisque iocis turba licentior exultet tetricis libera legibus.* nam quod etiam sponsae talia cantari feruntur apud Fest. p. 245 *praetextatum sermonem .. putant dici .. quod nubentibus depositis praetextis a multitudine puerorum obscena acclamentur* et Varr. sat. Men. 10 B. *pueri obscenis uerbis nouae nuptulae aures returant,* hoc quoque nimirum fit ante mariti aedes (cf. ad 144 sqq.). maritus igitur iam in eis quae secuntur perstringitur statim ('ne diu taceat'). — **121, 122, 123. nec nuces pueris neget desertum domini, a, dolens concubinus amorem.** nexum artum cum eis quae praecedunt indicat 'nec' (Kuehnerus gr. l. II p. 145 sq.). uexatur Manlius ob uernam quendam usque ad nuptias nimis in deliciis habitum iamque mittendum; cf. de his delicatis ex. gr. Paul. Festi p. 44 *Catamitum pro Ganymede dixerunt, qui fuit Iouis concubinus,* Quint. I 2, 8 *nostros concubinos uident,* Suet. Galba 22 *libidinis in mares pronior .. Icelum ex ueteribus concubinis.* uetustissimus erat mos, ut in aliis festis (Rossb. p. 349) ita in nuptiis spargere pueris (Marquardtus antiqq. priu. p. 52 not. 6) nuces, quas Plin. h. n. XV 86 uocat *nuptialium Fescenninorum comites.* mariti proprie erat hoc officium: Verg. ecl. 8, 30 *sparge, marite, nuces,* ad quae uerba quae adnotat Seruius docent ueterum uarias rei illius interpretationes: *idem Varro spargendarum nucum hanc dicit esse rationem, ut Iouis omine matrimonium celebretur, ut nupta matrona sit, sicut Iuno. nam nuces in tutela sunt Iouis ... nam illud uulgare est, ideo spargi nuces, ut rapientibus pueris fiat strepitus, ne puellae uox uirginitatem deponentis possit audiri. modo tamen ideo ait 'sparge marite nuces', ut eum culparet infamiae. nam meritorii pueri, i. e. catamiti, quibus licenter utebantur antiqui, recedentes a turpi seruitio nuces spargebant, i. e. ludum pueritiae, ut significarent, se puerilia cuncta iam spernere. dicitur etiam ideo a nouo marito nuces spargi debere, quod proiectae in terram tripudium solistimum faciant, quod auspicium ad rem ordiendam optimum est* ectr. ante mariti aedes autem iactas esse, diserte Paul. Festi p. 172 tradit *nuces flagitantur in nuptiis* ('fl. nuptis' codd.) *et iaciuntur pueris, ut nouae nuptae intranti domum noui mariti secundum fiat auspicium* (de quibus uerbis male dubitat Rossb. p. 347). Catullus hic recte (cf. ad 125) ioci Fescennini ansam adripiens nuces spargendi officium transfert in concubinum, qui

dare eas nolit (recuset) ut incumbens dolori, quod amor ille, quo antea a domino suo fuerit amatus, nunc ab hoc neglectus relictusque sit. 'a dolens' scripsi ex coniectura, cum in V legatur 'audiens' sat peruerse, quia non de re tum audienda, sed certa et dudum cognita agitur. itaque non uidendi uerbum (quod Schwabius restituit) aptissimum erit, sed dolendi. quod cum Pleitnerus ita intulisset 'dominei dolens', ego 'audiens' facillime nasci potuisse mihi persuasi ex 'adlens', cui 'o' littera omissa esset superscripta; 'a' enim hic egregie ex mente concubini imo animo dolentis adicitur. — **124. iners.** adhuc in domini tui famulicio pigritiae deditus; Cic. d. n. d. I 36, 102 *quasi pueri delicati nihil cessatione melius existumat*; inest simul pueri a feminarum uenere auersi notatio (Tib. Priap. 2, 38 *quid est, iners?*, Ouid. am. III 6, 15). — **125, 126. satis diu lusisti nucibus.** iam tempus est nuces, pueritiae ludicrum, abicere (Hor. sat. II 3, 171, Pers. 1, 10 ibique Olahnius, Suet. Aug. 83). haec quamquam specie sunt ad solum concubinum dicta, simul tamen spectant ad dominum, cuius nomine ille spargere iubetur nuces. et uidetur per totum adeo locum regnare tecta quaedam ambiguitas: nuces cum sint insigne fertilitatis (cf. 'Zeitschrift f. deutsche Mythol. u. Sittenkunde' III p. 95 sqq.), simul sub nomine catamiti ipse Manlius admonetur, ne uiribus parcat iners utque iam post steriles in puero lusus uenerios strenuum in uxore sese exhibeat uirum. sic igitur 'concubine' etiam noui mariti fit appellatio uulgaris. — **126, 127. lubet iam seruire Talasio.** Tala(s)sio, qui apud alios audit etiam Talasius et Tala(s)sus, Romanis idem erat qui Graecis Hymenaeus (Plut. q. R. 31 *ὅθεν εὐτυχοῦς γάμου γενομένου καὶ τοῖς ἄλλοις εἰθίσθησαν ἐπιφωνεῖν τὸν Θαλάσιον ὥσπερ Ἕλληνες τὸν Ὑμέναιον*). de explicatione uariant scriptores: cf. Plut. l. l., Liu. I 9, Festus p. 359 aliaque apud Rossbachium (p. 345 sq.). solebant hunc deum inuocare siue 'Talase' (Mart. XII 42, 4) siue 'Talasio' (Verg. epigr. 12, 9 et 13, 6 [PLM. II p. 173 sq.]); Catullus satis habuit breuem inicere eius mentionem, quippe qui uersui intercalari minus esset aptus ob metrum. 'Talasio' sitne pro nominatiuo an pro datiuo habendus, ex uoce corrupta 'lubet' pendet. uulgo pro datiuo sumentes putant imperium iam Talasii esse ferendum concubino (Tib. I 2, 99 *tibi debita seruit mens mea*), h. e. matrimonii iugum; quod respectu domini dictum ad catamitum etiam spectare (129 sqq.). sed 'lubet' rectum esse nequit, quippe quod nec ei qui uerba facit conueniat nec uero quadret in concubinum non lubenter hercle nec suo sponte cedentem deo illi (nec uero ad 'lubet' supplere licet mente 'domino tuo'). bene Schraderus [emend. p. 10] correxit 'iubet', ut 'Talasio' iam sit nominatiuus: nuptiae (domini tui) te cogunt seruire nec amplius esse inertem (et hoc ambigue). — **128. concubine, nuces da.** uerba rhythmo suo parum grato depingunt postulationem atrocius prolatam. simul animaduertas partem ueteris uersus cretici siue fescennini (supra p. 1), dissoluta nempe altera arsi. — **129. sordebant tibi uilicae.** Verg. ecl. 2, 44 *sordent tibi munera nostra*, Stat. silu. I 3, 98 *cur oculis sordet uicina*

uoluptas? quando cum domino tuo ruri uersabaris, despiciebas uultu superbo et ut feminarum contemptor adridentes tibi puero formoso uilicas, h. e. uilicorum seruis rusticis praepositorum (Marquardtus antiqq. priu. p. 137) uxores, quarum certa erat in administratione uillae pars (Colum. XII 3, 9) quarumque uni iam seruibit fastidiosus ille concubinus ex familia urbana relegatus in rusticam et huic uel illi Manlii praedio adscriptus. nec opus uidetur coniecturis (male CdeAllio 'uilluli' ad Mart. I 31, 5 *sordent lanugine uultus* coniecit). 'uilicae', quod O praebet, melior scriptura est quam 'uillicae' (G); cf. Brambachius libri de orthogr. minoris p. 66[2], nos in Fleckeis. ann. 1883 p. 784. — **130. hodie atque heri.** de forma 'heri' cf. Lorenzius ad Plaut. Most. 944, Neuius II p. 685. uix uerba illa comparari possunt cum graeca dictione χθὲς καὶ πρώην, siquidem nec 'sordebant hodie' recte coit nec die ipso harum nuptiarum concubinus dolens nec iam adeo fastidiosus cogitauit de uilicabus procul agentibus. ut χθές, ita 'heri' bene significat 'nuper', idque solum sententia requirit et oppositum 'nunc'. in 'hodie atque' latere puto 'odiose' uocatiuum, h. e. ingrate atque inuise. — **131, 132. nunc tuum cinerarius tondet os.** nunc tu iam non glabrorum pulcrorum unus es, sed inter barbatos receptus contra sordebis uilicabus, quae seruienti tibi superbiae tuae uicem reddent. cinerarius, qui olim solis mulieribus cinere unctitasse uidetur capillum, ut rutilus esset (Charis. p. 101 K., Seru. ad Aen. IV 698), mox et is uocabatur, qui calamistris in cinere calefactis capillum ornauit (Varr. d. l. l. V 129), etiam uiris (Plaut. Asin. III 3, 37); idemque etiam tonsoris munere functus esse uidetur (cf. Sen. de const. sap. 14). delicato cum antea uolsellis depilarentur malae totumque corpus, nunc pilosi illius (ad XVI 10) barbam promissam diebus statis tondebit tonsor. AStatius cp. Mart. XI 78, 3 *flammea texuntur sponsae, iam uirgo paratur: tondebit pueros iam noua nupta tuos.* ceterum 'os' docet de tondendis malis multo magis cogitandum esse quam de decidendo capitis capillo, qui in catamitis longus esse solebat (Hor. epod. 11, 28, Mart. XII 18, 24 sqq.). iungit utrumque Hor. od. IV 10, 2 et 3. 'tondet', praesens pro futuro (Kuehnerus gr. l. II p. 90), ut 37 et 109; de forma 'tondĕre' noli cogitare. — **132. miser a miser.** ficta cum misericordia sortis concubinum manentis; LXIII 61; Ciris 278 *malus o malus.* — **134, 135, 136. diceris male te a tuis, unguentate, glabris, marite, abstinere; sed abstine.** 'dic.', quod non potest non esse tempus praesens, malignum continet iocum: ferunt quidem te, elegans marite, inuito corde et aegre deserere tuom dilectum catamitum (pluralem, quem uocant, generalem agnoscis, ut XXX 1; Kuehnerus gr. l. II p. 62 sq.). Verg. G. I 360 *a curuis male* (= aegre) *temperat unda carinis.* Plaut. Curc. I 1, 37 *dum tu te abstineas a nupta uidua uirgine,* inc. decl. in Sall. 3, 9 *facilius se mulieres a uiris abstinuerunt quam tu uir a uiris.* 'glabri', catamiti depilando facti laeues (Plaut. Aul. II 9, 6 *glabriorem reddes mihi quam uolsus ludiust*); Phaedr. IV 5, 22, Sen. d. breu. uit. 12. unguentis delibutus est

homo elegans et urbanus (Gell. XII 2, 11 *quidam sunt tam magni sensus Q. Ennii, ut licet scripti sint inter hircosos, possint tamen inter unguentatos placere*), saepius designatur homo mollis et delicatus: African. min. ap. Gell. VI 12, 5 *nam qui cotidie unguentatus aduersum speculum ornetur, cuius supercilia radantur, qui barba uulsa feminibusque subuulsis ambulet, qui in conuiuiis adulescentulo* ('-lus' codd.) *cum amatore sub* ('cum' codd.) *chiridota tunica interior accubuerit, qui non modus uinosus sed uirosus quoque sit, eumne quisquam dubitet quin idem fecerit, quod cinaedi facere solent?*, Suet. Caes. 67, alia. exagitatur igitur Manlius ut parum uir et effeminatus. 'sed abstine' cum uoce graui dicta. — qui secuntur iam in omnibus strophis usque ad 183 uersus intercalares ostendunt, exultationem iam factam esse summam, quippe cum noua nupta ad domum interim aduenerit eamque sit intratura. — **139, 140. scimus haec tibi, quae licent, sola cognita.** 'haec sola', scil. uernae concubini amor; isque sane adulescentibus concessus ex more saltim communi; nam ex lege omnis in masculis libido aeque ut stuprum in ingenuos et adulterium multabatur (Reinius in Pauly, Encycl. real. VI p. 1466). de constructione cf. ad I 6, Sall. Cat. 51, 9 *quae uictoribus collibuissent,* Cic. p. Cael. 20, 48 *quando denique fuit ut quod licet non liceret?* 'cognita', sensu uenerio; Ter. Eun. V 6, 16 *an scit iam ille quid meretrix siet* (cf. ad 180). — **140, 141. sed marito ista non eadem licent.** Ter. Andr. I 2, 17 *dum tempus ad eam rem tulit, siui animum ut expleret suom: nunc hic dies aliam uitam adfert, alios mores postulat*: maritum nunc in una nupta uirum esse decet. 'idem' interdum cum 'hic, iste, qui' iunctum intendit; Kuehnerus gr. l. II p. 458. — **144, 145, 146. nupta, tu quoque, quae tuus uir petet, caue ne neges, ni petitum aliunde eat.** ecce specimen uerborum obscenorum, quibus, ut ait Varro (cf. ad 119) pueri sponsae quoque aures returabant, quamquam ut in toto carmine sic in hac re licentia fescennina ualde est mitigata temperataque: ut morigera uiro sit Vinia admonetur. 'petere aliquid' (cf. rogare VIII 13), scil. amplexum maritalem (Ouid. epist. 14, 69), cum decora reticentia dicitur (Ouid. a. a. I 230), ut et 'dare' (Priap. 3, 1 sqq.) et 'negare' (Ouid. a. a. I 345). 'caue ne', Kuehnerus gr. l. II p. 156. 'ni' prisce pro 'ne'; supra p. 51. 'aliunde', ab alia quauis muliere. Vulpius cp. Mart. XII 96, 7 *do tamen, inquis, ne uagus a thalamis coniugis erret amor* et Lactant. VI 23 *ne feminis repugnantibus libido cogeret uiros aliud appetere.* — **149, 150. en tibi domus, ut potens et beata, uiri tui.** 'en' δεικτικῶς positum loco uetusti illius 'em' (LV 12) in sermone cultiore tum increbescere coepit (Ribbeckius de partic. latt. p. 35); 'en tibi', ut priores 'em tibi' (Ribb. p. 33) et Cicero 'ecce tibi' (ut de or. II 12, 94, in Pis. 21, 48), saepe habet uerbum omissum; hic supple 'adest' simileue: propius iam ad domum accedit sponsa. ad 'domus uiri tui' per appositionem accedit 'ut p. et b.', quam illa diues ac splendida opibus! nam 'potens' haud raro ualet 'opulentus', ut Cic. p. Cael. 26, 62 *mulier potens,* Phaedr. I 24, 1 *inops*

potentem, Hor. od. I 35, 23 *potentes domos.* 'beatus', LI 15. — **151. quae tibi sine seruiat.** lectionem in V traditam 'sine seruit' Auantius (ut mittam alia commenta insulsa) in 'sine fine erit' mutauit, locutionem bonam (cf. Woelfflinus arch. lexic. I p. 364) male restituens loco alieno, cum id quod sequitur 'usque dum' illam notionem excludat. multo lenius dedit BPisanus id quod in lemmate legitur: patere illam tuo dominae et matrisfamilias imperio esse subiectam (XLV 14, Plin. epist. VII 24, 8 *domus .. seruiet domino*). C. enim hic breuiter tangit morem priscum tum (ut uidetur) rarius obseruatum, quo noua nupta, ubi ad domum mariti aduenit, interrogata quaenam esset respondit *ubi tu Gaius, ibi ego Gaia,* h. e. in domo, cuius tu dominus es, ego uero sum domina (Rossbachius p. 352 sqq.). alia in deductione sollemnia non commemorantur in hoc carmine, sine dubio quia tum in nuptiis nobilium erant abolita (Rossb. p. 350, 356 sqq.). interrumpitur autem sententia uerbis recurrentibus, ut Theocr. 2, 103 sqq. — **154, 155, 156. usque dum tremulum mouens cana tempus anilitas omnia omnibus annuit.** canis aspersa (CVIII 1) senectus ('anilitas' uox praeterea extat Isid. XI 2, 26 et in glossis Loewii mus. Rhen. XXXI p. 57; cf. et 'puerilitas, iuuenilitas, uirilitas') tremore senibus proprio (LXIV 305, Prop. IV 7, 73 *in tremulis annis*) mouens caput pendulum (Maxim. eleg. 1, 286 *tremulum caput,* Ouid. epist. 18, 45 *adnuit illa fere: non nostra quod oscula curet, sed mouet obrepens somnus anile caput*) hoc ipso nutu uidetur cuiuis quidlubet sine discrimine lubenter concedere. geminatum illud 'o. o.' ualde Romanis adamatum (ut et 'multa multis', cf. Landgrafius ad Cic. p. Rosc. Am. 45, 130), uelut Cic. p. Mil. § 33 *cum omnibus omnia minabatur,* Ter. Andr. I 1, 69 et Ad. III 2, 1, LXXXVI 6, Verg. ecl. 8, 63 *non omnia possumus omnes.* 'tempus', singulariter usu raro adhibitum (iam Muretus cp. auct. ad Her. IV 55 *dubitanti Graccho percutit tempus*, cf. Neuius I p. 387, interpp. ad Aen. IX 418), hic fere ualet 'caput', ut Prop. IV 9, 15. 'usque dum (XLIV 14) annuit', Kuehnerus gr. l. II p. 912; sine causa 'annuet' et 'annuat' coniecere. — **159, 160. transfer omine cum bono limen aureolos pedes.** intratura uiri domum sponsa admonebatur a pronuba, ne limen pede tangeret; unde a praetextatis (ad 175) in altum sublata transferebatur siue transiliebat: Seru. ad ecl. 8, 29 (Varro nubentes) *etiam ideo limen ait non tangere, ne a sacrilegio incohent, si depositurae uirginitatem calcent rem Vestae* (cui scil. limen erat sacrum); quamquam plures a communi repetebant superstitione, qua in rebus grauioribus pro malo habebatur omine, si pes siue intrantis siue exeuntis offendebat in limine; unde diuus Limentinus colebatur. Plaut. Cas. IV 4, 1 *sensim superattolle limen pedes, noua nupta, sospes iter incipias hoc,* Lucan. II 359 *translata uetuit contingere limina planta,* plura apud Rossbachium p. 359 sq. de constructione 'transfer pedes limen' cf. Naekius Val. Cat. p. 98, Kuehnerus gr. l. II p. 225. 'aureolus' (II 5) ad colorem spectat, h. e. ad luteum soccum (u. 10). — **161. rassilemque subi forem.** et sic ingredere domus introitum ipsa laeuitate sua facile offen-

sioni pedis obnoxium. ita uulgo explicant. sed 'rāsilis' (formam 'răssilis' num ex sui temporis usu adhibuerit Catullus an postea inuexerint librarii, dubium est), omne politum et laeue indicans (ex. gr. Sil. Ital. IV 176 *rasilis hasta*, h. e. $\xi\varepsilon\sigma\tau\acute{\eta}$), quoniam causam demonstrat, cur transferatur siue transiliat limen sponsa, et porro 'foris' singularis (de quo cf. Neuius I p. 456) hic significat introitum siue limen magis in uniuersum, non tam 'subi' quam 'transi' requirimus. subimus quippe siue succedimus et introimus domum, tectum, limina (= aedes, ut Verg. Aen. VIII 362). accedit quod quomodo trans limen sint ferendi bono cum omine pedes designandum est, ut fecit Plautus l. l. illo 'sensim' utque Ouid. am. I 12, 5 *missa foras iterum limen transire memento cautius atque alte sobria ferre pedem*; facileque sentimus, 'que' explicatiuum talem incipere explicationem. V non 'subi', quod Itali reposuere, habet, sed 'sibi'. unde eruo 'sali'. nam transitiuum usum uocis (postea nisi in animalium coitu non seruatam) tuetur formula uetustissima, quam habes in carmine fratrum Arualium *Mars, limen sali.* — **164, 165, 166. aspice intus ut accubans uir tuus Tyrio in toro totus immineat tibi.** hi uu. aperte ostendunt, maritum expectasse sponsam nec incessisse (ut uolt Rossb.) in pompa nuptiali. intellege enim de cena nuptiali (Rossb. p. 326), quae haud raro illo tempore praecessit sponsae deductionem. Vinia iam in ostio adstans uidet intus in atrio sponsum in coetu amicorum adcubantem (quae est uox propria de conuiuiis, erratque in ea explicanda Lachm. ad Prop. p. 398) in lecto tricliniari (Marquardtus antiq. priu. p. 294) ueste purpurea instrato, qualis diem festum et domum potentem decet. Tib. I 2, 75 *Tyrio recubare toro.* 'unus' V tradit inepte. mitto qui de lecto geniali (quem mox u. 184 attingere fas erit marito) cogitabant: unum maritum (nam cum 'accubans' nullo pacto coit 'unus', quod neque ualet 'solus' neque 'seorsum cubans') inhiasse aduenienti, non etiam ceteros apud eum cenantes, nimis inepte insulseque commemoratur. uerissime omnino AStatius 'intus' correxit; nec aut 'imus' aut 'unctus' uel 'udus' melius coniecere alii. corpus e toro inclinans aduersus intrantem sponsam maritus prodit desiderium suum; qua significatione inhiandi flagrantique uoto appetendi haud raro utitur uox illa, ut Culicis u. 90 *huc inminet, omnis derigit huc sensus*, Liu. XXX 28 *quo magis in propinquam spem inminebant animis.* non pertinet huc cp. ab AStatio Arnob. III 26 *nisi uirginalia uincla iam feruentes dissoluerent atque inminentes mariti.* totus, LXIV 93. — **169, 170, 171. illi non minus ac tibi pectore uritur intimo flamma, sed penite magis.** prudentius quam Scaliger, quem omnes postea secuti sunt, olim Itali de huius lectionis ueritate dubitabant. flamma urit pectus, igni uritur homo (Ouid. met. I 495 *sic deus in flammas abiit, sic pectore toto uritur*, Apul. met. II 7 *ureris intime*); nec hercle graeco illo '$\pi\tilde{\upsilon}\varrho\ \delta\alpha\acute{\ddot{\iota}}\varepsilon\tau\alpha\iota$ (h. e. incenditur)' defenditur insolens utique in sermone latino illud 'flamma uritur'. in priscis editionibus legitur 'ille n. m. atque tu', ut iam sit ablatiuus 'flamma'. sed remouebant hoc modo unam tantum offensionem;

altera eaque maior remanet in re ipsa. nam etsi sub certis condicionibus uir tecte, femina palam amoris desiderium exprimit (ueluti in amore Cerinthi et Sulpiciae haec puella nobilis magis prouocat amorem timidi Graeci, unde append. Tib. 3, 4, 17 *optat idem iuuenis quod nos, sed tectius optat*), in uniuersum tamen rectum manet quod ait Ouid. a. a. I 276 *uir male dissimulat, tectius illa* (femina) *cupit*. et cupiditatem suam cum minime dissimulet maritus totus nouae nuptae inminens (cf. et 194 sqq.), cur 'magis penite' siue tecte uri dicitur? postquam autem flagrare maritum u. 139 dictum est, nunc dicendum est non minorem quamquam reconditiorem flammam esse sponsae. cui gratius puto erat auditu, se ita ut decebat ingenuam minus cupiditatem animi praeferre quam uirum. V 'hac tibi' praebens tenue uestigium seruauit ueteris scripturae, quam puto fuisse hance 'illa non minus hic tibi pectus uritur intimum flamma': illo igni, quo uir tibi inminet, non minus tibi hoc loco, cum uides ob oculos carum maritum, animus flagrat. post 'illa .. hic' metathesi litterarum in 'illi .. hac' mutatum cetera facile traxere labem. ab adiectiuo 'penitus' apud priscos et recentes obuio (Plaut. Cist. I 1, 65 *pectore penitissimo*, Apul. met. XI 6 *penita mente*) deriuatum aduerbium alibi non extare uidetur; cf. XXXV 15. — **174, 175, 176. mitte brachiolum teres, praetextate, puellulae: iam cubile adeat uiri.** flagrantes mutua cupiditate maritos committere iam tempus. Fest. p. 245[a] *patrimi et matrimi pueri tres nubentem deducunt, unus qui facem praefert ex spina alba, quia noctu nubebant, duo qui tenent nubentem.* hi pueri ingenui, utpote toga praetexta insigni pueritiae induti, audiunt praetextati (Marquardtus l. l. p. 122). duo autem qui in pompa nubentem tenuerant pueri etiam trans limen sustulerant; iam is qui cum spina alba praecesserat tamquam personatus Hymenaeus porro usque ad thalamum nouam nuptam manu sua duxisse uidetur. nam aliter singularis loco nostro obuius uix poterit intellegi. brachiolum (ἅπαξ λεγόμενον nunc, nisi quod sub alia significatione legitur Veget. mil. IV 22 et alibi) 'teres' siue rotundum plenumque audit, ut Hor. od. II 4, 21 *teretes suras*, Ouid. a. a. I 622 *teretes digitos*, Maxim. eleg. 1, 99 *in tereti collo*. 'mitte', dimitte. deminutiuum 'puellula' nil uidetur esse nisi ornatus poeticus (ut ante 'brachiolum'), non adludere ad teneram sponsarum aetatem (Rossb. p. 274). 'adeat' (ut 91 'prodeas') **O** recte praebet, cum melius nunc sola Vinia ire ad lectum genialem (107) dicatur quam simul cum pronubis ('adeant' G). — **179, 180, 181. bonae senibus unis cognitae bene feminae, collocate puellulam.** dicuntur pronubae, de quibus Seru. ad Aen. IV 166 *Varro pronubam dicit, quae ante nupsit quaeque uni tantum nupta est, ideoque auspices deliguntur ad nuptias* (Fest. p. 242[b], Isid. IX 8, Tertull. de monog. 2 *ut et uirginibus legitime nubentibus uniuira pronuba adhibeatur, et sic auspicii initium est*). sed non solum uniuirae ('unicubae' Hieronym.) boni ominis causa ad munus illud eligebantur, sed etiam quarum uiri adhuc erant superstites; unde horum tamquam senum fit mentio. quae pronubae ut in toto nuptiarum

actu circa sponsam erant, ita in thalamo lectum genialem (Rossb. p. 367) sternebant et in eo rite conlocabant puellam (Rossb. p. 274, qui inter alia adfert Ter. Eun. III 5, 45 *deinde eam in lecto illae conlocant*, ubi Donatus *ipsum uerbum 'conlocant' proprium est, et adscribitur pronubis*). in uersu primo ualde corrupto 'senibus unis' tam a metro respuitur quam a sententia, quae aut 'unicis maritis' aut 'senibus uestris' (h. e. qui una cum uobis consenuerunt) requirit; unde concidunt coniecturae Auantii 'uos unis senibus bonae' aliorumque 'unicis s. bonae'. recte in initio syllabam intercidisse uiderunt Itali 'uos' addentes ('iam' Pleitnerus); melius est uisum mihi litterulam 'o' sexcenties omissam adicere, quippe quae uox in hac adlocutione reuerentiae sollemnis plena legitima sit (ex. gr. LXIV 23, Hor. od. I 16, 1). iam etsi bene se habet 'uiris', quod AStatius ex 'unis' elicuit (saepe haec confusa, ut Nep. Alc. 11, 1 *in illo uno laudando consentiunt* corrigendum est 'uiro'), tamen non minus facile inde elicuit Passeratius 'bonis': bellissime cum senibus probis honestisque probae pudicaeque feminae (Enn. ann. 156 V. *Tarquinii corpus bona femina lauit et unxit*) coniunctae esse dicuntur (cf. supra 19, Cic. p. Sest. 66 *bona fama bonorum*, Ouid. f. I 72, alia), facitque hoc quoque ad bonum omen. Vulpius cp. Augustin. d. nupt. et concub. I 9 *progrediente autem genere humano iunctae sunt quibusdam bonis uiris bonae feminae.* 'bene' explico 'honeste legitimeque', ut Ouid. epist. 13, 117 *lecto mecum bene iunctus in uno*, Anth. lat. 271, 58 [PLM. IV p. 273] *bene iunctus amantes ardor alit*: 'breue', quod ex tradito in V 'berue' elicuerunt praeterea Itali, sensu iusto caret. 'cognitae' de consuetudine ueneria (cf. graecum γινώσκειν) accipe, ut Ouid. epist. 6, 43 *non ego sum furto tibi cognita* (ibid. 133) et ex P. III 2, 55 *femina .. taedae non nota iugali*, Caes. b. g. VI 21 *feminae notitiam habuisse*, Prop. III 29, 33 *sat erit mihi cognitus unus*, Tac. hist. IV 44 *stupro cognitam*, alia. — desinunt hic uersus intercalares; iam quippe munus suum inpleuit Hymenaeus deducta ad uirum noua nupta; nunc nihil restat quam ut uirum cubile intrantem bona uota comitentur eius, qui nomine aequalium facit uerba. num in his uotis certae formulae antiquitus traditae a poeta in usum sint uocatae, ueluti 184 'iam licet uenias, marite', nescimus. — **185. uxor in thalamo tibi est.** 'tibi', cf. ad u. 52. 'est tibi' legitur V; quod unicum interruptae per hiatum in glyconeorum systemate continuitatis in hoc carmine exemplum iam remouere Itali, porro Bentleius et RDawesius [misc. crit. p. 32], denique Lachmannus Hauptiusque [opusc. I p. 19]. — **186. ore floridulo nitens.** puella pulcra splendensque (ad I 5) uultu instar floris et uigente (Ouid. met. XIII de Galatea *floridior pratis*) et uersicolore. 'floridulus' ἅπ. λεγ. — **187, 188. alba parthenice uelut luteumue papauer.** uariant nimirum in eius ore pallor ruborque, qui est proprius cum formosarum tum amantium sponsarumque color: Lygdam. 4, 29 *candor erat .. ut iuueni primum uirgo deducta marito inficitur teneras ore nitente genas, et cum contexunt amarantis alba puellae lilia et autumno candida mala*

rubent, Verg. Aen. XII 68 *aut mixta rubent ubi lilia multa alba rosa, talis uirgo dabat ore colores,* PLM. III p. 297, 34 *lilia ceu lucent rutilis commixta rosetis, sic rubor et candor pingunt tibi, florida, uultus,* Dracont. r. Hel. 499 *regina uenit pallente rubore; nam flammis perfusa genas albentibus ibat: fusus uterque color manifestum uulgat amorem* (id. XIV 9, PLM. V p. 216). hinc apparet, parthenicen (ἅπ. λεγ.) siue parthenium (Plin. h. n. XXI 176 et XXII 41) non posse disiungi a papauere (Plin. h. n. XIX 169): non uel hic uel ille flos comparatur cum ore rubente et pallente, sed ambo iuncti et iuxta positi hanc efficiunt similitudem: ‘luteumque’ genuinum puto. nam siquis Plinii locis indicatis fretus utrumque florem, et parthenium et papauer, ipsum esse uarium uelit optinere, is additis attributis ‘alba’ et ‘luteum’ refutatur. — **189, 190. at, marite, (ita me iuuent caelites) nihilo minus pulcher es.** ut similiter u. 169 sqq., ita hic formae in noua nupta conspicuae exaequatur pulcritudo sponsi, ut per omnia sibi pares esse maritos ostendatur. ‘nihilominus’, scil. quam Vinia (cf. 169), ut Ter. Phorm. IV 2, 6. de affirmandi sancte siue iurandi formula ‘ita me di iuuent (iuuerint, ament)’ cf. LXVI 18, XCVII 1, Cic. ad Att. I 16, 1 (etiam Prop. I 7, 3 *ita sim felix, primo contendis Homero*), ubi itidem in enuntiato primario ‘ut’ (ut pulcher es: ad XLV 13) omissum est; cf. Kuehnerus gr. l. II p. 965. — **191. neque te Venus neglegit.** et es tu homo uenustus, largiter in te dona sua (ad LXVIII^{a} 10) confert dea amoris. Suet. Ner. 51 *uultu pulcro magis quam uenusto* docet, cur haec sint addita. Vulpius cp. Hom. Il. IV 127 *οὐδὲ σέθεν, Μενέλαε, θεοὶ μάκαρες λελάθοντο ἀθάνατοι.* — **192. abeit dies** magis respectu puerorum (chori) domum rediturorum additum esse uidetur. alioquin hoc, quod in priore parte optime se habet, ad maritum subridicule dicitur, quippe quem maneat nox longa. — **193. perge, ne remorare.** scil. commorando diutius in conuiuio inter amicos. ‘perge’ absolutum (= proficiscere) habes ex. gr. ap. Naeuium trag. 34 R. Plaut. Cas. IV 3, 7 *nam quid illaec nunc tam diu intus remoratur?* — **194, 195. non diu .. iam uenis.** haec uerba non carent leni quadam εἰρωνείᾳ: inpellente tenerae coniugis cognoscendae cupiditate paulo citatior adsilit Manlius. — **195. bona te Venus iuuerit.** fausta, secunda, ut Aen. I 734 *adsit bona Iuno* et XII 647, Anth. lat. M. 1704, 42 *Venus bona,* in titulo Gudii p. XXXVIII 10 et LIV 3 *bonae deae Veneri Cnidiae.* — **196, 197, 198. quoniam palam quod cupis cupis et bonum non abscondis amorem.** quia te non pudet ante oculos sodalium risu iocisque te a cena abeuntem prosequentium desiderare id quod desideras. in ‘palam’ uis inest, et hinc ‘palam cupere cupitum’ intellegitur. ad quod populare loquendi genus cf. dictionem *age* (= age uero) *siquid agis* (ad XXXII 9), Lucr. IV 723 *quae ueniunt ueniant,* Petron. 37 *quem amat, amat; quem non amat, non amat* et 43 *itaque creuit, quidquid creuit* et ibid. *longe fugit, quisquis suos fugit* et 46 *quidquid discis, tibi discis.* non intellexit huius locutionis elegantiam G sobrie ieiuneque ‘capis’ restituens; quod NHeinsius coniectura adsecutus erat, nunc O con-

firmauit, nos recipere non dubitauimus. idem lusus in ultimis: non celas pudore amorem non pudendum, honestum nimirum. 'et non' fortius quam 'nec'. — **199, 200, 201. ille pulueris Africei siderumque micantium subducat numerum prius.** cf. ad VII 7, ex cuius c. u. 3 explicatur 'puluis Africus', quocum cf. et Anth. Pal. XII 145, 3 *κἀπὸ Λιβύσσης ψάμμον ἀριθμητὴν ἀρτιάσαι ψεκάδα*; saepe enim 'puluis' pro eo, quod est 'harena' ponitur, ut Ouid. met. XIV 145 *superest numeros ut pulueris aequem,* Genes. XIII 16 *siquis potest hominum numerare puluerem terrae, semen quoque tuum numerare potest*; quae cum aliis attulit Schraderus [emend. p. 7], qui pro 'Africei', felici NHeinsii coniectura ('ericei' V, h. e. aericei siue africei), multo minus bene uoluit 'aridi'. Rutil. Nam. I 93 *percensere labor.., ut siquis stellas pernumerare uelit,* Auien. perieg. 813, Amm. Marc. XIV 11, 32 *quae omnia si scire quisquam uelit.., harenarum numerum idem iam desipiens et montium pondera scrutari putabit.* 'subducere', computare, ex pleniore dictione 'subd. rationem (summam, calculos)' natum — **202, 203. qui uostri numerare uolt multa milia ludei.** Calpurn. ecl. 2, 72 *qui numerare uelit.., citius tenues numerabit aristas,* Verg. G. II 105 aliaque ostendunt in enuntiato primario aut futuri indicatiuum aut coniunctiuum praesentis poni solere: fortius adfirmans indicatiuus praesentis magis popularis fuisse uidetur, ut docet exemplum Genes. XIII 16 modo adlatum. cf. V 10, LXVI 78 unguentorum *milia multa,* Ciris 247 *laborum milia* et 521 *stellarum milia,* Prop. I 5, 10 *curarum milia quanta*; cum singulari collectiuo 'ludei' (h. e. uenerei, ut Ter. Eun. III 5, 38; cf. et Liu. XXVI 50, 4 *frui ludo aetatis* et statim 'ludere') non comparare licet Hor. sat. I 1, 45 *milia frumenti* (nam noto usu 'modiorum' est supplendum), sed Liu. I 43 *dena milia aeris* (et saepius), Ouid. trist. II 517 *genus hoc scripti* similiaque. — **204. ludite, ut lubet.** 'ludere' (cf. *παίζειν, ἀφροδισιάζειν*), amori gaudiisque ueneriis indulgere, ut Ouid. am. I 8, 43 *ludunt formosae* et a. a. II 389 *ludite, sed furto celetur culpa modesto,* Prop. II 6, 4, Hor. epist. II 2, 214, Gallienus in epithalamio 4 [PLM. IV p. 104] *ludite,* alia. XVII 17, Ter. Phorm. II 2, 2 *postillam iam ut lubet ludas licet.* — **breui.** decimo nempe mense abhinc peracto. Stat. silu. I 2, 266 *properate.* — **205. date.** cf. supra u. 67. — **205, 206. uetus nomen.** Manliorum gens et patricia et antiquissima; et uidetur hac nobilitate generis non parum fuisse superbus noster L. Torquatus (Cic. p. Sulla 8, 24). 'nomen' saepe aequat 'gens' uel 'familia', ut Tac. a. III 30 *sororis nepotem in nomen asciuit,* Verg. Aen. VI 258. — **207, 208. sed indidem semper ingenerari.** ex eodem nomine (eadem gente, non ex adoptione), ut Pacuu. trag. 92 R. *indidemque* (= ex se ipsis) *eadem aeque oriuntur de integro atque eodem occidunt.* 'ingenerare', *ἐμφύειν*, obscurum est hic. ingeneratur nobis a natura ex. gr. pietas parentum, ab agricola planta terrae (Colum. X 196). sed si 'nomen' pro subiecto habemus, nulla omnino adest sententia. ingenerantur nomini, ne extinguatur, tamquam arbori (Hor. od. I 12, 45) germina siue ex ipso

sumpta siue aliunde adscita; sed nomen siue familia cuinam potest ingenerari? quod uerbum nec absolute, ut nonnulli uolunt, accipere licet; adsumendum enim ad hoc foret 'ei (nomini) liberi debent', quod nimis dure fit. ego pro 'semper' reponendum puto 'germen' siue 'semen', h. e. surculum; Colum. de arbor. 20. loquitur poeta hic plane ex populi sui more sentiendique ratione: apud Romanos liberorum procreatio principale erat matrimoniorum propositum; hinc lectum genialem, et ipsum a generandis liberis dictum (Seru. ad Aen. VI 603), ascensurus uir aduocabat maritorum genios (Arnob. II 67); cf. Rossbachius p. 369 sq. sed loquitur poeta hic et in sequentibus (usque ad 223) simul ex mente mariti, qui a deis ea tacitis labellis precatur, quae hic palam nuntiantur. — **209. Torquatus uolo paruulus.** hanc strophen auro non redimendam ob oculos habuit Verg. Aen. IV 528 *siquis mihi paruolus aula luderet Aeneas, qui te tamen ore referret.* 'uolo', opto: publicae spei interpretem agit qui uerba facit; de coniunctiuo sine 'ut' adiuncto cf. Kuehnerus gr. l. II p. 527, 809. — **210. ec** (prisce pro 'e'), erigensque se enitensque. — **211. porrigens.** protendens, ut Cic. p. Cael. 26, 63 *cum manum .. porrexissent.* — **212. dulce rideat ad patrem.** LI 5. 'ad', ut III 10 (cf. *προςγελᾶν τῷ πατρί*). — **213. semhiante labello.** Apul. flor. II 15 [p. 17 Kr.] *canticum uidetur ore tereti, semihiantibus in conatu labellis eliquare* et met. X 28 *semihiantes labias.* de forma poetica breuiore cf. LMuellerus d. r. m. p. 260. — **214. sit suo similis patri Manlio.** hoc ueteres appellabant 'patri(s)sare'; cf. Plaut. Pseud. 442, ubi glossae *patrisat: patri similis fit.* de re iam Lambinus ad Hor. od. IV 5, 23 *laudantur simili prole puerperae* cp. Hesiod. *ἔργ.* 232 *τίκτουσιν δὲ γυναῖκες ἐοικότα τέκνα γονεῦσιν* et Theocr. id. 17, 63 *ὁ δὲ πατρὶ ἐοικὼς παῖς ἀγαπητὸς ἔγεντο*, adde Apul. apol. 14 *filiores cariores, qui similes uidentur*, Plin. epist. V 16, 9 *amisit filiam, quae .. os uultumque referebat totumque patrem mira similitudine exscripserat*; cf. et Lucr. IV 1211 sqq., 1229 sqq. de uocis 'similis' cum datiuuo constructione Ritschelius opusc. II p. 570 sqq. (579), Haasius praelectt. II p. 140. — **215, 216. et facile inscieis noscitetur ab omnibus.** Ouid. met. IV 290 *cuius erat facies, in qua materque paterque cognosci possent*, Liuius XXII 6, 3 *facie quoque noscitans* (ubi plura Fabri). ingeniose, quamquam uix necessario, Burm. ad Anth. lat. I p. 305 'facie' pro 'facile' uoluit restitui. 'omnibus' cum metrum (unde olim RDawesius misc. crit. p. 33 iterumque Hauptius opusc. I p. 19 coniecere 'omnibus noscitetur ab inscieis'), tum uero sententia respuit. par est enim in Torquato paruulo, quem esse L. Manlii filium non sciunt, recognoscere patrem eos, qui hunc ipsum nouere; et hoc sane addi oportuit ad 'omnibus'. Pleitnerus uoluit 'obuieis' simul cum V legens 'insciens': si adulescens ille in uiis ambulet, ipse nil sentiens cognoscatur ab obuiis: frigidum hoc et subineptum puto. ego illud duplici nomine suspectum 'ab omnibus' (nam 'insciens' solita est formae priscae deprauatio) mutauerim in 'auonculeis': matris fratres in longinquis tum regionibus uersati et de nuptiis factis ignari si domum

redierint audierintque sororis cum dilecto ipsis Torquato matrimoninm, si in huius aula ludentem uiderint paruolum, ex uultu statim adgnoscant cognatum (de datiuo Kuehnerus l. l. II p. 239 sq.). — **217, 218. et pudicitiam suae matris indicet ore.** animum pudicum, uni uiro deditum nec de adulteriis cogitantem; cf. omnino Theocr. id. 17, 43; bene Vulpius ep. Mart. VI 27, 3 *est tibi, quae patria signatur imagine uultus, testis maternae nata pudicitiae.* 'suae' quoniam uim nullam habet, more prisco praepositum esse dicendum est (supra p. 49); quamquam cum V praebeat 'suam', latere potest magis acutum illud 'suo', fortis quo euadit oppositio; mala adsimilatio nusquam facilius locum habuit. — **219—223. talis illius a bona matre laus genus adprobet, qualis unica ab optima matre Telemacho manet fama Penelopeo.** latius euagatur mente poeta in tempus futurum: et sic olim non minor gloria (ad ipsius bonos mores spectans) illum a pudica matre ortum esse ostendat confirmetque, quam qua nobilis est Penelopes filius ob praeclaram genetricem. cohaeret igitur 'illius a b. m. genus' (Verg. Aen. I 380 *et genus ab Ioue summo*), quamquam 'illius' simul etiam ad 'talis laus' spectat. pulcre diuisa omnia et recte distributa: 'bona matre', scil. humana et cuius optatur pudicitia: 'optima matre', heroine spectata; 'talis laus', scil. homini tribuenda, contra 'qualis unica (= eximia, egregia, XXIX 11, LXXIII 6, C 6) fama' in heroe priscis fabulis celebrato; denique 'adprobet' et 'manet' (= certa, iam relata est, cf. ad VIII 15, Verg. ecl. 5, 78 *laudesque manebunt*). nota est narratio Hom. Od. I 215 sqq., quam ob oculos habuisse uidetur poeta. Ellisius ep. Ouid. tr. V 14, 35 *aspicis ut longo maneat laudabilis aeuo nomen inextinctum Penelopea fides?* — **224, 225. claudite ostia, uirgines: lusimus satis.** conuertit se is, qui in tota hac altera inde a u. 114 parte (qui idem cum eo, qui puellas rexerat in parte priore, potest sane putari, si hac finita ante pompam cucurrisse ad pueros statuetur) uerba fecit, ad uirginum chorum, qui scil. sponsam deductam comitatus est usque ad cubile, cuius nunc omnibus rite peractis claudenda est ianua. Ouid. a. a. II 703 *conscius ecce duos accepit lectus amantes: ad thalami clausas, Musa, resiste fores.* unde 'lusimus' de cantu potest accipi ex mente maxime poetae; sed latius eius uocis patet significatio et ad iocationem fescenninam multo magis spectat. — **225, 226, 227, 228. at bonei coniuges, bene uiuite et munere assiduo ualentem exercete iuuentam.** 'at' sollemne in personis diuersis a prioribus. iterum (cf. ad 19 sq.) arte cohaerent 'bonei' (bono omine faustaque Venere iuncti) et 'bene', siue hoc accipis pro 'feliciter' (Hor. od. II 16, 13 *uiuitur paruo bene*) simulque pro solita ualedicendi formula 'uiuite felices' (ad LXVIII^b 115, Muretus ep. Theocr. id. 18, 49) siue pro 'bene inter uos, h. e. concorditer uiuite'. qualis admonitio fere sollemnis est in tali fine, ut Claudian. 31, 130 G. Venus ad nouos maritos dicit *uiuite concordes et nostrum discite munus,* epithal. Laurent. 87 *uiuite felices . . uiuite concordes.* exercere uox ex palaestra ad pugnas Veneris translata: 'scortum exercere' dixit Plaut. Amph. I 1, 132,

'amores ex.' ipse noster LXVIII^{b} 29, Sueton. Dom. 22 *assiduitatem concubitus uelut exercitationis genus clinopalen uocabat,* epithal. Laurent. 78 *exercentque toris Veneris luctamen anhelum*; et quasi uires robustae fiant inertes torpidaeque, si non exerceantur, sat lepide 'iuuentam' siue robur iuuentutis mariti iubentur conseruare exercitatione, ut Ouid. am. I 8, 53 *forma, nisi admittas, nullo exercente senescit*, Stat. silu. I 2, 166 *exerce formam et fugientibus utere donis.* 'munus' a Venere, quae eo est colenda, inpositum (cf. l. l. Claudiani) accipe de officiis maritalibus; Prop. II 22, 24 *saepe est experta puella officium tota nocte ualere meum,* Ouid. am. III 7, 23, Petron. 87 *et non plane immolestum* ('iam molestum' codd.) *erat munus.* lectum in V 'assidue' cum iuxta 'munere' sit intolerabile, recte Itali in 'assiduo' mutauere; cf. praeter Suet. l. l. Prop. II 16, 14 *rumpat ut assiduis membra libidinibus.*

Videtur hoc epithalamium (toto illud genere diuersum ab hymenaeo insequenti) inter prima carmina a Catullo facta referendum (cf. ad u. 42), h. e. anno fere 62 uel 61 adscribendum. tam diuitem ingenii poetici uenam et formam graecanicam in metro sane faciliore paene perfectam sine molesta diligentia prae se ferens quam morum rituumque Romanorum in hac parte suspiciendorum fidam (nec tamen antiquarios redolentem) imaginem exhibens hoc opusculum iuxta c. LXIII primarium inter docta libri secundi poemata locum obtinet, ut tamen aemulum illud LXIII uincat natiua sua simplicitate Sapphus ueneres in memoriam reuocante.

LXII.

1. Vesper adest, iuuenes: consurgite. Vesper, stella uespertina: cf. praeter Varronem (testim. uol. I) Censorin. d. d. n. 24 [p. 51 H.] *post supremam sequitur uespera, ante ortum scilicet eius stellae, quam Plautus uesperuginem, Ennius uesperum, Vergilius hesperon appellat,* Plin. h. n. II 36 *sidus . . Veneris, alterno meatu uagum ipsisque cognominibus aemulum solis ac lunae; praeueniens quippe et ante matutinum exoriens Luciferi nomen accipit, ut sol alter diemque maturans, contra ab occasu refulgens nuncupatur Vesper ut prorogans lucem uicemque lunae reddens.* saepius occurrit Vesper apud poetas, ut Verg. G. I 251. 'consurgite', scil. mensis (u. 3 et Aen. VIII 110). derigit autem haec uerba unus ex turba adulescentium ad socios. ita enim totam tibi fingas scaenam secundum hos uersus ipsos (praue autem plerumque in nouae nuptae domo paterna cenasse pueros puellasque putant): pueri, noui coniugis olim sodales, et puellae, nouae nuptae amicae, congregati sunt ante aedes mariti, ut expectent eum ad domum suam uxorem deducentem, festo carmine excepturi ex more aduenientes uirum feminamque iam sodalium circulis exemptos; deseruntque nunc stella Veneris exoriente, cum qua simul noua nupta domum paternam sit relictura, celeriter dapes largas a nouo marito praebitas, quibus adhuc indulserant ante aedes per cespitem ita diffusi, ut ab una parte puellae, ab altera adulescentes adcumberent: rusticam in hoc carmine omnia simplicitatem spirant. —

2. **Vesper Olympo expectata diu uix tandem lumina tollit.** Olympus dubitari nequit quin hic dicatur in uniuersum caelum; nam ne ad montem referas, uetat u. 7; et iam inde ab Ennio (ann. 158 V.) Romani sic amabant appellare caelum Graecos secuti (Varro d. l. l. VII 20, Verg. ecl. 6, 86). est autem 'Olympo' (= caelo) ablatiuus: Hor. sat. I 5, 10, Ouid. fast. IV 944 Tithonia *sustulit* .. *iubar orbe suum*; et 'tolli' de sideribus apparentibus saepius dicitur. AStatius ep. Claudian. 14, 1 G. *attollens thalamis Idalium iubar dilectus Veneri nascitur Hesperus.* 'lumina', lumen late in omnes partes splendens. iunge 'expect. diu' (Ouid. met. XIII 183): Dracontius 6, 115 [PLM. V p. 154] *longa est lux ipsa diei* .. *succedereque umbras exoptant* .. *spatiumque moratum lucis adoptatae transire in tempora noctis*; unde explicatur 'uix tandem tollit', qua formula hic ex animo noui mariti summus inpatientiae gradus (= tandem aliquando) exprimitur; ceterum cf. CIL. I 1438, Ter. Andr. 470 et Phorm. 234, Cic. ad fam. III 9, 1, Verg. Aen. II 128, Val. Flacc. VII 436 et alibi. — 3. **surgere iam tempus, iam pinguis linquere mensas.** iam tempestiuom siue oportunum est; nam in hac formula et 'est' haud raro omittitur (Verg. Aen. V 637 *iam tempus agi res,* et VI 46 *poscere fata tempus,* Stat. Theb. V 140, alia) et infinitiuus tam recte quam gerundium ponitur etiam in prosa (cf. Kuehnerus gr. l. II p. 554). 'pingues', non exiles, lautas opulentasque; *uncta mensa* similiter dixere Mart. V 44, 7 et Auson. parent. 9, 9, *diuites* et *opimas mensas* alii. 'linquere mensam' proprie dicitur de eis, qui cena peracta consurgunt: Plin. h. n. XXVIII 2, 26 *Seruii Sulpicii* .. *commentatio est, quamobrem mensa linquenda non sit.* — 4. **iam dicetur Hymenaeus.** canetur (cf. u. 18 et OIahnius Hermae I p. 419 sq.) carmen nuptiale (Ter. Ad. V 7, 9, Lucr. I 97 *claro comitari Hymenaeo*, Ouid. met. XII 215). in 'dicetur' ultima producta est in arsi et sequente uoce graecanica, ut LXIV 20 et LXVI 11 (cf. LMuellerus d. r. m. p. 321 sqq.). — 5 (cf. ad LXI 4 sq.) ceterosque uersus intercalares ab omnibus simul dictos esse puta. 'ades', adueni, ut LXI 77. — 6. **cernitis, innuptae, iuuenes consurgere terra?** sic scripsi ex apertis indiciis libri optimi T 'consurg i eretera': V praebet quod uulgo optinuit 'consurgite contra'. originem mendi Parisinus ille docet 'i' seruans: nimirum in communi codicum T et V archetypo exaratum erat 'consurgite contra' cum correctura supra posita 'ere ter(r)a': hanc V neglexit, T textum iam describere coeperat ('consurgi'), sed cito errorem perspiciens perrexit perscribere correcturam. est autem in uulgata lectione haec interrogatio 'cernitis, innuptae, iuuenes?' omnino inepta, siquidem per omne quod simul degebant tempus puellis cernere licuit iuuenes ex aduerso sedentes. sensus communis flagitat 'cernitis consurgere?'; id quod plane confirmatur u. 8, ubi grauiter repetitur 'uiden ut perniciter exiluere'. et si uelis utriusque testis scripturas ita conflare, ut 'consurgere contra' defendas: non adulescentes consurgunt contra, sed iam puellae (quamquam hoc uix mentione indiget). iam quod nonnulli de certa emendatione nostra 'terra' frigide

senserunt, cum septentrionalium regionum frigoribus adsueti pueros puellasque sub Ioue uespere degere perhorrescerent: ut alia nimis austero iudicio, ita rusticam illam simplicitatem neglexerunt, in quam sufficit attulisse praeter Colum. X 281 *laetisque uigent conuiuia pratis* Tibulli locum II 5, 95 *tunc operata deo pubes discumbet in herba, arboris antiquae qua leuis umbra cadit; aut e ueste sua tendent umbracula sertis uincta, coronatus stabit et ipse calix; aut sibi quisque dapes et festas extruet alte cespitibus mensas* (cf. u. 3) *cespitibusque torum.* 'innuptae', uirgines, ut LXIV 78, Aen. XII 24, Prop. III 19, 25. — **7. Oetaeos ostendit Noctifer ignes.** ortum est hoc dicendi genus in ea Thessaliae regione, quae orientem uersus adspectabat Oetam montem, unde et mane solem et uespere Hesperon putabant nasci. quod a Sappho (cf. et Wilamowitzius Hermae XVIII p. 418) protractum placuit Romanis: Verg. ecl. 8, 30 *tibi deserit Hesperus Oetam* ibique Seruius, Ciris 350 *et gelida uenientem ignem quatiebat ab Oeta*, Culex 203, Stat. silu. V 4, 8, Sen. Herc. f. 133 et Herc. O. 861. 'Noctifer' idem atque Hesperus; Calpurn. ecl. 5, 121. 'ignes' (de plurali intensiuo cf. u. 2 'lumina') feliciter Itali recuperauere ex tradito 'imbres' uel 'imber' secundum Hor. od. III 29, 17 *iam clarus occultum Andromedae pater ostendit ignem* ('ostendi', oriri, ut Ouid. tr. V 4, 8 *ostendi solem*, epist. Sapph. 135 *se Titan ostendit*); nihilominus longius aberrare uoluerunt docti 'umbras' similiaque conicientes. — **8. sic certest: uiden ut perniciter exiluere?** confirmantes cum ui repetunt, inestque gradatio uoci 'perniciter'; cf. LXXX 7 *sic certe est.* de 'uiden ut' cf. ad LXI 77. — **9. non temere exiluere: canent quod uisere par est.** 'temere', de nihilo, sine iusta causa, ut Ter. Phorm. V 3, 19 *non temere dico.* traditam scripturam 'uisere' nemo defendit praeter Ellisium, qui interpretatur 'quod dignum est quod respiciatur' male cp. Hor. epist. II 2, 91 (ubi 'uisu' explicetur ex eo quod sequitur 'caelatum'). quamquam fatendum est, ex coniecturis adhuc prolatis nullam placere. nam in Auantiana 'quo uincere par est' male abest 'eos'; Marcilii et Passeratii commentum 'quod uincere p. e.' ambiguum est quam maxime (dubitas, sitne 'quod' obiectum an subiectum, nec 'carmen uincit' placet); nec BGuarinus 'quos uincere p. e.' restituens conuenientia certantium animo dedit. nec probabiliora inuenta Lachmanni 'quo sidere p. e.', Doeringii 'quod dicere p. e.', ARiesii 'quod discere p. e.', Leutschii 'quoi fidere p. e.', mei ipsius denique 'quo uincere cura est'. noua igitur temptanda medela. uide an possit placere 'quod uiuere par est', h. e. quod meretur, ut et hunc in annum uiuat et plures. uidemus enim choros certantes etiam amabili quadam modestia inter se certare, qua alteri se alteris cedere fatentur; idem igitur puellae praedicant in iuuenibus quod mox hi laudant in illis (u. 13). 'par est', conuenit, aequum est, ut Cic. d. am. 22, 82 *par est ipsum esse uirum bonum,* d. off. II 23, 83 *sic par est agere cum ciuibus.* — **11. non facilis nobis, aequalis, palma parata est.** 'aequalis' (cf. graecum ἥλικες; et saepius Romani de pueritiae sodalibus, ut Pacuu. 114 R.

hymenaeum fremunt aequales) primo pluralis casu: Lachm. ad Lucr. p. 56, Buechelerus de declin. lat. p. 15, ad LXIV 14. 'parare uictoriam' dixit Tac. Germ. 30; sed de uero participio cum cogitari nequeat in uictoria nondum comparata, 'paratus' accipiunt 'promptus, in medio positus'. sed palmam, licet non facilem, sibi in promptu esse non possunt omnino innuere iuuenes, qui mox u. 16 'iure igitur uincemur' dicant. ipsa autem uerborum conlocatio uetat quominus asyndetice statuamus duo synonyma copulata esse (utique expectandum est 'non facilis nec parata'). legendum puto 'paratu'; a qua constructione notum est nec poetas abstinuisse. — **12. secum ut meditata requirunt.** meditata, domi perpensa ac praeparata, semper siue aperte siue tacite sunt contraria eis, quae subito profunduntur, ut Ouid. met. IX 521 *meditata uerba,* Tac. dial. 10, Plin. epist. I 16 *siue meditata siue subita proferret* et paneg. 3 *meditatum carmen,* alia. cum hoc (non cum 'requirunt') iunge 'secum': Cic. de off. I 40, 144 *ut siqui, cum causam sit acturus, in itinere aut in ambulatione secum ipse meditetur*: nimirum alia ex alia quaerit, quid argumenti ad canendum excogitauerit adferatque. in V cum per haplographiam scriptum esset 'medita', huic adhaesit uox sequens iam discissa euasitque 'meditare quaerunt': non latere formam 'requaerunt' et mendi origo ostendit et T confirmat. — **13. non frustra meditantur: habent memorabile quod sit.** aliter nunc (cogente aequabilitate, qua haec epanalepsis respondet priori in u. 9) 'meditantur' ita adhibetur, ut omnes simul iam deliberare cantum aptum, auditis singularum curis, dicantur; quam rem prospere cedere ex uultibus puellarum adgnoscunt pueri. 'habent' huius meditationis fructum indicat (= repperere, ut Ter. Eun. IV 4, 7 *habesne hominem, amabo?*). 'memorab.', hominum notitia ac memoria dignum. de 'quod' traiecto cf. ad Corn. 9. — **14. neimirum penitus quae tota mente laborant.** liber Thuaneus, cui soli debemus hunc uersum, habet 'nec mirum'. sed hoc si retinemus (cf. XXIII 7), utique cum ueteribus editionibus 'laborent' scribendum est, ut 'quae' ualeat 'cum eae' (21 et 27). lenius est uisum restituere id quod in lemmate legitur: eae nimirum quae semper omni cum mentis intentione ei rei, quam consequi uolunt, operam nauant. saepius sic 'laborare' absolute ponitur etiam in mentis curis, ut Hor. a. p. 241 *sudet multum frustraque laboret.* 'penitus' cum 'tota' iunge, ut Verg. ecl. 1, 66. — **15. nos alio mentes, alio diuisimus aures.** 'nos' cum ui: nos contra. Verg. Aen. IV 285, VIII 20 *atque animum nunc huc celerem, nunc diuidit illuc* (Stat. Ach. I 200). male Italus quidam 'dimisimus': aures non dimittuntur aliquo. immo haec est sententia: nostra intentio non est tota, sed diuisa, cum alibi mentes auresque nostrae uersentur (scil. non in cantu meditando, sed apud puellas ex aduerso sedentes). est igitur 'alio . . alio (= et)' repetitio mere rhetorica (28), et caue ne interpreteris 'in alia re mentes quam aures sunt occupatae'. et mente et auribus qui in hac re sunt, 'tota mente' laborant. — **16. amat uictoria curam.** Eurip. Phoen. 721 καὶ μὴν τὸ νικᾶν ἐστι πᾶν εὐβουλία, Ciris 55 *nam uerum fateamur, amat Polyhymnia*

uerum. 'curam', illud ipsum 'tota mente' laborare'. — **17. quare nunc animos saltem conuertite uestros.** 'nunc saltem' coniunge: in summo uictoriae periculo. quamquam cum haec notio non sit urguenda et 'nunc' sufficiat, 'conuertite animos' autem aegre careat addito aliquo, ueluti 'ad hoc certamen' (ex. gr. Liu. XXVI 40, 15 *ad agrum colendum animos conuertere*), suspicatus sum ex glossa prouenisse 'saltem', quae supra uersum adscripta et pro uaria lectione accepta uocem expulisset a litteris simillimam 'ad rem'; cf. dictionem 'ad rem redire' similesque. ceterum iterum 'conuertite' debetur libro **T**: 'committite' praebet **V** sine iusto sensu (duo aduersarii committunt praelium). — **18. dicere iam incipient, iam respondere decebit.** Verg. ecl. 3, 58 *incipe, Damoeta; tu deinde sequere, Menalca; alternis dicetis: amant alterna Camenae.* huius autem, quod iam sequitur, carminis amoebaei (cf. Seru. ad ecl. 3, 29) tres uulgo statuuntur partes potissimae (20—30, 32—37, 39—58), in quarum unaquaque puellarum dictis respondent iuuenes. et in prima quidem parte magis in uniuersum Hesperus et accusatur et laudatur; in altera, transitu ad ipsam rem facto, quod aequalem caram (quam iam appropinquantem tibi fingas) rapuit Vesper queruntur feminae, contra quas tuentur eundem et simulatos esse illarum questus arguunt adulescentes; in tertia denique parte puellae uirginem puram castamque, iuuenes eandem nuptam praedicant. — **20. qui caelo fertur crudelior ignis?** in caelo uoluitur, facit iter; German. progn. 2, 2 [PLM. I p. 187] *per idem Cythereius ignis fertur iter.* 'ignis', ut Hor. od. I 12, 47 *micat .. inter ignes luna minores.* ceterum hic quoque nunc **T** sequendum puto 'quis' (ut et u. 26) praebentem, simpliciter cum interrogetur, numquod in caelo sit sidus aeque crudele, non illud etiam, quale sit hoc sidus; et quamquam hoc discrimen notum non semper anxie sit obseruatum, hic tamen meliori testi illud seruanti fidem habeamus oportet. — **21. qui natam possis conplexu auellere matris.** 'qui' explicat illud 'crudelior': cum a te inpetrare possis ut auellas; quemadmodum saepius 'posse' neruose ponitur (ut LXVIII^b 1, Aen. IX 482). Verg. Aen. IV 616 *conplexu auolsus Iuli*; de raptu uirginis cogita (LXI 56 sq.). — **22. retinentem** in hac repetitione summo cum affectu facta continet gradationem. supplent uulgo 'matris conplexum'; quod fit durissime. nec melius se habet subintellectum 'se'; quod ut possit suppleri, tamen 'se retinere' non ea, qua hic opus est, utitur significatione. Gronouius [diatr. in Stat. I p. 585 H.] tacite correxit 'c. natae retinentem au. matrem', non bene. praefero 'retinente', ut 'natam' sit commune obiectum. belle enim, siquid sentio, matris conplexus ipse dicitur retinere siue non uelle dimittere filiam; qua in re maior opprobrii uis quam in filia reluctante. — **23. iuueni ardenti.** cui pectus uritur intimum, LXI 170, ubi 56 *fero iuueni.* — **donare.** dedere (LXI 58), ut Ouid. am. I 3, 12 *me qui tibi donat Amor.* — **24. quid faciunt hostes capta crudelius urbe?** fundus imaginis huius adamatae, ut uidit Vulpius, Hom. Il. IX 592 sqq. Sall. Cat. 51 9 *quae belli saeuitia esset, quae uictis acciderent,*

enumerauere: rapi uirgines pueros, diuelli liberos a parentum complexu, matres familiarum pati quae uictoribus conlibuissent eqs., Verg. Aen. II 746 *aut quid in euersa uidi crudelius urbe*, Prop. IV 8, 56 *spectaclum capta nec minus urbe fuit*, Ouid. met. XII 225 et epist. 8, 11, alia. — **26. quis caelo lucet iocundior ignis?** Hom. Il. XXII 318 Ἕσπερος, ὃς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἵσταται ἀστήρ, unde profluxit Sapphus fragm. 133 Ἕσπερος κάλλιστε ἄστρων πολὺ πάντων (cf. et Apoll. Rhod. I 775 sqq., Bion 16, 2). — **27. qui desponsa tua firmes conubia flamma.** Reinius libri 'd. Privatrecht d. Roemer' p. 407 cp. Seruii Sulpicii ap. Gell. IV 4 uerba: *qui uxorem ducturus erat, ab eo, unde ducenda erat, stipulabatur, eam in matrimonium datum iri; qui ducturus erat, itidem spondebat: is contractus stipulationum sponsionumque dicebatur 'sponsalia'; tunc quae promissa erat 'sponsa' appellabatur, qui spoponderat ducturum 'sponsus'* et Varr. d. l. l. VI 70 *qui spoponderat filiam, despondisse dicebatur.* sed despondendi uerbum etiam de eo, qui ducturus est, adhiberi docet Cic. ad fam. VIII 7, 2; et in uniuersum de utrisque partibus, ut hic, legitur Ter. Ad. V 6, 16. ceterum interposita re diuina et per iuramentum fiebat antiquitus sponsio (Iheringius 'G. d. r. R.' I p. 264). 'firmes', confirmes (cf. ad XXXVI 1), rata facias. 'flamma' explicatur u. 29. — **28. quae pepigere uiri, pepigerunt ante parentes.** uersus superfluus paululum et magis ob strophae aequabilitatem adiectus. pangendi uerbum, ut u. 15, rhetorice repetitum: conubia ante inter se pepigerunt uir (nouus maritus) et puellae pater; de plurali in cognationis nominibus non raro cf. Kuehnerus gr. l. II p. 63. 'ante' eo explicatur, quod pactum praecedere solebat primitus (nam postea nullum discrimen erat) sponsalia; cf. Reinius l. l. p. 408. metri causa inter 'pepigere' et 'pepigerunt' uariatum est, ut Verg. ecl. 10, 13 *fleuere myricae ... fleuerunt saxa Lycaei*, Hor. epist. II 1, 155 *pepulere .. manserunt* (ubi sine causa Haasius ad Reisigii praelectt. p. 225 not. discrimen quoddam statuit). — **29. nec iunxere prius quam se tuus extulit ardor.** 'iunx.', scil. conubia; quod quomodo pariter de uiro et de nuptae parente possit dici, apparet ex locis, quales sunt Cic. d. or. I 9, 37 *Romulus .. Sabinorum conubia coniunxit*, Liu. IV 1, 1 *de conubio patrum et plebis*, Ouid. met. VI 428, aliis; fit autem haec iunctio traditione puellae (u. 60). Aen. VIII 591 Lucifer *extulit os sacrum caelo*, Ouid. f. II 149 *nitidum iubar extulit undis.* 'ardor', fulgor, ut Cic. d. diu. I 11, 18 *et claro tremulos ardore cometas.* — **30. felici optatius hora.** magis optabile (Cic. diu. in Caec. 3, 7 *quid est quod .. optatius esse possit?*, Naegelsbachius stil. lat. p. 215 et 216 [7]) quam haec beata hora; Hor. epist. I 11, 22 *quamcumque deus tibi fortunauerit horam* (ibid. I 4, 14 *grata hora*). AStatius cp. Eurip. fragm. 140 Dind. ὅσοι γὰρ εἰς ἔρωτα πίπτουσιν βροτῶν, ἐσθλῶν ὅταν τύχωσι τῶν ἐρωμένων, οὐκ ἔσθ' ὁποίας λείπεται τόδ' ἡδονῆς. cf. et *felix dies* Lygdam. 3, 26, Ciris 27. — **32. abstulit.** rapuit. qua uerbi forma ut indicatur certus quidam progressus (uirginem iam e gremio matris raptam procul uident adferri), ita ipso uocabulo certius iudicare

licet de lacuna, quam a codicibus non significatam adesse certissime euicit Auantius: u. 32 et 36 toto ut aiunt caelo inter se discordant. et hic cum priores inde ab IVossio 32—35 puellis, 36—38 adulescentibus attribuissent, inde a Lachmanno plerique intellexerunt, puellas nunc coeptae Hesperi sibi ingrati incusationi acrius instantes in eum tamquam furem inuehi, docente antistrophe iuuenum furis opprobrium a grato sibi acceptoque sidere arcentium; intercidisse igitur maiorem partem cantus puellaris, tum post u. intercalarem initium responsionis iuuenum. numerum autem uersuum cum alii alium fuisse sibi persuaserint, plerique consentiunt in quinque cantus puellaris uersibus et uno antistrophae uersu amissis. quod equidem propterea probo, quod uerisimillimum est puellas illud 'abstulit' stabilituras (cf. u. 21) perrexisse per 'namque', quod iuuenes more suo (cf. 27) repetierint. hinc et de numero uersuum interlapsorum plane constat et de origine uitii: a priore 'namque' ad alterum aberrauit librarius archetypi. uidentur autem puellae hoc maxime in Hesperum coniecisse crimen, quod sit patronus fautorque furum, hac uoce perstringentes potissimum amatores cupidos (quae adlusio etiam in antistropha conparet). huic crimini sic obuiam eunt iuuenes, ut sine causa iusta ita Hesperum a puellis uocatum esse optineant, quippe quo et ueniente et redeunte sibi cauere debeant fures, qui potius ipsius noctis tenebris sint tuti securique. — **33. uigilat custodia semper.** custodes, ut Aen. VI 574 *cernis, custodia qualis uestibulo sedeat,* IX 166. de sensu amatorio, qui subest, cf. ex. gr. Ouid. am. III 4, 1 *dure uir, inposito tenerae custode puellae nil agis.* — **34. nocte latent fures.** 'nocte' cum ui multa oppositionis. Ouid. a. a. I 249 *nocte latent mendae.* ridicule Varro ap. Gell. I 18, 4 *furem dicit ex eo dictum, quod ueteres Romani 'furuum' atrum appellauerint et fures per noctem, quae atra sit, facilius furentur*; quod qui attulit Ellisius, recte monet, quam iunctae inter se sint notiones furum et clandestinorum amatorum, cp. Theocr. 27, 68 *φώριος εὐνά* et 22, 151 *κλέπτειν γάμον*, Tib. I 5, 7 et 9, 55, Prop. II 32, 17 et III 8, 39, Ouid. trist. II 461 et am. III 4, 25. — **34, 35. quos idem saepe reuertens, Hespere, mutato comprendis nomine eosdem.** eundem esse Hesperum et Luciferum mane redeuntem (disceptabant ueteres, hoc repertum num Pythagorae an Parmenidi deberetur: Diog. Laert. VIII 14 et IX 23, Suidas s. u. *Παρμενίδης*; Wilamowitzius Hermae XVIII p. 417), ut alii scriptores (Plato Epinom. p. 987, Cic. d. n. d. II 20, 53 *stella Veneris, quae Φωσφόρος graece, latine dicitur Lucifer, cum antegreditur solem, cum subsequitur autem, Hesperus*), ita poetae praesertim celebrant locis plurimis a Schradero maxime [em. p. 15 sq.] collectis, Callim. fr. 52 *αὐτοὶ μὲν φιλέουσ', αὐτοὶ δέ τε πεφρίκασιν, Ἑσπέριον φιλέουσιν, ἀτὰρ στυγέουσιν Ἑῷον*, Cinna fr. 8 LM., Ciris 351, eleg. Maec. 129 sqq. [PLM. I p. 134], Aetna 243, Ouid. ex. P. II 5, 50, Ilias lat. 868, Manil. I 177, Colum. X 290, Sen Agam. 819 sqq. et Phaedr. 749 sqq., Lucan. ap. Lact. ad Stat. Theb. IX 424, Stat. Theb. VI 238 sqq., Boeth. d. cons. phil. I 5, 10 sqq. 'saepe' cum 'com-

prendis' iunge. 'eosdem', scil. fures, uulgo explicant (ad 'idem eosdem' cp. Iuuen. 7, 153); languidissimam esse hanc rationem (nec enim furum notio efferenda) et poeta indignam perspiciens Schraderus egregie dedit 'Eous'; et hercle ipsum illud 'mutato nomine' flagitat, ut quid iam audiat Hesperus addatur. sed perfectione indiget emendatio illa. nam 'comprendere' ubi apud bonos quidem scriptores in his rebus amatoriis plane ut 'deprehendere' ponatur, non habeo; nec dubito quin hic quoque, ut alibi non raro, 'deprendis' genuinum corruptum sit in 'comprendis'; unde correcturae causa in margine additum 'de' peperit illud 'eosdem' (cf. uol. I praef. p. XLIII); et nescio an ita legerit Sulpicia [app. Tibull. III] 5, 11 *nec possit cupidos uigilans deprendere custos* (cf. u. 33). — **36. at lubet.** 'at' in refutatione: uerum enim uero non ita sentiunt puellae, quae amant ita tegere pectoris desideria. — **ficto te carpere questu.** cf. LXVI 16 *falsis lacrimulis* et 18 *non uera gemunt,* Ouid. met. VI 565 *gemitus fictos.* Ouid. rem. 561 *nostros quidam carpsere libellos* (= eis detrectauere). — **37. quid tum, si carpunt, tacita a! quem mente requirunt?** pergitur in dissolutione, de cuius formula 'quid tum' cf. Seyffertus schol. lat. I § 46 et 65, Verg. ecl. 10 38 *quid tum, si fuscus Amynthas?*, Gratius 525. de 'quid si' cum indicatiuo constructo cf. Bentleius ad Hor. epist. I 16, 8. Sulpicia l. l. 16 *aliud tacita iam tua mente rogat.* hoc autem desiderium puellarum, ut Hesperus sibi quoque ueniat intimo pectore cupientium, egregie depingit 'a' interiectio, de qua a nobis restituta cf. praef. uol. I p. XLIII. 'req.', optant, ut Tib. I 1, 41. — **39. ut flos in saeptis secretus nascitur hortis.** cf. LXI 87 sqq. 'secretus' explicatur addito 'in hortis saeptis', scil. ad quos aditus communis non patet; cf. et Bentl. ad Hor. ad I 12, 45. Colum. X 27 *talis humus uel parietibus uel saepibus hirtis claudatur, ne sit pecori neu peruia furi* cp. AStatius, et de sensu amatorio Ellisius Ouid. a. a. III 562 *cingenda est altis saepibus ista seges.* 'nascitur' non solum oriendi, sed etiam crescendi notione hic utitur; cf. Vahlenus Hermae XV p. 270. deesse aliquid in his uerbis, facile accuratius huius cantici structura perpensa (43 'cum') docet. sed Spengelius Froehlichiusque cum 'qui' ante 'in' adderent cp. u. 49, quod minus aptum esse hic quidem restituerunt; nobis 'flos si in' ut per se longe melius, ita a ratione palaeographica tutius est uisum; neque seruilis ineptaeque aequabilitatis studiosus noster (cf. 20 'fertur', 26 'lucet'). — **40. ignotus pecori, nullo conuolsus aratro.** Verg. G. IV 7 *principio sedes . . statioque petenda, quo . . neque oues haedique petulci floribus insultent aut errans bucula campo . . surgentis atterat herbas,* Priap. 65, 1. subobscurum atque difficile illud 'ignotus' (quae enim notitia flori cum pecore conculcante?); pro quo erat cum conicerem 'non ictus'. 'conuolsus' recte **T** praebet: aratrum dum glaebam conuellit (LXIV 40), etiam florem a solo conuellit (Verg. Aen. III 24 *ab humo conuellere siluam*); 'contusus', quod uulgo legitur, mera est coniectura (praef. uol. I p. XX). — **41. quem mulcent aurae, firmat sol, educat imber.** aurae uentique sunt almae

florum nutrices; LXIV 90 et 282, Prop. IV 7, 60 *mulcet ubi Elysias aura beata rosas*, Ouid. f. V 209 *est mihi fecundus dotalibus hortus in agris: aura fouet, liquidae fonte rigatur aquae* (met. 1 108), Bentleius ad Hor. od. I 22, 19. sol calore suo 'firmat', robur addit. 'imber' de quouis umore (tam terrestri quam caelesti) intellege, qui maxime facit adolescere plantas; Vulpius cp. Plato legg. VIII p. 845 *ὕδωρ δὲ πάντων μὲν τὸ περὶ τὰς κηπείας διαφερόντως τρόφιμον, εὐδιάφθαρτον δέ· οὔτε γὰρ γῆν οὔτε ἥλιον οὔτε πνεύματα τοῖς ὕδασι ξύντροφα τῶν ἐκ γῆς ἀναβλαστανόντων ῥᾴδιον φθείρειν* (Hebelius in libro 'Schatzkaestlein' haec habet: 'so ein Baum . . trinkt still wie ein Mutterkind den naehrenden Saft der Erde und saugt reines warmes Leben aus dem Sonnenschein und frisches aus der Luft und schuettelt die Haare im Sturm'); Fronto p. 7 N. de arboribus montanis *uentis atque imbribus educantur*, Val. Flacc. VI 711 *qualem siquis aquis et fertilis ubere terrae educat . . oleam.* coniungit Lucr. V 937 *quod sol atque imbres dederant, quod terra crearat sponte sua.* — post 41 interiisse uersiculum, aperit (ut uidit LSpengelius) stropharum aequabilitas comparatusque u. 52: perfecti floris (maxime ab odore et colore) descriptionem illi infuisse uideri, recte plerique intellexere. — **42. multi illum pueri, multi optauere puellae.** ob oculos habuit Ouid. met. III 353 *multi illum iuuenes, multae cupiere puellae; sed fuit in tenera tam dira superbia forma: nulli illum iuuenes, nullae tetigere puellae*; Verg. Aen. XI 581 *multae illam frustra Tyrrhena per oppida matres optauere nurum.* 'optauere', aoristice, ut Tib. I 10, 46, Verg. Aen. V 146, Hor. od. III 2, 31 et 23, 19, ibique Bentleius (Kuehnerus gr. l. II p. 100 sq.). — **43. idem cum tenui carptus defloruit ungui.** 'idem' loco particulae aduersatiuae (at, contra), ut Cic. Tusc. II 27, 65. Prop. I 20, 39 de Hyla *modo decerpens tenero pueriliter ungui proposito florem praetulit officio,* Verg. Aen. XI 68 *qualem uirgineo demessum pollice florem seu mollis uiolae seu languentis hyacinthi . . iam non mater alit tellus*: sic 'tenui ungui' (Ouid. epist. 4, 30 *et tenui primam deligere ungue rosam*) tam ad puerilem quam ad uirgineam manum referri potest. 'defloruit', marcescit; puta autem florem, quem iam nolunt pueri puellaeque, abiectum nimirum in terra iacentem. — **45. sic uirgo, dum intacta manet, dum cara suis est.** 'dum — dum' Quintilianus (testim. uol. I) explicat 'quoad — usque eo', h. e. quamdiu — tamdiu. nam 'dum' ubique temporis spatium indicans (Corssenus de pronunt. II p. 856², Savelsbergius mus. Rhen. XXVI p. 135) cum abundantia eadem, quam habemus in illo *ut uidi, ut perii*, copulatur correlatiue, ut quod per spatium una res uigeat per idem altera locum habere dicatur. Plaut. Truc. II 1, 21 *dum habeat, dum amet,* ubi itidem alterum 'dum' in 'tum' corruperunt librarii rararum dictionum ubique inimici atrocissimi, ut hic **T V** (u. 56 saltim **V** uerum seruauit); cf. omnino Fleckeisenus in ann. suis 1870 p. 648. 'innupta' idem Quintilianus exhibet pro 'intacta', notionum synonymarum confusione: saepe ueteres grammatici in minoris momenti uerbis neglegentiores sunt, nec tamen propterea

in eis, quae diserte testantur, fides illis abroganda est. 'intacta' adserit non solum u. 56, sed res etiam ipsa; nam si 'innupta' dixissent puellae, quam ineptum esset illud 'dum cara suis est' statim adparuisset. 'suis', propinquis (LXI 51); Vulpius cp. inscript. ap. Reines. 17, 96 *proba et casta, cara suis uixit.* — **46. cum castum amisit polluto corpore florem.** 'flos', de innocentia intacta praesertim in dictione 'flos aetatis' (XVII 14) obuium et hinc comparationibus lasciuis ansam praebens (Passeratius cp. Priap. 5, 3 sq.), hic intenditur (ad I 10) similis notionis adiectiuo 'castus', h. e. purus, ut non raro 'castum' ad res translatum dicitur id quod sine turpitudinis est nota (Non. p. 267, 4), ut Varro sat. Men. 119 B. *quae casta uestis aetasque adulescentium,* Tib. II 1, 13, alibi. caue ne 'polluto corpore' tantum de inconcessis Hymenaeis accipias: puellae uirginitatis amorem summum prae se ferentes eam amissam uel in nuptis damnant, ualde infirma argumentandi ratione usae. finge tibi nouam maritam inter hanc stropham magis magisque adpropinquare: timidae et uirginali pudore reluctanti succurrunt illae. contra quas iam iuuenes patrocinium suscipiunt matrimonii. — **49. ut uiduo in nudo uitis quae n. aruo.** 'uidua', marito siue arbore sustentante carens, ut contra et arbores ipsae uite carentes audiunt uiduae (Hor. od. IV 5, 30, Mart. III 58, 3). 'nudo', scil. arboribus; Ouid. trist. III 10, 75 *nudos sine fronde, sine arbore campos*; et ponitur interdum 'nudus' absolute, ubi conexus ipse rem indicat, ut Verg. ecl. 1, 48 *lapis nudus*, scil. caespite. — **50. numquam se extollit, numquam mitem educat uuam.** Cic. Tusc. V 13, 37 *et uites et ea, quae sunt humiliora neque se tollere a terra altius possunt,* de senect. 15, 52. 'm. e.', usque ad maturitatem facit grandescere; Verg. Priap. 3, 4 [PLM. II p. 160] *uua pampinea rubens educata sub umbra,* G. I 448 *mitis defendet pampinus uuas.* ceterum de uitium humilium et arbustiuarum condicione e soli natura pendente cf. Varro d. r. r. I 8 (et ad u. 54). — **51. sed tenerum prono deflectens pondere corpus.** Tib. I 7, 33 *teneram palis adiungere uitem.* Ciris 26 *prono grauidum p. pondere currum* et Val. Flacc. III 564 *adiutae prono nam pondere uires*: de infirmitate uitis hanc deprimente cogita. Plin. h. n. XVII 23, 204 *deflexa uite.* — **52. iamiam contingit summum radice flagellum.** tandem eo peruenit, ut radix et summa palmitis pars se tangant; Varro d. r. r. I 31, 3 *eiuncidum enim sarmentum propter infirmitatem sterile neque ex se potest eicere uitem, quam uocant minorem flagellum, maiorem et iam unde uuae nascuntur palmam.* nulla adest hic inuersio: 'uitis radice sarmentum contingit' tam recte dicitur quam 'radicem sarmento': praeualet notio radicis, a qua nimirum se tollit uitis. — **53. hanc nulli agricolae, nulli coluere iuuenci.** nauseam mouent hic et 55 boues. uitem colunt, h. e. omni diligentia adhibita fouent, soli agricolae, eo etiam, quod per iuuencos solum uineti uertunt (Verg. G. II 356 sq., Colum. d. r. r. II 4); boues ipsi agrum iterantes tertiantesque hunc colere recte dicuntur, inepte (ex nostro iudicio) uitem colere dicuntur. maioris etiam momenti hoc est, quod haec uerba per omnia respondent

u. 42 et 44; ubi quemadmodum iunguntur pueri puellaeque, ita hic agricolas flagitamus non cum bruto pecore, sed cum eiusdem speciei hominibus sociari (ut et ex Lucani II 370 recordatione patet *pignora nulla domus, nulli coiere propinqui*). qui non erunt 'bubulci', ut uoluit ARiesius (quid enim bubulcis cum uitibus?), sed 'coloni'. agricolae enim et coloni sunt ruris cultores, qui ita differunt, ut ille proprium, hic conductum agrum colant; et quamquam plerumque sine distinctione ponuntur (cf. ex. gr. uersus Aeneidi praefixos), interdum tamen accurate distinguuntur, ut Cat. d. r. r. praef. 2 *et bonum uirum quom laudabant, ita laudabant, bonum agricolam bonumque colonum,* Val. Flacc. II 461 *agrestum manus et caeco clamore coloni*: Catullus eiusdem cum agricola speciei hominem positurus praeter colonum uix potuit meliorem reperire. nec illud 'coluere coloni' dedecet nostrum; cf. Colum. I 7, 3 et IRN. 5504. 'acoluere' hic et 55 T, solo u. 55 'accoluere' V praebent male, cum accolendi uerbum minime sit aptum, colendi uox unice quadret ('uitem colere' Cic. de fin. IV 14, 38 et Gell. XIX 12, 7 dixere); nec minus male olim 'ac coluere' scripserunt ('ac' contra Catulli usum traiecto). quamquam dubium est, num uitium sit ortum (ut Hauptius putauit) ex 'multei (nullei) coluere'; uidetur potius in archetypo 'a' pro 'co' primitus falso scriptum fugisse correctoris delentis diligentiam. — **54. at si forte eadem est ulmo coniuncta marita.** adligare et adiungere uites siue ulmis siue populis aliisue arboribus (Plin. h. n. XVII 23) in Italici maxime soli natura umida omnino erat necessarium; quam ob causam, ut ait Varro d. r. r. I 8 *altius uitis tollenda, quod in partu et alimonio uinum non ut in calice quaerit aquam, sed solem.* hanc iuncturam agricolae 'maritare' uocabant (cf. ex. gr. Seru. ad G. I 2, Hor. epod. 2, 10, Colum. IV 1, 6 et XI 2 79); quo in matrimonio feminae partes inpleuit utpote tenuior uitis (Plin. h. n. XIV 1, 10 *in Campano agro populis nubunt uites*, Manil. V 238), uiri ulmus robustior; unde recte se habere potest quod V praebet 'marito' (h. e. tamquam marito; aliter Quintil. VIII 3, 8 *ulmum maritam*; cf. etiam IGrimmii opusc. min. III p. 357 not.); sed quoniam oblitterata ea significatione, qua 'maritus' indicat ui mascula praeditum (cf. Aufrechtius mus. Rhen. XXXV p. 320), uox 'marita' etiam de femina usurpatur, non minus bene uitis ut marita ulmo iuncta dicitur; praeferoque hoc non solum ob maiorem Thuanei auctoritatem, sed etiam ob causam adhuc non animaduersam. male enim se habet traditum 'forte': quisnam in uite maritanda tantus est locus casui aut fortunae, ut uoci illi suus constet sensus? egregie mihi Ramlerus coniecisse uidetur 'forti', h. e. robustae; quo attributo nihil ad imaginis perfectionem aptius excogitari potest. — **56. inculta senescit.** tamquam ager desertus fructus non profert, sine usu et honore fit anus; Passeratius cp. *χέρσος* (Soph. Oed. T. 1502 *χέρσους φθαρῆναι κἀγάμους ὑμᾶς χρεών*), Ellisius Aristoph. Lysistr. 593 *περὶ τῶν δὲ κορῶν ἐν τοῖς θαλάμοις γηρασκουσῶν ἀνιῶμαι.* — **57. cum par conubium maturo tempore adepta est.** ut in uitium arborumque matrimonio aetas uiresque conuenire

debent (Colum. V 6, 18), sic et in hominum conubio cum annos tum natales opesque congruere par est; sent. VII sap. 30 [PLM. III p. 161] *par pari iugator coniunx: quidquid impar, dissidet*, Ouid. epist. 9, 29 *quam male inaequales ueniunt ad aratra iuuenci, tam premitur magno coniuge nupta minor . . . siqua uoles apte nubere, nube pari*, Callim. epigr. 1; AStatius cp. Aesch. Prom. 901 ὁμαλὸς γάμος. 'conubium', cf. LMuellerus d. r. m. p. 258 sq. 'adepta est', ut LXVI 27. 'mat. temp.', iusto suoque, ut Lucr. V 809 *quos ubi tempore maturo patefecerat aestus*, nimirum eo quo ipsa uirgo est *iam matura uiro, iam plenis nubilis annis* (Aen. VII 53). — 58. **cura uiro magis et minus est inuisa parenti.** 'cura' (h. e. res curae siue amoris) quoniam desiderat 'maior', Itali 'cara' recte restituerunt adprobantibus doctis omnibus; omnes adhuc patienter tulerunt uocem non minus suspectam atque a sensu intolerabilem 'uiro'. nullo enim pacto mulier marito quidem propterea magis est grata, quod suo tempore iniit coniugium aequum. ducit ille suo arbitrio feminam, non precibus adductus eorum qui filiae annis prouectioris curam abicere uolunt. ita qui libere consortem ut in ceteris ita aetate conuenientem sibi elegit, quomodo magni in ea aestimare potest id quod ipse bene respexit? obscuratam puto fuisse in uetustissimo quodam codice uersus initium 'c≣ra≣uis': restituit qui descripsit 'cura' porroque 'uis' explicare nequiens dedit 'uiro'. restituo ego 'cara suis magis', h. e. propinquis (45). iam uero melius intellegimus, cur unius parentis subiciatur commemoratio; hic quippe ut is qui totam familiam sustentat peculiari sane mentione dignus; mater et fratres sororesque magis diligunt puellam nuptam, sed patri eadem est minus inuisa, quippe cui filiae iam nubendi aetatem supergressae atque inlocabiles onus sint molestum perosumque; Passeratius cp. Menandri fragm. Ἀλ. 6 M. χαλεπόν γε θυγάτηρ κτῆμα καὶ δυσδιάθετον et Ἀνεψ. 2 θυγάτηρ κτῆμ' ἐστιν ἐργῶδες πατρί (Meinekius praeterea Lyconem ap. Diog. Laert. V 65 βαρὺ φορτίον πατρὶ κόρη). recepto autem illo 'suis' magis iam adparet, quam acrem puellaris cantus censuram instituant iuuenes. nam innuptae si sibi constare uoluissent, u. 47 pergere debebant 'suis non cara est', sed substituentes (pro sua nempe caeca uirginitatis defensione) ea quae nunc ibi leguntur, quam futtilis tota sua argumentatio esset, facile patefecere; et his insistentes iuuenes corrigunt falsa illarum dicta, matrimonium esse puellarum munus officiumque monentes. — post 58 non posse uno tenore ita pergere adulescentes, ut sine transitu sese conuertant ad nouam nuptam adhortandam, inde a Mureto et AStatio plerique omnes intellexerunt; ideoque illis auctoribus uulgo interseritur uersus intercalaris. sed uel sic praeter expectationem sequi hanc adhortationem et ipsam paulo abruptiorem, negari nequit. praeterea obscura est in hoc ultimo cantu aequabilitatis ratio. respondent inter se cetera omnia (1—4 et 6—9, 20—24 et 26—30, 32 + 5 interlapsi et 1 interlapsus +33—37, 39—47 cum uno interlapso et 49—58): soli cantus iuuenum 11—18 et 59—65 non congruunt. hinc GHermannus in hac ultima parte

uersiculum putauit esse amissum, cui Hauptius post 65 et Rossbachius post 59 lacunam statuentes adsensi sunt. alii u. 14 aptissimum male suspectantes aequabilitati consulebant. illi autem rationi propterea diffido, quod complures lacunas ne statuamus uetat ars diplomatica: post 58 aperte nec ullo dubitante hiatus est, hoc hiatu absorpta esse siqua praeterea desiderantur sanae critices regulae indicant. et quali ambitu hanc lacunam fuisse statuamus, ex nostro arbitrio siue ex internis rationibus pendet. equidem, qui in uu. 1—18 adgnosco prohoemium, cui a strophica distributione nil sit commune cum ipso carmine amoebaeo quodque in se perfectum sit rotundumque (11—18 = 1—4 et 5—8), huic postremo iuuenum cantui sic consulo, ut non ex tribus partibus (ut uulgo putant: ad u. 21) certamen constitisse dicam, sed ex quattuor. idque ipsum actionis progressum manifestare puto. in prima parte aduentum Hesperi canunt utrique chori; in secunda rapinam tum factam, in tertia uirginis reluctantis adpropinquationem ex ipsis illorum uerbis perspicimus: nihil actioni iam restat quam nupta noui mariti domum introgressura. ad quam si in fine uerba sua derigunt adulescentes, par est et puellas simili admonitione adlocutas esse nouom maritum. quod quo modo sit factum, propterea difficile est dictu, quod in hoc fine priorem dictorum congruentiam paululum remitti res ipsa tulit. potuerunt autem illae adhortari uirum, ut tenero uirginis pudori parcat, ut cum amore curaque prosequatur eam, cui iam ipse sit id quod antea fuerint pater materque, quaeque sunt huiusmodi similia. sed de ambitu lacunae post u. 58 obuiae nihil omnino erui potest, cum praesertim num iuuenum cantus in initio sit integer perquam dubium sit. — **59. et tua nec pugna cum tali coniuge, uirgo.** sic T, contra V 'et tu nec'; unde uulgo effectum est 'at tu ne' ('nei' ego prisce). quod ideo non omni dubitationi est exemptum, quod 'nec' continuare potuit amissam in initio disputationem; et hinc illius 'et tu(a)' siue emendatio pendet siue explicatio. uox 'pugnare', quacum 'uirgo' arte cohaeret, luctamen indicat, quo nouae nuptae contra uirum inruentem defendebant uirginitatem; saepius illius mentio in epithalamiis, ut Dracont. 6, 107 sqq. [PLM. V p. 153]. 'tali', uirtutibus tam eximio, fortasse respondet puellarum dicto 'tali puellae'. — **60. non aequom est pugnare, pater cui tradidit ipse.** subdurius suppletur 'cum eo' uel 'ei', cum praesertim et 'te' subintellegendum sit. neque tamen 'ei' pro 'est' coniciendum est, quoniam nec 'ei' monosyllabum esse neque 'est' abesse apud nostrum potest. 'tradere' de rebus dicitur, quae a domino in alios transferuntur (cf. Reinius libri 'd. Privatrecht d. Roemer' p. 279 sqq.); coemptione facta iam die constituto in manus mariti deditur puella a genitore, qui in filiam uim ut uitae ita uendendi habet; Mela II 2, 21 de Getis *nupturae uirgines non* [ut Romae] *a parentibus uiris traduntur, sed publice aut locantur ducendae aut ueneunt,* Ouid. epist. 8, 31 *me tibi Tyndareus .. tradidit: arbitrium neptis habebat auus.* habebat autem traditio locum in domo paterna ante deductionem (Marquardtus antiqq. priu. p. 51 not. 2). quamquam 'tra-

dere' interdum simpliciter ualet 'nuptum conlocare', ut Tac. ann. IV 40 et 75. — **61. ipse pater cum matre, quibus parere necesse est.** grauiter per reuocationis figuram (ad LXIV 62) repetitur eius, qui familiae est caput, mentio. 'cum', una cum, saepius uice copulae fungitur apud poetas, ut Verg. Aen. III 176 *tendoque supinas ad caelum cum uoce manus*; cf. et XXIII 5, Heindorf. ad Hor. sat. I 10, 85. Passeratius cp. Anth. lat. 183, 19 [PLM. IV p. 180] *suprema uoluntas quom mandat fierique iubet, parere necesse est.* — **62. ex parte parentum est.** iocosa hac uirginitatis distributione non dubito quin inluserint iuuenes puellis earumque uerbis amissis. — **63. tertia patris pars est data tertia matri.** sic **T**; quid **V** habuerit docet **O** 'tertia pars patri est data tercia matri' exhibens; qua ipsa in fine cum **T** congruentia (quam confirmat Ouid. met. XII 154 *pars est data cetera mensis*) coarguitur interpolationis **G** haec praebens 'tercia pars patri data pars data tercia matri'. lectiones autem librorum **T** et **O** facile inter se conciliantur, si in communi archetypo 'patri' (aberrante a 'pa' ad 'pa' librario omissum) supra uersum adscriptum fuisse statuimus: quod in textum postea receptum sede sua alterum 'pars' depulit et in **T** et in **V** diuerso modo; nam hoc alterum 'pars' necessario esse restituendum is qui **G** scripsit bene uidit. Froehlichius uoluit 'tertia pars patri, pars e. d. t. m.', quod utique melius se habet quam Hauptianum 't. p. patrist, pars est d. t. m.', cum commune uerbum 'est data' non patitur in priore colo 'est' iteratum (et iam plus nimio hoc repetitum est). praetuli ego cum eadem probabilitate, sed cum oppositionis ui maiore 'patri tertia pars, pars e. d. t. matri': amant poetae contraria in initium finemque uersus reicere. — **64. noli pugnare duobus.** datiuus pro 'cum' et ablatiuo more graeco (*ἐρίζειν, μάχεσθαί τινι*); exempla dedere Draegerus synt. hist. I p. 375, Haasius praelectt. II p. 146, Kuehnerus gr. l. II p. 234. dictum ipsum recte Passeratius adnotat prouerbii instar fuisse cp. Plat. legg. XI 119 *πρὸς δύο μάχεσθαι καὶ ἐναντία χαλεπόν* et Phaed. 89 *πρὸς δύο οὐδ' Ἡρακλῆς*. — **65. qui genero sua iura simul cum dote dederunt.** in traditione simul cum re translata omnia iura cum re illa coniuncta in nouum possessorem transferuntur. dos (profecticia scil., cf. Reinius l. l. p 423 sqq.) priscis temporibus et postea sine dubio ruri plerumque siue tota siue ex parte una cum filia a parentibus ipso nuptiarum die dabatur (Ulpian. VI 1 *dos aut datur aut dicitur aut promittitur*; Reinius p. 425 sq.); unde dotis datio nil nisi initum conubium significat.

Esse hoc epithalamium factum ad exemplar Sapphus (cf. HKoechly, orat. academ. Turici 1859 I p. 198) et Theocriti, docti plerique sibi persuaserunt. sed neque in huius epithalamio Helenae (id. 18, 49 sqq.) neque in Sapphus fragmentis quidquam occurrit, quod aut uerbis aut sententiarum conformatione peculiari ad nostrum carmen ita adludat, ut Catullum imitatum esse uere concludi possit: externae ubique sunt similitudines, quales idem argumentum ultro procreat (uide modo Sapph. fragm. 94, 95, 102, 109, 133 Bergkii). decepit doctos color quidam trans-

marinus cum alibi tum in u. 7 conspicuus, qui facile profluxit ex dicendi formulis studio exemplarium Alexandrinorum in poesin Romanam receptis. contra haud pauca adeo referunt Romanas institutiones (praesertim iuris priuati), ut poetam de suo hausisse in singulis plerisque eluceat. difficilius est iudicare de totius carminis consilio et compositione; qua in re Catullum in uniuersum secutum esse siue Sapphonem siue quemcumque alium poetam Graecum non ita abhorret a probabilitate lubentiusque concedo. neque enim ad uerarum nuptiarum usum compositum est hoc poema (ut LXI), sed libere confictum et certorum nominum hominumque apparatu omni carens a scaenae agrestis simplicitate accedit aliqua ex parte ad Vergilii bucolica.

LXIII.

1. Super alta uectus Attis celerei rate maria. Attis siue Attin (hae enim formae in sermone latino solae probae) hic non est notus ille ex fabulis uariis adulescens e Phrygia oribundus, quem Cybele siue aluit siue amauit (Diodor. III 58 sq., Pausan. VII 17, 5, Seru. ad Aen. IX 116, Ouid. fast. IV 179 sqq., Arnob. IX 5, Prellerus myth. gr. I p. 508 sqq.); immo Attis Catullianus est adulescens ex longinqua terra (Graecia, ut monstrant u. 64 sqq.) ad Phrygiam mari uectus, qui, furore religioso correptus cum sese addixisset Rheae seruitio, breuis temporis uesaniam longa luit paenitentia. huic adulescenti Graeco quod nihilominus nomen fabulosi illius Attidis Phrygii est inditum a Catullo, inde explico quod archigalli siue summi Matris Magnae sacerdotes Attidis nomen uidentur retinuisse in antiqui deae amasii memoriam: Polyb. XXII 20, 5 *παραγίγνονται Γάλλοι παρὰ Ἄττιδος καὶ Βαττάκου, τῶν ἐκ Πεσσινοῦντος ἱερέων τῆς μητρὸς τῶν θεῶν*, Bekkeri anecd. p. 461, 11 *Ἄττις πρόπολος τῆς μητρὸς τῶν θεῶν*, Iulian. or. V p. 159 Sp., 161 et 165 (cf. et Prellerus l. l. p. 510). fortasse poeta, cum ad fratris tumulum commoraretur, etiam sacra matris Idaeae uisens archigalli cuiusdam siue Attidis contraxerat notitiam et ex eius uerbis tristibus intellexerat, quam intimo ille corde iam doleret furorem olim in dulci iuuenta conceptum. 'celerei rate' (cf. LXIV 6 *cita puppi*) hic quidem indicat inpatientiam, qua adulescens tendit ad terram optatam. Ouid. met. XI 442 *pariter super aequora lata feremur,* Laeuius erotop. fr. 17 M. *permensus ponti maria alta,* quae uix dubium est quin de pluribus maribus sint intellegenda (cf. c. IV). — **2, 3. Phrygium ut nemus citato cupide pede tetigit adiitque opaca siluis redimita loca deae.** prauam atque foedam hic librarii affudere maculam. etenim peruectus ad terram desideratam Attis non statim in monte Ida, ubi erat nemus, constitit, sed in litore: hic se euirat, hic socios inpellit ut secum contendant ad Rheam (19 sqq.), hinc deinde montem nemusque adit (30 sqq.). frustra Ellisius dicit, a Lecto, loco illo maritimo ubi mari aduenientes Phrygiam tetigerunt (Hom. Il. XIV 283 et Strabo p. 583), incipere Idam: nemus Phrygium remotum sibi finxisse poetam a litore, patet ex 47, 79, 86, 89; neque, si uixdum in terram egressi iam inerant ipsi nemori, posthac idem illis adpetendum erat.

nec uero inter hoc nemus et fanum Rheae discerni posse, sequentia demonstrant: in media silua, et quidem in iugo montis edito (12 'alta nemora', 70 sq.), domus deae erat posita. omnino neglegentiae supinae fatuaeque incusandus esset Catullus, si in carminis initio loca non solum tam parum accurate distinxisset, sed etiam lectorum mentem conturbasset plane. neque uero hilum profecit Wilamowitzius, dissertationis de hoc carmine ualde imprudentis scriptor [Hermae XIV p. 194 sqq.], haec proferens p. 199: 'solche unklarheiten sind wider antike kunst; sie erklaeren sich vollstaendig, wenn man weiss, dass das publikum, fuer dessen gaumen dieser metrische leckerbissen zugerichtet war, am allerletzten nach dem inhalte fragte': nimirum peruersa sua de poesi latina sententia siue potius harum rerum inscientia in praeceps datus inputauit iste optimo poetae id, quod sequentia mente praesumentes male intulerunt librarii. aduenerat siue Lecti siue quocumque alio Phrygii litoris loco uicino Attis: tetigit (recorderis notas dictiones 'tangere litus, portum', cf. ad 35) terram sacro sanctae uiciniae horrore correptus, in conspectu habuit montem in summo cacumine siluis coronatum seueraeque maiestatis plenum: hoc sensu adspectuque in eum furorem est adactus, ut tamquam ob ipsos deae oculos proiceret id quod Rheae sacerdotem gestare iam non deceret, hac re dignum se ostenturus, qui inter Matris famulos reciperetur. notum quippe est, sua sponte sese euirasse Gallos sacro furore actos (Lucian. dea Syr. 26), cum ministros castos et ad furta Veneris non aptos dea flagitare diceretur (cf. ex. gr. Ouid. fast. IV 221 sqq., 260, 296, 324). tale exordium uere poeticum remotis malis librariorum fraudibus sic Catullo reddo: 'Phrygium ut solum c. c. p. tetigit uiditque o. s. r. l d.' (cf. Ouid. fast. IV 82 *Scythico solo,* ex P. I 2, 58 *Sarmatico solo,* alia multa). 'cupide', auide prae desiderio tangendi sacrum solum et propterea 'citato pede'; cf. infra 26 *citato gradu,* Sen. Herc. Oet. 513 *gressum citabat* et Phaedr. 1001 *celerem citatis passibus cursum.* asyndetice (ad XLVI 11) copulantur 'opaca' et 'siluis redimita', h. e. coronata, non ut infra 66 et LXIV 193, sed ut Sen. Oed. 488 *Naxos Aegaeo redimita ponto* (= circumdata; cf. et Ouid. met. V 388 *silua coronat aquas*): uidit Attis tenebrosum illud siluarum cingulum alto monti inpositum, post quod latent loca siue regiones incultae a 'dea'. qua adpellatione incerto nimis uagoque modo in hoc praesertim initio designari Cybelen, recte mihi uidetur monuisse LMuellerus, qui proposuit 'loca Rheae' (nimirum 'reae' non intellegentes in obuium 'deae' mutauisse librarios par est). nam si dicas, ex praemisso 'Phrygium solum' perspici, de quanam dea agatur, uide ne nimis ieiune sentiendo iniuriam facias arti. sed quidquid statuitur de hac re, non meruit hercle Muellerus, qui a Wilamowitzio his increparetur uerbis l. l. p. 195: '. . dass die fremde goettin wesentlich Demeter, kaum Rhea gleichgesetzt wird; denn diese identification ist nur den mythologien fuer hoehere toechterschulen, aus denen etwa gewerbsmaessige textverderber schoepfen, selbstverstaendlich; Catullus kennt sie nicht'. quam reconditam, si qua est, sa-

pientiam me fateor mente non adsequi. nam magna mater Phrygia siue dea Idaea ut uocabatur 'Cybele' utpote *μήτηρ ὀρεία* (Hesychius *Κύβελα ὄρη Φρυγίας καὶ ἄντρα καὶ θάλαμοι*), ita a Rheae in Ida Cretica cultae numine persimili per confusionem tam ex locorum uicinia quam ex Ida utrisque terris communi facillime explicandam et ipsa Rheae accepit nomen iam tempore prisco: cum apud Graecos (ex. gr. Eurip. Bacch. 58 *τἀπιχώρι' ἐν πόλει Φρυγῶν τύμπανα, Ῥέας τε μητρὸς ἐμά θ' εὑρήματα*), tum uero apud Alexandrinos (ex. gr. Euphor. fr. 146 Mein.) tam frequenter sub Rheae nomine occurrit Cybele, ut non potuerit non perquam familiare esse Catullo Rheae nomen. — **4. stimulatus ibi furenti rabie, uagus animi.** infra 79 *furoris ictu*, Amm. Marc. XXVIII 2, 12 *oestroque concepti furoris exagitati.* 'ibi' cum emphasi: tum uero. infra 38 *rabidus furor animi* et 57 *rabie fera*: intendit eiusdem significationis adiectiuum notionem substantiui. 'uagus', ut Cic. de off. II 2, 7 *uagatur animus errore*: imago hominis uino icti et pedibus uacillantibus errantis translata ad animum furoris religiosi oestro percitum. errabant autem Itali ei, qui e scriptura libri V 'âmnis' elicuerunt 'animis': qui pluralis concitatum hoc illoue modo (hic furore) statum animi designans (Aen. VIII 228 *furens animis*) cum tantum instrumentalis esse possit, post 'furenti rabie' languet quam maxime; immo haec rabies Attin facit animo uagantem; recteque alii Itali exhibuerunt locatiuum 'animi' librariis ignotum fere eoque corruptum, quamquam non ita rarum (cf. Kuehnerus gr. l. II p. 322). — **5. deuoluit iletas acuto sibi pondere silices.** agi hoc loco de Attide (simulque comitum choro: 12, 17, 37 sq.) se castrante, quasi per nebulas perspexere Itali recordati descriptionem Ouidii in hac illa locutione Catullum respicientis fast. IV 237 *ille* (Attis) *etiam saxo corpus laniauit acuto . . uoxque fuit 'merui, meritas do sanguine poenas. a pereant partes, quae nocuere mihi! a pereant' dicebat adhuc: onus inguinis aufert, nullaque sunt subito signa relicta uiri. _ uenit in exemplum furor. hic, mollesque ministri caedunt iactatis uilia membra comis.* hinc ad illud *saxo acuto* Auantius primum recte effecit 'acuto silice'; quem nimirum suppeditabat litus, alioquin cum testa Samia castratio fieret (Mart. III 83, 3, Iuuen. 6, 514); confeci autem emendationem, ablatiui formam priscam 'silicei' (cf. ad XXXV 12, XLV 4) restituens. idemque Auantius 'pondera' secundum Ouidianum 'onus inguinis' recuperauit; quo et ei, qui uetustae in his rebus simplicitatis inmemores rem tam nude prolatam horrebant, refutantur. nam saepius sic testes uocantur: Petron. 92 *habebat enim inguinum pondus tam grande*, Mart. VII 35, 4 *Iudaeum nuda sub cute pondus habet* (Stat. silu. III 4, 78 nil ad rem). quamquam ad hoc 'pondera' debet sane accedere id quod est 'inguinis' simileue. post uana autem priorum in emendando illo 'iletas' conamina Lachmannus inde elicuit 'ile', praecedentibus Italis scribens 'ile a. s. pondere silicis'. sed silicem, cuius sola acies ad rem pertinet, ponderosum quoque fuisse, tam superflue additur, ut cur Hauptius praeterea maluerit 'rodere silicis' saltim intellegatur. sed 'ile' quia non est idem

atque 'mentula', sed in uniuersum sedem uirilitatis denotat (cf. ad XI 20), non ipsum decidi potest. melius igitur reddens illud 'inguinis onus' Bergkius deleta dittographa syllaba 'as' (AS pro AC primitus scripserat librarius expungere neglegens) ex 'ilet' iam effecit genetiui 'ili' formam priscam 'ilei': excerpta ex Charisio p. 554, 17 K. *ilium* *λαγών* (et similia in glossis Labbaei); et habet 'ilium' Marc. Emp. 36. 'deuoluit' denique in ingenti quodam siue saxi siue hominis pondere in terram uoluto locum habet, minime gentium in testiculis teneris demetendis; unde Itali olim 'diuellit' uel 'deuellit'; sed ipsam perfecti formam insuetiorem 'deuolsit' (Neuius d. f. l. II p. 503) ansam dedisse corruptelae, recte obseruauit Hauptius opusc. I p. 51. — **6. membra sine uiro.** cf. Tib. I 4, 70, Ouid. Ibis 454 (fast. l. l.), ubi 'membra' pluralis de inguinibus. 'uiro', uirilitate: Aegrit. Perdic. 29 [PLM. V p. 113] *Phrygius pastor .. desertusque uiro*, Hor. epod. 15, 12 *si quid in Flacco uiri est* (lusus in nomine quasi penem languidum indicante), Petron. 119, 21 *pubescentibus annis surripuere uiros*; Valcken. ad Eur. Hipp. p. 221. — **7. etiam recente terrae sola sanguine maculans.** 'etiam', etiamnunc, ut Aen. VI 485 *etiam currus, etiam arma tenentem,* cum 'm.' iunge. 'terrae sola' (contra u. 2 'solum'), quia discurrens Attis longe lateque per terram sanguinis usque profluentis uestigia relinquit: Lucr. II 592 *ardent sola terrae,* cf. et infra 40. de scriptura 'maculas' ad IX 2 dixi. — **8. niueis citata cepit manibus leue typanum.** tympanum, cuius forma breuior a graeco *τύπανον* tracta numquam non (Varro sat. Men. 132 B., Maecenatis fragm. infra ad 23 exhibendum) sub manibus scribarum cessit in pleniorem, descriptum a Richio lex. antiqq. s. u., 'leue' audit (cf. *inania tympana* Ouid. fast. IV 187) utpote cauum (10). uirilitate priuatum et paene in feminam mutatum Attin non solum feminae conuenientia attributa 'niueis' (quod non tantum manus sanguine profuso pallidas indicat) similiaque infra explicanda indicant, sed etiam quod abhinc iam feminino genere ubique designatur (ut hic 'citata'). qui usus statim ad u. 12 disceptandus late patuit apud Romanos, qui non solum cinaedos (Verg. epigr. 13, 17 [PLM. II p. 174] *quid palluisti, femina*), sed omnes homines molliores ita notabant, ueluti apud Cic. de or. II 68, 277 de Egilio *quid tu, Egilia mea?* — **9. typanum, tubam Cybeles, tu mater (-tri) initia.** Itali restituere 'tua, mater, initia'. sunt autem 'initia' mysteria, ut habet glossarium ab Ellisio adlatum *initia, sacrorum orgia*; de Cereris mysteriis adhibent uocem Varro d. r. r. III 1, 1 et Cic. de legg. II 14, 36. dicunt uulgo, tympanum horum mysteriorum esse insigne. qui usus ut possit confirmari (qua de re dubito), tamen neque de mysteriis quibusdam Rheae quidquam constat neque quo iure tympanis, si re uera erant mysteriorum insignia, utantur nondum initiati Attis sociique apparet. procreauit autem haec coniectura incredibilis nouas coniecturas. iam enim ante hunc uocatiuum male praecedere genetiuum 'Cybeles' qui agnouerunt Itali, uocatiuum 'Cybelle' restituerunt. et 'tubam' cum nude positum displiceret (quippe tuba non

22*

pertinet ad Rheam), Lachmannus 'tuom' pro illo rescripsit: tantum malorum una procreauit coniectura mala pro certa accepta. itaque de integro locus est examinandus. 'typanum' per reuocationis figuram (cf. ad LXIV 62) repetitum bene, si quid sentio, dicitur 'tuba Cybeles': quas partes in uirorum praeliis agit tuba, initium indicando pugnae et accendendo Martem, eas in discursibus Gallorum implet tympanum: signum dat pompae sollemnis excitatque furorem primum, quem magis deinde exstimulant cum cymbala tum uero tibia: quantum horum soni ualuerint ad commouendas perturbandasque hominum mentes et conciliandas Rheae cultui, satis notum est. iamque quomodo uox antea difficillima 'initia' commodum nanciscatur intellectum, me tacente agnoscis; restatque hoc unum, ut syllabis 'tu matri' (sic **O**, contra **G** 'mater') substituatur aliquid in rem aptum. conieci 'furiantis (scil. Cybelles) initia' siue 'turbantis', ut Tac. a. XIV 32 *feminae in furorem turbatae.* de 'Cybele' nominis scriptura lis inter doctos. falso autem Bentleius ad Lucan. I 600 accedens priorum placitis (cf. Burm. Anth. lat. I p. 30) praecepit, ut 'e' priore correpta 'Cybele', contra eadem producta 'Cybebe' scribatur. nam tot locis (ex. gr. Propertii, Ouidii, Claudiani) forma 'Cybelle' commendatur a codd. (etiam antiquissimis omnium: PLM. III p. 292), ut sic potius censendum sit, media syllaba longa praeualuisse formam 'Cybelle', rariorem esse alteram 'Cybebe'. apud Catullum cum ceteris locis **O** exhibeat 'Cybelle', hic quoque 'Cybelles' recepi. — **10. quatiensque terga taurei teneris caua digitis.** pulsans tympanum, quod saepius sic e materia designatur: Stat. Ach. I 828 *quater aera Rheae, quater enthea pulsant terga manu,* Ouid. fast. IV 342 *et feriunt molles taurea terga manus*, unde 'teneris' ad mollitiem eunuchorum propriam referendum esse patet; apud Phaedr. IV 1, 7 Galli ex asini *detracta pelle sibi fecerunt tympana.* Sueton. Aug. 68. — **11. canere haec suis adorta est tremebunda comitibus.** non solum utpote rhythmum motu corporis comitans et furore concitus (cf. LXIV 305), sed etiam ut castratus eneruis Attis dicitur tremebundus. 'adorta est', coepit, ut Lucr. III 575. comites siue socios una cum Attide ex patria fugientes poeta hic tantum, ubi opus est thiaso, commemorat, in ceteris neglegit tamquam gregem uilem ita ut ne in euirando quidem eos ducis exemplum secutos esse (ut apparet ex u. 17) commemoret; *κωφὰ πρόσωπα* in scaenam admittuntur pompam effectura statimque dimittuntur. horum corda tristia animosque ex corporis dolore abiectos nunc erigit dux tympani sonis uerborumque stimulis mixtis — **12. agite ite ad alta, Gallae, Cybeles nemora simul.** Gallos, Cybeles sacerdotes inferiores, uulgo crediderunt dictos esse de Gallo, Galatiae flumine: Plin. h. n. V 42, 147 et XXXI 9, Paul. Festi p. 95, Ouid. fast. IV 361, Steph. Byzant. s. u. *Γάλλος*; cf. et Pauly, Encycl. real. III p. 642. artificio iam ad u. 8 commemorato et sine dubio antiquissimo hi homines castrati uocantur Gallae: Callimachus (cf. Schneiderus II p. 698) apud Hephaest. 12 *Γάλλαι μητρὸς ὀρείης φιλόθυρσοι δρομάδες*; et saepius sic poeta latini non de antisti-

tibus, sed antistitis Cybeles loquuntur, ipsi sacerdotes cum et ueste et habitu corporis et uoce feminis essent simillimi: Ciris 166 *ictaue barbarico Cybeles antistita buxo* (quae uerba male interpp. de uera femina intellegunt, ut et ceteris locis), Ouid. epist. 4, 48 *quaeque sub Idaeo tympana colla mouent,* ubi Heinsius optime rem perspiciens cp. Stat. Theb. XII 224 sqq. *dux uesana chori* et Verg. Aen. IX 617 *o uere Phrygiae (neque enim Phryges) ite per alta Dindyma* (Hom. Il. II 235 et VI 96); cf. et Ter. Eun. 357 *eunuchum .. senem mulierem,* Claud. in Eutr. I 326 *Eunuchi quae templa deae* ('dei' codd.), *quas uidimus aras?* unde etiam 'Maenades' recte dici Gallos (cf. ad 23) apparet. 'alta', in Ida posita. 'ite simul', in chorum congregati me duce; quod si saepius abhinc repetitur, Attidis consilium alacres reddendi socios ne obliuiscamur. — **13. Dindymenae dominae uaga pecora.** a Dindymo siue Dindymis, Phrygiae monte sacro, magna Mater etiam Dindymene uocabatur: infra 91, Hor. od. I 16, 5, Aen. X 252. quae 'domina' (Apoll. Rhod. I 1151 'Ῥείην πολυπότνιαν, Aen. III 113 ibique Seru., infra 92) Gallos habet tamquam pecora siue seruos; sic enim ut interpretemur cogit oppositum 'dominae'; cf. interpp. ad Hor. epist. I 19, 19 *o imitatorum seruum pecus* (od. III 1, 5) et Eurip. Bacch. 731: est grex poparum, pompis discursibusque ('uaga', ut 25) deae famulans. officii admonet comites cum contemptu Attis, qui simul huius gregis ducem se effert. quamquam cum V habeat 'pectora', non male Ahlwardtus traiciendo restituit haec 'uaga pectora dominae', hoc est, diuae sacrata cohors uaga (u. 25). alibi leones 'pecus' Rheae uocantur, Ouid. Ibis 457. — **14. aliena quae petentes uelut exules loca celeri.** superfluas in hoc uersu syllabas recidunt uulgo delendo 'celeri'; quae uox quomodo tandem huc peruenisset cum disquireretur, Lachmannus ex u. 74, ego ex u. 1 adnotationem olim marginalem in hanc sedem delapsam esse statuimus non admodum probabiliter. mitto coniecturas inprobabiles (ueluti Silligii 'uelo [uel 'prora'] loca celeri', Heysii 'uelut exilia rate', cui praeiuerat 'celeri exilia rate' Ahlwardtus, Schwabii 'celere uelut exules', Spengelii 'celeris loca exules'): singula uerba si quam accuratissime ponderamus, uox 'uelut' propterea suspecta euadit, quod patriam relinquendo et magnae Matris in famulitium se addicentes euiratione reuera in exilium se contulerunt Attis sociique; cf. Priap. 55, 5, Varr. sat. Men. 235 B. quid igitur, si exaratum olim *cel'i* librarius pro *uel'* accipiens scripsit 'uelut', mox errorem in margine correxit adscripto 'celeri'? hoc si amplecteris, nullo negotio euadet 'celere exules loca'. de aduerbio 'celere' cf. Neuius d. f. l. II p. 659. — **15. sectam meam executae duce me mihi comites.** sectam siue uiam uiuendi et sentiendi rationem, quam quis sequitur (Iuuen. 14, 121 *iuuenes hortatur ut illam ire uiam pergant et eidem incumbere sectae*), tam constanti usu copulant cum 'sequi' uerbo, unde 'secta' descendit, ut Bergkius rectissime 'executae' (cuius uerbi nulli significationi hic locus) in 'secutae' mutasse sit censendus, conligens Naeuii fr. 10 V. *eorum sectam secuntur multi*

mortales, Cic. p. Cael. 17, 40, alia. de uitii genere cf. me ad Tac. dial. p. 60. Quint. V 13, 59 *sectarum uelut duces,* Lygdam. 6, 10 *neue neget quisquam me duce se comitem*, Cic. pro Marc. 4. in patria pristina aequales nonnullos Attis pellexerat ad iter simul faciendum. — **16. rapidum salum tulistis truculentaque pelagi.** 'rapidum' siue 'aestuosum' in maris angustiis locum habet (LXIV 358), ineptum est in alto ponto, per quem uecti erant. uocem sequenti illi 'truculenta' respondentem 'rabidum' bene recuperauit Bergkius; cf. ex. gr. Tib. I 2, 42, ubi itidem libri sollemni uitio 'rapido'. extrema uerba qui defendunt arcessentes Hor. od. IV 4, 76 *acuta belli,* Min. Fel. 17, 10 *recta montium, uallium flexa, porrecta camporum* aliaque multa (Kuehnerus gr. l. II p. 173), hi neque illud obseruant, usum eum demum inde ab Augusti principatu increbuisse, et neglegunt, sic denotari partem totius nec ex. gr. Verg. Aen. IX 81 *pelagi alta* simpliciter esse 'pelagus altum', sed 'maris ea pars, ubi posita nauis iam e terra conspici nequit'. neque uero hic de maris alicuius regionibus periculosis, sed de uariis maribus truculentis (LXIV 179) sermo est; nam ut 'salum' totum pontum, ita 'pelage' pluralis ex Lucretio notus (Neuius l. l. I p. 317), quem egregie Victorius recuperauit, diuersas eius partes (cf. u. 1) designat. saepius autem in semiuiri mollis oratione hoc obseruare licet, eum delicata cum uerborum abundantia repetere in altera uersus parte eadem (siue lenissime tantum uariata), quae iam in priore dixerat: cf. u. 20, 50, 63 sqq., 68. — **17. euirastis Veneris nimio odio.** 'euirare' uocem scriptoribus technicis usitatam adhibet Varro quoque sat. Men. 275 B. *spatula euirauit omnes Veneri uaga pueros.* 'nimio', superante Veneris gaudiorum auersatione atque taedio (Ter. Eun. III 1, 14 et V 5, 2). hic 'nimius', quamquam nondum plane implet, tamen accedit ad notionem eius quod modum iam excedit; cf. ad LXIV 22. — **18. hilarate erocitatis erroribus animum.** sic O, 'crocitatis' G. unde qui effecerunt 'concitatis' (nuperrime adeo 'procitatis'), male remouebant illud 'citatis' cum aliis huius carminis locis tum u. 26 stabilitum atque commendatum. alii igitur Itali ex 'ero' uel 'cro' elicuerunt 'aere'; quod quamquam metrum uiolat, a sententia tamen utique praestat Auantii commento 'erae': unde tandem Attidis socii adflictum esse sciebant Cybeles animum? hilarare illi possunt suum solummodo animum tristem scilicet ob factam euirationem et ex dolore maestum, longo etiam itinere defatigatum, quod uerba proxima 'mora tarda mente (uestra) cedat' reddunt apertissimum. hinc, nisi fallor, Lachmannus adulescens (ad Prop. p. 289) uoluit 'hilarate, grex, citatis'. ego cum nulla paene mutatione deleta 'e' dittographa et 'r' in 'i' mutata restitui poetae 'hilarate, io, citatis'; admonentur (de 'io' cf. ex. gr. Stat. Theb. IV 678 *tendite, io, comites,* Mart. V 25, 3 sq.) comites ipsis discursibus (de 'erroribus' cf. Tib. I 4, 69; Cic. de har. resp. 11, 24) recreare et reficere animum. — **19. mora tarda mente cedat.** omnis cunctatio uos retinens, omnis morandi causa fugetur abeatque animo; Nux 4 *lentam moram*, Ouid. fast. II 170 *tardae*..

morae, Stat. silu. I 2, 26 *cedant curaeque metusque.* quod quo certius efficiat, Attis depingit coloribus uiuidissimis loca adeunda. — **20. Phrygiam ad domum Cybelles, Phrygia ad nemora deae.** graui cum ictu repetita Phrygiae notio: quidquid apud gentes adiacentes colitur, Cybele est dea Phrygia, cuius iam propriam sedem patriamque et siluas sacras, Idam, cultus incunabula atque originem omnis, uisuri sunt Attidis comites. quodsi 'domum' in uniuersum denotat sedem a Cybele maxime cultam (similiter Ouid. fast. IV 421 Trinacria audit *grata domus Cereri*), haec iam accuratius definitur illo 'nemora'. per simplex illud 'deae', quod solum nullo tempore magnam matrem significauit, recte designari Cybelen, credi sane nequit: uere hic quoque LMuellerus 'Rheae' reponens consuluit concinnitati (cf. ad u. 16). — **21. ubi cymbalum sonat uox, ubi tympana reboant.** cymbala ('aera' saepe uocant poetae) descripsit Richius (lex. antiqq. s. u.). genetiuum pluralem (sic alibi Cat. 'uirum, caelicolum, diuum', sim.) utique agnoscamus oportet et propter oppositum 'tympana' et monente re ipsa, licet in hac uoce formae breuioris alterum non extet exemplum nec simile quidquam inter ea quae Neuius d. f. l. I p. 103 sqq. congessit inueniatur. nam 'uox' de sonitu et clangore adhibet ex. gr. Verg. Aen. III 669 *ad sonitum uocis* et Ouid. met. I 338 *bucina .. litora uoce replet* (Obbarius ad Hor. epist. I 1, 34). placuit nonnullis Itali cuiusdam coniectura ab AStatio commemorata 'nox'. sed neque 'nox sonat tympanum' ex Vergiliano 'uox hominem sonat' defenditur ullo modo neque uero Rheae sacra fuere nocturna; nam in unico loco, qui tale aliquid innuere uidetur, Statii Theb. XII 224 *nocte uelut Phrygia cum lamentata resultant Dindyma*, pro 'nocte' nimirum 'cote' siue 'caute' est reponendum. siquid mutandum esset, proponerem 'cymbali insonat uox' (de singularis et pluralis uicissitudine cf. 29). perquam autem apta imagine 'tympana' siue terga boum dici 'reboare' adnotat Vulpius cp. Auson. epist. 24 (25), 21 *tentis reboant caua tympana tergis.* — **22. tibicen ubi canit Phryx curuo graue calamo.** Phrygiae adsignari tibiae inuentionem notum est; cf. ex. gr. Plut. de mus. 5, Apul. flor. 3; habebatque Phrygia tibia, quae itidem usitata in Cybeles sacris (Hor. od. III 19, 18) summique ad mentes excitandas momenti erat (Lucr. II 620, Quint. I 10, 33, Sen. ep. 108, 7), hoc sibi peculiare, quod calamus de buxo factus (unde 'buxum' uocant poetae hanc tibiam) desiit in cornum curuata: cf. Tib. II 1, 86 *et Phrygio tibia curua sono*, Aen. XI 737, Stat. Theb. VI 113 *signum luctus cornu graue mugit adunco tibia*; habuit enim haec tibia hoc ipso cornu sonum grauiorem ('graue canit': Kuehnerus gr. l. II p. 211), qui hic opponitur acutis cymbalis tympanisque (cf. LXIV 261 sqq.). sequentia saltationesque discursusque ad hanc symphoniam factos depingunt. — **23. ubi capita Maenades ui iaciunt ederigerae.** Maenades caue accipias notas Bacchi comites, licet hic deus ex Cybeles cultu sibi cognato ut symphoniam (cf. LXIV 261 sqq.) ita comitatum (uerarum nimirum feminarum) adsumpsisse possit putari; cf. Apollod. III 5, 1. immo Galli furibundi

utpote euirati atque ueste habituque feminis simillimi (cf. ad 12) Rheae dicuntur Maenades, ut et ipse Attis postea u. 69 se Maenada adpellat. de ederis apte IVossius cp. Etymol. M. 220 *Γάλλος· ὁ φιλοπάτωρ Πτολεμαῖος· διὰ τὸ φύλλοις κισσοῦ κατεστίχθαι ὡς οἱ γάλλοι. ἀεὶ γὰρ ταῖς Διονυσιακαῖς τελεταῖς κισσῷ ἐστεφανοῦντο.* furentium (et hinc etiam uaticinantium) erat, uiolenter iactare caput crinesque fundere siue ante faciem siue in tergum siue in orbem: Varro sat. Men. 132, 2 B. *teretem comam uolantem iactant tibi famuli*, Maecen. gr. lat. K. VI p. 262 *ades et sonante typano quate flexibile caput,* Lampr. Heliog. 7, 2 *iactauit autem caput inter praecisos fanaticos,* Apul. met. VIII 27 (Dissenus ad Tib. II 5, 66 *iactauit fusas et caput ante comas*). 'ederigerae' est *ἅπαξ λεγόμενον*; ut omnino in hoc carmine syllabarum breuium sese excipientium copia uocabula insolita aut adsumendi aut fingendi necessitatem inposuit poetae; unde in exitu maxime uersuum habes alibi non lecta praeterea, ut 34 'properipedem', 51 'erifugae', 72 'nemoriuagus'; quales uoces a dactylicorum usu utique alienas multas finxit iam Laeuius, ut huius carminibus deperditis nesciamus, num illa noue formauerit noster. — **24. ubi sacra sancta acutis ululatibus agitant.** caerimonias et sacrificia sollemniter instituta atque reuerenda (*sancti ignes* Aen. III 406) exercent celebrantque Galli, dum edunt uoces inconditas tam ex dolore quam ex laetitia summa profluentes (*ὀλολύγματα* Graecorum: Hemsterh. ad Lucian. I p. 7) et acuto sono tam feminarum quam eunuchorum proprio profusas: Maecen. l. l. *latus horreat flagello, comitum chorus ululet*; ad quem locum (cf. et Mart. V 41, 3, Apul. met. VIII 28) conicio 'ubi flagra sancta' (nam 'sacra sancta' alibi nusquam reperitur coniunctum), ut 'agitant' (ad quod in uulgata lectione cf. Verg. G. IV 533 *choros agitabat,* Cic. Verr. IV 46, 154 *dies festi agitantur*, Sil. Ital. XV 423, alia) nunc sit 'quatiunt', ut Ouid. met. III 667. — **25. ubi sueuit illa diuae uolitare uaga cohors.** tam 'uagus' (LXIV 389) quam 'uolitare' dicitur de discurrentibus (LXIV 251, Ciris 308, Cic. de leg. agr. II 37 *toto foro uolitarunt*, alia) in partes omnes fanaticis. 'diuae (Cybeles) cohors', comitatus, ut Hor. epod. 16, 60. ceterum hoc mirum est, nunc demum per 'illa' uocem (cf. ad VIII 6) attentionem derigi ad notum quippe celebremque Rheae comitatum, cuius praesertim officia iam uu. praecedentes 23, 24 descripserint. fortasse u. 25 olim erat positus ante 23. — **26. decet c. c. tripudiis.** 'decet', utpote qui euiratione iam deae nos addixerimus. Liuius I 20, 4 *Salios ... per urbem ire canentes carmina cum tripudiis sollemnique saltatu* (XXXVIII 17, 3); Apul. met. VIII 27 *incitante tibiae cantu lymphaticum tripudium.* — **27. simul.** simul ac, ut 45; cf. ad XXII 22. — **notha mulier.** uiro dempto Attis acceperat falsam mulieris speciem (cf. XXXIV 15); Simonides Anth. Pal. VI 217, 9 *ἡμιγύναικα θεῆς λάτριν.* attributum ad contemptum facit. — **28. thiasus repente linguis trepidantibus ululat.** 'repente' egregie exprimit, quam uim effectumque Attidis adhortatio habuerit. 'thiasus', chorus siue agmen comitum, ut LXIV 252; Suidas *Θίασος ἱερὸς χορός· θιασώτης, ὁ χορευτής* (alibi thiasus

magis choreas indicat). linguae, quae uulgo feruntur, 'trepidantes' nullae omnino sunt: alienis deceptus AStatius interpretatur 'salientibus, sonantibus', nec quidquam huc facit Suet. Ner. 49 *trepidanter effatus*; immo siquis diligenter etymon usumque uerbi perpendet, neque quomodo linguae trepident neque quid ad ululatum faciant perspiciet. nil autem adiuuant IVossii coniecturae 'strepitantibus' uel 'crepitantibus', quorum uerborum illud in linguam omnino non quadrat, hoc in aliud quiduis melius conuenit (Petr. 132 *collisa labra crepitabant,* Cic. Tusc. IV 8, 19 *dentium crepitum*). rimanti autem librorum memoriam 'thyasis' uel 'thiasis' in V lectum fuisse paene certum fit; et cum hoc egregie coniungitur, adlitteratione quoque commendante, illud 'trepidantibus': chorum comitum in uarias partes diffusum uidemus celeriter discurrere. quibus adgnitis iam crimen est intendendum in uocem 'linguis'. pro qua conicio 'litus', secundum notas poetarum dictiones Verg. Aen. II 487 *plangoribus aedes femineis ululant* (= ululatu resonant), Sil. Ital. VI 285 *ularunt flebile ripae,* Val. Flacc. IV 608 *tellus ululata,* Claud. r. Pr. II 269. — **29. remugit.** non solum ut supra 21 'reboant', sed etiam ob imaginem uocis e monte opposito (Verg. G. III 45). et hinc etiam: — **recrepant.** quam uocem a Catullo, qui primus habet, mutuatus est auctor Ciris 108 *saepe lapis recrepat Cyllenia murmura pulsus.* — **30. uiridem adit Idam.** ut Culex 311 *iugis Ida potens uiridantibus*; et hinc apud Ouid. *opaca* fast. VI 327, *umbrosa* met. XI 762, *nemorosa* a. a. I 289, et similiter alibi audit mons; ad cuius radices tendentem hic chorum uox 'adit', adscendentem sequentia ostendunt. — **31, 32. furibunda simul anhelans uaga uadit animagens comitata tympano Attis per o. u. dux.** 'simul', eodem tempore et una cum illis, traiectum est; cohaerentque sine copula eoque uiuidius multo iuncta 'furibunda anhelans uaga', quae ad 'uadit' pertinent quaeque u. 33 continuantur per conparationem. quo minus est probabile, latere in ductibus corruptis 'animagens' quartum quoddam eiusdemque cum prioribus significationis attributum; neque quae priores hinc elicuerunt ('animi egens' Statius, 'animo eg.' Auantius) neque quae recentiores (Lachm. 'animã agens', i. e. moribunda, quod per se est nimium, ego olim 'animae egens'), ullo modo iam ad rem pertinent, cum et 'mentis impos' post 'furibunda' iteratum et 'spiritu destitutus' post 'anhelans' repetitum interiacentia 'anhelans' et 'uaga' refutent. sed uerum eruere tum demum licet, si de eis quae secuntur constabit. in quibus risum paene mouet Attis, quem comitatur tympanum. nam passiue sane accipienda est in lectione tradita uox 'comitata', dux cum non comitari, sed praecedere sit dicendus. nullius autem momenti sunt loci comparati Lygdam. 2, 13 *matris comitata dolore* (a matre dolente) similesque, siquidem Attis per siluas obscuras praecurrens quatit ipse tympanum quassoque et signum dat sequendi et uiam demonstrat sociis: comitatumne illum tympano fuisse iam perseueras? apage has nugas. scribo 'uadit animũ agens comitũ ante tympano Attis'. Hor. a. p. 100 *animum auditoris agunto,* alia.

'ante', in fronte, cum 'uadit' artius cohaeret, ut Verg. Aen. VI 677 et alibi. — **33. ueluti iuuenca uitans onus indomita iugi.** de erroribus furibundis anhelis uagis, ut iam dixi, comparationem accipe: ut bucula, nondum ceruices inflectere docta iugumque perosum fugiens, huc illuc effuso cursu fertur. Val. Flacc. IV 362, Hor. epist. I 3, 34 *indomita ceruice feros,* infra ad LXVIII[b] 78. — **34. rapide d. s. Gallae properipedem.** furor ducis acendit comites Attidem citato pede ruentem passibus aequantes: non in eo summa imaginis uersatur quod celeres sequuntur, sed quod in furorem et ipsi concitati possunt sequi. recte igitur ex nostra quidem sententia Bentleius uulgatam lectionem 'rapidae' in 'rabidae' (cf. ad 16) mutauit. 'properipes', uox alibi non obuia, ut 'celeripes' apud Cic. ad Att. IX 7, 1 et Auson. parent. 29 (27), 4; cf. et 'tardipes' XXXVI 7. — **35. itaque ut domum Cybelles tetigere lassulae.** cf. supra u. 6 (44 *ita*). 'domum', montis cacumen, ubi erat sacrum quoddam deae (Ellisius cp. Ouid. met. X 686 sqq., Claud. de rapt. Pros. I 200 sqq., Plut. de fluu. 13); quamquam quodnam Idae cacumen sit intellegendum, in dubio relinquit poeta. 'tetigere', peruenere ad, ut LXIV 174 (ut et 'attingere', ibid. 75). 'lassulae' egregie nouauit poeta, et paenultimo pede non dissoluto defatigationem omni alacritate carentem depingens et per deminutiuum mollem teneritudinem Gallorum his laboribus inparum describens. — **36. nimio e labore somnum capiunt sine Cerere.** hoc est, inpransi (notum est illud Ter. Eun. IV 5, 6); ad ieiunium num hoc sit referendum in cultu Matris praescriptum (Arnob. V 16), perquam est dubium, simpliciter cum profluat ex illo 'nimio (ad LXIV 22) e labore'; in quo 'e' noto usu tam 'post' quam 'propter' indicat. 'somnum capere', hic fere 'incidere in somnum, quem toto corpore recipiunt'; aliter Cic. ad Att. VIII 1, 4, Ouid. fast. IV 530. — **37. piger his labante langore oculos sopor operit.** cf. L 10. 'piger', grauis, ut Ouid. am. I 13, 7 *somni pingues*, Sulpicia 56 [PLM. V p. 96] *somno obeso.* quid sit 'languor labans' siue ad lapsum uergens, nemodum explicuit explicabitque umquam. uulgo uidentur 'labans' accipere pro 'labefactans'. saniore olim iudicio dedere 'labantes', ad oculos quod sit referendum; quo metrum uiolatur. obstitisse uidetur adlitteratio, quominus nostris temporibus uitium agnoscerent. nimirum adliteratio hic mero casu orta (librario ad uoculam sequentem aberrante) delenda est reponendumque 'grauante languore': lassitudo tamquam onus inpositum premit oculos, quos iam somnus altus tegit. — **38. abit in quiete molli rabidus furor animi.** 'quiete molli', dulci lenique corporis recreatione, debetur Festo confirmaturque u. 44 et LXXX 3 sq. (cf. et LXIV 122): male V 'mollis', quod qui retinebant 'rabidus' (cf. supra 4) in 'rabidi' mutare cogebantur. ut fortissime inter se opposita 'operit' et 'abit' ostendunt, adest hic asyndeton aduersatiuum. Cic. de diuin. II 67, 139 *desertusque animus languore corporis .. agitatur ipse per sese.* — **39. oris aurei Sol radiantibus oculis.** Enn. ann. 95 V. *aureus exoritur sol* (Lydia 40 *Phoebus aureus,* Verg. G. I 232), Lucr. V 461 *aurea .. radiati*

lumina solis, Ouid. tr. II 325 *radiantia lumina solis*, Anth. lat. 139, 9 *extulit oceano caput aureus igniferum Sol.* ceterum 'oris aurei' pendet a 'rad. oculis' potius quam a 'Sol'. — **40. lustrauit aethera album, sola dura, mare ferum.** solita inde ab Homero tripartitio totius mundi (ex. gr. Anth. lat. 139, 25). 'lustrare', obire radiisque conlustrare, ut Aen. IV 607 et VII 148. *albenti in aethra* Sil. Ital. V 283, *albente caelo* Caes. b. c. I 68, Val. Flacc. II 72 *sub Pallantidis igne albet ager*: color caeli candicans, diluculi proprius, hic designari uidetur. 'sola' (de omnibus terris, ut Enn. ann. 443 *sola terrarum*, cf. supra 7, Kuehnerus gr. l. II p. 49) 'dura' uocantur siue firma, utpote liquidis maribus contraria; Verg. ecl. 6, 35. aliter *solum durum* adhibet Ouid. fast. IV 684 et tr. II 282. 'ferum', saeuum et exagitatum, quale est sole exoriente (LXIV 274 sq.). — **41. pepulitque noctis umbras uegetis sonipedibus.** equis ut in cursus initio alacribus (cf. Aen. XII 113 sqq., Liu. XXII 47 *cum recentibus ac uegetis*). Aegrit. Perdicae 133 *radiis Titan noctis disperserat umbras*, unde uerbum simplex 'pepulit' hic pro conposito 'dispulit' accipe (quamquam *depellit tenebras* Anth. lat. 139, 48). 'sonipes' fortasse Catullus primus pro 'equus' posuit, postea multi adsumpserunt. — **42. ibi Somnus excitam Attin fugiens citus abiit.** 'ibi', tunc, ut supra 4 et infra 48 et 76, LXVI 33. 'excitam' uere Lachmannus pro tradito 'excitum'; neque enim post somnum ut mentis uires ita uirilitatem receperat Attis; et Catullum paucis locis ab artificio consueto per obliuionem desciuisse, non ita probabile est. Ouid. fast. VI 389 *somnus abit.* 'citus', utpote ad teneram coniugem properans. — **43. trepidante eum recepit dea Pasithea sinu.** Somni, cui iam apud Hom. Il. XIV 268 sq. et 275 sq. Iuno promisit, coniux (Pausan. IX 35, 1; Anth. P. IX 517, 5), quae pectore prae expectatione uenientisque tandem mariti laetitia trepidante reducem accipit. quamquam fatendum est, trepidandi uerbum uix hoc ipso addito 'gaudio' similiue posse carere. unde olim Itali uoculam praecedentem 'citus' respicientes maluerunt 'trepidantem', ex cursu citato tremulum anhelumque; Bentleius, cum V praeterea 'cum' habeat, unde Itali recte 'eum' effecerunt (cf. ad LXIV 122), coniecit 'tepidante quem', quasi frigidum Somnum tepido sinu calefaceret Pasithea (Ouid. a. a. II 360 *tepido nocte recepta sinu*). praefero equidem Italorum inuentum. — **44. ita de quiete molli rapida sine rabie.** 'ita', postquam Somnus fugit; cf. Fabri ad Liu. XXI 54, 3. deinde 'de (= post) q. m.' cohaeret cum 'r. s. r.', scil. οὔσα: post corporis recreationem liber Attis furore, qui antea eum citatum rapuit neque meditari siuit. — **45. simul ipsa pectore Attis sua facta recoluit.** 'simul', ut 27. hic quoque V male 'ipse', cum tamen uerum aperiat u. 49 'allocuta'; saepius autem haec uox additur, ut aliquem solum secum agere significetur: antea furor caecus inpulerat, nunc ipse meditatur (Tac. ann. XIV 53 *ut plerumque intra me ipse uoluam*, Cic. Phil. XIII 20, 45 *quae si tecum ipse recolueris*). est autem 'recolere' fere 'in memoriam reuocare', ut Ouid. epist. 5, 111 *nam recolo*, Anth. lat. 378, 14

[PLM. IV p. 322] *semiferique animo recolo praecepta magistri.* — **46. liquidaque mente uidit, sine queis ubique foret.** ut mane nouum pulsis umbris purum est, ita mens Attidis a furore uacua iam est uegeta ac perspicax; AStatius cp. Eurip. Hipp. 220 *καθαρὰν φρένα*, Plaut. Epid. V 1, 36 *animo liquido et tranquillo*, Aen. XII 669 *ut primum discussae umbrae et lux reddita menti.* 'sine quibus', non solum uirilitate, sed etiam eis quae u. 59 et 60 enumerantur. 'ubique' indicante metro pro 'et ubi', ut saepius, quod egregie illi 'sine queis' opponitur (53 sq., 70 sqq.). — **47. animo aestuante rusum reditum ad uada tetulit.** 'aestuante', in dubitationem ita adacta, ut patriae antiquae desiderium certaret cum reuerentia nouae dominae (Cic. Verr. II 30, 74 *aestuabat dubitatione*). de forma 'rusum' pro 'rursum' cf. Lachm. ad Lucr. p. 144, Lorenzius ad Plaut. Most. 295, ORibbeckius prolegg. Verg. p. 444, de 'um' terminatione antiquiore Ritschelius op. II p. 259 sqq.; cohaeretque haec uox cum 'reditum tetulit (= rediit, cf. ad LXI 26)' abundantia sermonis in nullis uocabulis frequentiore quam in eis quae cum 're' sunt composita, siue hoc ualet 'retro' (cf. interpp. ad Verg. Aen. II 378 *retro repressit*) siue 'iterum', ut Lucr. V 86 *rursus referuntur* et VI 871 *rursus redeunt* (Holtzius synt. pr. scr. II p. 294, Lorenzius ad Plaut. mil. 695). sed cum ob nimiam tautologiam tum ob metrum incredibile est quod V tradit 'retulit': formam priscam 'tetulit' (Neuius d. f. l. II p. 463) hic uere Italos restituisse, et infra u. 52 et LXVI 35 *sei reditum tetulisset* ostendunt. 'uada', mare (cf. LXIV 6); ex monte descenderat Attis in litus. — **48. ibi maria uasta uisens lacrimantibus oculis.** 'ibi' siue ut 42 siue localiter. spem omnem recisam monstrat attributum 'uasta', plane ut pluralis 'maria' ingens atque inmensum pontum denotans (LXIV 127, XXXI 3); unde cur Attis in lacrimas uocesque maestas eruperit intellegimus: salus nulla, nullum solatium a reditu ad mare ei contigit. Aen. V 614 *cunctaeque profundum pontum aspectabant flentes*: tristium aspectum defixum uisendi uerbum (LXIV 55) depingit. — **49. patriam allocuta maesta est ita uoce miseriter.** sic optime Muretus ea quae in V sine sensu et contra metrum leguntur correxit: 'maesta' (cum 'u.' iunge) interlapsum et in margine adscriptum non solum iam in fine uersus remansit, sed etiam (fortasse signo quodam transpositionis conciliante) in 'maiestas' uel 'magestatem' est corruptum. praeterea in V legebatur 'miseritus' cum lectione uaria 'miseriter'. quorum aduerbiorum illud ignotum est (neque ad defendendum sufficiunt 'inmortalitus, publicitus' similiaque apud Kuehnerum gr. l. I p. 685 sq.), contra 'miseriter' (= lamentabiliter) apud Enn. p. 180 V. et Laber. 60 R. iterumque posteriores obuium et ob syllabas 'ter' et 'tus' compendiis simillimis scriptas facile corruptelae obnoxium omnes habet probabilitatis numeros. — **50. patria, o mei creatrix, patria, o mea genetrix.** 'creatrix' (mater, cf. Aen. VI 367), ut omnium suorum ciuium, ita mei; quamquam hoc uix alibi occurrit apud bonae aetatis scriptores, genetiuum pronominis personalis poni pro possessiuo, si deest iusta aliorum oppositio

(Kuehnerus gr. l. II p. 435); neque quidquam ad rem Lucr. I 629 *rerum natura creatrix* (quasi hanc uocem posse adsumere genetiuum quisquam dubitaret); nec sine causa et commendante concinnitate AGuarinus 'mea creatrix' coniecit (de 'a' ante 'cr' producta cf. mox 53). delicata autem cum mollitie cumulantur synonyma, ut notio efferatur matris, utpote quam prosequi amore et caritate leges naturae iubeant. sic recta cum sequentibus efficitur oppositio. — **51, 52. ego quam misera relinquens, dominos ut erifugae famuli solent, ad Idae tetuli nemora pedem.** 'misera' iterum librarii in 'miser' corruperunt, Attin se ipsum designare mulierem non ferentes neglegentesque 53 et 58 et 68 sq.: quasi qui comites suos uocauerat Gallas, se ipsum his eximere posset! 'misera', non solum 'infelix', sed etiam 'mala prauaque': summam caritatem cum deberem patriae utpote matri, eam tamquam perosam mihi et nimis duram dominam clandestina fuga reliqui instar seruorum intolerando eri imperio se subtrahentium. 'erifuga' noue formatum (ad 23). quamquam hoc male se habet, quod famuli (sic mancipia uocantur utpote eris opposita, 'serui' ut liberis) eros fugientes iterum dominos siue eros relinquere solere dicuntur (de seruorum fuga non rara cf. ex. gr. Plaut. Cas. V 3, 13 *nisi ut inprobos famulos imiter ac domo fugiam,* Hor. epist. II 2, 14): et mira abundantia hic uix excusanda tollitur et 'solent' recte se habet, si ex 'dominos' elicimus 'clam nocte', cum 'relinquens' quod est iungendum, siue potius 'clam nox', aduerbium priscum ab Ennio ann. 412 et Lucilio III 32 adhibitum cum nec Catullum in hos carmine dedeceat. 'tetuli pedem', me conuerti, ut Sen. Med. 862 *huc fert pedes et illuc,* Verg. G. I 11, Val. Flacc. VII 112. eorum quae in patria reliquit quaeque nunc in Ida eum manent discrimen exponens ab huius terroribus incipit: — **53. ut apud niuem et ferarum gelida stabula forem.** acerbe: eo nimirum consilio, ut commorarer in uicinia niuis sempiternae (ad 70) et iuxta lustra beluarum (72). Aen. VI 179 *itur in antiquam siluam, stabula alta ferarum,* Val. Flacc. II 477 *Idaea cum stabulis nemora,* Stat. Theb. I 377. 'gelidā st.', cf. ad IV 9 et LXIV 140. — **54. et earum omnia adirem furibunda latibula.** pessime errant, qui 'latibula' siue cubilia (Phaedr. I 30, 9 et II 8, 1) dici posse putant 'furibunda' secundum Mart. II 75, 7 *furiali dente* (de leone): per dentem se manifestare ualet furor, non item per latibula; nec propterea quod saeuiunt ferae excitae ex latibulis, haec ipsa iam sunt furibunda. ad Attin igitur hoc epitheton spectat: ueretur ne in Cybeles famulitio furoris plenus et per citatos errores feratur subito in ferarum lustra. hinc opitulandum illi 'omnia', quod tam metrum respuit quam sententia (unde frustra 'ad omnia irem' Ahlwardtus): errabundum se ad abditas illarum sedes delatum iri, fere significandum erat Attidi. unde concidunt coniecturae Mureti 'amica' (nimium hoc, illum uel sodalem fore beluarum), mei ipsius 'alumna' (sensu actiuo ex usu priscorum), quod non minus otiosum est epitheton quam Muelleri illud 'opaca'. melius idem Muellerus 'operta', nisi quod hoc longiuscule recedit a litterarum

ductibus. latetne 'ad ima adirem'? Stat. Theb. IX 798 *horrendasque domus magnarum intrare ferarum.* — **55. ubinam aut quibus locis te positam, patria, reor?** 'a. q. l.', aut potius (nam in uniuersam quidem patriae situm recordatur) qua regione, quo tractu caeli; cf. de 'aut' ex. gr. Fabri ad Liu. XXI 53, 3; 'loci' autem saepius de regione, ut Ouid. ex P. IV 7, 2 *positis sub axe locis,* Nepos Dat. 4, 4 *quaerit quibus locis sit Aspis.* 'reor' (pro quo olim 'rear' scripsere), ut ex. gr. Maxim. el. 1, 247, ad solum tempus praesens spectat: nunc, ubi tam procul a te uersor; quod non est deliberantis ('rear'), sed simpliciter se nescire simulque desiderare profitentis; cf. interp. ad Verg Aen. IV 534 *quid ago?* Draegerus, synt. hist. I p. 307². — **56. cupit ipsa pupula ad te sibi derigere aciem.** 'pupula', ut plerumque eam quae hodieque uulgo appellatur pupillam (Cic. d. n. d. II 57, 142 *aciesque ipsa, qua cernimus, quae pupula uocatur*), ita apud poetas interdum oculum designans (Varro sat. Men. 427, 2 B., Caluus fragm. 11 M., Cat. LXVIII^{b} 15) ex uersione graeci κόρη in latinum sermonem fluxit; Diomed. p. 478, 26 K. *formosi oculi, qui κόραι uocantur, id est pupulae.* totus igitur cum oculus significetur, facile hic aciem suam siue uisum acutum (LXIV 127) potest 'derigere'; sic enim, non 'dirigere' cum V, est scribendum; cf. ad XXII 8; 'ipsa', sua sponte carum adsuetumque aspectum quaerit. 'sibi' (X 23) eleganter παρέλκει. — **57. rabie fera carens dum breue tempus animus est.** de hoc accusatiuo temporis cf. ad VI 6. 'carens est', adhuc caret, statu carendi etiamnunc durante uiuidius expresso quam fit per simplex illud 'caret' (Kuehnerus gr. l. II p. 116 sq.): mox, si ad Cybeles famulitium redierit, se patriae prae furenti rabie obliturum esse praesagit. hinc num omnino iam rediurus sit deliberat: — **58. egone a mea remota haec ferar in nemora domo?** 'remota', in quo uis quaedam posita est, ad Attidem refer: in omne tempus procul uersans a patria ruam agente furore in haec (δεικτικῶς) nemora tam dira taetraque? Aen. II 511 *fertur m. in hostes* et 725 *ferimur per opaca locorum.* domum amissam persequitur: — **59. genitoribus abero?** hoc est, parentibus, ut Lucr. II 614 (Rheae) *Gallos attribuunt, quia, numen qui uiolarint matris et ingrati genitoribus sint inuenti, significare uolunt indignos esse putandos, uiuam progeniem qui in oras luminis edant.* sic Aen. II 457 *soceri* sunt socer et socrus, Hor. epist. I 2, 44 *pueri* (= liberi), Aen. II 579 *patres*; Ellisius cp. Eurip. Iph. T. 576 γεννήτορες et porro Apoll. Rhod. IV 361. — **60. abero foro, palaestra, stadio et guminasiis?** pulcre per anadiplosin repetitur uox cum adfectu prolata 'abero'. ex his autem uerbis discimus, ex Graecia Attin fuisse oribundum (cf. u. 1), siquidem graecorum adulescentium morem redolent palaestra siue luctae schola et stadium cursorum et gymnasium ceteris exercitationibus (hastae, disci, pugillatus, pilae, saltus: Plaut. Bacch. 427 sqq.) destinatum; simul autem uidemus, maiorem aliquam Graeciae urbem (ueluti Athenas) designari a Catullo sui temporis instituta respiciente, quippe in qua non solum palaestra et stadium separata essent a gymnasio, sed etiam con-

plura adessent gymnasia. forum autem siue ἀγορά, ut notum est, amicos conuenientium et otiosorum conciliabulum erat. 'gymnasiis' male olim legerunt contra huius carminis leges metricas, quae ab hac sede utique excludunt purum ionicum a minore. et cum habeat O 'gūmasiis' siue 'gummasiis', forma 'guminasiis' tam aperte indicatur, ut huic optimi libri indicio non parere sit friuolum. de nota epenthesi dixit Ritschelius Opusc. II p. 483, 499 sq., 517, 520 conligens inter alia Varr. d. r. r. I 55, 4, ubi 'gyminasium' Politiani codex seruauit. nec tamen propterea necessarium est, mox u. 6 eandem formam, quam hic solum metrum commendauit, contra codd. restituere, ut uoluit LMuellerus. — **61. miser a miser, querendum est etiam atque etiam, anime.** cf. LXI 132. in soliloquiis qui ad se ipsos uerba faciunt, haud raro, ut apud Graecos θυμέ, ita apud Romanos 'anime' adhibent: Sen. Phaedr. 112 *quo tendis, anime, quid furens saltus amas?* et Med. 988 *quid nunc moraris, anime?* 'etiam a. etiam', noto usu pro 'identidem, sine fine'. ad priores patriae relictae et Idae inhospitalis querellas accedunt nouae, mutilati nempe corporis. — **62. quod enim genus figuraest, ego non quid abierim?** uersu sequenti inducti falso haec uerba interpretantur, dum uaria aetatis spatia (pueritiae, ephebiae, adulescentiae) designari putant, quae ante statum praesentem percurrerit Attis; et figuram hic non solum corpus, sed etiam huius formam pulcram indicare statuunt (Ouid. a. a. II 143, Prop. III 19, 21). sed cum hoc 'quod genus est quod (ita enim uulgo) non' ualeat 'omnia', hoc facile apparet ridiculum esse in iuuene tria tantum eaque prima uitae spatia permenso. praeterea haec spatia nullo modo possunt uocari 'genera figurae', quae tantum locum habent in mare et femina. unde per se conruunt temptamina AStatii 'non quod obierim' (quod plerique omnes, ut ego ipse olim, accepere) et Scaligeri 'non quod habuerim'. ego explico: qua enim nunc ego sum figura? nempe nec uirili nec muliebri, sed inter utramque media (sic castratus ap. Ouid. Ib. 457 *nec femina nec uir* et ap. Anacr. 13, 12 ἡμίθηλυς uocatur; cf. et Val. Max. VII 7, 6). iam uero quid ualeat 'abierim' ultro patet: ex uiro abiit siue mutatus est (ex. gr. Ouid. met. II 674) Attis in statum supra dictum. sed simul forma uerbi nos ludit: coniunctiuo hic nullus locus est. ueluti Handius, qui unus hic aliquid uidit (Tursell. IV 264), cum proponeret 'nunc quod obierim', tamen operae pretium non tulit: utique 'quod genus figurae est illud, quod nunc obii' flagitatur. posito autem post 'figuraest' interrogandi signo (ultro enim 'mihi' subintellegimus), in uerbis iam reliquis nouam quaestionem similem continentibus et illud 'non' remouendum et abeundi uerbo aptam formam recuperandam esse conligitur. 'non' correctum puto ex 'nin'; in quo nimirum monstro duo puncta euanuerunt primitusque fuit '·n· in'. rescribo igitur 'quod enim genus figuraest? ego enim in quid abii heri?' in quibus quam affectus plena sit illius 'enim' repetitio, tua sponte intellegis. iam his interrogationibus suis ita respondet Attis, ut uu. 63—67 olim se marem multae gloriae fuisse enarret, cui condicioni felici deinde praesens status

muliebris uu. 68 sq. opponitur efficacissime. — **63. ego mulier, ego adulescens, ego ephebus, ego puer.** dicunt uulgo, a praesenti statu muliebri descendere Attin ad primam pueritiam; et sunt apud Graecos ἔφεβοι inter παῖδας (pueros) et νέους (adulescentes) medii. sed si ad haec uerba ex u. sq. cogitatione est arcessendum 'eram', hoc quam parum ad illud 'ego mulier' conueniat intellegitur: 'ego quae nunc sum mulier, olim adulescens cet. eram' scriptor bene sanus dicere debuit. adice quod et muliebris suae condicionis nunc quidem pro consilio suo non potuit omnino mentionem facere Attis (u. 68 demum haec locum habet), adde quod bis in initio dissolutae arses siue octo syllabae breues sese ingratissime excipientes in hoc carmine non habent exemplum: accedes facile Scaligero 'puber' reponenti ('b' ubi in 'li' abiit, 'p' mutata est necessario in 'm', uox latina ut euaderet) et agnosces hic idem artificium, quod supra u. 50 habemus: maris in primo flore aetatis positi notionem elaturus Attis cumulat eiusdem significationis synonyma omnia. nam etiam id quod est 'puer' sic de adulescente adhiberi notum est (Ouid. f. IV 223 *Phryx puer Attis*). uidetur autem mihi hoc ipsum 'puber' legisse Hadrianus imp., qui cum similiter synonymis indigeret dixit Anth. lat. 124, 5 [PLM. IV p. 112] *Almo puer pubesque Theon et Thyrsis ephēbus.* nimirum ob metrum hic forma 'pubĕr' usus est Catullus (Priscian. VI 65, I p. 249 H.). male illi 'puber' Rossbergius substituit 'iuuenis'. — **64. ego gymnasei fui flos, ego eram decus olei.** 'flos' (cf. XXIV 1) et 'decus' de pulcherrimo; et sane gymnasium et palaestra (quam hic indicat 'olei', luctaturi cum oleo unguerentur; cf. ex. gr. Aen. III 281) formam ostendendi loca aptissima; cf. Plat. Lysis p. 154 D; unde facile sequentia intelleguntur. mira est illa inter 'fui' et 'eram' uariatio. nam si dicas, hic quoque perfectum indicare simplicem eorum quae olim fuere narrationem, inperfecto uero accuratiorem institui descriptionem, eo delabaris necesse est, ut post 'flos' grauius interpungendum statuas; id quod erat qui commendaret. nullo tamen pacto cohaerentia artissime cola synonyma ita posse discindi, sentit qui pulcri sensu non est destitutus. latetne 'gymnasei mei'? cf. u. 60 'guminasiis' pluralem. — **65. mihi ianuae frequentes, mihi limina tepida.** scil. 'erant', quod ex sequenti 'erat' supplendum est. Attidem tam pulcrum ex more Graecorum adamabant multi; Nepos praef. 4 *laudi in Graecia ducitur adulescentulis quam plurimos habuisse amatores,* cf. Pauly, encycl. real. V p. 1060 sqq. ianua (pluralem ad similitudinem illius 'fores' fictum puta) multitudine feruebat (Hor. sat. II 3, 25 *frequentia compita*) amatorum introitum rogantium; limina ipsa, cum obsidentibus frustra fores peruigilantibusque essent pro cubili, intepuerunt; Prop. I 16, 24 *tristis et in tepido limine somnus erit.* — **66. mihi floridis corollis redimita domus erat.** Ouid. am. I 6, 67 *at tu, non laetis detracta corona capillis, dura super tota limina nocte iace: tu dominae, cum te proiectam mane uidebit, temporis absumpti tam male testis eris*; idem a. a. III 72 *sparsa nec inuenies limina mane rosa*; Lucr. IV 1169 sqq.,

Ouid. met. XIV 708. Curt. IV 4, 5 *orto sole nauigia conscendunt redimita floribus coronisque,* Tib. I 2, 14 *cum posti florida serta darem.* — **67. linquendum ubi esset orto mihi sole cubiculum.** quotienscumque (Draegerus synt. hist. II p. 596²) properandum mihi erat mane primo siue ad gymnasium siue ad palaestram; quorum exercitationes sole orto incipiebant (Aeschin. c. Tim. 2, 12, Plaut. Bacch. 421). male cp. Ellisius Callim. fr. 169, quod ut ad Acontii fabulam [p. 34 Dilt.] pertinet, ita laxo ualde similitudinis uinculo cum nostro loco cohaeret, ubi exiens Attis signa amatorum suorum ante fores inuenit. cf. et LXXX 3. — **68. ego nunc Rheae ministra et Cybeles famula ferar?** incipit apodosis ('ego' uim habet aliquam): qui ante palaestrae et gymnasii alumnus multi nominis eram, idem nunc femina mollis et Matris antistita uocabor? hic quoque cum in cumulatis 'ministra' et 'famula' summa acerbitas inest, tum in genere feminino. 'famuli' sollemnis adpellatio Gallorum; Cic. de legg. II 9, 22 *Idaeae matris famuli,* Val. Flacc. III 20; nec minus 'ministri' dicuntur sacerdotes (ut Ouid. fast. III 47), inferiores praesertim. quo magis autem 'ministra' cum contemptu indicat sacerdotem castratione effectum, eo minus tradita in V scriptura 'deum' fide digna est censenda: neque seruiit ulli praeter Rheam numini Attis neque uero ceteri dei castratos habebant popas. uere omnino id quod hic quoque concinnitas flagitat 'Rheae' restituit LMuellerus. — **69. ego Maenas, ego mei pars, ego uir sterilis ero?** idem artificium atque in u. 63, cui haec uerba opposita. 'Maenas', Galla, ut 23. 'mei pars', semiuir. Mart. IX 8, 7 *teneris nuper succurrit ephebis, ne faceret steriles saeua libido uiros* (= eunuchos), Plin. h. n. XXIV 10, 78 *steriles etiam uiros faciunt.* — **70. ego uiridis algida Idae niue amicta loca colam.** adamata colorum oppositio hic ad Idam in parte inferiore nemoribus obsitam, in cacuminibus niue sempiterna tectam (Eurip. Tro. 1066) est translata, ut similiter Theocr. 11, 47, Callim. hymn. Dian. 41, quos locos cp. HMagnus. quam fallax fuerit primus Idae ex litore uisus (u. 3) nunc ubi sedem deae adiit scit Attis. quam sedem poeta sibi finxisse uidetur positam ibi, ubi siluae deficiebant, incipiebant cacumina niuosa (cf. u. 71 'sub'). 'loca algida amicta' (cf. Flor. I 16 *amicti uitibus montes*), ut u. 3; uide ad XLVI 11. — **71. sub altis Phrygiae columinibus.** columina nec auctore Turnebo arbores nec uero, ut alii uolunt, speluncas intellege, sed summa quae habet Phrygia loca (Cato d. r. r. 15, Varro d. r. r. III 7, 1). designantur igitur Idae cacumina. — **72. ubi cerua siluicultrix, ubi aper nemoriuagus.** de 'sunt' omisso cf. supra p. 49. utrumque epitheton noue fictum; ad prius cf. *pietaticultrix* Syri apud Petron. 55 (nam apud Phaedr. II 4, 3 *nemoris cultrix* recte codd.) et *siluicolae Fauno* Aen. X 551, *equorum siluicolentum* CIL. II 2660 (hoc cp. Schwabius); ad alterum inter alia Lucr. II 597 *montiuago generi .. ferarum.* ceterum quod apro (cf. Apul. met. VIII 4) ceruam (quae ibid. *prae ceteris feris mitior* audit) adiungit Attis, quantopere iam sit femina ostendit. — **73. iamiam dolet quod egi, iamiamque paenitet.**

'iamiam', iam profecto, ut Sall. Iug. 14, 22, Cic. Verr. I 30, 77 (cf. Handius Turs. III p. 155 sqq.); 'iamiamque' autem potius pro 'et iamiam' accipe (eadem cum priore significatione) quam pro nota formula, quae in re paene iam confecta adhibetur. ad 'dolet' supple 'mihi', ut Cic. p. Cael. § 37 *tibi dolebit, non mihi*; potestque 'quod egi' ut subiectum etiam prisce accedere ad 'paenitet', ut Plaut. Stich. I 1, 50 *me quidem haec condicio nunc non paenitet.* uoci Attidis prae dolore paulatim deficienti exprimendae inprimis aptus est iambus paenultimus seruatus. — **74, 75. roseis ut hinc labellis sonitus adiit geminas deorum ad auris noua nuntia referens.** 'roseus' semper declarat uegetae iuuentae splendorem in feminis maxime: tener per se ephebus Attis iam uirginis instar uidetur; cf. ad XLV 12, Anth. lat. 114, 7 [PLM. IV p. 104] *rosea labia uellicent,* Ouid. am. III 13, 23 *purpureis labellis,* Simonides fr. 119 Schn. *πορφυρέου ἀπὸ στόματος ἱεῖσα φωνὰν παρθένος.* cum desideretur, unde pendeat hic ablatiuus, iam olim Itali correxere 'abiit', quod plerique recepere recordati Homericum *φύγεν ἕρκος ὀδόντων.* sed fatendum est, deesse huius usus uerbi 'abire' certa exempla apud Romanos, qui exeundi uocabulo potius in hac re utuntur. contra egregium exemplum ad explicandum traditum 'adiit' praebet Sil. Ital. VI 252 *uocesque repente profusae aethereas adiere domos.* iamque apparet, uoculam illam, quam in uersu priore metrum addi requirit, ita esse anquirendam, ut 'labellis' suam recipiat constructionem (unde coniecturae concidunt Bentlei 'sonitus citus', Ahlwardti 'sonitus uagus', Lachmanni 'sonitus abiit, celer', mei ipsius 'sonitus gemens abeit'). quodsi iam intentius inspicimus uoculam 'sonitus', haec ipsa, propterea quod non tam sonor uagus indistinctusque (quem denotat 'sonitus') quam certus clarusque (quem indicat 'sonus' saepe uocem humanam designans) hic ad aures Cybeles peruenisse est dicendus, fit suspecta apparetque bonitas coniecturae Froehlichianae 'sonus editus', quae omnibus difficultatibus uere medetur. pro 'hinc', quod nihili est, Itali partim 'huic', partim 'hic' scripserunt: utrumque etsi bonum est, tamen hoc fortasse propterea praeferendum, quod minus onerat constructionem ('hic sonus' iungendum referendumque maxime ad postrema Attidis uerba). sed maioribus difficultatibus inplicitus uersus alter. locutionem 'geminae aures' etsi Romani (ut Graeci *ἀμφιδύμους ἀκοάς*) non refugiebant testibus Culice 150 *geminas auium uox obstrepit aures* et Statio silu. IV 4, 26 *inde sonus geminas mihi circuit aures* (Ter. Heaut. II 3, 101; sed Ouid. met. X 116 nil ad rem), tamen adhibebant in forti uehementique sonitu nimie aures inplente: hic tale epitheton absonum uidebitur simpliciter iudicantibus, cum non fuerint Attidis querentis uoces molles tam acutae stridentesque, ut tintinnantes facerent aures (non dico deorum, nam in hac multitudine geminae aures plane ridiculae sunt, sed) Rheae. neque uideo, quo iure LMuellerus formulae instar illud 'gem. aures' esse contendat. nam non minus ineptum est alterum hoc, quod uoces Attidis dicuntur adiisse deorum aures. rectum id esset, si deis miseram sortem conquestus

precibus inploraret eorum opem: nunc ille soliloquio secum agens nihil quod uniuersos deos tangeret protulit; et alieni sunt loci XXXVI 10, LXIV 190—193. uoces Galli paenitentiam indicantes ut ad unam Rheam pertinent, ita ab hac sola in Ida scilicet uersante audiri possunt: huius animum accendunt in iras saeuumque poenae sumendae desiderium. bene igitur Ahlwardtus 'matris' pro 'geminas' reposuit: 'mater deorum' similiterue uocari Cybelen supra ad u. 9 uidimus. nam Lachmannus potius loco illius 'deorum' reponens 'matris' et metrum corrupit nec curauit difficultatem in ipsa uoce 'geminas' positam. unicum autem, qui mihi restat in duplici genetiuo 'matris deorum', scrupulum sic remoueo, ut 'adiit matrem deorum, ad' rescribam (cf. Silii l. l.); et ipsum 'matrem' litteris 'mat' supra lineam scriptis causa extitisse uidetur corruptelae. nam ad 'auris' facillime subintellegimus 'eius'. ad 'noua', h. e. inexpectata et inaudita (nimirum famulum reluctari deae famulicio), cf. Ter. Phorm. V 7, 79 *nouo modo* et Verg. Aen. I 450 *noua res* ibique interpretes. 'nuntium' substantiuum, quod Nonius p. 215, 9 dicit *apud aliquos non receptae auctoritatis lectum esse, sed doctos* (sic nimirum cantores maxime Euphorionis significans), introductum uidetur ab aliquo docto, qui differentiam inter hominem (nuntius) et rem (nuntium) statuere uoluit, innisus scilicet usu generis neutri uocem etsi rarius adhibente (cf. tabb. censoriae ap. Varr. d. l. l. VI 86); cf. Apul. met. VIII 6 *tale nuntium,* Sedul. II 474 *grandia nuntia* et Seruius ad Aen. III 36 et VI 456 et XI 897. Verg. ecl. 3, 73 *partem aliquam, uenti, diuum referatis ad auris,* Ouid. tr. IV 10, 113 *cuius referatur ad aures.* — **76. ibi iuncta iuga resoluens Cybele leonibus.** 'ibi', ut u. 5. Lucr. II 600 *hanc* (Cybelen) *ueteres Graium docti cecinere poetae sedibus in curru biiugos agitare leones* (de quibus ipsis ibid. 604 sq.), Verg. Aen. X 252 *alma parens Idaea deum, cui Dindyma cordi turrigeraeque urbes biiugique ad frena leones* et III 113 *et iuncti currum dominae subiere leones.* 'iuncta iuga' sunt ea quae utrique simul sunt inposita (ut saepius *iuncti iugo* legitur, ex. gr. Pacuu. 397 R.); quae cum uinculis inligatis adnexa essent, si dea uellet alterum utrum ex iugo dimittere, debebant resolui; Verg. ecl. 4, 41 *tauris iuga soluet arator*, Tib. II 1, 7 *soluite uincla iugis.* — **77. laeuumque pectoris hostem stimulans.** leonem ad laeuam partem currui iunctum. sed miro modo uulgo scribentes 'pecoris hostem' adpellant hunc leonem. recte leo a poetis Graecis ταυροκτόνος (Soph. Phil. 400) et ταυροφόνος (Anth. Pal. VI 219, 7) similiterque uocatur; sed nec nudum illud et conexu iusto destitutum 'pecus' designat tauros et cuiusuis pecoris hostis indignissimo (quippe cum quauis belua communi) epitheto leo audit. porro hic, ubi in hominem inmittitur leo, circumscriptio illa inepta. praeterea poetae Romani leones Rheae mansuetos (Varr. sat. Men. 364 B.) potius ipsos 'pecus deae' adpellare amant (Ouid. Ib. 457). unde erat cum conicerem 'laeuumque pecus in hostem'. praestat tamen in 'pectoris' adgnoscere formam scribis insolitam ideoque corruptam (cf. XLIV 4) 'pectori', siue hoc pro 'pectore' prisce dictum

cum 'stimulans' iungis (et notum est, pectus in leonibus esse sedem irae furorisque) siue datiuum more graeco pro 'a pectore' (nimirum deae) positum ad 'laeuum' refers. sed quid uoci 'hostem' facerem, olim quidem nesciebam; nunc nil latere intellexi nisi 'orseis', h. e. uerbis; quorum mentio peculiaris ideo est exoptata, quia alioquin flagello stimulari solebant hi leones. — **78. agedum, inquit, age ferox fac ut hunc furor.** 'inquit' haud ita raro iterum addi solet praecedente 'ita loquitur' similiue uerbo; cf. Nepos Hann. 2, 3, Ruhnkenius ad Rutil. Lup. p. 20, nos ad Val. Flacc. VII 127. aduerbium hortatiuum cum ui repetitum, ut similiter Ter. Andr. II 1, 10. 'ferox' malim cum 'fac' iungere (cf. 83) quam ut uocatiuum ad totam sententiam referre; cf. Lucr. IV 717. ceterum nulla causa est, cur hic et 79 et 82 'face' scribant (cf. ad 79) contra V; nam alia est res XXXVI 16. lacunas ita supplebant, ut Scaliger 'ferox i, fac' proponeret, deinde is qui editionem Cantabrigiensem a. 1702 curauit in fine uersus adderet 'agitet'; quibus (ut alia mittam) accessit Pohlius [lectt. p. 53] 'i fac ut icat hunc furor' proponens. sed ratio diplomatica suadet, ut in uno loco remedium cohibeamus. quamquam ea est huius loci deprauatio misera, ut nec 'furor' intellegatur. nam si 'furor' est *mentis ad omnia caecitas* (Cic. Tusc. III 5, 11), potest ille quidem aliquo modo cum timore cohaerere (cf. Cic. l. l.), sed numquam furor ibi ponitur, ubi diserta timoris notione est opus. ultro postea u. 82 'demens' referimus ad metum summum, non item hic furorem, cum praesertim ubique in hoc carmine (4, 31, 38, 54, 92) ea uoce designetur animi diuina concitatio, qualis sacra numinis reuerentia atque horrore procreatur in sacerdotibus. sed hic furor quomodo a leone in desertorem inmisso incutitur Attidi? non furore (qui postea, adsueto iterum seruitio, ultro redibit), sed metu ac pauore Rhea perfidum ministrum in potestatem suam est redactura. uidentur mihi librarii furoris totiens ante lecti male memores hoc uocabulum substituisse ei quod est 'pauor'. qui ut a Cic. Tusc. IV 8, 19 definitur *metus mentem loco mouens*, adprime huc facit. hinc exempli gratia (nam certi nil adfirmari potest) sic suppleo: 'ferox fac, percellat hunc pauor'. nam 'ut' siue ex glossa ortumst siue relliquias uocis interlapsae (..at) continet. — **79. fac ut furoris ictum reditum i. n. ferat.** cf. supra 47. pauoris uocabulum consequitur ut hic quoque reponatur. 'fac' cum apud bonos poetas semper correpta 'a' legatur (Freundius Iahnii ann. 1835 p. 52, LMuellerus d. r. m. p. 343), primus autem pes excludat iambum, Scaliger 'fac ut hinc', Muretus 'fac ut hic', Lachm. 'fac uti', Heysius 'face tu' proposuere, omnes dum recipiunt restitutum ab Italis 'ictu'. sed 'ictus furoris' uereor ut satis defendatur loco Cic. leg. agr. II 3, 8 *ictu aliquo nouae calamitatis*; neque uideo, qui possit adesse mentio flagellorum, quibus Galli caedebantur, accersita ab AStatio, qui cp. Plut. Mor. p. 1127 C. uidetur igitur mihi 'ictum' mala uoculae insequentis adsimilatione natum esse ex 'ictus' participio, h. e. perculsus siue stimulatus; cf. Liu. I 16, 2 *pubes .. uelut orbitatis metu icta* et V 21, 7 *repentino*

icti furore. iam uero omnium facillime ex 'ut' eliciemus 'ui': Stat. Theb. I 379 *dat stimulos animo uis maesta timoris.* hic quoque constructionem per 'ut' consuetiorem (ad 82) praetulere scribae. — **80. mea libere nimis qui fugere imperia cupit.** anastrophe pro 'nimis libere' (= aperte, libera lingua), ut Verg. Aen. IX 472 *nota nimis*; cf. ad LXIV 22. Aen. VI 463 *iussa deorum .. imperiis egere suis*; hic de ministerio cogitandum est. 'fugere', se subtrahere. — **81. age caede terga cauda, tua uerbera patere.** Plin. h. n. VIII 16, 49 *leonum animi index cauda, sicut et equorum aures .. inmota ergo placido, clemens blandienti; crebrior enim iracundia: eius in principio terra uerberatur; incremento terga ceu quodam incitamento flagellantur.* iam Homerus imagine est usus Il. XX 170 *οὐρῇ δὲ πλευράς τε καὶ ἰσχία ἀμφοτέρωθεν μαστίεται, ἓε δ' αὐτὸν ἐποτρύνει μαχέσασθαι*, ubi Clarkius cp. Lucan. I 208 *mox ubi se saeuae stimulauit uerbere caudae erexitque iubam et uasto graue murmur hiatu infremuit.* 'tua', tua ipsius, cum ui praepositum; Ouid. fast. II 696 *uerbera passus erat.* — **82. fac cuncta mugienti fremitu loca retonent.** irati leonis fremitus (cf. u. 86, Aen. IX 341) comparari potest mugitui; Plaut. Amph. I 1, 78 *boat caelum fremitu uirum.* 'retonare' ἅπαξ λεγόμενον. Dracont. 8, 350 sqq. [PLM. V p. 173] *sic magna leonis ira fremit .. iam uerbera caudae artubus incutiens spargit per colla per armos erecta ceruice iubas, iam tenditur altus dentibus inlisis et pectus grande remugit: flumina tunc resonant, montes et lustra resultant.* 'fac' cum coniunctiuo, ut LXVIII^{b} 6. 'loca', mea; cf. u. 3. — **83. rutilam ferox torosa ceruice quate iubam.** Seneca H. f. 948 *rutilam* (sic recte E m. 1 corr.) *iubam ceruice iactans.* Ouid. met. VII 429 *colla torosa boum*; Vulpius cp. Aen. XII 6 *mouet arma leo gaudetque comantis excutiens ceruice toros.* ceterum cum iam in prioribus, tum uero in uerbis his 'rut. ferox torosa ceru.' animaduertenda est litterae caninae (cf. interpp. ad Pers. 1, 109) adcumulatio ad iram indignationemque exprimendam faciens; cf. Dionys. Hal. de comp. uerb. 14. — **84. minax Cybelle religatque iuga.** 'minax', non leoni, sed in uniuersum: uultu ac uoce torua. 'religat' si recte se habet, non ut alibi 'astringere', sed 'ligata soluere' significat usu miro, quem stabiliunt ex Pallad. III 13, 2 *omnibus annis uitem resolui et religari*; qui locus aliter explicandus est. nam si AStatius cp. 'refigere' et 'refodere', in his nimirum certam significationem sanxit usus. soluerat inter uerba sua dea uincula, quibus alligatum erat iugum leonibus, nunc hoc ipsum tollit, ut possit abire qui emittitur leo. talis notio uidendum est num sub 'regligatque', quod O praebet, lateat, ueluti 'releuatque'. — **85. ferus ipse sese adhortans rapidum incitat animo.** 'ferus' ut de aliis bestiis (apro, equo, ceruo), ita de leone adhibetur Phaedr. I 21, 8 et Ouid. epist. 9, 114, ubi uide Heinsium. sic *θήρ*, ut adnotat AStatius, saepius a poetis Graecis de leone dicitur. Vulpius cp. Caes. b. g. VI 37 *perrumpere nituntur seque ipsi adhortantur*; adde Ouid. met. X 685 *meque ipsa exhortor in ambos.* 'sese' et ad 'incitat' trahe: animo sese extimulat ut rapidus fiat. sed

dum leo iussis erae parens uerberibus caudae se excitat, iram nimirum colligit furoremque (pernicitatem nil attinuit); uere igitur mihi Schwabius reposuisse uidetur 'rabidum'. Italorum commento 'animum' non opus esse uidetur. — **86. refringit uirgulta pede uago.** AStatius cp. Stat. Theb. I 378 *et prono uirgulta refringit pectore*; ibid. IV 139. 'uagus' (= non fixus) nil aliud quam 'currens, celer' designat apud nostrum, LXI 110, LXIV 271, ibid. 340; Ouid. a. a. III 418 *uagos pedes* et Stat. Ach. II 115 *uago passu* gressus magis huc illuc sine consilio uadentes denotant, quod hinc alienum uidetur; magis huc pertinet Rufinus GL. K. VI p. 562, 7 *armiger in Ida pede uago litora petens.* — **87. at ubi humida albicantis loca litoris adiit.** 'at' oppositione litoris et uirgultorum montem tegentium. 'albicans' dicitur litus potius ut spuma (Varr. sat. Men. 75 B.) maris inruentis quam ut arena alba obtectum; ex illa etiam umidum est. 'loca litoris', ut 70 'loca Idae'. — **88. prope marmora pelagi.** adstantem, dum totus est in scaeuis cogitationibus, propter mare late splendens. nam sumpta ex ponti superficie imagine et praeeunte Homero Il. XIV 273 *ἅλς μαρμαρέη* poetae latini non solum de marmore maris sunt locuti (cf. Lucr. II 767 et 772), sed etiam hoc ipsum simpliciter 'marmor' uocabant (locos collegit Corssenus de pronunt. I p. 411). — **89. illa demens fugit in nemora fera.** 'demens', de statu mentis deiectus, metu externatus, ut Sen. Agam. 915 *quos, anime demens, fugis,* Liu. XXXII 12 *amentes repentinus terror regios fecit.* uere hic Lachm. 'illa' (ut u. 88 'teneramque') correxisse, monstrat quod sequitur 'famula'. 'fera', inculta et a solis bestiis inhabitata, ut Verg. ecl. 5, 28 *montes feri*, Ouid. tr. I 8, 40 *feris Scythiae iugis.* — **90. ibi semper omne uitae spatium famula fuit.** de accusatiuo temporis cf. ad u. 57, de 'famula' ad u. 68. grauiter cumulatum est illud 'semper omne'; nec potuit poeta efficacius depingere miseram Attidis sortem quam his paucis uerbis: metu iam cohercitus inter Idae siluas in seruitio Magnae Matris longam per uitam poenas ille luit breuis furoris. et quo maiore deae tam saeuae horrore tenemur, eo lubentius clausulam a poeta subiectam facimus nostram. — **91. dea magna, dea Cybelle, dea domina Dindymei.** sic rectius interpungunt; alii post primum 'dea' comma ponentes 'magna' coniungunt cum secundo, ut Prop. III 17, 35 *uertice turrigero iuxta dea magna Cybebe.* sed non tam nudum 'dea' quam iunctum 'dea magna' iustum facit enuntiati exordium: cum omnes dii deaeque, tum uero mater deorum sollemni epitheto audit 'dea magna', *μεγάλη θεός.* tribus autem colis iam aequabilibus dea potissimis inuocatur adpellationibus. 'domina Dindymi' recurrit XXXV 14; designatur mons Galatiae (Strabo p. 567), sub cuius radicibus Pessinus erat posita (unde Cybele et Pessinuntica uocatur); hinc cognominatus alter mons Dindymus Cyzico imminens et ipse sacris Rheae insignis (Prop. III 22, 3); ceterum formae Dindymon et Dindyma usitatiores. in tradita lectione cum male prima alterius hemistichii arsis soluatur, Scaliger magno cum molimine uoluit traicere 'Didymei dea domina';

sed conparans ad formam breuiorem Mart. XII 43, 3 *quales nec Didymi sciunt puellae* errauit, cum dicatur Didymos prope Miletum sita. simplicius haec difficultas tolletur reposito 'domna', id quod ante me iam Itali in nonnullis codd. interpolatis (cf. Silligii editio) restituerunt. notum est, in uocibus 'dominus' et 'domina' uita in cottidiana tam tritis syncopen usu uenisse (CIL. V 774 *domnabus,* Orell. inscr. 6112, Murat. inscr. 201, 1); neque quidquam obstat, quominus hoc ad deorum adpellationem translatum esse putemus. nam ex uitae cottidianae usu hoc ipsum fluxit, quod deos quoque deasque ueteres uocabant dominos et dominas (cf. Graecorum δέσποινα, ἄνασσα); uide interpp. ad Aen. III 438 *dominamque potentem.* hoc autem poetae more solito in sollemni inuocatione epitheta cumulantis consilium esse uidetur, ut postquam summam numinis reuerentiam prae se tulit iam in eis quae secuntur sine laesae maiestatis metu libere possit proferre sententiam: — **92. procul a mea tuos sit furor omnis, era, domo.** ne tangat meam familiam rabies tam terribilis et luctuosa ulla ex parte (nihil illius ad meos pertineat). Ouid. fast. IV 116 *a nobis sit procul iste furor.* 'erus' et 'era', ut in familia dominus et domina, sic dei uocabantur iam inde ab Ennio, ann. 203 V. *erá quidque ferat Fors*; cf. LXVIII^b 36 et 38. — **93. alios age incitatos, alios age rabidos.** quasi ambabus manibus procul a se suisque arceat omnem huius cultus contagionem, fortissime C. repetit illud 'alios' simul cum adscensione in illis 'incitatos' (= instinctos; Cic. de diu. I 36, 79 *terrae uis Pythiam Delphis incitabat*) et 'rabidos'; pro quo hic quoque inepte V tradit 'rapidos'. 'age', inpelle, ut ex. gr. Aen. VII 405.

Cybeles cultus inde a secundo bello Punico Romae notus (de eius sub imperatoribus ritu certisque caerimoniis cf. Prelleri myth. Rom. p. 735 sqq.) sub finem liberae reipublicae mire excitauit multorum tum poetarum ingenia. nam ut habent sua fata etiam argumenta poetica, Alexandria forte aduecta Romam materia illa certatim tractabatur tam a Catullo sociisque (de horum uno Caecilio cf. c. XXXV) quam ab eis qui cetera a poetis neotericis studiorum ratione distabant, a Varrone in saturis Menippeis (cf. fragm. 79, 131 et 132, 275 B.) et Lucretio (II 600 sqq.); nec postea tempore Augusteo amatores illi defuere, Maecenatis ut docet exemplum. adliciebat quippe tam rei ipsius dirus horror lectorum animos commoturus quam suscepti difficultas in metro posita, cui aptam argumento formam dederant exemplaria Alexandrina. de quibus nihil aliud scimus quam Callimachum uersus galliambici fuisse inuentorem; cf. Guil. Christius libri 'die Metrik der Griechen und Roemer' p. 256[1]. sed num ille unus inter populares suos coluerit hoc genus, aeque ignoratur quam hoc, num Catullus carmen quoddam Callimacheum imitatione expresserit. iam supra monui, duos qui supersunt uersus Battiadis galliambicos nihil aliud ostendere quam in rebus quibusdam leuissimis consensum externum. nam Gallorum per genus femininum adpellationem, attributa Rheae uaria, chori ululantis descriptio similiaque haud pauca,

ut fere fit ubique, semel certis uerborum formulis a primo inuentore expressa ab omnibus deinceps uatibus in ea materia uersantibus sine rubore in proprium adhibebantur usum; sed in ratione siue argumentum uniuersum tractandi siue unam aliquam eius partem peculiari cura elaborandi discernebantur singulorum ingenia arsque, hic uerus poeta quanto interuallo relinqueret imitatorum seruum pecus ostendere potuit. Catullus non persequitur ipsam Dindymi dominam et loca ei sacra, non canit festos thiasos Gallorum furentium et huiusmodi alia, in quibus sine dubio aequalium plerique desudabant: uerum genuinumque poetam sese exhibuit ille materiam extrinsecus datam suo modo noue tractans suique ingenii artisque nota signans. unde hoc colligam, interrogas ex me? inde quod hoc carmen eandem quam c. LXIV indolem prae se fert. nam spretis eis, quae adlicere solent mediocria ingenia, Catullus non commoratur in communibus illis, quae modice sciteque adhibet partim in scaenam necessariam partim in ornamentum (et hinc explicandum est quod breuissimis lineis et locos et ceteras praeter Attidem personas adumbrauit), sed omnem intentionem nostram derigere studet in eum solum, cuius imaginem tristem artifex summus nobis subicit. nam animi affectuum pictor egregius totam artem conuertit in describenda per singulos gradus inde a furore summo usque ad summam paenitentiam πάϑη. friuola atque hoc uate indigna est eorum sententia, qui poetam mera in metro insolito se exercendi cupiditate ductum hos uersus panxisse statuunt. adlicuerit nostrum, ut aequales ceteros, ipsa difficultas in lingua latina duriore adhuc atque egena galliambos tot syllabis breuibus tremulos digne componendi: non minus hercle ipsa res eum tenuit deuinctum animo intimo, quo auersabatur cultus Asiatici diram atrocitatem. iterumque ferreo mihi praediti uidentur corde, qui non adgnoscunt uerba illa, quibus a se suisque nefarium furorem a religione iniectum deprecatur poeta, quantopere animi sensus sinceros uerosque referant: non ita scribit qui stili componit exercitationem. alio modo poeta philosophus, alio lyricus commouere studet; sed utrique, et Lucretius et Catullus, hoc habent propositum commune communi indignatione correpti, ut quantum suadere possit malorum religio ostendant. admiremur artem, qua C. suscepti difficultatibus superatis linguam patriam reluctantem adcommodauit uersui alienigenae, cui debet hoc poema splendorem suum externum (et est sane nullum metrum aptius rei descriptae): ne parui tamen aestimemus iunctas cum formae perfectione summa uirtutes internas in ingenio poetico positas, quibus hoc carmen non solum inter Catulliana primum optinet locum, sed etiam in omni antiquitate pauca habet sui paria similiaque.

LXIV.

1. Peliaco quondam prognatae uertice pinus. summa in parte Pelion uirebat pinubus teste Ouidio fast. V 382. ibi igitur natae (pro quo uerbo simplici poetis quidem magis usitatum est sollemne illud

'prognatus', ut elog. Scip. II 2 *Gnaiuod patre prognatus,* unde et suus lepor accedit Hor. sat. I 2, 70) indeque ob materiam robustam extruendisque nauibus maxime adcommodatam (Verg. G. II 443) caesae pinus iam pro ipsa naui ponuntur, noto illo materiam pro re inde effecta nominandi usu: Ouidius am. II 11, 1 totum hoc exordium imitatus *prima malas docuit mirantibus aequoris undis peliaco pinus uertice caesa uias,* Tib. I 3, 37 *nondum caeruleas pinus contenderat undas,* Prop. III 22, 11 *tuque tuo Colchum propellas remige Phasim peliacaeque trabis totum iter ipse legas, qua rudis .. natat .. in faciem prorae pinus adacta nouae.* Catullo ipsi obuersata est, nisi fallimur, Ennii Medea (non, puto, huius exemplar Euripideum) u. 205 sqq. *utinam ne in nemore Pelio securibus caesa accidisset abiegna ad terram trabes* (ubi uide Ribb.). 'quondam' plane ut in nostris fabellis ad incipiendas historias antiquas facit. — **2. dicuntur liquidas Neptuni nasse per undas.** h. e., nauigasse, ut LXVI 46, Verg. G. IV 506, Ouid. met. VIII 104 *deductas nare carinas.* 'dic.' et ipsum cum consilio (ad u. 19) positum in fabula, cf. Seru. ad Aen. I 15; respexit hoc Varro d. r. r. II 1, 6 *Aeetam, ad cuius arietis pellem profecti regio genere dicuntur Argonautae.* 'undae Neptuni' mare magnum designant oppositum stagnis mediterraneis (XXXI 2), ubi iam minoribus nauigiis uti didicerant. 'liquidas' non tam facilem expeditumque cursum (Tib. I 5, 76) quam umorem fluidum, arboreae nauis inimicum naturalem, ad augendam rei difficultatem innuere uidetur: Ouid. met. I 94 *nondum caesa suis .. montibus in liquidas pinus descenderat undas*, Tib. I 9, 49 *et liquida deleat amnis aqua.* — **3. Phasidos ad fluctus et fines oeticos.** solita poetis circumscriptio pro 'ad Phasidem' (cf. Apoll. Rhod. II 1280), non (ut Mitscherlichius putauit) ad declarandam fluuii magnitudinem. quem inuecti Argonautae iam tenuerunt 'fines' siue terram Colchorum. haec autem notio cum debeat inesse uoci corruptae 'oeticos' (G) uel 'ceticos' (O), Itali reposuerunt 'Aeetaeos', quod Hauptius formam graecam esse *Αἰητεῖος* recordatus potius in 'Aeeteos' refinxit, potuit etiam refingi in 'Aeetios' (Kuehnerus gram. lat. I 672). egregie autem depinxit poeta summum suscepti laborem cumulatis in uersu spondiaco spondeis, ut similiter in u. 5 solis spondeis, cum contra u. 6 post graue et uoci 'ausi' conueniens exordium spondiacum iam per dactylos 'sunt uada salsa cita' celeris per mare nauigatio inlustretur: in talibus quoque admiremur summam huius poetae artem. — **4. cum lecti iuuenes Argiuae robora pubis.** confluente ex tota Graecia ad Iasonem conuocantem optimo quoque audacissimoque heroe (cf. ex. gr. Val. Flacc. I 96 sqq.). uerba ipsa ex Ennii Med. 209 R. *Argiui delecti uiri*; cf. et Theocr. id. 13, 18 *πασᾶν ἐκ πολίων προλελεγμένοι*, ibid. 27 *θεῖος ἄωτος ἡρώων*, Verg. ecl. 4, 34 *quae uehat Argo delectos heroas*; Symmach. in Valent. I 9 *exercitus ex omni robore romanae pubis electus.* dicitur autem 'robur' translate pro optima parte uirorum ut plerumque singulariter, ita interdum etiam pluraliter, ut Aen. VIII 518 *robora pubis lecta dabo.* ceterum 'cum' potius ualere 'eo quod' quam merum tempus indicare credo. — **5. aura-**

tam optantes Colchis auertere pellem. Hygin. fab. XII *Pelias . . . iussit eum* (Iasonem) *pellem arietis, quam Phrixus Marti sacrauerat, inauratam Colchis ab rege Aeeta repetere*; Ennius Med. 210 *uecti petebant pellem inauratam arietis Colchis*; Manil. V 372 *unde aurata nouo conuecta est aequore pellis*; Seneca Med. 360 *quod fuit huius pretium cursus? aurea pellis* (quae est uulgaris locutio). 'auertere' ualet asportare tamquam praedam ipso conexu modum eius rei indicante, ut apud Verg. Aen. I 472 *ardentisque auertit equos in castra* (scil. ui raptos): hic dolone an bello ea res sit peragenda, ut incertum et futurum omittitur. Val. Flacc. V 628 *extructa quod uexerit ipsa* (Minerua) *carina uellera sacra meis sperantem auertere lucis* recte iam Mitscherlichius ex nostro deriuatum statuit. — **6. ausi sunt uada salsa cita decurrere puppi.** ausi, utpote in re noua et atroci; Val. Flacc. I 2 de Argo *Scythici quae Phasidos oras ausa sequi.* 'uada' notum est a poetis pro ipso mari poni, ut infra u. 58; Verg. Aen. V 158 *sulcant uada salsa carina* (Ennius ad graecum *ἅλς* introduxit *caerula salsa, mare salsum,* sim.). decurrendi autem uerbum desumptum puto a stadio: ut per spatium liberum ad metam cursores, sic nautae ad itineris propositum contendunt; et ut 'spatium decurrere' (Cic. de sen. 83) eademque imagine Verg. G. II 39 *inceptum decurre laborem,* sic etiam C. hic construxit 'aequora decurrere' (cf. et 'aequor currere' saepius obuium). hinc autem explico incerti tragici fragmentum CXLVIII (p. 273 Ribb.[2]) *agite, o pelagi cursores, cupidam in patriam portate*: quae uerba in Attii Medea Aeetida ad Argonautas fecisse puto. 'cita puppi' (cf. paneg. Messalae 69, Verg. Aen. V 33), hoc est, secundis uentis uolante, non sine respectu (recte adnotante Passeratio) nominis 'Argo' nauem celerem indicantis; 'puppis' pro tota naui noster nouasse uidetur. — **7. caerula uerrentes abiegnis aequora palmis.** 'uerrere' non raro adhibetur de remis, qui syri uel scopae instar maris superficiem contingunt: Verg. Aen. III 208 *remis insurgimus .. nautae .. torquent spumas et caerula uerrunt*; obuersata fuisse et huic et Catullo Ennii uerba apud Gell. II 26, 21 *uerrunt extemplo placidum mare marmore pulso: caeruleum spumat mare (sale) conferta rate flauom* (ita enim haec emaculanda, decepitque Fauorinum librariorum traiectio), in imagine obuia uix est cur statuamus. de 'palmis' cf. ad IV 4. — **8. diua quibus retinens in summis urbibus arces.** postpositum ad 'quibus' (scil. Argonautis) cf. quae supra ad Corn. u. 9 p. 72 adnotaui. circumscribitur autem Minerua nempe per eam numinis partem, qua fingitur a Graecis *Πολιάς* et *Πολιοῦχος* et *Ἀκραία*, uideturque poeta de Athenarum potissimum acropoli cogitasse (cf. Priap. 75, 4 *Pallas Cecropias tuetur arces,* Verg. ecl. 2, 61, Claud. d. r. P. II 19). 'retinere' autem ualet 'id quod semel occupatum est optinere' (Caes. b. g. VII 21 *si id oppidum retinuissent*) siue 'tueri et defendere'; suntque 'summae urbes' (cf. ad I 3 et Hor. od. II 10, 11 *summos montes*) summi urbium loci siue colles urbibus inpendentes, unde adparet 'arces' non pro locis editis, sed pro eis quae his inposita sunt munimentis et

castellis accipiendas esse; Auson. technop. 6, 8 *urbibus in tutis munitior urbibus est arx.* — **9. ipsa leui fecit uolitantem flamine currum.** uariant ueterum fabulae de Argus nauis aedificatore, modo Argum Arestoris filium, modo Mineruam nominantes. Catullus hic secutus uidetur Apoll. Rhod. I 111 *αὐτὴ γὰρ καὶ νῆα θοὴν κάμε· σὺν δέ οἱ Ἄργος τεῦξεν Ἀρεστορίδης κείνης ὑποθημοσύνῃσιν*, ita ut hunc carinae illam texturae subtilioris (cf. u. 10) faceret architectonas; cf. Phaedr. IV 7, 9 *fabricasset Argus opere Palladio ratem*, Sen. Med. 365 *Palladia manu conpacta Argo*, Val. Flacc. I 94 sqq., 125 sq., Claudian. bell. get. 16 *ipsamque secandis Argois trabibus iactent sudasse Mineruam.* construendum est autem hoc modo: fecit (hoc est struxit, aedificauit) currum, quae leui flamine siue uento paululum adflante posset per maris aequora 'uolitare'; cf. *leui uento* Ouid. trist. I 10, 19; 'flaminis' uocabulum etiam Ennio Lucretioque adhibitum infra u. 272 recurrit. 'uolitare' uero, quod hic non potest esse 'uagari et discurrere' (Hor. od. IV 5, 19), noue et insolenter pro 'uolare' (Verg. 'uolat currus', Ouid. 'uolat nauis') positum est; nisi forte, quod probabilius uidetur, e mala recordatione loci modo lecti LXIII 25 prouenit Catullique est quod conparationi institutae conuenit: 'uoluentem fl. currum'; dixit Verg. G. I 163 *uoluentia plaustra*; et utitur hoc ipso uoluendi uerbo rei inprimis apto Attius in descriptione Argus (Cic. l. mox l.). illo autem modo si construimus, mitigatur aliquantulum translationis audacia, quae inest 'currus' uoci. quae usu rarissimo adhibetur pro ea quae est 'nauis', ut Graeci eodem modo dicunt *ὄχημα*, *ἅμαξα*, *ἀπήνη* (cf. Mureti uar. lect. I 11); apud Latinos unum habes exemplum Lucretii VI 47, cuius adscribam uerba emendata: *quandoquidem semel insegnem conscendere currum uentosum* (= *ναΐαν ἀπήνην* uentis agitatam) *exhortant pelage tuta omnia rursum: quae fuerint sic placato conuersa furore*; nam alterum est tantum ex coniectura restitutum a me PLM. III 24, 25 [p. 166], ut tamen non desint similia plura; nam de Argonautarum 'uehiculo' loquitur Cic. d. n. d. II 35, 89 secundum Attii Medeam, ex qua equidem hoc loquendi genus utpote celebre fluxisse puto; bene porro AStatius comparauit uersum (fortasse Varronis Atacini) apud Charisium [p. 272 K.] seruatum *Tiphyn aurigam* (= gubernatorem) *celeris fecere carinae,* denique Vergilianum [Aen. VI 1] *classique inmittit habenas* (adde Val. Flacc. I 681 *uolat caua pinus habenis*). causam autem huius imaginis iam tetigit Cicero: depingitur prima nauis talis fere, qualis est uisa rudibus etiam tum et monstrum stupentibus hominibus. — **10. pinea coniungens inflexae texta carinae.** nauis fundamento carinae (quae perpetuo epitheto curua, panda, inflexa, sim. audit) ab Argo constructae iam ope Palladia accedunt tabulata siue laterum trabes aluum efficientes, quae utpote quam maxime robore indigentes e pinubus fiebant. nam texendi uerbum translate usurpatur de omnibus, quae arte conseruntur firmiterque coagmentantur; unde de nauibus potissimum illud sollemne, ut apud Ouid. epist. 16, 110 *texitur et costis panda carina suis,* met. XI 522 *intra caua texta carinae,*

et hinc saepius *pinea texta* pro ipsa naui (met. XIV 521, fast. I 310, trist. I 4, 9); cf. et Sidon. Apoll. ep. 8, 12 *carinarum uentres trabium textu pulpitare.* — **11. illa rudem cursu proram imbuit Amphitrite.** dicitur Neptuni uxor Amphitrite (ut et Tethys atque adeo Thetis) eodem metonymiae genere, quo Ceres et Bacchus pro pane et uino ponuntur, pro aequore (hoc quoque, ut uidetur, ex Alexandrinorum imitatione: cf. Hauptius opusc. II p. 74, ubi iam adfertur Ouid. met. I 14); et pro quouis aequore, non (ut nonnulli male opinabantur) pro Ponto Euxino. tradunt autem G 'cursu primam i. amphitritem', **O** contra 'cursu proram i. aphitrite' (cf. appar. crit.). unde ex Italorum coniectura uulgo scribunt: 'illa r. c. prima i. Amphitriten', hoc est, carina illa prima (Ouid. met. VI 722, Phaedr. IV 7, 10, Val. Flacc. I 1, alia supra adlata) mare insuetum nauigationem pati docuit; cf. ad 'prima' cum 'rudem' coniunctum Ouid. epist. 4, 23 *subit primos rude pectus amores,* Propert. III 15, 5. nam hoc omnes recte senserunt, 'primam' ipsum defendi non posse. sin legimus cum **O**: 'illa r. c. proram i. Amphitrite', non ita quidem cum Ellisio interpretabimur ut copulemus 'illa Amphitrite' contortissime (nam hoc nihil ualet nisi 'id quod ibi est positum mare'), sed potius 'illa' referemus ad Mineruam, quod (etsi praestaret, si per anaphoram repetitum foret 'ipsa') sine ullo negotio fit; porro 'rudem cursu proram' cohaerent, hoc est, in cursu inexercitatam (cf. de constructione Ouidianum *Ennius ... arte rudis*); hanc autem proram Minerua imbuit siue initiauit mari: cf. Ouid. a. a. I 654 *infelix imbuit auctor opus,* Nemes. ecl. 2, 6 *uenerisque imbutus uterque tum primum dulci furto,* Ruhnkenius ad Callim. fragm. 119; iamque elegantissime diua hoc quoque muneris suscepisse dicitur, ut deduceret Argo: cf. Hygin. fab. XIV *nauis Argo, quam Minerua in sideralem circulum retulit ob hoc quod ab se esset aedificata ac primum in pelagus deducta.* quae altera lectio, in qua nulla opus est mutatione, utpote et exquisitior a sensu et a ratione palaeographica difficilior (accedente codicis **O** pretio maiore) ueram Catulli manum mihi uidetur continere; et siquis cognitum habet, quomodo posteriores poetae Catullum soleant imitari, facile adgnoscet in loco Propertiano ad u. 1 adlato scripturae 'proram' subsidium ualidum (cf. et Stat. Theb. V 335). — **12. quae simulac rostro uentosum proscidit aequor.** melius nunc 'quae' referimus ad 'proram', non ad 'carinae' (quod, si ad hanc refertur 'illa', molestissime fit); habetque haec prora suum rostrum ferratum (cf. Richius, lex. antiq. s. u.); unde, ut aratrum terram (Ouid. met. VII 119 *ferro proscindere campum*), sic nauis pontum proscindit, quemadmodum simillime legitur ex. gr. PLM. III 24, 24 [p. 166] *et sulcante uiam rostro submurmuret unda* (cf. ibid. 25, 10 *aequora prora secet,* Seneca Agam. 429 sq.; et eadem imagine saepius 'findere mare' et 'conuellere aequor', ut Aen. V 143, dicitur). 'uentosum' autem audit mare, in quo regnent uenti (Verg. Aen. VI 335 *uentosa per aequora uectos,* Hor. od. III 4, 44), epitheto ad ausi atrocitatem faciente. — **13. totaque remigio spumis incanduit unda.** falsa haec

archetypi scriptura (nam et pars maris cum maxime conuulsa sola incanduit et debet 'remigio' habere unde pendeat aeque atque pendet 'spumis' ab 'incanduit') non male quidem ab Italis mutata est in 'tortaque' (cf. Aen. III 209 *torquent spumas*), melius tamen nobis uidemur littera initiali prae ceteris corruptioni obnoxia transformata dedisse 'motaque', quippe quod et magis conueniat mari tum primum remorum pulsu agitato et confirmetur eo quod omnes scriptores postea de hac re locuti hoc uocabulo scilicet apud Catullum lecto utuntur: Ouid. met. VII 722 *per mare non motum prima petiere carina*, idem am. II 11, 5 *nequis remo freta longa moueret, Argo* eqs., Manil. I 76 *inmotusque nouos pontus subduxerat orbes,* Silius Ital. VII 412 *ac motus multo spumabat remige pontus* (ex nostra emendatione: 'totus' codd., 'tortus' Heinsius); cf. et Verg. G. I 130, Lucan. V 499; et sollemnis uocabulorum 'totus' et 'motus' in codd. confusio est. spuma autem quamuis saepissime et 'cana' (inter candidum et nigrum medio colore) et omissa subtiliore coloris distinctione 'alba' dicatur, nec solum in tempestatibus (Ouid. met. XI 501), sed etiam in remorum agitatione (Ouid. epist. 5, 54 *remis eruta canet aqua*, ibid. 3, 65; Val. Flacc. III 32 *et leni canebant aequora sulco*; Seneca Agam. 440 *dirimuntque canae caerulum spumae mare*; Silius Ital. VIII 426 *non aequore uerso tam creber fractis albescit fluctus in undis,* idem XIV 316 *salis icta frequenti albescit pulsu facies perque aequora late spumat canenti sulcatus gurgite limes*), tamen nec candescendi uerbum multo licet rarius usurpatum sua caret ratione (Ouid. met. IV 530 *percussa recanduit unda*): ut cana et alba spuma magis dicitur proprie, ita in candendi uocabulo praeualet notio alboris nitentis marmoreique, qui opponitur mari caeruleo, id quod egregie docet disputatio Lucretii II 764—775; et hinc etiam, ubi res fert, 'canus' et 'candens' siue 'niueus' ex contrario stant, ut apud Cic. prognost. fragm. 3, 3 *saxaque cana salis niueo spumata liquore,* unde corrigendus Prudentius cathem. VII 129 *canosque* ('salsosque' codd.) *candens spuma tundit pumices.* similiter explicandae dictiones quales sunt *candentes cani* (Tib. I 10, 43; Ciris 320) et *albentes cani* (Dracont. 8, 589): singuli crines cum sint proprie cani, cuncti efficiunt capitis quas poeta dicit niues. praeter necessitatem igitur Itali hic 'incanuit unda' coniecere: caerulum mare niueis spumis opertum sibi finxit Catullus (cf. praeter locum Ennii ad u. 7 adlatum Seneca epigr. 71, 6 [PLM. IV p. 84] *caeruleus cana sub niue pontus erat*). quamquam uerum est, uerbum conpositum 'incandescere' hoc uno loco sic adhiberi. — **14. emersere feri candenti e gurgite uultus.** iustissimos haec uerba mouerunt scrupulos. nam 'feri uultus' — ut mittam IVossium incredibiliter cum uoce 'monstrum' u. seq. iungentem — non esse gignendi casum (e. gurgite candenti, qui ferum praebebat adspectum), facile aperit sententiae peruersitas, siquidem unda spumata minime uisu foeda est. sin 'uultus' pro nominatiuo habemus (ut commendant et Dirarum et Silii imitationes mox adferendae), quo iure Nereidum uultus dicantur 'feri' obscurum est, quippe quod attributum

neque os attonitum eius qui monstrum stupeat designet neque uero, si de naturali facie cogitamus, conueniat Nymphis illis (nam masculi dei marini nihil ad rem), quarum uultus tam poetae quam artis monumenta quamquam seueros tamen gratia ac uenustate non carentes depingant. coniecit igitur Schraderus 'freti' uel 'fero': illud recentium editorum haud pauci, hoc ego recepimus. nam auctor Dirarum [PLM. II p. 76] u. 56 scribens *monstra repentinis terrentia saepe figuris, cum subito emersere furenti corpora ponto* sine dubio 'fero gurgite' apud Catullum legit; neque uero 'freto' suum hinc sumpsisse putauerim Octauiae scriptorem, qui 706 uaga cum recordatione *talis emersam freto spumante Peleus coniugem accepit Thetin* dixit. dicitur autem 'gurges', ut ego sentio, profundus aquarum hiatus, per quem ex imo adscendebant Nereides, ut accepit Sil. Ital. VII 412 *ac motus multo spumabat remige pontus, cum trepidae fremitu uitreis e sedibus antri aequoreae pelago simul emersere sorores.* qualem hiatum cum summo undarum tumultu fremituque coniunctum esse consentaneum est, unde recte gurges dicitur 'ferus', id est saeuus atroxque (cf. LXIII 40 *mare ferum*). iam uerba sequentia 'candenti e gurgite' frustra defendunt ei qui quando earundem uocum repetitio legitima, quando ferenda, quando intolerabilis sit non habent perspectum et exempla accersunt aliena: Catullum tribus uerbis interiectis nulla aut necessitate cogente aut commendante arte rem plaue eandem eodem uocabulo commemorasse, saltem ei qui sensu incorrupto utuntur noueruntque hunc poetam non credunt. neque tollitur hoc uitium Italorum commento 'canenti e gurgite' (nam hic certe 'candenti' et 'canenti' nihil differre docent ad u. priorem disputata), cum praesertim statim subsequatur 'e gurgite cano'. reposui ergo 'candentis gurgite uultus', primo scil. casu (ut LXII 11 et 32 *aequalis*, infra 276 *linquentis*), hoc est nitentia ac splendida ora, qualia pulcre dantur Nymphis pulcreque fero illi aquarum tumultui opponuntur. reposito autem 'candentis' pro 'candenti e' (quam corruptelam traxit 'fero' in 'feri' mutatum) et praepositio a Silio Dirarumque auctore non agnita tollitur et restituitur uerbum id, quod diuersa cum significatione adhibitum bene illud 'incanduit' sequitur quodque in totam descriptionem, qua Nympharum forma praedicanda erat, egregie quadrat. — **15. aequoreae monstrum Nereides admirantes.** haec per appositionem accedunt ad uocem 'uultus'. audiunt autem Nereides 'aequoreae' non tam epitheto ornanti (ut ex. gr. Prop. III 5, 33 *centum aequoreae Nereo genitore puellae*) quam quod in aequoris imo habitant, unde excitae fragore iam admirantur siue stupent (quo stupore quasi spiritum retinentes eas depingit clausula spondiaca) nauem tamquam 'monstrum', hoc est, ut rem nouam plane atque inuisitatam, eodem modo quo pastor Attianus apud Cic. d. n. d. II 35, 89 (imitatur Ciris u. 391). — **16. atque illa uidere luce.** ita initium uersus emendaui: G 'illa atque alia', O 'illa alia' praebent, cuius diuersitatis eam unam ars palaeographica suppeditat explicationem, ut archetypus V 'atque alia' in textu, 'illa' supra lineam adscriptum habuisse putetur;

cumque sexcenties 'alia' et 'illa' confundantur in codd., 'illa' pro uocis 'alia' correctura habeatur oportet. et hac emendatione mere palaeographica exclusae sunt coniecturae antea (ignoto adhuc O) temptatae omnes, quas singulas iam taedet refutare; ueritate autem semel a nobis detecta iterum nonnullos doctos criticorum nomine uix dignos noua uoluisse quaerere, ut in his rebus non sane mirandum est. egregie uero continuatur narratio, ut amant Romani in transitu ad noua atque grauiora, uoce 'atque'; nec minus eisdem coniunctum 'atque ille' in deliciis erat (cf. L 7, LXV 23). ad hoc autem 'illa luce' cf. Apoll. Rhod. I 547 λεῦσσον ϑεοὶ ἤματι κείνῳ νῆα, quod cp. iam IVossius (quamquam Apoll. ceterique huius narrationis testes in ipsa re, ut et in aliis, distant a nostro, qui suam terit semitam). sic restituto quod sua se simplici uenustate commendat exordio ad reliquum uersum emendandum iterum proficiscendum est a certissimo libri V indicio, qui non 'uiderunt' (ut uulgo scribunt), sed 'uidere' legit, quod Ciris 510 *oculi uidere suorum* confirmat: scilicet uocabulum aliquod aut in ipso omissum aut in eius parente euanidum erat. sententiae conuenit 'uidere beata luce' uel 'uidere bona sub luce' (cf. Ouid. ex P. III 1, 159); nam in hoc uersatur summa sententiae, illo uno die prae ceteris praedicando Nymphas, cum totae essent in admiratione, oblitas nudati corporis aspectum praebuisse mortalibus. — **17. mortales oculis.** quamquam non omnino falsum est, tamen nescio quo modo languet frigetque 'oculis', cum non habeat hic tantum ponderis (ex. gr. per oppositionem aliquam), ut ipsum se sustentet (aliena Lucr. IV 751 aliaque); et certe poeticum magis id quod Itali restituerunt 'mortales oculi', quemadmodum locuti sunt Pedo Albinouanus [Sen. rhet. p. 10, 25 K.] et Lucr. I 66 (Verg. II 605 *mortales uisus*). — **18. nutricum tenus extantes.** usque ad papillas (quarum niueus candor fortasse hic quoque contrarius fingitur gurgiti cano) eminentes. graecum enim exemplar aliquod secutus mammas hic uocauit poeta 'nutrices', siquidem apud Graecos τίτϑαι tam mammae quam nutrices sunt (cf. Wesselingius obss. II 17); apud Latinos huius quidem usus exemplum (casu quodam fortasse) iam non extat, sed tamen ex contrario interdum feminae nutrientes audiunt 'mammae', ut apud Muscionem in Sorani uersione [ed. VRosius p. 160 s. u.]. de 'tenus' praepositione cum genetiuo constructa, quod est magis poeticum, cf. Kuehnerus gr. l. II p. 376. — 19 sqq. **tum Thetidis Peleus incensus fertur amore, tum Thetis ... tum Thetidi.** per artificium iam apud Homerum Hesiodumque obuium et natura non schola duce inuentum ter repetitur 'tum' (imitatur Ciris u. 387 sqq.), quo accuratius explicetur id quod praecedit 'illa beata luce': non alio quippe tempore quam tum (eo si quo alio tempore) euenire potuit ut homo amans Nymphae amantis conubio poteretur; nec minus pulcre una cum uoce 'tum' repetitur nomen eius, quae memorabili illo die amore sauciata est. 'inc. fertur' pro simplici 'incensus est' (cf. ad LXVIII^{b} 61), quia seruat C. per totum carmen fabulosam historiae speciem (1, 2, 76, 124, 212). —

20. humanos non despexit hymenaeos. hymenaeus siue ad uocis 'nuptiae' similitudinem pluraliter 'hymenaei' designant coniugium (ut et infra u. 141, LXVI 11). quod Thetis 'non despexit', hoc est, non infra se putauit; Stat. Ach. I 90 *thalamosque minores*, ib. 268. sequitur enim Catullus toto hoc loco fabulae formam rariorem et a uulgari sat recedentem, qua uero amore inpulsa Thetis nupsisse Peleo dicitur (cf. Val. Flacc. I 130, Tib. I 5, 45 ibique Heynius, Doruillius ad Charit. p. 263). 'despexĭt', cf. ad LXII 4. — **21. Thetidi pater ipse iugandum Pelea sensit.** intellege Iouem (non Nerea utpote deum minorem silentio omissum minimeque Neptunum, quem auctor Ciris u. 72 substituit), qui ut *πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε* praecipue audit 'pater ipse (= dominus)', ut Verg. Georg. I 121, 328, 353, Aen. II 617, Tib. I 4, 23. qui si 'iugandum' (scil. conubio: cf. Hor. c. s. 19, Aen. I 345) Pelea Thetidi 'sensisse' dicitur, quomodo hoc sit accipiendum dubitari potest. notum est, Iouem, qui antea sibi ipse petierat Thetidem, fatis Nymphae filium patre fore maiorem canentibus ab huius concubitu esse deterritum, detegente oraculum illud Prometheo [Hygin. fab. 54]. itaque si uel fatali necessitate uel adhortante Prometheo Iuppiter tandem adductus est inuitus, ut amores suos (cf. u. 27) Peleo in matrimonium daret uel potius concederet, pronum est pro 'sensit' conicere 'cessit'. sed neque hoc neque Italorum inuentum 'sanxit' probandum est. quamquam non ita 'sensit' uox explicatur, ut recordati uocabuli graeci *ψηφίζεσθαι* eam 'sententiam dixit' ualere aiamus; summi enim iudicis imago hinc aliena. immo iurauerat Iuppiter (cf. Apoll. Rhod. IV 791 sqq., Ouid. met. II 224 sqq., Lucianus d. d. I ibique Hemsterh. I p. 205), numquam inmortali nupturam esse Thetidem; iam cum incensam uideret mortalis hominis amore puellam sibi ipsi negatam, eius animum non sine misericordia subiit cogitatio, quam esset aequum non amplius instare suis uotis, quorum quominus compos fieret obstarent fata, neque propterea pessumdare puellam, sed huic Pelea, hoc est hominem natum, dare maritum, quem praesertim ipsa sibi optaret. — postquam in prohoemio (1—21) quomodo conubium esset contractum expositum est, ad carminis materiam, ipsarum nuptiarum descriptionem, lento pede transit poeta. beati enim illius diei modo adumbrati memoria ita tenet eum deuinctum, ut totam ueterum heroum aetatem celebret ob felicitatem summam, qua uidere et amore perire et amata potiri unum erat; et tempus tam felix ut est aptum poetarum argumentum, ita et Catullus ad illud posthac se reuersurum esse sperat, ut iusto legitimoque carmine talium uirorum uirtutes claraque facta praedicet (fortasse ille ultimis uitae annis cogitauit de scribendis aliquando Argonauticis), nunc tamquam in transcursu haec tangens simulque sese quodammodo excusans, quod ipsos heroas praesertimque bonum Thetidis maritum non maiore uerborum honore prosequatur, ad propositum redit (22—30). — **22. o nimis optato saeclorum tempore nati.** hoc est optatissimo; 'nimius' enim et 'nimis' nil nisi summum alicuius rei modum denotant (unde adiectiuum ualet 'maximus' uel 'summus', aduerbium 'ualde' siue

'admodum') inde ab antiquissimis temporibus (ut semper fere apud comicos) usque ad postrema, quibus tamen magis magisque ille usus increbuit iam apud priores hic illic obuius facileque ex natura uocabuli explicandus, quo significatur omne quod modum excedit. apud Catullum primaria notio praeualet (XL 4, LVI 4, LXIII 17, 36, 80, LXIV 22, XCIII 1, CXI 2), secundariam habes LI 14, LX 5, LXIII 80, LXIV 169, LXVIII[b] 97; de Ciceronis usu nonnulla conlegit Hauptius opusc. II p. 457. 'saecula' hic sunt tota uariorum hominum generum series siue omne aeuum praeteritum, ex quo certum quoddam spatium, puta heroicum, eximitur iam per illud 'nimis optato tempore', quale miseri ut nunc sunt mortales redire concupiscunt (de eius modi uotis sane quam poeticis uide Lydiae u. 74 sqq., ubi plura Naekius). 'optatus' autem ubi absolute neque certae personae aliquid optantis siue desiderantis respectu ponitur, est 'gratus iucundusque', ut statim u. 31; non plane dissimiliter de aetate heroica Prop. I 4, 7 *formosi temporis aetas* et Catullum fortasse ob oculos habens Verg. Aen. VI 649 *magnanimi heroes nati melioribus annis.* — **23. heroes saluete deum genus, o bona mater.** 'salue', ut erat in uita cottidiana solita notos amicosque salutandi formula, ita in poesi adhibetur in sollemni quaque animum uenerabundum declarant uates adlocutione (fortasse imitatione Alexandrinorum: Apoll. Rhod. IV 1771), ut apud Verg. Aen. VIII 301 *salue uera Iouis proles, decus addite diuis*; et iterabant saluendi uerbum, ut Aen. V 80 *salue, sancte parens, iterum saluete recepti nequiquam cineres animaeque umbraeque paternae* (cf. et ibid. VII 120). eo autem modo conpellat poeta heroas, ut per epitheta huius honoris reddat rationem: primum sunt deorum 'genus' siue proles (LXI 2), h. e. semidei (cf. schol. ad Hom. Il. I 4, Il. XII 23 ἡμιθέων γένος ἀνδρῶν, Hesiod. ἔργ. 158, Apoll. Rhod. III 366 et 402, Burmannus catal. Argonaut. in Valeri Flacci editione); deinde laudantur ob aliud aliquid, quod latet in uerbis corruptis 'o bona mater'. quae uerba olim ineptissimam quamque interpretationem passa esse non mirandum est, siquidem uera demum lux eis adfulsit editis ab AMaio scholiis Vergilii Veronensibus, ubi ad Aen. V 80 haec Catulli laudantur 'saluete deum gens, o bona matrum progenies, saluete iter' (sequente iam in codice lacuna). quae ubi Orellius ad nostrum locum pertinere semel dixit, docti uno Ellisio nimirum excepto omnes rem apertam acceperunt. leuis est discrepantia in eo, quod scholiasta 'deum gens', V 'deum genus' praebet: hoc quin rectum sit non dubitamus, cum non bene Maduigius [ad Cic. de fin. V 65 p. 721] 'gens' pro eo quod est 'genus' dici posse contenderit ad unum locum Vergilii [Aen. X 228] corruptum prouocans (neque enim 'gens humana' ad rem). maior difficultas in uerbis 'o bona matrum progenies', ubi V, ut dixi, 'mater' cum uaria lectione 'matre' habet. et 'mater' quidem omissus quem iam recuperauimus uersus demonstrat a correctore prouenisse, ut euaderet aliqua saltem ueri species; uaria autem lectio 'matre' per se inepta sensuque iusto destituta ficta esse nequit, num ex 'matrum' corrupta sit iam disquiremus. scholiastae

autem scripturam 'o bona matrum progenies' sic accipiunt 'o bonarum matrum filii'; possuntque in hanc sententiam cum alia proferri, tum catalogus Argonautarum in Hygini fab. XIV. sed ut omittam, generis nobilitatem uerbis 'deum genus' ita esse praedicatam ut omne quod accedat langueat, et ob ipsorum uirtutes Argonautas fuisse conpellandos sentio et dubito quam maxime, num illa quam statuunt enallage adiectiui recta sit. haec enim inuersio ibi legitima est, ubi quod uni substantiuo attribuitur etiam in alterum aliqua ex parte conuenit. ex bonis autem matribus nihil inpedit quominus procreetur mala progenies. quod conprobat uersus Euripideus a Munrone adlatus *ἐσθλοῖν δ' ἀπ' ἀμφοῖν ἐσθλὸν ἂν φῦναι γόνον* [Stob. OB 12]; quae fuit, ni fallor, causa Peerlkampio coniciendi [Verg. II p. 110] 'bona matrum progenies, saluete iterum, saluete, bonarum'; quamquam in his ut tertium 'saluete' post 'saluete iterum' ita 'bonarum' nimis diremptum male se habet. mihi autem etiam lectio 'matrum' grammaticum uocem 'progenies' falso accipientem sapere uidetur. a scriptura igitur tertia 'matre' profectus restitui mutatione paene nulla sed quae eam quam desidero sententiam suppeditat: 'o bona marte progenies', hoc est in bello eminens: cf. Sall. hist. fr. inc. 27 *Pyrrhus . . . bello bonus*, Nemes. ecl. 1, 5 *uersuque bonus . . Apollo*, Tac. ann. I 3 *Agrippam bonum militia.* est autem 'progenies' hic non proprio sensu positum, sed latiore, quo aequat fere unum hominum genus siue aetatem: Verg. Georg. II 341, Lactant. II 10, 10; Verg. Aen. VII 257 *progeniem uirtute egregiam.* de supplemento denique uerborum in scholiastae codice lacunosorum cum in diuersa omnia abeant docti, monendum est, uideri Catullum cum Vergilio conparatum esse ob iteratum 'saluete'; unde qui tertium 'saluete' inferre uoluerunt, male illi innisi Seruio ad Aen. V 80 et Ciris imitatione [cf. Hauptius opusc. I p. 32 et II p. 76], refutantur. propterea autem a singulis supplementis propositis in disceptationem uocandis abstinere licet, quod id quod necessarium est mathematica paene ratione demonstraturi nobis uidemur ad u. s. — **24. uos ego saepe meo uos carmine compellabo.** quaeritur quonam carmine suo se adlocuturum esse heroas promittat poeta; nam in hoc certe carmine frustra huius rei uestigia circumspicimus. alio et fortasse peculiari poemate postea faciendo, inquiunt; adnotatque Hauptius [opusc. II 76 sq.] subesse formulam quandam prohoemiorum graecorum, 'quae finiri fere solebant altero utro horum uersuum *αὐτὰρ ἐγὼ καὶ σεῖο καὶ ἄλλης μνήσομ' ἀοιδῆς* et *αὐτὰρ ἐγὼν ὑμέων τε καὶ ἄλλης μνήσομ' ἀοιδῆς*' additque 'imitata erat illam ueterum hymnorum clausulam poesis Alexandrina; nam Theocritus laudationem Ptolemaei [17, 135] his uersibus concludit *χαῖρε, ἄναξ Πτολεμαῖε· σέθεν δ' ἐγὼ ἶσα καὶ ἄλλων μνάσομαι ἡμιθέων, δοκέω δ' ἔπος οὐκ ἀπόβλητον φθέγξομαι ἐσσομένοις*'; cf. et Theocr. 1, 144 *ὦ χαίρετε πόλλακι, μοῖσαι, χαίρετ'. ἐγὼ δ' ὔμμιν καὶ ἐς ὕστερον ἅδιον ᾀσῶ.* ex quibus exemplis confirmatur id quod sua quisque sponte intellegit, non licere abesse id, in quo uis est posita omnis: nunc breui ueneratione conten-

tum se alias eos iusto carmine esse prosecuturum poetae promittendum est. sensit hoc optime Bergkius, qui pro altero 'uos' uoluit 'post' siue 'pos'; quod minime est inutile (ut adseruit Hauptius), sed id ipsum quod desiderat sensus communis restituit. quamquam uerum est sic perire uenustatem in ipsa pronominis iteratione positam, qua egregie Cat. heroas illos prae ceteris dignam carminis materiam esse innuit: cf. de hac repetitione ex. gr. Caesaris illud *tu quoque tu in summis, o dimidiate Menander, poneris* et ad XXXI 4. itaque nos, qui et duplex 'uos' illud retinere nec Bergkiana coniectura carere uolumus, necessario eo ducimur, ut in fine praecedentis uersus talia olim lecta fuisse aiamus: 'saluete iter⟨um nunc: postmodo digne⟩ uos ego saepe meo uos carmine conpellabo': nunc tantum breuiter este salutati, postea enim (XXX 12) identidem uos peculiari in poemate epico pro uestris meritis adloquar. ceterum hic quoque spondiacus uersus exitus ad augendam promissi sollemnitatem facit. iam ita ab hac degressione redit poeta, ut nouum maritum in hac laudatione futura non ultimo loco celebratum iri polliceatur. — **25. teque adeo eximie, taedis felicibus aucte, Thessaliae columen, Peleu.** 'adeo' accipe pro 'praecipue', ut pronominis 'te' uis intendatur (Verg. G. I 24, III 242); 'eximie' autem, quod caue ne referas ad 'aucte' (nec ceteri Argonautae tum aucti sunt conubio, quod 'taeda' uoce primus C. designauit), iunge cum 'conpellabo', ut ualeat 'prae ceteris heroibus': inest his copulatis abundantia in hoc promisso non ingrata. 'auctus aliqua re' notum est ualere non solum 'ornatus honoratusque', sed etiam 'beatus felixque', cf. LXVI 11 et uerbum 'auctare' LXVII 2. et uocatur Peleus 'columen Thessaliae' ex usu tam Graecorum, quibus ἔρεισμα et κίων sic usurpatur, quam Romanorum, quibus ex. gr. Hector Troiam labantem sustentans *columen patriae* (Sen. Troad. 124) et Agamemnon Achillesque *duo columina totius exercitus* (Apul. de deo Socr. 17) audiunt. secura igitur tutaque Thessalia sub rege suo forti ualidoque, de cuius uirtutibus bellicis cf. ex. gr. Ouidius met. XII 366 sqq. — **26, 27. cui Iupiter ipse, ipse suos diuum genitor concessit amores.** de re uide ad u. 21, de dictione 'suos amores' ad VI 16. hic quoque ad repetitionem illius 'ipse' (ad 62) attende in re, quae paene uidebatur credi non posse; augetur autem ea quae alteri 'ipse' inest gradatio circumscriptione illa, qua Iuppiter nunc uocatur 'deum genitor' (cf. Ouid. am. I 13, 43 et Stat. Theb. II 115 *ipse deum genitor*), ut iam euadat sacro horrore plena admiratio. quae ita occupatum tenet poetam, ut tamquam dubitans, num quae scit uere sciat, exclamet: — **29 sq. tene Thetis tenuit pulcherrima Nereine, tene suam Tethys concessit ducere neptem Oceanusque?** tene, scil. hominem natum, conplexa est femina formosissima et diuini corporis sui facultatem tibi praebuit? hanc autem ob causam Hesiodus in fragmento XCIV Mark. maritum praedicat: τρὶς μάκαρ Αἰακίδη καὶ τέτρακις, ὄλβιε Πηλεῦ, ὃς τοῖσδ' ἐν μεγάροις ἱερὸν λέχος εἰςαναβαίνεις. 'tenere' autem licet non male interpretentur nonnulli 'amore deuinctum tenere' (ut XI 18 et Verg. Aen. I 670 *nunc*

Phoenissa tenet Dido), hic tamen melius de complexu accipiemus mulieris, ut in Naeuii Tarentilla [fragm. II 2 R.] *alium tenet*, Tib. I 6, 35 *te tenet, absentes alios suspirat amores*, Petron. c. 139 *teneo te qualem speraueram*, noster LXXII 2 (nudum tenendi uerbum de uiris puellam conplexis sane saepius habetur, ut Tib. I 1, 60; 5, 39; II 6, 52). quod codd. tradunt ʻpulcherrima nectine (neptine)' ab Italis mutatum erat in ʻNeptunine'. sed iam Turnebus [aduers. XXIV 9] quaesiuit, quo iure a uocabulo latino ʻNeptunus' patronymicum potuerit deriuari graecanice formatum ʻNeptunine' (ut ab Ὠκεανός Oceanine); et ut hic, sic Gesnerus in thesauro s. u. flagitauit potius ʻNeptunina'. nimirum quae esset codicum lectio ignorabant. sed nec ʻNeptuni filiam' recte Thetidem, utpote ex Nereo prognatam, uocari exposuit Hauptius [opusc. I p. 53], qui ex librorum memoria optime elicuit ʻNereine', conligens Naekii opusc. II p. 16, ubi formae graecae *Νηρηΐνη* complura proferuntur exempla; nam scriptores latini alias sane ʻNerine' habent. nouum autem pondus repetitae interrogationi ʻtene — concessit ducere' inest: tene, hominem natum, summa aequoris numina adsciscere dignata sunt generum? neque neglegendum cum ui iteratum concedendi uocabulum, quamquam in re paululum a u. 27 diuersa. concedentes autem poeta facit non parentes, sed auom et auiam, prisci temporis instituta secutus, quibus hi summam in familiam potestatem tenebant. facitque ad augendam permissi magnitudinem, quod diuina aui potentia inlustratur addito illo: — **44. mari totum qui amplectitur orbem.** ubi ʻmari' intellege ʻundis suis'. scripta esse haec putauit ad Aeschyli Prom. 138 *τοῦ περὶ πᾶσάν θ' εἱλισσομένου χθόν' ἀκοιμήτῳ ῥεύματι . . Ὠκεανοῦ* (cf. et Euphor. fr. 158 M.) Weytinghius ad Iliados latinae u. 864 *terras et cinctum Nerea circum*; quamquam tam perpetuo epitheto inde ab Homero Oceanus audit *περίῤῥυτος, ἀψόῤῥοος, πάντα κυκλῶν* similiterue, ut certum aliquem locum uix crediderim poetae esse obuersatum; quem respexisse uidetur Val. Flacc. I 195 *terrasque salo complecteris omnes.* iamque ad propositum C. transit. — **31. quae simul optato finitae tempore luces aduenere.** sic **O** (nisi quod more solito ʻfinite'), contra **G** ʻoptato finito' habent, unde euasit uulgata lectio ʻoptatae finito'. sunt autem ʻluces' complures illi dies, per quos nuptiae celebrabantur (cf. ex. gr. Stat. Theb. II 306), possuntque hi sane ʻoptati' siue desiderati amantibus dici (cf. idem Theb. II 214 *expectata dies*, similiterque Apul. apol. c. 9 *lux haec optata canatur*; cf. et LXVI 79); dicitur uero tempus iam finitum illud spatium, quod inter concessas et factas nuptias ex more tradito intercedere solebat (non cogitandum est de eo tempore, quo Peleus facta Argonautarum nauigatione in patriam rediit, nihil cum indicet, Catullum non statim nuptias contractas esse sibi finxisse). uerum enim uero non est causa iusta, cur recedamus ab ea quam **O** suppeditat lectione in lemmate exhibita. secundum quam ʻluces finitae' sunt constituti nuptiarum dies (ex gr. Liu. XXXV 7, 3 *diem finiri placuit*), qui liberiore illo ablatiui usu Romanis tam dilecto uocantur ʻtempus optatum' siue gratum iucundumque (ad 22).

ad 'aduenere' cf. LXI 37. 'quae' si quo spectat, certe non ad 'taedis' u. 25 (ut uoluit Ellisius incredibilium fere sectator), sed ad 'concessit ducere neptem' u. 29 pertinere putandum est, ut qui concesserunt simul constituisse diem nuptiarum dicantur. quamquam haec quoque tam est contorta ratio, iure suo ut LMuellerus coniectura conatus sit subuenire. qui proposuit 'quoi' uel 'queis', quorum utrumque apte accedit ad 'aduenere': siue Peleo siue ambobus amantibus (cf. u. sq.). — **32. domum conuentu tota frequentat Thessalia** (siue potius **Thesalia**, nam haec perpetua in hoc carmine scriptura Catullo non uidetur esse abiudicanda: cf. supra p. 52). quaeritur quae sit domus illa, quam frequentat siue gregatim adit conuentu (hoc est turba festa et gratulandi causa conlecta: Paulus Festi p. 42) tota Thessalia siue uniuersum Pelei regnum; quod est dictum cum hyperbole eadem, qua (adnotante Vulpio) Prop. II 6, 2 *tota Graecia* in re simili est usus. nihil enim adest quo spectet uox nuda 'domum'. at si praecedit 'quoi', hoc ad utrumque enuntiati membrum pertinens efficit ut intellegamus 'Pelei domum'. ad quae iam accuratiore et rei et loci cum significatione accedit: — **33. oppletur laetanti regia coetu.** cf. Stat. Theb. II 214 in eadem re *laeto regalia coetu atria complentur.* iterum laetitiam persequitur u. sq.: — **34. dona ferunt prae se, declarant gaudia uultu.** scil. ei qui coetum efficiunt. Aen. XI 249 *munera praeferimus,* Ilias lat. 22 *dona simul praefert,* Lucil. IV 25 M. *tum prae se portant ingentes munere pisces:* manibus gestantur dona nuptialia. 'decl.', manifesto ostendunt: Cic. ad fam. I 9, 17 *non solum fronte atque uultu .. declarant,* Sil. Ital. XVI 581 *mentis testatur gaudia uultu.* — **35. deseritur Cieros.** describitur Thessalorum summus in regem suum amor, quo ex remotis terrae partibus confluxerunt neglectis negotiis omnibus. debetur autem primus ille locus Cieros Meinekii [uindic. Strabon. p. 151] acumini. nam 'siros' uel 'syros' traditum Itali in 'Scyros' mutauerant; quae insula non paulum a Thessalia remota cur inter medias huius regiones commemoretur non apparet, neque defensioni sufficit quod uulgo accersunt Scyri incolas Dolopas ex Thessalia ortos (Thucyd. I 98, Diodor. IX 60) et ad communem Pelasgorum gentem pertinentes; magis etiam Achilles et aula Lycomedis hinc abhorrent. coniectura autem cum sit illud 'siros' sanandum, cur non amplectamur eam, qua nihil dubii restat? est enim Cieros, quae et Cierium appellatur, Thessaliotidis oppidum (Strabo 435); quod olim fortasse nobile erat, nunc sane deperditis tot fabulis monumentisque fere ignotum latet. — **Phthiotica tempe** idem restituit Meinekius pro uulgata 'Tempe', quae potius 'Peneia' uocanda erant et a quibus Phthiotica regio sat distat. quodsi dixerunt 'Phthioticus' hic pro 'Thessalicus' poni, quod alias concessum est in hac tam accurata uariarum Thessaliae regionum distinctione non concedi neglexere. itaque traditum 'tempe' pro appellatiuo habentes explicabimus 'ualles Phthioticae' (cf. ex. gr. Theocr. 1, 67 *ἢ κατὰ Πηνειῶ καλὰ τέμπεα ἢ κατὰ Πίνδω,* Ouid. am I 1, 5, met. VII 371, fast. IV 477; Marklandus ad Stat. silu. V 3, 209, Kriegkius libri 'das thessalische Tempe' Lips.

1835 p. 41) hasque ualles (de quibus cf. Liuius XXXII 4, 3 sq.) dicemus nihil aliud sibi uelle quam Phthiotidis circumscriptionem similem eius, quam u. sequens exhibet, ubi commemoratae urbes Crannon et Larisa (sic autem rectius quam per geminam 's' scribitur) ad eam partem Thessaliae pertinent, quae Pelasgiotis uocatur, ut iam tribus regionibus praecipuis Thessaliotide Phthiotide Pelasgiotide, inter quas media erat Pharsalus, recte totum Pelei regnum conplexus sit poeta. — **37. Pharsalum coeunt, Pharsalia tecta frequentant.** uide bellam per asyndeton quod uocant explicatiuum oppositionem: undique sedes suas relinquunt, quippe quibus commune itineris propositum fuerit una solaque Pharsalus (hoc enim inest nominis repetitioni). recedit autem poeta a uulgari fabulae forma, secundum quam in Pelio monte locum habuerunt nuptiae; neque tamen dubium est quin Catullus ex reconditis locupletibusque Alexandrinorum fontibus hauriens Pharsalum fecerit nuptiarum locum (cuius rei uestigium habes in Eurip. Androm. 16 sqq., schol. ad Pindari Nem. IV 81); ut et in ceteris, quae ad Pelei historiam attinent, non triuialem ille sapientiam sequitur. recepimus Pontani emendationem 'Pharsalum' pro tradito 'Farsaliam', quod est ortum ex adsimilatione ad uocem subsequentem eandem. tam constans enim est 'Pharsālus' mensura (quam loci alio nomine suspecti deprauatique non redarguunt) adeoque non regionis sed urbis nomen desideratur (numquam uero 'Pharsalia' apud graecos latinosue scriptores urbem designat), ut friuolum sit apertae illius emendationis ueritatem uelle obscurare accersitis dissimillimis; cf. et Hauptius opusc. I p. 140, Lachm. ad Lucr. p. 193. — longius Catullus mori epico indulgens commoratur in desertorum ab incolis locorum imagine, hac ipsa commoratione meliorem sibi parans transitum ad eam quae ex contrario ponitur regiam Pharsalicam describendam. neque tamen lentius euntem poetam passi sunt medii aeui scribae, uersus aliquot celeri pede transilientes (errando nimirum in eisdem initiis); qui uersus in margine archetypi additi falsoque deinde in textum restituti turbas peperere haud paruas. nam in hoc libri V ordine 38 'Rura colit' — 39 'Non humilis' — 40 'Non glaebam' — 41 'Non falx' — 42 'Squalida desertis' nullum plane inesse ordinem, sed ea quae de aratione dicta necessario cohaerent esse discissa sine arte ulla uel consilio, inde a Martialis commentatore Ramiresio de Prato perspexerunt docti complures; ex quibus Ramlerus et Ritschelius post aliorum conamina infelicia ea quae duce anaphora coniunguntur non diuellentes u. 40 post 41 traiecerunt, rectum quidem sic efficientes progressum, quem confirmat aliquatenus Vergilii paululum inmutantis imitatio [ecl. 4, 40] *non rastros patietur humus, non uinea falcem, robustus quoque iam tauris iuga soluet arator.* at eidem u. 38 suo loco relinquentes non soluerunt omnem difficultatem. absone enim agriculturae bis, non uno tenore, fit mentio. unde hoc potius ordine uersus sese excipere uolui: 39, 41, 40, 38, 42, ut a uinearum et hortorum cultu transeatur ad agros, quorum colendorum studium grauissimum nouam

in imagine coepta commorandi ansam simulque ad rem redeundi occasionem dederit. secundum quem ordinem singula contemplemur. — **39. non humilis curuis purgatur uinea rastris.** 'uinea' dubitant utrum pro uineto an pro uite sit accipiendum. hoc si amplectimur, erit uitis humilis ea, quae humi serpit (cf. ad LXII 50). quae purgatur a terra scilicet herbisque forte obductis; quamquam iu hanc rem credi nequit adhibitum esse rastrum, quod instrumentum a dentibus inflexis dictum 'curuum' (cf. Rich, lex. antiqq. s. u.) glaebis potius frangendis inseruit (Verg. G. II 399); manibus nimirum par est uiticolas in singulis uitibus et elegisse herbas et remouisse ceteras sordes. itaque praestat cogitare de uineti solo bidentibus uertendo, qua cum re extirpendi gramina officium erat coniunctum (Colum. IV 5). 'humile' uinetum est id quod uites humiles (non arbustiuas) continet; cf. Varro d. r. r. I 8, 1, Colum. IV 1, 5, VHehnius p. 70. — **41. non falx attenuat frondatorum arboris umbram.** deminuit frondem nimia luxurie pullulantem uiribusque arboris nocentem; saepius enim 'umbra' pro fronde ponitur, ut Verg. G. I 157 *falce premes umbras,* auctor Nucis 63 *non mihi falx nimius Saturnia deputat umbras.* nam uoci 'falce' additum 'frondatorum' demonstrat, non esse hic intellegendam falcem uineaticam, sed arborariam (Varro d. r. r. I 22), siquidem unum tantum frondatorum genus, scilicet quod amputauerit arbores, usum sit falce (cf. Seruius ad ecl. 1, 57). quod confirmat plane illud 'arboris umbram', in quo singularem collectiuum in imagine generaliter concepta habes. unde satis mirari non possum, fuisse qui non de hortorum cultura in hoc uersu agi putarent, sed aut de uitibus falce amputandis aut de arborum, quibus uites implicitae sunt, umbra coercenda (Plin. h. n. XVII 28, 214), quod utrumque non frondatorum sed uindemiatorum est. — **40. non glaebam prono conuellit uomere taurus.** findit uersatque aratro in terram defixo, uulgo interpretantur, nescio quo iure quibusue exemplis (nam 'pressus uomer' nihil ad rem); immo uomer, qui proprie uocatur, nihil habet quod in partem anteriorem inclinet, sed derectus est totus. Vulpio autem ab aratore incuruo uomerem pronum explicanti cum nemo iam fidem sit habiturus, de uniuersa natura aratri in terram inuergentis descensurique sunt qui cogitent. quod ut fortasse opere nondum incohato non plane est falsum, ita quod trahentibus tauris sulcos ducit aratrum iam non pronum sed depressum est et in rectum tendit. quocirca, nisi forte magis tibi poeticum uidebitur 'pronus c. u. taurus', reponendum puto 'proso uomere', hoc est, in rectum uadente. — **38. mollescunt colla iuuencis.** reminiscaris colla boum 'dura' (ut apud Ouid. epist. 12, 39 sq.), scilicet iugo inposito et adsiduo labore; quae nunc per ferias agrestium uacatione operis desuescunt onus aratri ferre. — **42. squalida desertis rubigo infertur aratris.** uomeri autem ipsi, pergit poeta, in agris scilicet relicto terra (ut omni ferro: Plin. h. n. XVII 4) obducit rubiginem; quae forma aeque bona quam altera 'robigo' habetur etiam LXVIII^{b} 111, ubi uocatur 'scabra'. hinc inlustratur uox 'infertur', quam explicant 'in-

fert se' conparantes Tib. I 10, 50 *militis in tenebris occupat arma situs* (potuissent etiam Prop. II 6, 36 *mala desertos occupat herba deos*); nimirum cogitauit poeta de umoribus terrenis tamquam ferramentorum inimicis. — nunc ex hac degressione ita in uiam se recipit Catullus, ut agricolis regem huiusque regiam splendidam illorum squalidis iam aratris opponat: — **43. ipsius at sedes.** praepositam ob contrarium ui multa uocem 'ipsius' intellege 'domini, regis' (ad I 9), ut Aen. II 479. 'at' traiectum, ut u. 58. sedes, quas magis generaliter domum accipe, pluraliter positae hic (nam cf. ad LXVII 4) amplitudinem denotant ingentem, ut Verg. Aen. II 437. — **quacumque opulenta recessit regia.** hoc est, in omni parte interioris arcis. nam recedit omne, quod oculis spectatorum subtrahitur, qui tantum frontem domuum uident, non interiora retrosum sese extendentia; cf. Plin. epist. II 17, 21 *contra parietem medium zotheca perquam eleganter recedit* (nec plane dissimiles Verg. Aen. II 300, Stat. Theb. V 242): sic etiam accepit Verg. Aen. I 637—641 totum hunc locum 43—51 respiciens *at domus interior regali splendida luxu instruitur* eqs. nouo hoc enuntiatum secundarium utitur subiecto, quo accuratior ratio reddatur primarii: splendet domus in omni sui parte, ut par est in arce regia diuitiis opibusque afluenti. — **44. splendent auro atque argento.** cf. Verg. l. l., Phaedr. IV 26, 20 *splendebat hilare poculis conuiuium* et app. 14, 6 *uilla ditis splendida* et (cp. Mitscherl.) Bacchyl. 27, 8 B. *χρυσῷ δ' ἐλέφαντί τε μαρμαίρουσι οἶκοι.* intellege prompta ex thesauro insignia regia nec non arma et uasa similiaque, quae in ornamentum parietibus adfixa oculos aduenientium oblectabant; magnamque illorum copiam inlustrat uersus spondiacus. — **45. candet ebur soliis.** datiuus 'soliis' (quibus mensae adsidebatur: infra 303) pro 'solia candent ebore' (cf. 263); comparant Aen. VI 603 *lucent genialibus altis aurea fulcra toris* et 895 *candenti elephanto.* — **collucent pocula mensae.** scil. nuptialis, quam licet ex compluribus mensis (infra 304) constantem unam generaliter finxit poeta (cp. Mitscherl. Verg. Aen. XI 738 *et plenae pocula mensae*). illud mirandum est quod poeta, postquam fulgentes auro argentoque domus partes omnes et in atrio ipso candentia ebore solia commemorauit, iam oblitus est addere, quanam luce splenduerint calices, quod addi concinnitas quam maxime flagitat. suspicamur igitur, post u. 45 intercidisse uersiculum a uoce 'gemmea' incipientem et deinde alia addentem, quae ad apparatum nuptialem pertinerent. utut hoc est, per asyndeton summatiuum iam finitur haec descriptio ita: — **46. tota domus gaudet regali splendida gaza.** opibus (Lucr. II 37) illis uere regiis uisui expositis dum splendet ubique, laetum et diebus festis adcommodatum uultum prae se fert domus, translatione eadem uere poetica, qua dixit Lucr. III 892 *domus laeta* et Phaedr. IV 26, 21 *magno adparatu laeta resonabat domus* (cf. et infra u. 284). — **47. puluinar geniale.** lectus nuptialis, quem par est diuae hic attribui talem qualem in templis Romae sternere solebant deis; unde etiam imperatricum Romanarum Liuiae et Messalinae lecti aperto diuinitatis respectu uocantur puluinaria

(Ouid. ex P. II 2, 71; Iuuen. 6, 132). — **48. sedibus in mediis.** in media domo (*mediis in tectis* Verg. l. l.), hoc est, in atrio; nam uidetur sane domum Romanam, in qua atrium continebat lectum genialem (exempla dat Rossbachius 'roem. Ehe' p. 367), ob oculos habuisse poeta; nisi forte reddidit Homericum *μυχῷ δόμου ὑψηλοῖο* (Od. III 402), ubi etiam cubiculum uxoris, quod proprie thalamus uocatur, positum fuisse uidetur apud Graecos. — **Indo quod dente politum.** adiectiue est posita uox 'politum', hoc est, exornatum; unde corrigendus Lucr. V 1451 *et daedala signa polita.* lecti enim elegantiores in partibus magis conspicuis (maxime pedibus; cf. LXI 108) eburati atque etiam aurati erant (ut apud Plautum Stich. 377). ad 'dente Indo' (hoc est, ebore quod misit India) cf. Ouid. met. VIII 288; Petron. c. 135; Stat. silu. III 3, 95; Iuuen. 11, 125; Symphos. 160. — **49. tincta tegit roseo conchyli purpura fuco.** iterum lepor petitus ex oppositione eboris niuei et purpurei straguli, ut apud Hor. sat. II 6, 102 *rubro ubi cocco tincta super lectos canderet uestis eburnos.* unde etiam abundans loquendi genus explicandum, quo purpura siue stragulum purpureum iterum longius depingitur tamquam 'fuco conchyli roseo tincta'; ad quod non tam cum Mitscherlichio conparanda sunt Stat. silu. III 2, 139 *quo pretiosa Tyros rubeat, quo purpura fuco Sidoniis iterata cadis* similiaque haud pauca quam potius Seren. Samm. 798 *purpura torretur conchyli perlita fuco.* nam ex conchylii siue muricis suco (quam uocem male nonnulli et Catullo et Sereno restitui uoluere) paratur fucus ille roseus siue color purpureus, quem combibit quae tingitur lana: Lucr. VI 1074 *purpureusque colos conchyli iungitur uno corpore cum lanae* (apud eundem II 501 restitue *purpura Thessalico concharum infecta colore*); Cic. Phil. II 27, 67 *conchyliatis .. peristromatis lectos stratos,* Matius fr. 5 M. *tapetes ebrii fuco, quos concha purpura imbuens uenenauit,* alia. — transit iam Catullus, longiore degressione carmini suo *ἐπεισόδιον* quoddam inserturus, ad describendum stragulum purpureum. adamabant enim inde ab antiquissimis temporibus poetae ut cetera artis monumenta ita texturas uersibus suis inlustrare atque exornare. exempla conlegit Cornelius Muellerus [spicil. in Cat. c. LXIV, Hamb. 1836, p. 14], cuius adpono uerba: 'omnibus praeiuerant Homerus clipeo Achillis (Il. XVIII 478 sqq.) et Hesiodus clipeo Herculis depingendo (scut. Herc. 139 sqq.). inter Anacreontea legitur carmen (51), quo poeta discum, in quo e mari assurgit Venus Anadyomene, persequitur. Theocritus (Id. 1, 27 sqq.) poculum praemii loco propositum, Moschus (Id. 2, 37 sqq.) calathum Europae depinxit; Apollonius Rhodius (I 721) fabulas Iasonis pallae intextas enarrauit; item Ouidius (met. XIII 681 sqq.) fabulas in cratere Aeneae et (met. II 5 sqq.) in foribus regiae Solis expressas. Vergilius (Aen. VIII 625 sqq.) clipeum Aeneae, chlamydem cum Ganymedis raptu intexto (Aen. V 250), fores templi Cumani (Aen. VI 25 sqq.) descripsit. Silius Italicus (II 403) clipeum Hannibalis; Nonnius (Dionys. XLI 302 sq.) orbem terrarum in palla Harmoniae acu picta exhibuit'. haec Muellerus, cuius enumera-

tioni nonnulla addi possunt (ut Eurip. Ion 1141 sqq., Ouid. met. VI 70, Verg. Aen. I 453 sqq., Ciris 21 sqq.). secutus est autem Catullus Alexandrinorum maxime morem, quibus talia episodia ualde placebant, elegitque Thesei et Ariadnes historiam nobilissimam ob eam causam, ni fallimur, quod qui uersibus latinis illam panxisset nondum extitit. itaque materiae primum tractatae gloria adliciente cum illud potissimum argumentum sibi sumpserit, facile excusatur, quod rerum probabilitatem parum curauit; nam Pelea et Thesea fabulae priscae eisdem temporibus uiuentes faciunt. qua in re quantopere abusi sint licentia poetis concessa, nemo magis ostendit quam Valerius Flaccus, qui in Argo naue depictas narrat Pelei et Thetidos nuptias (I 130 sqq.). et similiter potest excusari, quod miro sane modo fingitur lecto nuptiali instratam fuisse uestem, in qua infidi amatoris gesta erant depicta. sed ipsum tractandi argumenti modum ut persequamur, poeta strenue feruideque rem adgressus narrationis iucunditate longius longiusque quidem abduci se passus est, ut tamen arte quadam haec euagatio minime careat. nam cum seriem quandam imaginum in certo aliquo artis opere obuiarum studeret exprimere carmine suo, facile sensit, facta certo ordine proposita a pictore uel fictore siue textore (nam quale opus ei obuersatum sit, difficile est diuinatu) hoc modo sibi esse tractanda, ut non summa rerum ipsarum momenta, qualia artifex continua inde ab initio usque ad finem serie oculis subiecisset, sed personarum agentium sensus affectusque cum maxime legentium animis proponeret, non gestorum enarratorem sed τῶν παθῶν interpretem agens. itaque cum artis exemplar singularum imaginem cyclum quendam praeberet, quo secundum fabularum fidem omnia suo ordine descripta essent, Catullus hunc ordinem neglegens et in medias res properans optime utque uerum poetam suspicias perspexit, summam suae narrationis uersari debere in depingenda ea, in quam ipsa fabula omnem affectuum uim contulit: Ariadne deserta limen est narrationis, ad Ariadnen summae desperationi traditam medium recurrit carmen, idem finem facit in Ariadne ex angustiis erepta. quibus partibus tribus ea quae antea posteaque sunt acta quasi in transcursu inseruntur. hinc autem qui laudamus Catullum, quod quid inter artificis et poetae rationes intersit intellexit, iam minus aegre ferimus quod suo materiam tractandi generi nimis indulgens in singulis partibus parum consuluit symmetriae (ueluti Ariadnes orationem nimis extendit). quamquam hoc uel beniuolis aestimatoribus est reprehendendum, quod etiam in eis quae cursim tangit ille non cauit partium concentui plane necessario. nam habet ratio a poeta instituta hoc incommodi, quod, cum haec de Ariadne narratio iam ipsa sit degressio, intra hanc nouis opus fuerit degressionibus; in quibus cum modum ille non seruauerit (ut in Aegei ad filium uerbis u. 215 sqq.), complicitum contortum difficile euadit totum hoc episodium. quod per plus quam ducentos uersus extentum iustam pro uniuerso epyllio mensuram excedit nobisque in memoriam reuocat purpureum illum pannum Horatii, qui

nescio an in prima artis poeticae parte exagitauerit Catullum studiorumque socios, qui caeco Alexandrinorum amore praeceps dati carmen simplex et unum esse debere nondum intellexissent. artis autem exemplar, cuius singulas imagines poeta conflauit in unum, quali fere serie fabulam descripserit, difficillime erui potest: uidentur (si in re incertissima coniecturam licet proferre) in una parte Thesei in Creta aduentus primusque cum puella congressus, iuuenis Atheniensis cum Minotauro pugna, Ariadne in Naxo deserta, Aegeus in mare se praecipitans locum habuisse; iam altera pars (cf. u. 251) itidem quattuor si constitit imaginibus, fortasse continuit Bacchi in Naxo aduentum, Ariadnes somno uinctae uisum, puellae in Thyiadum agmine deductionem, Bacchi et Ariadnes nuptias (cf. de artis operibus ad totam hanc fabulam pertinentibus Olahnius libri 'archaeologische Beitraege' inscripti p. 251 sqq. et Roscherus lex. myth. p. 544 sq.). ceterum hoc episodion, licet laboret compositionis uitiis, tamen locis multis suauissimis splendidissimisque plenum cum alii aeui Augustei uates data occasione expresserunt imitando, tum totum ob oculos habuit Ouidius epistula decima. — **50. haec uestis priscis hominum uariata figuris.** uestis (scil. stragula, ut infra 265) est uariata siue ornata uersicoloribus (Prop. II 6, 33 *istis olim uariabant tecta figuris*; Val. Flacc. III 12 *et picto Clyte uariauerat auro* = acu pinxerat) hominum figuris, quae ipso habitu suo referebant priscam uetustatem. est enim haec iusta legitimaque inuersio pro 'priscorum hominum figuris' eo magis, quod quasi in unam notionem coeat illud 'hominum figurae' (Verg. Aen. II 18 *delecta uirum corpora,* Ouid. trist. II 521 *prisca uirorum corpora,* Stat. Theb. III 224 *terrificis monstrorum figuris* et Ach. II 158 Kohlm. *priscosque uirum mirarer honores*). — **51. heroum mira uirtutes indicat arte.** artificio admirabili (PLM. III p. 305 XIII 1 *et mira textilis arte*, Verg. Aen. IX 304, Ouid. met. X 247) manifestat narratque semideorum fortia facta. sic enim uocem 'uirtutes' recte intellexit Vergilius l. ad u. 43 l.; cf. et LXVIII^b 50. locutus est autem poeta respectu straguli, in quo sane Thesei facta fortia primo loco extiterunt, non sui carminis, in quo illa fere delitescunt deprimente aliarum rerum descriptione. — **52. namque fluentisono prospectans litore Diae.** 'namque' in transitu sollemni ad rem narrandam, ut infra 212. ad uocem hoc uno loco (fortasse casu) extantem 'fluentisonus' compara simillimas 'undisonus' et 'fluctisonus': ad litoris petras maris fluenta magno cum sonitu franguntur. expressus Homerus, qui in narratione de Theseo et Ariadne Od. XI 325 *Δίῃ ἐν ἀμφιρύτῃ* habet; expressit iterum h. l. Ouid. a. a. I 528 *breuis aequoreis Dia feritur aquis.* 'prospectans', usque et usque prospiciens; quod absolute est positum: ex litore editiore in mare subiectum oculos puella mittit. Diam insulam utrum pro Naxo an pro ea, quae prope Cretam est sita, accipiant etiamnunc dubitant docti. pro Naxo stant ueteres omnes: Diodor. IV 61, scholiastae ad Hom. Od. XI 321 (ubi quod legitur *Δία νῆσος πρὸς τῇ Κρήτῃ, ἥτις νῦν Νάξος καλεῖται*, confusio est aperta, siquidem Dia Cretica numquam

Naxon nomen accepit), ad Theocr. id. II 46, ad Apoll. Rhod. IV 426 (ubi adferuntur testimonio non contemnendo Callimachi uerba incertum ex quo carmine prompta *ἐν Δίῃ· τὸ γὰρ ἔσκε παλαίτερον οὔνομα Νάξῳ*), Eratosth. Catast. 5, Plutarch. Thes. c. 20, Prop. III 17, 27 sq. ed. nostrae, Ouid. met. III 636 et 690, Seru. ad Aen. III 125, schol. ad Germ. Arat. p. 384 Eyss.: unde si in hac fabula alii scriptores simpliciter uocant Diam, tamdiu de Naxo cogitandum est nobis, quamdiu non certa ratione eos non de Naxo, sed de Dia Cretica uerba facere demonstratum erit. nam recentiorum (primi IVossii; cf. et Fleck. ann. 1882 p. 206 sqq.) argumenta, quibus hoc demonstrare sunt conati, nimis inualida; nam cur ex Creta Athenas rediens ad Naxon adpelli nequierit Theseus (infra ad 121), aeque latet quam quod dicunt, illam insulam iam tum cultam fuisse et hominibus habitatam (quod in Dia Cretica multo magis est uerisimile); breuis autem paruaque respectu aliarum insularum (maxime Cretae) adpellari potuit etiam Naxos; ex qua certe Cretam adspicere non licuit (licuit ex Dia Cretica); et similia, si iam opus esset, facile aduersus illorum opinionem proferri possent. — **53. Thesea cedentem celeri cum classe tuetur.** consentiunt cum scriptores ueteres (cf. et infra 84, 121, 227) tum tabulae pictae Pompeianae et Herculanenses in eo, quod unam Theseo nauem attribuunt. et habet hanc significationem unius nauis haud raro uox 'classis' (ut Hor. I 37, 24 *classe cita*; ibid. III 11, 48; Verg. Aen. VI 334), ut tamen obscurum maneat 'cum', siquidem cum classe fugit, qui complures habet naues, in quarum una ipse est conlocatus. restitui ex coniectura 'tum', quod sua utitur ui: fugae uixdum coeptae tum potissimum ille operam inpendit, ut quam celerrime e conspectu abiret: intellegimus haec et sequentia melius, si iuuenem modo profectum oculis prosequitur Minois. qua coniectura simul pulcre augetur horum uerborum ornatus in adlitteratione positus nunc demum bene mixta. 'ced.' (= disced., ut LXVI 39), scil. 'litore Diae'; quod aeque cum 'ced.' quam cum 'prospectans' iungendum. — **54. indomitos in corde gerens Ariadna furores.** qui furores de ira et dolore intellegunt, neglegunt u. sequentem. immo per breue conubii tempus puella nondum cupiditatem satiauerat maritalium amplexuum, ut similiter Laudamia LXVIII^b 43 et 89; Ouid. met. X 364 *at uirgo Cinyreia peruigil igni carpitur indomito furiosaque uota retractat.* et sic semper 'furor', cuius magnam uim indicat pluralis, in hoc carmine de saeuo amore habetur (94, 124, 197). 'gerens', portans fouensque, ut Sen. Agam. 127 *tumido feroces impetus animo geris.* 'Adriana' miro errore et apud Catullum et apud alios haud raro scribunt codd., ut fere numquam librarii reliquere intacta nomina propria, quibus substituerunt sibi consuetiora (hic nescio cuius feminae sanctae); de 'a' finali breui Neuius I p. 43. — **55. necdum etiam sese quae uisit uisere credit.** sic tam luculenta apertaque emendatione restituit IVossius rara insuetaque felicitate hic usus, ut superuacaneum sit in disceptationem uocare aliorum conamina. 'uisit' (cf. 'prospectans') de eis quae intento defixoque uultu (LXIII 48)

uidemus; 'uisere' magis ut IX 6 pro simplici 'uidere'. huc adludere censet Mitscherlichius Ouid. epist. 10, 31 *ut uidi, aut certe cum me uidisse putaui, frigidior glacie semianimisque fui*; cf. et Apul. met. II 1 *quod aspiciens id esse crederem quod esset* (Prop. III 24, 6). Verg. Aen. VIII 697 *necdum etiam.* — **56. utpote fallaci quae tunc primum excita somno.** prosam sapit uox 'utpote' etiam LXVII 43 obuia, quam uix alibi apud cultos poetas inuenias. 'somno fallaci (qui puellam male prodidit: Ouid. ep. 10, 5) excita' aeque bonum atque 'ex somno': Sall. Iug. 72, 2 *somno excitus,* Drakenb. ad Liuium VII 36, 2. 'tunc primum' (in quo omnis uis) belle depingit Ouid. l. l. 9 sqq.: tenente adhuc somni languore errare se putat primo. — **57. desertam in sola miseram se cernat harena.** desolato siue solitario in litore; quo sensu saepe 'solus' uox adhibetur, ut infra 154 et 184 (cf. Heinsius ad Ouid. met. XIV 681 *loca sola*). bene haec 'desertam in sola' cohaerent: in uacuo litore uacuam amatore cum se cernat, iure se miseram (L 9, LXV 21) putat puella. — **58. immemor at iuuenis f. pellit uada remis.** ad 'immemor' cf. XXX 1, quamquam hic conexus facile supplendum suppeditat 'illius'. 'iuuenis' solita amatoris adpellatio apud poetas elegiacos. Prop. IV 2, 8 *remorum auditos per uada pulsa sonos*; Tib. II 5, 34. insolita sibi et apud alios rara uersus per tria bisyllaba exeuntis conformatione, quae aliquid fracti prae se fert, poeta depingit laborem summum remorum prae celeritate paene fractorum (cf. u. 183). — **59. irrita uentosae linquens promissa procellae.** cf. ad XXX 10, de promissis infra 139 sqq. 'linquens', non amplius curans, sed tradens promissa, quae sic facta sunt uana, rapienda procellae, quae hic 'uentosa' audit similiter atque apud Lucr. VI 124 *uenti conlecta procella* legitur: sunt Ouidii *praecipites noti*, quos Cressa fleuit *promissaque uelaque Thesei tulisse* (am. I 7, 16); nostrum aemulatus est Statius Ach. I 960 *inrita uentosae rapiebant uerba procellae.* — **60. quem procul ex alga maestis Minois ocellis.** 'procul' artius coniunge cum 'quem', scil. uersantem; quemadmodum saepe aduerbia adiectiuis uel participiis additis carent. pro 'alga' uere restituit Heinsius 'acta'. quamquam enim litus saxosum (cf. u. 52) alga potuerit esse contectum (Aen. VII 590), tamen nuda uox 'alga' non designat stratum ex alga factum (sponte nostra intellegimus Val. Flacc. I 252 *molli iuuenes funduntur in alga*). neque uero 'alga' ualet 'litus' (apud Iuuen. 4, 48 *algae inquisitores* sunt rerum minutissimarum indagatores). denique ne puellam in maris undas primas et algosas procurrisse putemus, uetat eiusdem, qualis hic describitur, status; postea u. 128 hoc facit. sapit 'alga' correcturam lectoris siue grammatici alicuius, qui in litore humili torum amantium fuisse sibi persuasit ob u. 67 (ubi uide), quem Ouidius quoque aliter accepit hinc nonnulla uarians; idemque corrector etiam infra u. 158, ut sibi constaret, 'alga' suum intrusit. si legimus 'ex acta', propterea quod eam saxosam fuisse scimus e u. 52, sentimus poeticae imaginis iucunditatem, qua sedis saxeae instar saxea facta Ariadne (quae 'Minois' uocata est iam Apoll. Rhod. III 997) concipitur (cf. u. sq.). et

aut fallor plane aut ita legerunt Vergilius scribens Aen. V 613 *in sola secretae Troades acta amissum Anchisen flebant cunctaeque profundum pontum aspectabant* et Prudentius l. infra ad 147 laudato. cum 'maestis' autem 'ocellis' coniunctum fere uisum defixum (Aen. VI 156) reminiscaris, ut sua imagini constet grata concinnitas. — **61. saxea ut effigies bacchantis prospicit eheu.** primo adspectu torpor puellam tenet inmotam locoque adfixam: Ouid. ep. 10, 49 *aut mare prospiciens in saxo frigida sedi, quamque lapis sedes, tam lapis ipsa fui*; idem met. V 509 *mater ad auditas stupuit ceu saxea uoces*; idem met. III 419 *uultuque inmotus eodem haeret ut e Pario formatum marmore signum*; idem am. I 7, 51 *adstitit illa amens, albo et sine sanguine uultu, caeduntur Pariis qualia saxa iugis*; Apul. met. III 10 *fixus in lapidem* ('lapide' codd.) *steti gelidus nihil secus quam una de ceteris theatri statuis*; Stat. Theb. V 723 *illa uelut rupes inmoto saxea uisu haeret* (praeterea Mitscherlichio debeo Eurip. Med. 27 sq.). obuersabatur autem Catullo certum quoddam signum marmoreum, quod in simili statu habituque depinxit Baccham aliquam; non eam, quae trieteride lassa in gramine iacet (Ouid. am. I 14, 21; Prop. I 3, 5), neque illam Horatianam (od. III 25, 9 sqq.), quae in regiones ignotas delata harum pulcritudines admiratur, sed aliam quandam mihi certe ignotam, quae ob dirum adspectum horrore attonita et quasi in lapidem mutata est. nam errare mihi uidentur ei qui Ariadnen uultu furorem Bacchae prae se ferre statuunt ex u. 54, quem aliter explicauimus. nunc illa omnis est torpida, ut in tota hac parte 52—70, in qua pendentem in saxo prosecutamque oculis abeuntem amatorem depingit poeta; mox, ubi dolor foras prodiit, iram illam scintillarum in silice reconditarum instar quiescentem emittit nudatque. in fine uersus quod est traditum 'heue', male Itali in 'euoe' ('euhoe' Lachm.) mutauere, quod iungendum esset cum 'bacchantis' (cf. u. 255): non conuenit mutae et lingua deuincta adsidenti Bacchae talis exclamatio. 'eheu', quod Bergkius reposuit, egregie utque amant poetae latini facit ad exprimendam miseram puellae desertae condicionem. — **62. prospicit et magnis curarum fluctuat undis.** est repetitio rhetorica, quam alii aliter adpellarunt, optime 'reuocatio' audit: in prioris uersus sede ultima uel paenultima positum uocabulum in sequentis initio ita iteratur ut aut eadem sententia efferatur maiore cum adfectu (LXIV 26 sq., 132 sq., LXVI 75 sq.) aut antea dictum nunc accuratius explicetur diligentiusque describatur (LXIII 8 sq., LXIV 285 sq., 321 sq., LXVI 83, LXVIII^{b} 48 sq.); et hoc altero genere crebriore (cf. et Ouid. ep. 10, 33 *excitor illo, excitor et summa Thesea uoce uoco*) eo modo usus est hic poeta, ut simul actionis quendam progressum significaret: prospicit et quo diutius prospicit, eo magis, dum soluitur iamiam torpor ille, agitatur aestu curarum suarum, scilicet quas Venus ei iniecerat (u. 72). qua de imagine conparant Lucr. VI 34 *uoluere curarum tristis in pectore fluctus* et Verg. Aen. VIII 19 *magno curarum fluctuat aestu*: sollemnis est animi commoti cum mari incitato conparatio. statu puellae prospectantis depicto nunc eiusdem

habitus neglectus legentium oculis subicitur; recte Mitscherlichius: 'in describendis grauioribus animi commotionibus sollemne est poetis, uestis seu cuiuscumque rei, quam tractant ita adfecti homines, prolapsae mentionem inicere', conligitque Hom. Il. X 448, Ouid. epist. 20, 207, Stat. Ach. I 878, Theb. VII 150 sqq. — **63. non flauo retinens subtilem uertice mitram.** mitra, uittarum quoddam genus coercendis crinibus aptum feminarum graecarum maxime proprium (Seruius ad Aen. II 216, Richius lex. antiqq. s. u.), dicitur 'subtilis' utpote duce arte texta filis tenuioribus. 'retinens uertice', scil. loco legitimo; hunc uerbi 'retinere', quod hic fere aequat 'gestare', usum Ciris auctor suum fecit ut u. 170 ita u. 510 *purpureas flauo retinentem uertice uittas* (uerba conflata sunt e nostro u. et 309). ceterum dici uix potest, quantopere in describenda nobilitatorum priscis fabulis iuuenum puellarumque forma ac specie adamata fuerit coma flaua; ut in Catullo me contineam, non solum Ariadne (quam etiam Hesiod. theog. 947 *ξανθήν* uocat), sed etiam Theseus infra u. 98 et Berenice LXVI 62 et Protesilaus LXVIII[b] 90 flauis insignes sunt crinibus (cf. et Broukhusius ad Tib. I 6, 8; Burm. ad Ouid. epist. 20, 57; Rohdius libri 'd. griech. Roman' p. 154 not.): digna est res quae conlectis omnibus exemplis ita pertractetur, ut causa et origo usus illius detegatur uideaturque, num forte ex fabulis Asiaticis flaui crinis, quem Ariae quam uocant genti proprium uindicant nunc anthropologi, honor atque laus profluxerit. — **64. non contecta leui uelatum pectus amictu.** plenius atque abundans dicendi genus nonnulli agnouere: non contecta pectus ita ut esset uelatum. quae abundantia, alibi (cf. u. 25 et 49) ob certas causas tolerabilis, hic nulla ratione defendenda ab omni probabilitate atque elegantia abhorret; et praeterea hoc pacto 'leui' aut abundat plane aut falso pro 'ne leui quidem' est dictum; tota autem sententia, qua iam nuda fingitur puella, refellitur u. 68 'fluitantis amictus'. 'uelatum' igitur haud pauci corruptam habuere; conieceruntque Fea 'bullatum', Riesius 'uesanum', Schwabius 'nudatum', Maehly 'niueum per', ego olim 'niueum tum'. meliora me docuit dies. etenim per se uerba 'leui uelatum pectus amictu' nullam praebent offensionem, siquidem eis potest designari pectus tenui adopertum tunica (quoduis enim uestimentum uox 'amictus' cum indicet, certius genus definitur attributo 'leuis': cf. et Ouid. fast. II 319). et de tunica accepit (quam obseruationem interim nobis praecepit Biesius mus. Rhen. XXXVI 323) Ouidius, qui aperta totius nostri loci recordatione haec scripsit a. a. I 527 *Gnosis in ignotis amens errabat harenis ... utque erat e somno tunica uelata recincta, nuda pedem, croceas inreligata comas, Thesea crudelem surdas clamabat ad undas*: ubi ut 'tunica tantum uelata', sic apud Catullum 'leui tantum amictu' intellegimus. quamquam locus Catullianus ita differt ab Ouidiano, quod non in litore errantem, sed haerentem in saxo uirginem depingit. ceterum tunica apertam (non nudam) eam facit Ouidius in epistula quoque (u. 138). ad 'uelatus amictu' cf. Ouid. met. X 1, fast. III 363, a. a. III 179. neque tamen iam est interpretandum (ut fecit

Biesius) ita: non plane quidem (scil. per pallam) tecta, sed leui solummodo tunica uelata. nam hoc quoque artificium contortum est, quod omnia refellunt. immo indicium ueri continet uox Ouidiana 'recincta': non cinxerat Ariadne pectus leui tunica uelatum, ut fluitaret iam amictus hic tenuis (u. 68 et 129). codices nil adiuuant; 'contenta' enim, quod **O** habet pro 'contecta' (sic **G**), falsum est propterea, quod hoc 'contenta pectus' eodem modo sensuque dictum, quo in u. 65 'uincta papillas' legitur, et intolerabili laborat tautologia (neque eo quisquam progredietur ut hunc u. 65 Cinnae tribuendum auctore Isidoro et ex Catullo tamquam interpolatum eiciendum putet: qualem opinionem refutat iam illud 'omnia' u. 66) neque uero fluitantis amictus infert notionem. quam uere restituisse mihi uideor pro 'contecta' reponens 'conlecta': cf. Verg. Aen. I 320 *nodoque sinus conlecta fluentis* et ad 65. conligendi autem uerbum quoniam in succinctu est usitatum, ultro de cingulo cogitamus pectoris, etsi eius hic non fit mentio diserta. — **65. non tereti strophio lactentis uincta papillas.** strophium, bene illud a cingulo uestem cohibente distinguendum, accipe pro 'fascia' (Non. p. 538 *strophium est fascia breuis, quae uirginalem horrorem cohibet papillarum,* Ouid. rem. am. 338, Mart. XIV 134); eratque hoc strophium 'teres' siue ex filis rotundis contortisque conexum; cf. Ouid. fast. II 320 *teretem zonam,* Claud. in Eutr. II 185 *tereti mitra.* 'uincta' (quam constructionem, ut part. perf. act. aliquatenus adesset sermoni latino, cantores Euphorionis recepere; cf. p. 17 sq.), ut Mart. l. l. *fascia crescentes dominae conpesce papillas*; pessime 'cincta' Isidorus, qui et memoriae lapsu hunc u. Cinnae uindicans praeterea exhibet 'lactantes', contra **V** 'lactentis'. quae uocabula ueteres grammatici eo statuebant differre, *quod lactans est quae lac praebet, lactens cui lac praebetur* (Seruius ad Georg. I 315; cf. et Caper p. 98, 1 K.); quod discrimen usus ipse non obseruauit (siquidem infantes lac bibentes uocantur et lactantes et lactentes), quamquam papillae lactantes sane numquam fuisse uidentur dictae aliae quam quae lac praebent. quae quoniam ineptissime dantur Ariadnae, potius profecti hinc, quod lactendi uerbum indicat etiam id quod lacteum est, 'lactentes' attributum referemus ad album papillarum colorem. quas cum lacte comparat Ouid. a. a. I 292 et ex Ponto II 5, 37; *lacteam ceruicem* et *lactea brachia* laudant alii poetae (Bentl. ad Hor. I 13, 2), ipse noster LV 17 *lacteolas* puellas uocat; quin *lactentes papillas*, quas Petronius c. 86 in puero commemorat, quonam alio modo explicem non habeo, immo papillas lactantes et lactentes eo quem significaui modo distincta esse mihi persuaserim (quo iure nonnulli 'undantes papillas' interpretentur, obscurum est). coniecerunt AStatius 'lucentes', Muretus 'luctantes': ex quibus commentis etsi alterum egregie in rem conuenit (intellege uix cohibitas strophio et prae tumore luxuriantes), tamen num mutatione sit opus ualde dubito. — **66, 67. omnia quae . . . passim ipsius ante pedes fluctus salis alludebant.** mitram cingulum strophium undae saxo adpulsae passim, hoc est sine ordine dumque huc et illuc inruunt, ludum habebant lambentes nimirum inrigantesque (cum leni planctu, qualem

depingit uersus spondiacus) ante dominae paulo altius sedentis pedes; conparant Stat. Theb. IX 336 *extremis adludunt aequora plantis*, Minuc. Fel. 3, 3 *uicissim nunc adpulsus nostris pedibus adluderet fluctus* (cum accusatiuo coniunxit Val Flacc. VI 664, absolute habet Ouid. met. IV 342). — **68. set neque tum mitrae neque tum fluitantis amictus illa uicem curans.** 'set' ab Italis feliciter restitutum (millies 's;' in 'si' cessit) confirmat auctor Ciris u. 116, ubi habes etiam cum ui repetitum illud 'tum': in tali tamque graui rerum suarum condicione neque quod mitram lamberent undae neque quod tunicam cingulo submoto solutam agitarent uenti respexit: inmobiliter adsidenti aurae aquaeque inludunt. Ouid. a. a. III 301 *tunicisque fluentibus auras accipit*, Prop. III 17, 32, Tac. Germ. 17 *uestis non fluitans sed stricta.* 'uicem non curans' potes intellegere 'sortem uilipendens', ut Cic. ad Att. VIII 2 *cuius ego uicem doleo,* Liuius XLIV 3 *sollicitus eorum uicem* habent; quamquam in his 'uicem' rectius sumunt aduerbialiter, quod nostro quoque loco malim, ut aequet siue 'pro .. curare' (m. et a. curam habere) siue 'de .. curare' (= cogitare). — **69, 70. toto ex te pectore, Theseu, toto animo, tota pendebat perdita mente.** horum trium synonymorum 'toto ...' cum unumquoduis suffecerit, cumulata sic ut fortius non possit indicant, quam funditus intimis medullis flagrauerit puella; nam cum 'perdita' illa sunt coniungenda, non cum 'pendebat'. saepe sic copulant 'mente et animo' (cf. et ex. gr. Aen. IV 100 *tota quod mente petisti*), tertii 'ac pectore' additi non inueni alterum exemplum; non plane dissimiliter legi cum apud Plaut. capt. II 3, 27 *sequarque corde et animo ac uiribus,* tum uero in euangelio Marci 12, 30 *καὶ ἀγαπήσεις κύριον τὸν θεόν σου ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σου καὶ ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς σου καὶ ἐξ ὅλης τῆς διανοίας σου καὶ ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος σου* bene adnotauit Koelerus. 'pendebat ex te' uulgo ad oculos referunt, ut Ariadne oculis fixis Thesea persecuta dicatur; quemadmodum habet Sil. Ital. VIII 93 *ab imagine pendet* (scil. oculis). sed fatendum est, ubicumque 'pendere' uerbum summam intentionem significet, cum 'a' praepositione coniungi (interpp. ad Aen. IV 79); sed 'pendere ex aliquo' uel 'aliqua re' (etiam sine 'ex', nudo ablatiuo) ualere 'non per se stare, sed per alios eisque tamquam fundamento inniti' (cf. ex. gr. Cic. ad fam. VI 22, 2). quod si ab hoc loco plane alienum est et 'pendere ab' quidem sic ut 'pendere ex' dicitur, numquam tamen hoc pro illo, potius 'pendebat' absolute est accipiendum, ut in fine huius descriptionis iterum puellae quae uisit uisere non credentis et inter spem metumque dubiae imago exhibeatur; cf. Cicero apud Non. 204, 7 *atque animo pendens noctu euentura* ('euenta' codd.) *timebat,* Plin. epist. VI 6, 2 *pendeo igitur et exerceor spe, adficior metu.* praestat igitur suadente uerborum conlocatione 'ex te' coniungere cum 'toto .. perdita'; nam 'ex' causam, unde sit perdita puella, indicans (Liu. XXII 7, 3 *multi ex uulneribus periere*) propterea est additum, quod nudum illud 'te' (ut gaudent 'perire' et 'calere' similiaque solo ablatiuo: Broukh. ad Prop. I 4, 12) ceteri ablatiui diuersi excludebant. ceterum

animaduertenda pulcra atque internum sententiae uinculum indicans adlitteratio 'pend. perdita'. iamque ad flagrantissimi huius amoris originem narrandam transit C. per degressionem. — **71, 72. a misera, assiduis quam luctibus externauit spinosas Erycina serens in pectore curas.** cf. Tib. II 1, 79 *a miseri, quos hic grauiter deus urguet,* Verg. ecl. 7, 67 *a uirgo infelix, quae te dementia cepit.* 'luctus' si uelis interpretari 'dolores' conligens ex. gr. Ouid. am. II 10, 11 *quid geminas, Erycina, meos sine fine dolores: non erat in curas una puella satis?*, uide ne diuersa confundas. luctus enim (nisi doloris externam per fletus, ut LXVI 63, et habitum manifestationem indicat) est animi aegrimonia, quam damnum inlatum acceptaque calamitas procreat, numquam de amoris maeroribus dicitur. diua Erycina (Veneris cultus ex ipsa potissimum Sicilia et Eryce migrauerat Romam, ubi celebre Erycinae templum erat: Prelleri myth. Rom. p. 392) in pectore tamquam in aruo serit (*κατασπείρειν ἀνίας* in Soph. Aiace 1005 cp. CMuellerus) curas siue angores cruciatusque amoris; quae utpote pungentes lacerantesque audiunt 'spinosae' (cf. graecum *ἀκανθώδεις μέριμναι* et Hor. epist. I 14, 4 *spinas animo . . . euellas*). hae autem curae procreant non luctus (postea a Theseo deserta ex amore suo luctum accepit Ariadne), sed potius fluctus siue sollicitudines maeroresque (cf. ad u. 97). et hoc 'fluctibus' equidem restituerim. qui fluctus cum essent adsidui (multum scil. per tempus secum pugnans puella uix tandem uicta est, ut Theseo contra Minotaurum dimicaturo succurreret), externauerunt eam siue inpotem mentis fecerunt (sic recte Nonius p. 108, 10; cf. et infra 165 porroque Ouid. met. I 641 et XI 77): uide praeter Prop. II 12, 3 *sine sensu uiuere amantes* Cat. LXVI 24 *ut tibi tunc toto pectore sollicitae sensibus ereptis mens excidit.* — **73. illa tempestate, feroxque et tempore Theseus.** ex hac archetypi lectione infelicissime Itali effecerant 'ferox quo ex tempore'. nam cum illud 'attigit' (75) semel usu uenit, recte sic tantum dici potuit: (externauit) illa ex tempestate, quo tempore Theseus attigit (ut primum peruenit); ut habes XXXV 13 *quo tempore legit, ex eo misellae ignes edunt medullam* (ubi uide de formula 'quo tempore') et Sall. Iug. 114 *ex ea tempestate.* unde alii Itali eiecerunt illud 'ex'. sed male est dictum hoc 'illa tempestate, ferox quo tempore'. licet enim prosae orationis scriptores ei, qui ictorum modo quam accuratissime loqui cupiebant, sic dixerint 'illo die, quo die' similiterue (cf. Haasii praelectt. I p. 192), tamen ne illi quidem ita hunc usum uariabant, ut ponerent 'illo tempore, qua tempestate' uel simili modo (nam in unico loco Cic. diu. in Q. Caec. 13, 41 legendum est aperte *quo hic citato reo mihi dicendum sit*). apud poetas uero nihil eiusmodi legitur (nam apud Verg. Aen. I 187 uoce 'tela' comprehenduntur arcus sagittaeque); neque hoc mirum, cum ab omni poetico sermone talia abhorreant. qua de re uere acuteque, ut solet, disputauit Ritschelius [opusc. III 595 sq.], qui uoluit 'ferox quom robore'. iam antea Froehlichius coniecerat 'ferox qua robore': facile 'qua' ob summam litterularum 'a' et 'ee' similitudinem

in 'que e' porroque in 'que et' abire potuit; 'robore' autem mala uocis 'tempestate' uicinia labe affecit; redditum est graecum ἀλκὶ πεποιθώς uel simile; cf. et Tac. ann. I 3 *robore corporis stolide ferox.* placet haec ratio; sed tamen (ut uerum fatear) sufficit fortasse, ut iam indicaui, 'et' in 'ex' siue 'ec' mutatum traicere hoc modo 'illa ex tempestate, ferox quo tempore', ut hoc 'q. t.' inde quod formulae instar adhibebatur excusetur (cf. et Apoll. Rhod. IV 520 ἐξ τόθεν, ἐξότε). — **74. egressus curuis e litoribus Piraei.** cp. Lachmannus [ad Prop. p. 370] Apoll. Rhod. I 559 λιμένος ἀκτήν, Prop. III 21, 23 *Piraei capient me litora portus,* Lucan. IV 586 *stationis litora notae.* 'curuis', in sinum recedentibus; 'Piraei' (Neuius I p. 330) per ἀναχρονισμόν. 'egressus', in altum euectus: Ouid. trist. I 10, 6. — **75. attigit iniusti regis Gortynia tecta.** peruenit (cf. ad LXIII 35) ad eam Minois sedem, quae erat Gortynae. nam cum duabus potissimum urbibus, Gortyna et Gnoso, floruerit Minois regnum, illarum prior propterea hic nominatur, quod iuxta eam Labyrinthum fuisse positum statuit Catullus. non putamus igitur hic subesse inuersionem sat duram ('iniusti regis Gortynii tecta'), quam inlustrauit LMuellerus praef. ad Hor. od. II 12, 22. plerique autem rerum auctores post Diodorum uiuentes cum Gnosi uiciniae attribuant Labyrinthum Alexandrini Gortynae eundem uindicauisse uidentur; quam sententiam locorum circumsitorum natura commendat (cf. Hoeckii liber 'Creta', I p. 447 sqq.). unde etiam Claudian. de VI cons. Hon. 634 dicit *semiuiri Gortynia tecta iuuenci* (ubi codd. 'Cortynia' scripturae magis fauent, ut et in Ciri 114 Minos *heros Cortynius* et Stat. Theb. IV 530 *arbiter Cortynius* audit secundum codd., unde hic quoque ex V restituendum 'Cortynia tecta'). locus autem Claudianeus (licet ibi 'tecta' aliter sit accipiendum) facit ad stabiliendam uerissimam Parthenii emendationem 'tecta'; nam pro tradito 'tempta' (C et P litterae confusae) male correctores Itali 'templa' posuerant; conuicit erroris eos, qui quaeuis loca 'templa' uocari putabant, luculenter Ritschelius [opusc. III 597 sq.], post quem Ellisius non debuit adferre Ennii Andr. Aechm. u. 82 Ribb., ubi minime de Priami regia agitur. 'iniusti' denique ex mente Atheniensium est scriptum, qui quantopere Minoem exagitauerint tamquam crudelem iniustumque ex Plutarchi Thes. 16 (cf. et locum interpolatum Hom. Od. XI 322 et Plat. Min. 318 D.), satis notum est. sine iusta ratione Heinsius maluit 'inuisi'. — **76. nam perhibent olim.** in hac noua degressione priscam fabulae uetustatem iterum in memoriam reuocat poeta; cf. et u. 212. — **crudeli peste coactam.** saeua pernicie ac pestilentia a deis iratis inmissa coacti sunt Athenienses sese dedere oppugnanti Minoi eique uectigales fieri (Apollod. III 15, 8; Diodor. IV 61; Plut. Thes. 15; Hygin. fab. 41). — **77. Androgeoneae .. caedis.** de Androgei, Minois filii, nece cf. Apollod. III 1, 2 et 15, 4 sqq.; Diodor. IV 60; Ouid. met. VII 456 sqq. adiectiuum deriuandum ab altera nominis forma Ἀνδρόγεων, quam habes Prop. II 1, 62. quod V habet 'cum androg.', id ortum putauerim inde quod 'cū' male pro 'a' lectum (cf. ad XXIX 4) scriptumque errore animaduerso delere

omisit librarius. — **78. electos iuuenes simul et decus innuptarum.** 'electos' intellege 'sorte ductos', idque pariter ad utrumque spectat neque enim hic flos et masculae et femineae pubis intellegendus (hoc est, optimi quique et pulcritudine maxime eminentes, qua de re nihil memoriae traditum est); sed 'decus innuptarum' (LXII 6) accipio equidem puellas decoras, quarum uirginitas nondum delibata est (ἠϊθέους ἑπτὰ καὶ παρθένους τοσαύτας Plut. l. l.). cf. Verg. Aen. VI 20 *letum Androgeo: tum pendere poenas Cecropidae iussi (miserum) septena quotannis corpora natorum: stat ductis sortibus urna,* ubi 'septenos natos' intellege 'utriusque sexus septem liberos', ut similiter apud Hyginum l. l. legitur *septenos liberos suos*; nam consentiunt in septem puerorum septemque puellarum tributo rerum auctores (nisi quod Eurip. H. F. 1326 et Plato Phaed. 58 breuiter XIV iuuenes commemorant). — **79. Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro.** 'solitam' aperit, poetam eos sequi, qui quotannis (non nono quoque anno, ut alii narrant) Athenienses tributum illud pependisse referunt. Cecropiam intellege paruum oppidum ex acropoli maxime constans et a conditore adhuc nominatum, cui Theseus demum Athenarum nomen indidit simulque proximos pagos adiecit (Plut. Thes. 24, Thuc. II 15); uetus nomen Alexandrini reduxere (Callim. hymn. 3, 227). Hygin. l. l. *instituit autem* (Minos), *ut anno unoquoque septenos liberos suos Minotauro ad epulandum mitterent*; Apoll. l. l. πέμπειν τῷ Μινωταύρῳ βοράν; dapem scil. Minotauro utpote *semibouique uiro semiuiroque boui* (Ouid. a. a. II 24; idem epist. 9, 68 *humana qui dape pauit equas*). — **80. quis angusta malis cum moenia uexarentur.** qua calamitate cum concuteretur perdereturque exigua etiamtum urbs et cito ciuibus uacua euasura. male 'angusta' interpretantur nonnulli 'in angustiis uersans' (Sil. Ital. XI 171 hinc alienus); recte multi contulerunt Ouid. fast. III 181; uide et Hor. a. p. 209 *latior murus.* de uexandi uerbo cf. docta Gellii II 6, 5 sqq. disputatio (superflua debilique coniectura multi olim 'uersabantur'). ceterum notanda est in uu. 78—80 continuata clausula spondiaca, cuius rei apud latinos quidem poetas non memini me inuenire exemplum; apud Graecos iam ante Alexandrinos ipsum Homerum hanc sibi licentiam indulsisse adnotauit Schwabius conligens ALudwichii de hex. spond. [Halis 1866 p. 22] libellum. depingitur autem hoc artificio rei tam atrocitas quam diuturnitas (ut et u. 83). — **81. ipse suum Theseus pro caris corpus Athenis.** 'ipse' intellige 'ultro': Hyginus l. l. *Theseus postquam a Troezene uenerat et audiit, quanta calamitate ciuitas afficeretur, uoluntarie se ad Minotaurum pollicitus est ire.* 'suum corpus' pro 'suam uitam', respectu corporum Minotauro obiectorum. Verg. Aen. I 24 *pro caris gesserat Argis.* — **82. proicere optauit potius quam.** 'uitam proicere', scil. ut rem derelinquendam nulliusque pretii, ad similitudinem graecae dictionis ψυχὴν προβάλλεσθαι: Verg. Aen. VI 435 *lucemque perosi proiecere animam.* 'optauit potius' explica 'maluit' siue 'melius duxit', non 'elegit' (de electione nullus hic sermo), ut egregie confirmat locus Isocratis a Vulpio laudatus

[Helen. 27], ubi Theseus uidens *αὐτοὺς ἀγομένους καὶ πανδημεὶ προπεμπομένους ἐπὶ θάνατον ἄνομον καὶ προὖπτον καὶ πενθουμένους ἔτι ζῶντας, οὕτως ἠγανάκτησεν, ὥσθ' ἡγήσατο κρεῖττον εἶναι τεθνάναι μᾶλλον ἢ ζῆν ἄρχων τῆς πόλεως τῆς οὕτως οἰκτρὸν τοῖς ἐχθροῖς φόρον ὑποτελεῖν ἠναγκασμένης.* de constructione cf. Terent. Andr. IV 5, 2 *quae sibi inhoneste optauit parere hic ditias potius quam in patria honeste uiueret* ibique Klotzius, Plaut. Aul. prol. 11 *inopemque optauit potius eum relinquere quam eum thensaurum commonstraret filio*; plura huius exempla usus, quo 'quam' pro 'quam ut' ponitur, congessit Kuehnerus gr. l. II p. 857. — **82, 83. talia Cretam funera Cecropiae nec funera portarentur.** quam ut eiusmodi (nempe ciuium) cadauera uiua quasi in pompa efferrentur ad Cretam, ubi sepelirentur. nam cum 'funus' poetae dicant pro eo quod est 'cadauer', 'funera nec funera' designant cadauera, quae non tamen cadauera sunt, hoc est cadauera uiua. quo oxymoro dixit Lucr. V 991 *uiuo busto,* Publilius Syrus E 9 *sine sepulcro est mortuus,* Manil. V 549 *uirginis et uiuae rapitur sine funere funus,* Seneca epist. 82 *otium sine litteris mors est et uiui hominis sepultura,* Rutil. Namat. I 518 *conditus hic uiuo funere ciuis erat* (nec dissimiliter et Orest. trag. 431 *incolumi uiduata uiro* et Anth. lat. 290, 3 *uiuo uiduata marito*). cum autem Graecis acute felicique breuitate loqui liceret hoc modo *πόλεμος ἀπόλεμος, γάμος ἄγαμος, δῶρα ἄδωρα* quaeque sunt similia, Latini, quibus hanc facultatem denegauit patrius sermo, damnum hoc resarcire studebant uariis modis, Graecorum alpha priuatiuum reddentes aut per 'in' (quam in rem inde a Mureto adferunt Cic. de or. III 58, 219 *innuptis nuptiis* et Phil. I 2, 5 *insepultam sepulturam,* plura dabit Naekius Val. Cat. p. 45 sq.) aut per negationem siue 'non' (Plaut. capt. II 1, 26 *doli non doli sunt, nisi astu colas*) siue 'nec', ut Ouid. met. VIII 231 *at pater infelix nec iam pater 'Icare' dixit* et CIL. X 8131 *umbra nec umbra* ('ein schattenloser Schatten'). quamquam non accedo Lambino [Hor. od. I 34, 2] et Ribbeckio [partic. lat. p. 24] priscum illud 'nec', unde 'non' ortum est ('nec oenum — noenum'), accersentibus: uix et ne uix quidem Catulli aetate hanc primariam negationis formam in antiquissimis dictionibus (ut 'res nec mancipi') seruatam adhibere licuit, nedum noue fingere licuerit 'nefunera', ut multi olim opinabantur. immo 'nec', ut et in loco Ouidiano, ualet fere 'nec tamen'. temptabant hic olim alias etiam coniecturas, ut 'nec funere' Statius, 'sine funere' AGLangius [uind. trag. rom. p. 43]. quibus si ego accessi 'Cecropiae cum funere' coniciens, propterea feci quod non intellexi (ut nec hodie intellego) genetiuum 'funera Cecropiae nec funera': quis unquam hoc 'terrae alicuius cadauera' similiaue dixit? quamquam hanc offensionem lenissima mutatione nunc uideo remoueri posse scribendo 'Cecropia': e terra Attica in Cretam efferrentur. nam de hoc usu, quo ut 'Cretam' pro 'in Cretam', ita 'Cecropia' pro 'e Cecropia' ponitur, cf. Kuehnerus gr. l. II p. 351. fortasse glossa 'e' suprascripta peperit uitium. 'portare', ut ex. gr. epist. Sapph. 116. — **84. atque ita naue leui nitens ac lenibus**

auris. sollemnis in narratione formula, in qua 'ita' (hic = eo animo cum esset) ad superiora spectat: cf. ex. gr. Liuius XXIX 18, 4 et XLII 64, 3. 'niti aliquo' (et 'ad Minoa' tam huc quam ad 'uenit' referas) est contendere siue properare ad itineris propositum; Prop. IV 6, 63 *illa petit Nilum cymba male nixa fugaci*, ubi 'cymba' (ut apud Attium Tel. 13 Ribb. *remisque nixi properiter nauem in fugam transdunt* illud 'remis') est instrumentalis, plane ut hic 'naue leui'; quae nauis utpote triremis audit 'leuis' taciteque opponitur onerariae solummodo uelis usae. uide de hac naui Boeckhii librum 'Staatshaushaltung der Athener' II p. 217. cf. Ouid. epist. 18, 72 *lenior aura* (= uentus clementior). — **85. magnanimum ad Minoa uenit sedesque superbas.** est epitheton heroum sollemne Homericum μεγάθυμος, quod Aeneae suo dedit etiam Vergilius. ad Minoa autem tamquam tyrannum spectat illud 'superbas': Aen. II 785 *non ego Myrmidonum sedes Dolopumue superbas aspiciam* (de Neoptolemi regia). — in sequenti iam Ariadnae amoris descriptione Catullo (ut et Vergilio in depingendo Didonis furore) similem de Medea narrationem apud Apoll. Rhod. III 275 sqq. obuersatam esse, probabiliter statuunt. — **86. hunc simulac cupido conspexit lumine uirgo regia.** regis filia (Ouid. met. II 570) amore est incensa primo statim adspectu, quemadmodum fere amant scriptores ueteres (Rohdius libri 'der griech. Roman' p. 148). auctor Ciris 130 sqq. *ni Scylla nouo conrepta furore . . . o nimium cupidis Minoa inhiasset ocellis.* surgens iam amor designatur illo 'cupido lumine'; quodsi legimus in huius enuntiati apodosi u. 91 'flagrantia lumina', uidemus quidem celerem amoris in uirgine Thesea continuo oculis figente progressum, sed num ipsa haec repetitio 'lumine — lumina' intra eundem uerborum ambitum grata sit et iucunda iure tuo dubitabis, quamquam mitigatur offensio longa quae intercedit parenthesi. ceterum prudenter fecit C., quod nouae degressionis inlecebris spretis non ex more epico depinxit Thesei formam pellicientem. — **87, 88. quam suauis expirans castus odores lectulus in molli complexu matris alebat.** describitur in his uu. (quos imitatur Ciris 3 sq.) uirgo in sinu gremioque matris educata (cf. Tac. dial. c. 24; Cat. LXI 58 et LXII 21). alebat eam, hoc est educabat siue a prima pueritia ad hunc aetatis florem perducebat, castus siue uirginalis lectulus (cf. lectulus 'caelebs', 'obscenus' similiaque passim): fortasse in exemplari Alexandrino, quod hic sequitur Catullus, legebatur θάλαμος, quod noster pro lecto accepit, poeta graecus latiore sensu de gynaecio accipi uoluit. Hesiodus a Mitscherlichio conlatus ἔργ. 517: *ἥτε δόμων ἔντοσθι φίλῃ παρὰ μητέρι μίμνει οὔπω ἔργ' εἰδυῖα πολυχρύσου Ἀφροδίτης . . . νυχίη καταλέξεται ἔνδοθι οἴκου.* audit autem lectulus, secundum Graecorum θάλαμος θυώδης (Hom. Od. IV 121) siue εὐώδης, 'suauis odores expirans': tam uestibus quam stratis lecti ad depellendas tineas mala citrea inmiscere solebant, quibus non minus quam ligno cedrino et unguentis fragrabant cubilia (cf. VI 8): uidendus VHehnius 'Kulturpflanzen' p. 383². confertur iam uirgo sic sub Pasiphaes cura et amore adulta conparatione ualde amata

(cf. LXI 21) cum myrto celsa floribusque uernis pulcris: — **89. quales Eurotae progignunt flumina myrtos.** est hic unicus locus, ubi fit mentio myrti Laconicae (nam in Culicis u. 400 non 'Spartica', quae uox nihili est, sed 'Parthica myrtus' optimus liber Vossianus praebet; et recte etiam Amyclaeum thallum ab Heynio ad Ciris u. 376 huc relatum reiecere); immo Eurotas apud Graecos δονακόεις et δονακοτρόφος (Eurip. Hel. 210 et Iphig. Aul. 176), 'oliuifer' apud Statium [Theb. IV 227] audit conmemoratque eius lauros Seruius ad Verg. ecl. 6, 83: de myrto nihil omnino. prouenit autem 'Eurotae' ex mera Italorum coniectura; quam licet inde a prima editione usque ad hunc diem nemo spreuerit, spernendam tamen nunc censeo. V exhibet: 'europe pergignunt'. et coniuncta 'Europae' et 'myrtos' legenti in memoriam mihi uenit Europa illa Hellotis in Creta culta, cui offerebatur corona myrtea (Prellerus myth. gr. II p. 117² sq., Hehnius l. l. p. 192): quam bene in hac Ariadnae descriptione haec Europa (quam fabulae faciunt Minois matrem) conmemoretur, sponte intellegitur; conuenitque docta haec conparatio poetae nesciocui Alexandrino, quem in toto hoc loco sequitur noster (nisi forte ex Creticis illis, de quibus cf. Misc. Crit. p. 20, hausit). iam uero multo magis est dubium, num Itali pro 'pergignunt' uoce non latina uere scripserint 'progignunt'. nam etsi rectum est, myrtos amare aquas (Theophr. h. pl II 8, Verg. G. IV 124), tamen nudum illud 'flumina', ut iam olim Italis hinc 'Eurotae' suum secundum Verg. ecl. 6, 64 *Permessi ad flumina* reponentibus, ita mihi quoque bilem mouet: certae regionis flumina adpellanda erant, cum non omnes amnes myrtos progignerent in honorem Europae (nam lubentius 'Europae' datiuum habuerim quam genetiuum a 'myrtos' pendentem). unde ex tradito 'pergignunt' aliud quid eliciendum. conieci 'Phaesti dant flumina'. nam ut regioni inter Gortynam et Phaestum sitae adscribunt fabulae cultum Europae, ita quae circa Phaestum inueniuntur amnes, inter quos eminet Lethaeus, facile explicant pluralem 'flumina'; exquisite autem 'dant' pro 'progignunt', ut Ouid. fast. VI 180 *terra fabas tantum duraque farra dabat* (et fortasse 'ꝑ gignunt' glossa suprascripta uitii causa; quamquam nomina propria rariora saepe horribilem in modum sunt deprauata). ceterum ex O recepi 'myrtos', quemadmodum semper in hoc casu exhibent codd. (Neuius I 515). — **90. aurauc distinctos educit uerna colores.** genitabilis aura Fauoni, quam dicit Lucretius, educit siue profert (Plaut. Poen. I 2, 143; Plin. h. n. X 54, 75; cf. infra 282 *aura parit flores*) uarios flores; hac enim significatione poetae adhibent interdum uocem 'colores', ut Culex 70 *tellus gemmantis picta per herbas uere notat dulci distincta coloribus arua,* Lucr. V 737 sqq. *it uer et Venus ... Flora quibus mater ... cuncta coloribus egregiis et odoribus opplet,* Verg. G. IV 306 *ante nouis rubeant quam prata coloribus,* alia. iam tellus quidem ('daedala' Lucretii) audit 'distincta', porro herbae distinguuntur floribus (Ouid. met. V 266): ubi flores simpliciter 'distincti' adpellentur, non facile inuenies locum. quamquam res est aperta: sunt flores i n t e r s e distincti et hinc uarii siue uer-

sicolores. uidetur autem non sine consilio Catullus cum myrto deae Idaliae sacra et floribus uernis eiusdem deliciis conparasse uirginem Veneris donis comptam Venerique iam maturam; cf. LXI 21. — **91. non prius ex illo flagrantia declinauit lumina.** hoc est, deflexit: Ouid. met. VII 87 sq. *lumina fixa tenet, nec se mortalia demens ora uidere putat nec se declinat ab illa,* ubi habemus solitam constructionem: 'ex aliquo declinare oculos' uereor ut latinum sit. unde interpretor 'simulac conspexit, ex illo (scil. tempore: Aen. II 169 et XXXV 13) non ante declinauit oculos (scil. ab eo) quam' eqs. Ouid. met. IV 347 *nouaeque cupidine formae Salmacis exarsit, flagrant quoque lumina Nymphae*; Val. Flacc. VI 656 *oculisque ardentibus haeret.* — **92. quam cuncto concepit pectore flammam funditus.** 'concepit', per lumina; cf. Apul. met. X 3 (ad LI 6). optime Itali 'pectore', male V 'corpore'; nam etsi 'artus' et 'ossa' et quae his includuntur tamquam propria caloris sedes 'medullae' saepe recipere furorem amoris dicuntur (LI 9, Aen. IV 101, Ciris 164, alia), numquam tamen corpus, hoc est circumdata illis massa carnea; immo Verg. Aen. VII 356 *toto percepit pectore flammam* (unde Petron. 127 *t. concepit p. flammas*), Ouid. met. VII 17 *uirgineo conceptas pectore flammas* et I 495 *sic deus in flammas abiit, sic pectore toto uritur*, Val. Flacc. VI 673 *mole dei, quem pectore toto iam tenet.* et melius ex pectore tabes diffunditur in 'medullas' (93) siue artus omnes. 'cuncto pectore', quod licet noue dictum bene tamen omnes simul partes pectoris uel intimas denotat, hic pro obuio 'toto' est positum, quia hoc uocabulum uersus requisiuit insequens. prisco more, quo fere 'omnino' aequat, dictum est 'funditus' (Enn. ann. 132 et 163 V.), pro quo postea in his rebus increbuit 'penitus'. — **93. atque imis exarsit tota medullis.** non est mera repetitio ad rem augendam faciens, sed inest certus sententiae progressus ('concepit — exarsit tota'). cf. XXXV 15 et LXVI 23, Ouid. a. a. III 793 *ex imis resoluta medullis femina,* Stat. silu. II 7, 127 *imis altius insitum medullis.* superflue autem Heinsius uoluit 'tosta': cf. ex. gr. Plaut. Asin. V 2, 78 *totus perii* et Cist. II 1, 59 *ita tota sum misera in metu,* Ter. Ad. IV 2, 50 *in amore est totus.* — **94. heu, misere exagitans inmiti corde furores, sancte puer.** 'heu' ad totam sententiam ('qualibus iactastis' eqs.) referas. Amor 'exagitat', exciet et commouet aut tamquam tempestas maris uiolentiam terroresque abditos aut tamquam uenator ex latebris feras cupiditates quiescentes 'inmiti corde'. quod quomodo acciperent, fluctuabant docti. non potest autem nudus ablatiuus alio spectare quam ad enuntiati subiectum Amorem, qui dicatur crudelis saeuusque (ut Theseo u. 138 'inmite pectus' tribuitur). neque cum hac interpretatione pugnat illud 'sancte puer', siquidem Amor hominibus, quidquid eius duritiam fremunt, pie est colendus neque sollemni omnium deorum epitheto (XXXVI 3) fraudandus. alii ad Ariadnen referunt eiusque cor indomitum nec adhuc amori subiectum: quae sententia et aliena hic quidem (non agitur de puella amori reluctante, quam puer alatus domat) neque bene caret addita praepositione 'in' (quod idem est opponendum

eis, qui de inquieto turbatoque iam pectore uirginis cogitant). alii denique diuisim legunt 'in miti corde'; et ita re uera **O** habet. hoc ego nunc amplector, ut tamen non cum Parthenio explicem 'in corde puellari, quod mite humanumque esse solet', sed ita accipio 'in miti adhuc corde', quod scilicet poeta conparationi coeptae insistens confert cum mari tranquillo neque procellis euolso: in corde uirginis securo quiescentes adhuc cupiditates excitat Eros. 'misere' hic non ualet 'ualde' siue 'uehementer', sed 'miserandum in modum'. ceterum in hac Amoris inuocatione Catullum ob oculos habuisse Apoll. Rhod. IV 445 sqq., statuit Mitscherlichius etiam Oppian. Hal. IV 11 apte conferens. — **95. curis hominum qui gaudia misces.** 'hominum gaudia' sunt pura illa laetitia uoluptasque, quam ex caro capite amans percipit; est amor caelestis nulla dum labe terrena inquinatus. hunc malus ille puer, tamquam mel felle, curis permiscet, conmutans laetitiam animi in tristem dolorem angoremque (cf. ad LXVIII[a] 18). — **96. quaeque regis Golgos quaeque Idalium frondosum.** iam Scaliger uidit haec expressa esse ex Theocr. id. 15, 100 *δέσποιν' ἃ Γόλγως τε καὶ Ἰδάλιον ἐφιλάσας*; cf. ad XXXVI 12 et 14. Hor. od. I 30, 1 *o Venus, regina Cnidi Paphique,* idem od. III 26, 9 sqq. — **97. qualibus incensam iactastis mente puellam fluctibus.** uirginem, ubi semel ignem pectore concepit, quasi tempestate inmissa reddidistis aestu saeuo agitatam. 'fluctus' enim (*κῦμα Κύπριδος, πόθῳ κυμαίνεσθαι*: cf. Dissenus ad Pindar. p. 643) sunt acres sollicitudines conmotionesque animi et plus quam curae, ex quibus potius profluunt: Nonnus Dionys. XLII 58 sq. *καὶ νόον ἀστήρικτον ὁμοίιον εἶχε θαλάσσῃ, κύμασι παφλάζοντα πολυφλοίσβοιο μερίμνης* (Diltheius ad Callim. Cyd. p. 70); Prop. II 12, 7 de amantibus *aeterna quoniam iactamur in unda* (de iactandi uerbo cf. Ciris 241 sq.). — **98. in flauo saepe hospite suspirantem.** cf. supra ad u. 63 et de Thesei crine Senecam Phaedr. 651 *quis tum ille fulsit! presserunt uittae comam, et ora flauus tenera tingebat rigor* (ubi 'pudor' codd. sine sensu: correxi de comis intellegens secundum Stat. Ach. I 525). 'suspirare in aliquo' alibi non inuentum (dicitur 'aliquem suspirare' = per suspiria desiderare; et Ouid. fast. I 417 *solam suspirat in illam* testatior est scriptura) defenditur ex analogia locutionum 'uri', 'ardere in aliquo' de quibus cf. ad LXI 97. ducta ex imo pectore tractaque suspiria depingit u. spondiacus. — **99. quantos illa tulit languenti corde timores.** dum animus amore male adfectus uigorem suum amittit tabescitque (Val. Flacc. VII 194 *mentem perstringere languor incipit,* Ciris 223 *fessam languore puellam*): animi dicitur morbus ex flagranti desiderio ortus, qui etiam procreauit timores illos; scilicet de uariis periculis Theseo contra Minotaurum dimicaturo ingruentibus multum metuebat. 'tulit', perpessa est siue subiit. — **100. quanto saepe magis fulgore expalluit auri.** 'quanto magis' coniungere cum sit ineptum, 'quanto saepe' (ut et 'quantum saepe', quod Itali uoluere) reiciat latinitas, recte et secundum huius loci *πάθος* restituisse censendus est Faernus 'quam tum'; nisi forte praestat 'quā tē'

siue 'quam tunc', scil. per omne illud tempus. utique commendat 'quam saepe' Ciris 81 *quotiens expalluit.* alterum uitium egregie et detexit et sanauit acumen Ritschelii [opusc. III 593 sq.]. pallor enim amantium proprius (cf. Rohdius l. l. p. 157 not. 2 et Ciris 180, 225) etsi apte conparatur cum auro suapte natura pallido (cp. LXXXI 4, Ouid. met. XI 100 et 145, Sil. Ital. I 233 *effosso concolor auro*, Stat. silu. IV 7, 14 *pallidus fossor .. eruto concolor auro,* et de Graecis Hemsterhus. ad Lucian. I p. 503 sq.), tamen aurum, quod arte politum colorem illum naturalem deposuit iamque splendet fulgetque, non amplius cum pallore posse conparari, tam est res aperta, ut mirum sit ueritatem semel detectam nonnullos noluisse agnoscere. recte Ritschelius: 'quod saepe fit commodissime, ut pro auro poetae 'auri fulgorem' dicant iuxta cum similibus centenis, id apertum est ilico absurdum fieri, ubi ei rei auri comparatio adhibetur, quae fulgoris notioni tam est contraria quam splendori pallor'. cum autem aurum nondum duce arte tractatum sit fuluum, Ritschelius olim fuisse uocabulum (ignotum sane tum lexicis) 'fuluor' conclusit ex similitudine aliorum multorum, qualia sunt 'canor', 'albor', etc. et hanc coniecturam, quam praeter nos nemo recipere est ausus, mox stabiliuerunt plane confirmaueruntque reperta idonea huius uocabuli testimonia. quod ut iam Buggius [Fleckeis. ann. 1872 p. 98] apud Paulum Festi p. 92, 20 restituit ex coniectura, ita indubitate exhibet Tiberianus a me editus [PLM. III p. 266] in carmine ad aurum u. 27 *inter liuentes pereat tibi fuluor arenas*; denique idem reponendum apud Apuleium met. XI 3 *corona .. nunc albo candore lucida, nunc croceo fuluore* ['flore' codd.] *lutea, nunc roseo rubore flammida.* — **101. cum s. c. contra contendere monstrum.** construe 'contra s. monstrum contendere', hoc est, cum illo pugnare: Verg. Aen. V 370 *solus qui Paridem solitus contendere contra*; quae praepositionis conlocatio liberior (Neuius II p. 794) habetur ex. gr. Lucr. III 10 *tuisque ex, inclute, cartis.* — **102. aut mortem appeteret T. aut praemia laudis.** egregie O 'appeteret', quippe quod ad utrumque colon pertineat; male G 'oppeteret', quippe quod in dictione 'mortem opp.' nil nisi 'mori' ualeat neque iungi queat cum uoce 'praemia'. 'appetere' est 'ualde aliquid uelle': Seneca epist. 24, 23 *quid tam ridiculum quam appetere mortem*; Cic. pro Mil. 30, 81 *ex quo etiam praemia laudis essent petenda.* est autem 'laus' fere 'factum laude dignum', unde 'pr. l.' sunt uirtutis gloria legitima, ut apud Verg. Aen. I 461 *sunt hic etiam sua praemia laudi.* de oppositione cf. ex. gr. Quintus Smyrnaeus XII 246. — ea quae 103 sq. leguntur, quo saepius animo perpendo, tam dure abrupteque ad superiora accedere mihi uidentur, ut fere non dubitem, quin post 102 aliquot uersus interciderint, quibus narratum fuerit breuiter, hoc metu summo inpulsam uirginem conuenisse cum iuuene, amorem aperuisse, fide accepta praestitisse auxilium; quae omnia, paucis licet uerbis, adumbrare debuit poeta, si ea quae insecuntur recte perspici a lectoribus cordi habuit. tum hunc fere ad u. 103 transitum fuisse puto: cumque

iam exiret ad pugnam Theseus, quot illa preces pro saluo caro capite fudit ('o quotiens palmas ad sidera sustulit et quot non ingrata' eqs., cf. Ciris l. mox l.). fortasse ex panno nunc intercepto hausit Statius Theb. XII 668—676. — **103, 104. non ingrata tamen frustra munuscula diuis promittens tacito succepit uota labello.** 'succepit' (quod inepte statuunt sapere prosam: cf. Ouid. met. VII 450 et IX 305) egregie AStatius elicuit ex tradito 'succendit' (P in D abiit); nam hoc 'uota succendit' tam absonum est quam quod Itali inde effecerunt 'uota suspendit'; neque recte Froehlichius 'succendit' seruans 'uota', quod requirunt uerba praeeuntia, in 'tura' transformauit, quod praeterea damnatur illo 'tacito labello'. quo indicatur, intra se et clam propinquis utpote Theseo minime fauentibus uirginem uota fecisse: Sulpicia eleg. 5, 16 *illa aliud tacita, iam tua, mente rogat,* Hor. epist. I 14, 14 *tacita prece rura petebas,* Ouid. trist. I 1, 29 *et tacitus secum ... optet.* quae uota cuiusmodi fuerint, aperiunt uerba: 'diuis (sollemniter, dis magnis) munuscula (euanida deminutiui notione pro 'munera' siue 'dona', ut LXVIII^b 105) non ingrata quidem, sed tamen frustra promittens'. quae melius Maduigio [opusc. I p. 62], qui 'copiosius Catullum eundem rem et adiectiuo et aduerbio expressisse: non ingrata tamen munuscula fuerunt et frustra oblata' censuit obstante uoce 'tamen', iam olim explicauit Muretus ita: non ingrata quidem munuscula erant diis, quippe qui Thesea seruarent, sed tamen frustra promisit uirgo, quae fructum inde non perciperet mox ab illo deserta. adhibetur enim interdum cum certa breuitate et ita ut praeponatur uox 'tamen': Hor. od. I 15, 19 *tamen heu serus .. conlines* (etsi eheu serus, tamen conlines), Verg. ecl. 1, 28 *quae sera tamen respexit* (etsi sera, tamen respexit); cf. Hertzbergius ad Prop. III 15, 35. uide porro Hor. od. I 24, 11 *frustra pius*; et de uocis 'ingrata' significatione passiua ad LXXVI 6. quamquam illud 'frustra' (eadem cum constructione grammatica) fortasse et ita licet accipere, quod non opus fuerit muneribus illis, suo ipsius robore cum Theseus indomiti instar turbinis monstrum subegerit, ut huc potissimum spectet uox 'nam' u. 105. ceterum imitatur haec Ciris auctor 219. — iamque Thesei robur ingens conparatur cum tempestate omnia prosternente, imagine consimili eius, qua inde ab Homero cadentem uirum fortem cum ruente per uim procellae arbore conferebant (Hom. Il. V 560 et XIII 389; Hes. scut. Herc. 41; Apoll. Rhod. III 967 et 1374, IV 1680; Verg. Aen. II 628 et V 447, Hor. od. IV 6, 9). — **105. nam uelut in summo quatientem brachia Tauro quercum.** quercus brachia sua siue ramos (noto usu, ut ex. gr. Septimius Serenus fragm. I^b LM. *pinea brachia cum trepidant*) utpote uentis percussos 'quatit', hoc est uiolenter commouet, posita scilicet 'in summo Tauro', monte admodum graphice hic nominato; bene IVossius: 'nusquam in toto mari mediterraneo magis formidandi regnant turbines quam ad Chelidonias, ubi nempe Taurus mons uasto et immenso in mare Pamphylium exit iugo, ut necessum sit in tam procelloso loco arbores gigni ualidissimas, quod ipsum in

uentosis locis passim obseruare est'. — **106. aut conigeram sudanti cortice pinum.** imaginem uarians secundum Homerum profert aliam eiusdem cum quercu roboris arborem, pinum; quam notum est pertinere ad arbores coniferas. qua uoce utitur Verg. Aen. III 680 *coniferae cyparissi*; 'conigeram' (ut recte Itali pro 'cornigeram' emendauere) hic solus habet Catullus, ut tamen nulla inmutandi causa sit, cum arbor illa tam bene gerere siue portare quam ferre (= gignere) conos dicatur. ostendit autem hoc attributum, poetam iam ita depingere pinum, ut quae ad tempestatem spectent non curans solam arborem ob oculos ponat legentibus, artem ille secutus Alexandrinorum, qui rerum minutarum accuratam descriptionem etiam in talibus adamabant. quamquam dubito, num cum hac arte plane conueniat eis, quae correctores Itali in pinu conmemorari sibi persuaserunt. nam cum in V legeretur 'fundanti cortice', libri G corrector inde effecit 'sudanti cortice', recordatus locos Verg. ecl. 8, 54 *pinguia corticibus sudant electra myricae* aliosque; et uerum est, pinum ferre resinam (Plin. h. n. XVI 10) sed iure optimo iam Itali (quorum nonnulli 'corpore' coniecere sine ulla ratione) offendebantur in otiosissimo hoc addito. nam etsi artem Alexandrinam hic a proposito aliena admiscentem amplectimur, tamen ars illa longe aliud requisiuit, scil. iustam oppositionem. descripta est quercus r a m o s quatiens: huic pinus ita adiungenda erat, ut quomodo differret exponeretur. et hercle ipsa huius arboris figura nota (truncus procerus sine ramis exsurgens usque ad uerticem in tectum umbrosum se dispandentem: Petron. 131 *circumtonsae trepidanti uertice pinus*, Plin. epist. VI 20) tam egregiam praebuit oppositionem, ut, si neglecta haec esset, mirum foret. recte igitur ex parte quidem Itali nonnulli 'nutanti uortice'; nam potuit sane prisce scribere Catullus 'uortice' (quod adsimilatione ad praecedens 'cornigeram' traxit labem); nec etiamtunc extiterant qui inter uorticem et uerticem distinguerent grammatici. sed 'fundanti' mutare in 'nutanti' (secundum Ennium apud Gell. XIII 20 *capitibus nutantibus pinos*), non lene est remedium. praeplacet 'fundenti uortice', hoc est, se fundente siue diffundente (Cic. de sen. 15, 52 *uitem .. ne in omnes partes nimia fundatur*); nam participia praesentis passiui, in lingua latina iam pridem abolita, haud raro praesertim in uerbis reflexiuis formantur per participia praesentis actiui, ut 'res mouentes' sunt quae mouentur: Neuius II p. 265 sq., Usenerus in Fleckeis. ann. 1878 p. 55. — **107. indomitus turbo contorquens flamine robur eruit.** arbores illas tempestas inmanis, dum stipitem prendens undique circumagit, euertit euellitque. 'indomitum' de eo, cui nihil potest resistere, ut uocat mare Tib. II 3, 45. 'contorquens', ut Verg. G. I 481 *insano contorquens uertice siluas Eridanus.* 'robur' de trunco siue stipite, ut Aen. IV 441 *annoso ualidam cum robore quercum.* Culex 318 *flaminibus .. a turbine mixtis.* — **108, 109. illa procul radicitus exturbata prona cadit lateque cum eius obuia frangens.** in hac epica coeptae conparationis amplificatione iunge 'radicitus exturbata (= sede sua demota) procul

cadit prona (= procidit)'. neque 'radicitus' bene in 'radicibus' (utrumque aeque probum: interpp. ad Aen. V 449) neque 'exturbata' iure suo in 'extirpata' olim mutauere Itali: exprimitur Apoll. Rhod. IV 1685 πρύμνοθεν ἐξεαγεῖσα κατήριπεν. Mitscherlichius cp. Varr. sat. Men. 391 B. *alia traps pronis* (= prona) *in humum accidens.* porro cohaerent 'late frangens obuia'. sed in his uerbis restat expediendum difficillimum illud 'lateque cum eius', quod certatim temptauere docti coniecturis ex parte ualde uiolentis ineptisque. inter meliora refero commenta Italorum 'lateque et cominus' (in qua uehementer abundat hoc 'et cominus', neque 'late' est 'eminus'), AStatii 'quaecumque sibi' (inprobabile 'sibi'), IVossii 'quaecumuis' (quam formam minime latinam non debui olim exemplis male fidis deceptus recipere), Lachmanni 'qua est impetus' (quae res per se aperta superflue uerbis exprimitur), CFHermanni 'qua funditur' (quod eodem uitio laborat), alia. uiam autem a Statio et Vossio recte ingressam, quam praesertim commendet Lucretii in re simillima dictum II 289 *ruit quo quidquid fluctibus obstat*, ut persequamur artis iubent praecepta, siquidem uocabuli sponte coeuntis 'quecumeius' ultima pars sola medelam flagitat. uidetur olim fuisse 'quecumq;hēт', hoc est, 'late quaecumque habet obuia frangens'. bene enim dicitur latine 'aliquid habere obuium' pro 'obuium esse alicui rei'. — **110. sic domito saeuum prostrauit corpore Theseus.** non sine ratione maxime corpus, quippe quod esset humanum (Hygin. fab. 40 *Minotaurum capite bubulo, parte inferiore humana*), domitum dicitur; quod uerbum in subigendo monstro aptissimum: Hor. od. II 12, 6 *domitosque Herculea manu Telluris iuuenes.* difficillimum explicatu 'saeuum'. nam cum remotum longe (101) 'monstrum' subintellegere non liceat propter sequens illud 'iactantem', ipsum Minotaurum significari aiunt per 'saeuum' substantiue positum. uellem credere possem. sed dum exempla adlata perlustro (cf. Heynius et Wunderlichius ad Tib. I 8, 51) dumque disputationes grammaticorum perpendo (cf. FHaasii praelectt. I p. 149 sqq.), quod dubitationes meas tollat nihil inuenio. etenim qui intellego 'ferus' (cf. LXIII 85) factum esse substantiuum (hominibus ad certum cultum prouectis feritas animalium propria uidebatur in uniuersum spectantibus), idem quomodo 'saeuus' simpliciter monstrum saeuum designare possit non perspicio, saeuitia cum non solum beluarum sit qualitas praecipua. et cum semper in his sit obseruandus usus, cetera quidem adiectiua substantiue posita non unico loco inueniuntur uniusque scriptoris arbitrio nouata sunt, sed qui itidem sic adhibuerit 'saeuus' uocem non reperitur. coniecere uaria: 'taurum' pro 'saeuum' reposuit editio Lipsiensis a. 1493, post u. 110 lacunam unius uersus statuit Rossbachius; quod licet inrisum ab Hauptio non ita inprobabile uidetur (suppleas ex. gr. 'uiribus inmensis hostem patriaeque suumque'). — **111. nequidquam uanis iactantem cornua uentis.** haec Scaliger uidit uersa esse e uerbis poetae (Alexandrini: Hauptius, opusc. II p. 81) a Cicerone ad fam. VIII 5, 1 adlatis πολλὰ μάτην κεράεσσιν ἐς ἠέρα θυμήναντα. accedit ad 'nequidquam' epexe-

getice datiuus, 'scilicet uentis' (= in uentos), quod secundum notam locutionem 'uires in uentos effundere' est dictum (cf. Verg. Aen. V 446, Stat. Theb. VI 790); Verg. Aen. V 376 *alternaque iactat brachia protendens et uerberat ictibus auras.* neutiquam tamen uenti dici possunt 'uani'; nam cum inter uacuum et uanum usus hoc constituerit discrimen, ut 'uacuum' sit id quod nihil in se continet, 'uanum' id quod specie quoque hoc uacuum prodit, aer et aurae et uenti sollemni quidem usu 'uacui' uocantur (ex. gr. Val. Flacc. I 421 *in uacuos ut brachia uentos spargat,* Stat. Theb. X 86), numquam tamen utpote per se specie omni carentes 'uani'; nam Lucan. IV 726 huc non quadrat. 'cornua', capitis bubuli. — **112. inde pedem sospes multa cum laude reflexit.** tum, ubi hoc modo incolumis euasit cum magna sua gloria (Hor. od. IV 4, 66 *multa proruit integrum cum laude uictorem,* Lucr. VI 95 *insigni capiam cum laude coronam*; uide et supra u. 102), pedem 'reflexit', flexus scil. per labyrintheos. Ouid. met. I 372 *flectunt uestigia,* Sen. Thyest. 428 *reflecte gressum, dum licet, teque eripe.* fortasse tamen 'laus' spectat ad uoces laetificas, quibus Thesea egressum exceperunt liberati: cf. Prelleri myth. gr. II p. 296². — **113. errabunda regens tenui uestigia filo.** quod a Daedalo acceperat Ariadne, quae teste Hygino fab. 42 *Theseo monstrauit labyrinthi exitum. quo Theseus ... monitu licium reuoluendo foras est egressus*; Verg. Aen. VI 30 *caeca regens filo uestigia*, Prop. II 14, 8, Ouid. epist. 10, 103, Coripp. Ioh. IV 609. 'errabunda' (cf. Gell. XI 15, 8), ut Verg. ecl. 6, 58 *errabunda bouis uestigia.* — **114. labyrintheis e flexibus.** ambagibus, quas Vergilius dicit (*flexum errorem* Ouid. met. VIII 160). 'laberintheis' **V** solita medii aeui (non antiqui: CIL. IV 2331) scriptura, secundum quam in Hageni gradu ad criticam p. 107 restituto lemmate Vergiliano est scribendum 'inextricabilis error: laberintus'. — **115. tecti frustaretur inobseruabilis error.** uia erroris plena nec certo obseruanda (Passeratius cp. 'obseruare uestigia' Aen. II 753 et IX 393; fere denotat 'lege ac regula carens', ut 'inobseruantia' Suet. Aug. 76), quae fert per 'tectum' illud siue 'domum' (Ouid. met. VIII 168, epist. 10, 71), qua uoce indicatur aedificium arte Daedali structum. de labyrintho cf. praeter Ouid. met. V 591 sqq. et VIII 159 sqq. maxime Verg. VI 27 *hic labor ille domus et inextricabilis error,* Plin. h. n. XXXVI 13, 85 (Lab.) *itinerum ambages occursusque ac recursus inexplicabiles continet* (§ 91 'filum' per 'glomus lini' explicatur); Prud. apoth. 203 *anceps lab. et error circumflexus*; Verg. Aen. V 588 sqq., ubi 591 *frangeret indeprensus et inremeabilis error* aeque atque hic u. errorem depingit per ipsum uersum iusta caesura carentem. — **116. sed quid ego a primo degressus carmine plura commemorem.** usitata in reditu a degressione ad propositum particula 'sed' (Seyffertus schol. lat. I 82² et ad Lael. p. 99, Kuehnerus gr. l. II p. 683) C. in ordinem se redigit per formulam solitam, quae similiter recurrit u. 164 *sed quid ego ignaris n. conqueror aureis,* ubi tamen habemus indicatiuum ad factos iam questus respicientem, cum hic adsit coniunctiuus 'commemorem' ad ea spectans, quae breuissime

quasi a praetereunte tangenda adhuc restant (cf. Seyff. schol. lat. I 71). 'primum carmen', siue huius de Ariadne carminis (non totius poematis) initium, dictum est ut dixit *in prima fabula* Ter. Ad. prol. 9, ubi uide Ruhnkenium: paucis uerbis indicans ea quae inde a deuicto Minotauro euenerunt poeta redit ad puellam desertam, qualem u. 52 sqq. depinxerat et in cuius descriptionem quam maxime intentus est. Graecorum *παρέκβασις* cum latine sit aut 'egressio' aut 'degressio' (nam formas 'degressus' et 'degressio' tam ratio quam antiquissimi codices, ex. gr. Quintiliani, ubi saepius in textum sunt restituendae illae, conmendant), memor perpetuae uocularum 'de' et 'di' per medium aeuum confusionis rescripsi 'degressus' pro tradito in V 'digressus'. de eiusdem V uitio 'cum primo' cf. ad XXIX 4: pessime olim nonnulli 'in primo' scripserunt, cum sit 'degredi a re' legitima locutio. 'plura' explicatur illis 'ut, ut, ut .. aut ut .. aut ut', quibus tres partes principales eorum quae postea euenerunt summatim adumbrantur. — **117. ut linquens genitoris filia uultum.** hoc est conspectum: Stat. Theb. X 693 *cur ad patrios non stant tua lumina uultus?*, Sen. Herc. fur. 1173 *cur meos Theseus fugit paterque uultus?* carum os genitoris debet semper uelle uidere filia (Passeratius cp. Aen. VI 686). — **118. ut consanguineae complexum, ut denique matris.** sororis natu minoris Phaedrae, quam multo post Theseus duxit uxorem, et matris Pasiphaes. difficile tamen dictu, cur poeta non una cum Phaedra duas reliquas consanguineas siue sorores (cf. Ouid. epist. 14, 121), nempe Acacen et Xenodicen (cf. Apollod. III 1, 2), conmemorauerit. et 'complexum' quomodocumque accipimus (uide ad LXII 21), non conuenit sorori, sed unice matri, quae cum gradatione ('denique') ultimo ponitur loco. unde iam olim BRealinus comma potius ante 'complexum' posuit, ad id quod est 'consanguineae' subintellegens 'uultum'. quod fit durissime. ornatus uerborum in patre et matre hic aptissimus omitti potuit in sororibus. placet igitur Heinsii emendatio 'ut consanguineas, complexum ut d. m.' — **119, 120. quae misera in gnata deperdita, laeta omnibus his Thesei dulcem praeoptarit amorem.** pedem unum in u. priore interlapsum alii aliter supplebant, dum omnes ipsum 'laeta' attemptant cogitantque de matre siue olim ob hanc filiam gaudente ('laetabatur' Lachmannus) siue nunc eam deflente ('luctabatur' Rossbachius, 'lamentata est' Coningto, 'lamentatur' Buechelerus), ut taceam de priorum commentis. uerum enim uero pulcrior fingi nequit oppositio quam matris deperditae et laetae filiae: illa, cum filia ei periisset, et ipsa deperiit (deperdita = funditus adflicta, ut Prop. I 3, 11; unde 'in' non ad dictiones amatorias, ut supra 98 et Prop. I 13, 7, sed ad Ouid. met. II 362 *nostrum laniatur in arbore corpus*, h. e. 'una cum', explicandum); filia contra prae 'omnibus his', scil. propinquis, lubenter secuta est uirum carum. tam splendidam imaginem uelle delere cum esset religio, potius in medio uersu (ut similiter iam priores, falsis tamen admixtis) periisse uocabulum aliquod ratus addidi 'tabet', uerbum ad matris maerorem significandum sane aptissimum

(cf. Lucr. III 911 *aeterno tabescere luctu,* Cic. Catil. II 4, 6 *desiderio sui Catilinam miserum tabescere*) quodque inter 'gnata' et 'deperdita' non ita difficile potuit interlabi. dicitur autem prisce 'tabere' pro 'tabescere', ut IV 26 'senere' pro 'senescere'. 'praeoptarit' (hoc est 'p̄optarit') egregie elicuit AStatius ex litteris traditis 'portaret'; de synizesi cf. Plaut. Trin. 648 et Ter. Hec. 532. nec non 'Thesei' bisyllabe, ut infra 381 'Pelei'. 'dulcis amor', ut LXVI 6. — **121. aut ut uecta ratis spumosa ad litora Diae.** etsi non falso dicitur 'uehitur ratis' (cf. Lachm. ad Prop. p. 335), tamen Thesei nauis minime cursum derexerat ad Diam, quo potius procellis est adpulsa (Hygin. f. 43 *in insula Dia tempestate retentus*). si legimus auctore Passeratio deleta litterula 's' dittographa 'rati', omnis in ipsam uirginem derigitur mentis attentio; et illa clam scilicet nocte abducta (Diod. IV 61, 5) sane peculiari hac mentione digna ('uecta' igitur pro 'auecta'; ad 'spumosa' cf. u. 52). 'sit' omissum est ut X 31: postea in his formis neglegendis liberiores Vergilius aliique; quod si non placet, non tam cum Lachmanno u. 122 'uenerit' addiderim (Ouid. f. I 233) quam post 121 intercidisse integrum uersum statuerim, cum praesertim haec media pars unico uersu concepta sit iusto breuius. — **122. aut ut eam deuincta lumina somno.** Itali 'eam dulci deuinctam' scripserunt secuti Ciris u. 206 *iamque adeo dulci deuinctus lumina somno Nisus erat,* recte quod attinet ad 'deuinctã' (male olim nonnulli 'deuictam': cf. Handius ad Stat silu. I p. 326 sq. et Lucr. IV 453 *suaui deuinxit membra sopore somnus*). nam Ellisius, cum coniecit 'eam deuincta tenentem' rhythmo plane non Catulliano, nimis intendit artis seueritatem, de unica cum agatur lineola. immo ante 'deuinctam' periisse somni attributum, illa in Ciri imitatio probabile reddit, quod fuisse 'dulci' propterea incredibile est quod iam u. 120 idem legitur uocabulum; qualis repetitio otiosissima intra tam paruum spatium in hoc quidem carmine nusquam deprehenditur. liberius igitur uersatus est Ciris auctor, ut alibi quoque; sed simile eum hic legisse uocabulum pro certo habeo. amant enim scriptores Ariadnae somnum depingere lenem dulcemque, pulcra nimirum terroris eum insecuti oppositione: Prop. I 3, 1 sqq. *qualis Thesea iacuit cedente carina languida desertis Gnosia litoribus . . . talis uisa mihi mollem spirare quietem Cynthia,* Philostr. imag. I 14 (15) ὡς ἐν μαλακῷ κεῖται τῷ ὕπνῳ, Nonn. Dion. XLVII 320 ὕπνος ἐμοὶ γλυκὺς ἦλθεν ἕως γλυκὺς ᾤχετο Θησεύς. unde conligenti mihi LXIII 44 et LXVIII[a] 5 praeplacuit inserere 'molli', utpote inter 'm' et 'de' interlapsum. ceterum 'eam' rarissimum in poesi cultiore (ut omnes casus obliqui pronominis illius: Bentl. ad Hor. od. III 11, 18, Weidnerus ad Verg. Aen. II 103) hic ob mutatam constructionem paene necessarium erat. — **123. liquerit inmemori discedens pectore coniunx.** deseruerit abeundo perfidus Theseus (cf. ad u. 58), qui non sine consilio 'coniunx' hic uocatur: spectat hoc ad 'furentem' in u. sequenti. iamque ad carminis initium et Ariadnen desertam fit reditus; quae, ut antea torpore deuincta, sic nunc, ubi Thesei

nauis e conspectu abiit, dolori indulgens depingitur. — **124. ardenti corde furentem.** ardet furitque Ariadne utpote uix compos sui desiderio noui mariti tacitaque libidine. nempe 'furores' siue cupiditates u. 94 excitae hic iam in flammas abierunt saeuas. minus bene haec ad iram referentur secundum u. 197. — **125. clarisonas imo fudisse ex pectore uoces.** acutas, quales profert dolor; Gauius Bassus apud Gell. V 7, 2 *clarescere et resonare uoces*: habet hoc 'clarisonus' (Graecorum ὀξύτονος), quod infra 320 recurrit, etiam Cicero Arat. 280. 'fudisse', profudisse infra 202. Verg. Aen. I 371 *imoque trahens a pectore uocem* et VI 55 *funditque preces rex pectore ab imo.* — **126. ac tum praeruptos tristes conscendere montes.** hoc 'tum' et alterum 'tum' u. 128 inter se cohaerent: 'modo, modo' noto usu. paenitet iam, quod recepi Italorum coniecturam 'tristem' communi sane editorum consensu probatam, qua languidissimum hic epitheton uirginis iam satis u. 124 descriptae nanciscimur. per idem potius asyndeton, de quo exposui ad XLVI 11, 'tristes' ita accedit ad 'praeruptos', ut montes non modo adscensum paene negantes et in mare praecipites (cf. u. 297), sed etiam nihil fere gestantes praebentesque tristem aspectum uidere nobis uideamur; neque dubito quin ita legerit Ouidius arte rhetorica unum montem praeferens epist. 10, 25 sqq. *mons fuit: apparent frutices in uertice rari: hinc scopulus raucis pendet adesus aquis. adscendo (uires animus dabat) atque ita late aequora prospectu metior alta meo.* 'conscendere' et 128 'procurrere' inter 'fudisse' et 130 'dixisse' cum eadem uicissitudine, qua in narratione derecta inter perfectum et praesens historicum interdum uariant. — **127. unde aciem pelagi uastos praetenderet aestus.** uulgo 'aciem in p. u. protenderet' legunt usu uocis 'protendere' plane insolito. et hoc retinentes alii Itali 'acie'. quod amplexus (nudum 'acies' saepe, ut Hor. sat. II 2, 5, oculorum denotat uisum acutum) rescripsi 'pertenderet' (hoc est, tenderet per), quale uocabulum utique ob oculos habuit Ouidius l. l. 'metior' (pro 'permetior') ponens. nunc hic quoque uno remedio rem peragi posse intellexi scribendo 'aciem p. uastos per tenderet aestus', h. e. uisum derigeret per inmensos fluctus ad speculandam Thesei nauem; sic enim 'oculos tendere' adhibet Lucr. I 66, Aen. II 405 et V 508; de 'per' traiecto cf. supra ad 101. similiter Tib. I 7, 19 *utque maris uastum prospectet turribus aequor.* — **128. tum tremuli salis aduersas procurrere in undas.** maris praesertim in aestu semper tremuli, etsi pacati, in oppositos et contra se ruentes fluctus (Sil. Ital. XVII 44 *contra aduersas undas*) aliquantulum incurrit uirgo, scilicet si in scopulo nauem se uidisse putauit; rem explicat Dracont. 9, 200 [PLM. V p. 191] *nocte dieque ponto oculis attenta uolat; nam fluctibus atris carbasa prima uidens nautis occurrit in undis*; et in eadem imagine Ouidius epist. 2, 127 *in freta procurro.* — **129. mollia nudatae tollentem tegmina surae.** male haec olim de cothurnis acceperunt, ut etiam Peerlkampius ad Verg. Aen. I p. 46. dudum rectiora docuerant, ueluti Ruhnkenius ad Homeri hymn. in Cer. 176. mollia siue tenuia (LXV 21) surae, quae iam nudatur,

tegmina (hoc est, tunicam quae discincta trahebatur: u. 64) tollit uirgo, scil. ne aquae inrigarent. confert Ruhnkenius Apoll. Rhod. III 874 *ἂν δὲ χιτῶνας λεπταλέους λευκῆς ἐπιγουνίδος ἄχρις ἄειρον.* — **130. atque haec extremis maestam dixisse querelis.** 'extremis', utpote morti uicinam (cf. 'extrema uerba loqui' similiaque): Prop. III 7, 55 *flens tamen extremis dedit haec mandata querelis, cum moribunda niger clauderet ora liquor.* 'maestam', scil. ubi tandem intellexit, frustra se sperasse. — **131. frigidulos udo singultus ore cientem.** poetica licentia transfertur ad singultus id quod est proprium uirginis extremas querelas edentis (eleg. in Maec. 2, 2 *frigidus et iamiam cum moribundus erat*). quamquam possunt etiam 'frigiduli' dici singultus ei, qui frigus incutiunt (germanice 'schaurig'), absolute quoque absentibus auditoribus; sic *rumor frigidus* habet Hor. sat. II 6, 50. nouum deminutiuum ex Catullo adsumpsit Ciris auctor 251 et 348 *super morientis alumnae frigidulos ocellos.* 'udo ore', dum uultus madet lacrimis (Ouid. am. I 8, 84 *udas genas*). 'cientem', mouentem siue edentem, ut 'fletus' et 'gemitus ciere' dixit Vergilius. — sequentem iam Ariadnae desertae orationem nobilem ob oculos habuere Verg. Aen. IV 305 sqq., Ouid. fast. III 473 sqq. et met. VIII 108 sqq. (epist. 10), Lygdamus 6, 39 et auctor Aetnae 21 sq. ipse autem poeta noster, ut Medeam siue graecam Euripidis siue latinam Ennii, ita Apollonii locos similes (maxime IV 348 sqq.) aemulatus est. — **132. siccine me patriis auectam, perfide, ab aris.** 'sicine' (sic enim melius scribitur scripsitque sine dubio noster) post comicos rarius obuium hic fere ualet 'uerene igitur', ut apud Prop. III 6, 9 *sicin eam incomptis uidisti flere capillis?* 'auectam' non per uim dolosque (sua enim sponte uirgo uirum secuta est), sed simpliciter 'abductam': Hygin. fab. 42 (Theseus) *eam, quod fidem illi dederat, in coniugio habiturus secum auexit.* 'ab oris' Itali restituerunt, quod sua se simplicitate editoribus commendauit plerisque; quamquam causa certa, cur damnetur tradita lectio 'ab aris', non adest. 'arae' enim et 'foci', plane ut 'penates', designant familiam; Verg. Aen. XI 269 *patriis ut reddidit aris,* Prop. II 1, 62 *restituit patriis Androgeona focis*; et hinc Charisius p. 33, 5 K. *arae pro penatibus.* — **133. perfide.** repetitio affectus plena, ut Cul. 132 *perfide multum, perfide Demophoon.* — **134. siccine d. neglecto numine diuum.** quod scilicet firmandis promissis Ariadnae datis inuocauerat Theseus et tunc assis non fecit; cf. XXX 5 et LXXVI 4 et Cic. de harusp. resp. 17, 36 *fidem iusque iurandum neglectum.* 'sicine', hic scil. sine me. — **135. inmemor a! deuota domum periuria portas.** 'a' refer ad eam uocem, in qua uis adfectus est posita, ad 'inmemor' (58); habet interdum in interiectione locum anastrophe. 'domum portas', in patriam tecum uehis; cf. infra 238. 'deuota', a me diris execrata ideoque tibi funesta et perniciosa: praesumit uirgo ea quae postea (192 sqq.) facit; 'deuotus' siue 'dis inferis uotus' saepius significatione utitur infausti (cf. interpp. ad Hor. od. III 4, 27). male hoc multi (ueluti Naekius ad Val. Cat. p. 47) explicant. nimirum periuriis *sera tamen tacitis poena uenit*

pedibus (Tib. I 9, 4). — **136. nullane res potuit crudelis flectere mentis consilium.** bene uirginis in breui illo sed adfectus pleno 'nullane res' sensa explicat Vulpius: 'non iuramenta, non accepta beneficia, non infamiae timor; non formae, aetatis, fortunae, parentum denique meorum misericordia'. 'flectere', mutare siue in melius uertere: Ouid. met. X 608 *duram flectere mentem.* non dubitat autem puella, quin consulto et data opera discesserit iuuenis, unde illud cum ui conlocatum 'consilium'. — **137. tibi nulla fuit clementia praesto.** parata fuit siue adfuit, scil. in consilio tuo; Cic. Phil. 6, 13 *animum ei praesto fuisse* (paulo ante *eumque cognouisse paratissimo animo*). accentum rhetoricum habet 'nulla' per anaphoram repetitum (= ne minima quidem). — **138. inmite ut nostri uellet miserescere pectus.** 'uellet' quoque respectu illius 'consilium' est positum: ut saeuus ille, quo me relinquere constituebas, animus respiceret tamen probaretque misericordiam nobis debitam. non adest igitur hic abundans dicendi genus ('mis. uellet' pro simplici 'miseresceret'); cf. et Wunderlichius ad Tib. I 2, 94. lectioni Italorum 'miserescere' egregie succurrit **O** leni uitio 'mirescere' praebens, unde interpolatum est in **G** 'mitescere'; quod, quamquam cum 'nostri' non coeat, tamen strenue olim defendebant. — **139, 140. at non haec quondam blanda promissa dedisti uoce mihi, non haec miserae sperare iubebas.** hic quoque libro **O** habeamus gratiam, qui lectionem egregiam 'blanda' confirmauit; **G** memor illius 'nostri' in u. 138 neglegenter scripsit 'nobis'. hoc enim 'blanda uoce' (cf. Enn. ann. 51, Culex 279, Ouid. a. a. I 703 et III 795) quam aptum sit in his promissis amatoriis ut sponte apparet, ita iam et illud intolerabiliter nudum 'uoce dare promissa' remotum est et suadente rhythmo 'uoce mihi' cohaerent. 'haec' pathetice (= talia): Verg. Aen. XI 152 *non haec, o Palla, dederas promissa parenti.* ipsa promissa (quae Cat. fortasse tetigit in eis, quae post u. 102 perierunt) persecutus est Ouid. epist. 10, 73 sq. de 'at non' in oppositione acerrima cf. ex. gr. Verg. Aen. XI 148 et 736. dictio 'iubeo aliquem aliquid facere' cum sola sit uindicanda tempori Ciceroniano neque datiui in ea accusatiuo personae substituti unicum hodie restet exemplum (nam aliena, qualia congessit Kuehnerus gr. l. II p. 530, non moramur), 'miserae' uulgata stare nequit. quod rectissimo iudicio iam olim senserunt; ueluti in editione principe 'non haec miseram' legitur*). aliud tamen pro 'miseram' expectamus. quippe post 'haec promissa' male per anaphoram repetitur solum 'haec', ad quod necessario accedere debet substantiuum aliquod, quod accuratius iam rem depingat. hoc erit 'misera', quod euadit diremptis litterulis ita 'misera esperare' (de scriptura 'esperare' cf. Lachm. ad Lucr.

---

*) quod in V legitur 'nec haec' caue adhibere temptes ad emendationem. nam cum scriptum extaret 'n̄ ec', corrector supra 'ec' adposuit 'haec'; correctura non intellecta (cf. ad LI 1) postea in textum delapsa est.

p. 232). 'haec misera' (= has miserias), ut similiter 'haec laeta, tristia' substantiue; cf. III 14 *omnia bella*, VIII 6 *illa multa iocosa*, Kuehnerus gr. l. II p. 174; 'miserā sperare', ut 186 'nullā spes' et saepius. et uide pulcherrimam iam oppositionem, per chiasmum quae fit: 'haec promissa' et 'opt. hymenaeos', 'haec misera' et 'conubia laeta'. 'sperare' (ambigue cum timendi quoque significatione) 'iubebas', ut Verg. G. IV 325 *quid me caelum sperare iubebas?* (= auctor eras ut sperarem). — **141. sed conubia laeta, sed optatos hymenaeos.** inierant amantes uagae Veneris conubia, non iusta legitimaque. unde non modo 'laeta' praeter oppositionem nouum habet pondus, sed et bene alterum colon adicitur: hymenaei demum perficiunt conubia. hunc u. in suum usum conuertit Verg. Aen. IV 316 *per conubia nostra, per inceptos hymenaeos*: in utroque uersu animaduerte caesuram seminonariam rarissimam neque fere nisi sequente uoce graecanica permissam. — **142. quae cuncta aerii discerpunt irrita uenti.** cf. ad u. 59. 'uenti aerii', ut XXX 10 *nebulas aerias*, Ouid. met. IX 219 *aerias auras*; Lygdam. 6, 27 *uenti temeraria uota, aeriae et nubes diripienda ferant*, maxime Verg. Aen. IX 312 *multa patri mandata dabat portanda, sed aurae omnia discerpunt et nubibus irrita donant* et Ouid. tr. I 8, 35 *cunctane in aequoreos abierunt inrita uentos.* qui prolepticus uocis 'inrita' usus neque a prosae orationis scriptoribus plane alienus: Liuius XXVIII 29 *auferat omnia inrita obliuio.* — **143. nunc iam nulla uiro iuranti femina credat.** 'nunc' optime BGuarinus secundum Ouid. fast. III 475 (cf. testim. uol. I) reposuit pro illo in V tradito 'tum', quod etiamnunc sunt qui pessime explicent 'iam ex illo tempore, quo perierans Theseus promissa dedit', securi ineptissimae in dicto generali sententiae, quae flagitat 'abhinc meo exemplo discite, puellae, diffidere uiris'; quod discere non potest initium sumere ab eo tempore quo iurauit Theseus, sed ab eo quo falsa iuraiuranda esse apparuit, hoc est ab eo quo loquitur Ariadne. imitatur hunc u. Ouid. a. a. III 457 *parcite, Cecropides, iuranti credere Theseo.* ceterum bene AStatius: 'oratorie neminem excipit. Aristoteles in II Rhetor. [21] *καθόλου δὲ μὴ ὄντος καθόλου εἰπεῖν, μάλιστα ἁρμόττει ἐν σχετλιασμῷ καὶ δεινώσει*', cp. Ter. Andr. III 1, 1 et Hecyr. I 1, 1. — **144. nulla uiris speret sermones esse fideles.** 'sperare' cum infinitiuo praesentis iunctum haud ita raro accedit ad notionem credendi: LXVII 44, LXXXIV 7. 'uiris' debetur Passeratio: male 'uiri' V, redarguente qui sequitur plurali ('quis, metuunt', cet.); neque enim constructio quae uocatur *κατὰ σύνεσιν* (Kuehnerus gr. l. II p. 16—20) singularem hic quidem tuetur. bene autem a 'uiro iuranti' adscenditur ad generalem uirorum mentionem; et hoc, totum uirorum genus non habere uerba, quibus fides possit haberi, sed a natura eis esse destitutum, multo fortius est dictum quam si 'uirum' (= uirorum) legeretur. — **145. quis dum aliquid cupiens animus praegestit apisci.** 'quis', non 'sermonibus', sed 'uiris' (ut docent u. 146 sqq.). non seruat in 'praegestit' uoce rariore (Cic. Cael. 28, 67; Hor. od. II 5, 9) praepositio suam significationem (cf. XLVI 7 *prae-*

trepidans), sed ualet 'ualde'; id quod in adiectiuis frequentius est, rarissime usu uenit in uerbis. Sall. Iug. 64, 6 *et animo cupienti nihil satis firmatur*; in re amatoria sat frequens cupiendi uocabulum (*cupido amanti* LXX 3). decenter autem per 'aliquid' dissimulatur res, cuius fieri uolunt compotes; uide interpp. ad Verg. Aen. IV 317, Burmannus ad Prop. II 18, 11. — **146. nil metuunt iurare, nihil promittere parcunt.** 'nil' et 'nihil' (XLII 21) usu noto pro 'neutiquam'; nam 'iurare' et 'promittere' (CX 5) absoluta. 'metuunt', dubitant (Ouid. met. X 745 *metuitque loqui*). ad 'parcunt' apte Vulpius cp. Ouid. a. a. I 444 *pollicitis diues quilibet esse potest.* — **147. cupidae mentis satiata libido est.** hoc expressisse uidetur Prudent. adu. Symm. I 136 (Bacchus) *inuenit expositum secreti in litoris acta corporis egregii scortum, quod perfidus illic liquerat incesto iuuenis satiatus amore.* — **148. dicta nihil meminere, nihil periuria curant.** bene et ex re correxit Czwalina 'mēīēre' pro tradito 'metuere', quod utique est absonum a sententia: dicta siue promissa puellis data (cf. Ouid. epist. 10, 73) ipsa nihil formidulosi continent; neque uero 'rupta' uel simile quid mente licet supplere. talia simplici ueri sensu accipere decet neque artificiosas quaerere defensiones. 'curat', ut Verg. ecl. 8, 103 *nil ille deos, nil carmina curat.* — **149. certe ego te in medio uersantem turbine leti eripui.** cum aliqua breuitate dicitur 'certe ego', ut et Sallust. Iug. 31, 4: uiderint aliae de se suisque in perfidos amatores meritis, ego ea quibus maiora uix fingi possunt beneficia in te contuli (cf. et LXVI 25). cum undique rapereris et urgereris (Ter. Andr. IV 1, 25 *quantis in malis uerser*, Ouid. ex P. I 2, 25 *interque pericula uersor,* Caton. dist. I 33, 1 *dubia in certis uersatur uita periclis*) a morte tempestatis instar undique te circumagente (Ouid. met. VII 614 *miserarum turbine rerum,* id. am. III 15, 6, Val. Flacc. VI 279 *doloris turbine,* Sil. Ital. XI 101 *Gradiui turbine,* Apul. met. VIII 31 *in ultimo fortunae turbine*). etiam *media in (a, ex) morte* frequens est dictio (Verg. Aen. II 533 ibique interpp.) de moribundis. inepte lectioni libri **O** 'lecti' insistens ISuessius [Hermae XII p. 173] coniecit 'tecti': nullus est 'turbo tecti'. Claudian. b. Get. 41 *tua nos urguenti dextera leto eripuit.* — **150. germanum amittere creui.** Minotaurum, Pasiphaes ex boue stirpem, 'Veneris monumenta nefandae'; Ouid. epist. 10, 115 *dextera crudelis, quae me fratremque necauit.* huc reuocauit Mitscherlichius Hygin. fab. 255 sic corrigens *Ariadne Minois filia fratrem, Medea* ['et' codd.] *filios occidit.* 'creui' pro 'decreui' prisco usu (cf. Sen. epist. 58, 2); Nonius p. 261, 5 adfert Lucilii ex sat. libr. XIII uerba *acribus in Persen* ('inter se' codd. inepte in singulari 'cernit') *cum armis confligere cernit* (= constituit). — **151. quam tibi fallaci supremo in tempore dessem.** pro 'quam ut dessem' (h. e. non succurrerem), ut supra 83. 'deesse' ut bisyllabum est (LMuell. d. r. m. p. 253), ita et extrita 'e' optime scribitur (Ritschelii opusc. III p. 268), unde secundum **O** 'dessem' reponere non dubitaui. Hor. od. II 7, 1 *o saepe mecum tempus in ultimum deducte,* in maximum uitae periculum. —

152. pro quo dilaceranda feris dabor alitibusque praeda. 'pro quo', cuius rei merces mihi est quod: infra 157, LXVI 37, LXVIII^b 110, LXXVI 26. Hom. Il. I 4 αὐτοὺς ϑ' ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν οἰωνοῖσι τε πᾶσι, Eur. Troad. 450 ϑηρσὶ δώσουσιν δάσασϑαι. Verg. Aen. IX 485 *heu terra ignota canibus data praeda Latinis alitibusque iaces* (IV 485 iam indicaui), Iust. I 4, 10 *a feris alitibusque defendentem*; cf. Ouid. epist. 10, 83 sqq., ubi 94 *destituor rabidis praeda cibusque feris.* — **153. neque iniacta tumulabor mortua terra.** res ipsa notissima; cf. ex. gr. Lambinus ad Hor. od. I 28, 36 *iniecto ter puluere curras.* Ennius trag. 126 Ribb., Ciris 441 *me ne illa quidem communis alumna omnibus iniecta tellus tumulabit harena,* Ouid. met. VII 361 *parua tumulatus harena.* ad 'iniacta' (pro quo uulgo 'iniecta': V 'intacta') cf. Corssenus de pronunt. II² p. 398 sqq. — **154. quaenam te genuit sola sub rupe leaena.** de sententia cf. ad LX 1 *num te leaena montibus Libystinis,* a qua forma tantum specie distat ea quae hic adest. nam per hoc 'quae leaena' non solum ecqua omnino, sed simul qualis (ex qua patria, num mitior an saeuior) eum genuerit quaeritur, plane ut apud Verg. Aen. II 151 Priamus uerbis *quae religio aut quae machina belli?* cum de re ipsa (num forte religioni, num belli usui seruiat ecus) tum uero accuratius de rei qualitate (cuinam religioni, cuinam belli usui seruiat) edoceri cupit; quo eodem loquendi genere Horatius od. II 1, 33 *qui* (non 'quis'!) *gurges aut quae flumina* uno tempore 'ecquis omnino' et 'qualis tandem gurges' (nam remotissimas tantum regiones fortasse expertes cruoris sibi fingit) interrogat. unde 'quae leaena?' fere ualet 'saeuissima quoque et inmanissima lea' (qualem ex. gr. montes proferunt Libystini). 'sola sub rupe', desolata; Verg. ecl. 10, 14 *illum etiam sola sub rupe iacentem,* Ciris 518 *solis in rupibus exigit aeuom*; sunt Homeri πέτραι ἠλίβατοι, ut equidem puto. — **155. quod mare conceptum spumantibus expuit undis.** concepit siue genuit (Lygdam. 4, 90) et in litus eiecit; 'expuere', quocum conparant Homericum ἐξεμεῖν de Charybdi adhibitum Odyss. II 237 et 437, contemptim pro solito 'euomere'. Hom. Il. XVI 34 γλαυκὴ δέ σε τίκτε ϑάλασσα πέτραι δ' ἠλίβατοι, ὅτι τοι νόος ἐστὶν ἀπηνής. — **156. quae Syrtis, quae Scylla rapax, quae uasta Charybdis.** accuratius et per exempla nunc C. persequitur spumantes siue feruentes saeuientesque undas secundum illud Aristotelium διαιρούμενα εἰς τὰ μέρη τὰ αὐτὰ μείζω φαίνεται. *horrendaue Syrtis* in eadem re Lygdam. 4, 91. Scylla 'rapax' (Culex 331) audit utpote *uirgineam canibus succincta figuram* (Lygd. 4, 89), quibus *Scyllaeum monstro saxum infestasse uoraci fertur* (Ciris 58 sqq., 77 sqq.). Charybdis autem 'uasta' siue inmensa ingensque uocatur tamquam belua inmanis, quam saepius 'uastam' ob corporis molem adpellant Romani; Lucr. I 722 *hic est uasta Charybdis.* excripsit hunc u. Verg. Aen. VII 302. uide etiam de hyperbole Quintil. VIII 6, 70 sqq. — **157. talia qui reddis pro dulci praemia uita.** quam mihi debes incolumem. uita, ut est res pretiosissima, dulcis audit secundum graecum γλυκὺς αἰών Hom. Od. V 152, Aesch. Agam. 1117; Lucr. II 997 *et dulcem ducunt uitam,* Cat.

LXVIII^b 66 *uita dulcius atque anima.* 'talia' (u. 152 sq. descripta) cum adfectu. referunt 'qui reddis' ad remotum illud 'te genuit' u. 154, quod duriuscule fit. unde cum **O** 'taliaq;' praebeat, subnata est mihi suspicio, num forte eodem uitio, quod ad XVI 12 tetigi, 'q;' ex 'ꝙ' sit corruptum: 'talia quod reddis' (cf. Homericum ὅτι τοι νόος ἐστὶν ἀπήνης) causam indicat cur ita statuat Ariadne. 'qui' si tamen praeplacet, ad indicatiuum 'reddis' cf. Aen. II 71 sq. *cui — poscunt.* — **158. non cordi fuerant.** non optaueras (XLIV 2; Ter. Andr. II 1, 28 *aut tibi nuptiae haec sunt cordi*), scil. cum auferres me Creta. — **159. saeua quod horrebas prisci praecepta parentis.** de certis quibusdam Aegei praeceptis (ne Theseus forte uictor futurus Cressam Atheniensibus inuisam domum duceret uxorem) nil est memoriae traditum, nisi quod huc adludit Hygin. fab. 43 uerbis his *Theseus in insula Dia .. cogitans, si Ariadnam in patriam portasset, sibi opprobrium futurum* eqs.: inputat haec ergo metui patris Ariadne cum contemptu. 'prisci', seueri, duri, austeri, ut Liu. XII 60, 4 *Torquatus priscae ac nimis durae seueritatis,* Cic. p. Cael. 14, 33 *seuere et grauiter et prisce agere*; Copa 34 *a pereat, cui sunt prisca supercilia.* 'saeua', truculenta, minarum plena, ut *saeua uerba* Hor. epod. 12, 13, *saeua clamitare* Tac. a. III 23. 'horrebas', cum horrore recordabaris. — **160. at t. in uestras potuisti ducere sedes.** in tui tuorumque patriam, Athenas; ut u. 176 *nostris sedibus.* de 'at' cf. Verg. G. IV 241, Aen. VI 406. 'potuisti', non obloquente patre. ad 'ducere' quoniam ultro mente supplemus 'me', facile sequuntur: — **161. quae tibi iocundo famularer serua labore.** ut ego in seruae statu habita ministeria tibi facerem, quae quantumuis uilia lubenter tamen susceptura fuissem. Hom. Il. III 409 εἰς ὅ κε σ' ἢ ἄλοχον ποιήσεται ἢ ὅ γε δούλην, hymn. in Cer. 140 sqq. (persequitur hunc locum Ciris 443 sqq.). ministeriorum exempla nunc profert: — **162. candida permulcens liquidis uestigia lymphis.** ex more illo prisco, quo seruae dominorum lauabant pedes; Hom. Od. XIX 387, Aristoph. uesp. 607. 'permulcens', inter lauandum molliter tangens; AStatius ep. Pacuuii trag. 244 R. *cedo tuum pedem mi, lumphis flauis flauum ut puluerem manibus isdem, quibus Ulixi saepe permulsi, abluam lassitudinemque minuam manuum mollitudine.* 'liquidis', leniter fluentibus (Ouid. met. III 451). 'candida', non per se (lauantur enim pedes puluere sordidi), sed proleptice, ut Tib. II 1, 14 *et manibus puris sumite fontis aquas.* 'lymphis', XXVII 5. — **163. purpureaue tuum consternens ueste cubile.** hoc quoque ministeriorum seruilium (Hom. Il. I 31, alibi); Naekius ep. Ariadnae uerba. ap. Nonn. Dion. XLVII 386 sqq. Apul. met. IX 2 *super constratum lectum* (alia constructione Ter. Heaut. V 1, 30 *lectus uestimentis stratus est*). de purpurea stragula cf. ad 49. — **164. set quid ego ignaris neiquicquam conqueror aureis externata malo.** sic recte Itali pro tradito 'conquerar', quoniam Ariadne iam factas querellas abrumpit (cf. contra 116): Enn. ann. 210 *sed quid ego hic animo lamentor?* et 318 *sed quid ego haec memoro?,* Liuius XXXVIII 48 *sed quid ego haec ita argumentor,* Val. Flacc. VIII 158. ad

'ignaris' Scaliger cp. Lycophr. Alex. 1451 *τί μακρὰ τλήμων εἰς ἀνηκόους πέτρας, εἰς κῦμα κωφόν, εἰς νάπας δασπλήτιδας βάζω, κενὸν ψάλλουσα μάστακος κρότον;* (de prouerbio *αὔραις καὶ ἀνέμοις διαλέγεσθαι, γῇ καὶ οὐρανῷ λαλεῖν* Doeringius cp. Hemsterh. ad Lucian. I p. 110 et Doruill. ad Char. p. 164); cf. et Callim. fr. 67. 'aureis' datiuus (Sil. Ital. VIII 94 *conqueriturque tibi*) et 170 'auris': grammaticorum uides placita ad distinguendas uocabulorum diuersorum formas congruentes. 'neiquicquam' itidem prisce (de 'nei' pro 'ne' cf. p. 51). 'externata' (cf. ad 71), calamitate mea mentis reddita inpos, ut harum querellarum uanitatem non perspiciam. — **165. quae nullis sensibus auctae.** inanimatae. 'auctae', instructae, ut Lucr. III 626 (animam) *quinque sensibus auctam* et 630 *animas sensibus auctas.* — **166. nec missas audire queunt nec reddere uoces.** nec ea quae queror accipere nec eis respondere ualent. 'mittere (= emittere) uocem', loqui, Lucr, III 931, Hor. a. p. 390, epic. Drusi 352, Sen. Troad. 617, Rutil. Nam. I 31; 'reddere uocem', respondere, Verg. Aen. VIII 217, Hor. a. p. 158; Verg. Aen. I 409 *ueras audire et reddere uoces* (ib. VI 689). — **167. prope iam mediis uersatur in undis.** iam paene dimidium iter confecit, quod est inter Diam et Athenas, h. e. oculis meis non amplius conspectus in alto est (Verg. Aen. III 664 et V 1). Lucr. III 1046 *mortua cui uita est prope iam uiuo* (Caes. b. c. III 81, 3, Orest. trag. 664). ille igitur certo ademptus est. — **168. nec quisquam apparet uacua mortalis in acta.** hic quoque 'alga' male V; cf. ad 60. 'mortalis' pro 'homo' cum quadam grauitate ponere iam priscis poetis (nec non scriptoribus, ut Catoni et Sallustio) adamatum, ut Ennio ann. 23 V.; cf. omnino disputatio Gellii XIII 29. 'apparet', conspicitur, ut Aen. I 118. — **169, 170. insultans extremo tempore saeua fors etiam nostris inuidit questibus auris.** Cic. ad fam. X 12, 1 *reip. .. te tantum opis attulisse extremis paene temporibus* (= in summa rerum calamitate); cf. ad 156. Ouid. trist. III 11, 1 *insultes qui casibus, inprobe, nostris*, ibid. II 571 *quemquam insultasse iacenti.* crudelis Fortuna (cf. ad 366) 'inuidit', non indulsit siue denegauit (Ouid. ex P. II 8, 58 *quod quoniam nobis inuidit inutile fatum,* et saepius 'inuida fata', ut Lydia 61), ut alicui possem credere dolorem meum. 'etiam' cum 'aures' coniunge; de forma 'questibus' cf. Neuius d. f. l. I 367 sq — **171. Iuppiter omnipotens, utinam ne tempore primo.** sollemni inuocatione eius, qui regit fata hominum, A. execratur malam suam sortem, quam per longam seriem repetit. sequitur autem C. in hac re locum nobilem ex Ennii Medea (205 R. *utinam ne in memore Pelio* eqs.), quem identidem reprehenderunt ob expositionem nimis longe repetitam auctor ad Her. II 22, 31 (de Ennii ceterorumque poetarum more quodam loquens), Cic. de inu. I 49, 91 et de fato 15, 35. 'primo tempore', initio (ut Ouid. fast. III 440). — **172. Gnosia Cecropiae tetigissent litora puppes.** sic falso V. uidebantur haec confirmari Macrobii testimonio, qui minus recte uerba illa expressisse putat Verg. Aen. IV 657 *si litora tantum numquam Dardaniae tetigissent nostra carinae* (nam et res et uerba, ad

quae, cf. Ouid. fast. I 519, Val. Flacc. VIII 432, uix ex imitatione fluxerunt), deceptus ille Catulli exemplaribus iam tum corruptis. ad Thesea uulgo haec referunt, ter (172, 174, 176) intolerabili cum tautologia idem dicentem poetam facientes et plures naues heroi tribuentes, quem una naui Athenis profectum Catullus alibi una cum ceteris rerum scriptoribus tradit. euanescunt hae incongruentiae, si repones mecum 'Gn. C. tetigisset l. puppis'. scriba quidam non intellegens 'Cecropiae' esse genetiuum ('Cecr.' pro 'Atticae', ut u. 79) et cohaerere 'Gnosia puppis' (cf. Ouid. met. VII 471 et VIII 144) non potuit haec referre ad Androgei Athenas iter, quod uere Ariadne ut mali sui principium est execrata. — **173, 174. indomito nec dira ferens stipendia tauro perfidus in Creta religasset nauita funem.** nec tributum execrandum pendere iussi perfidi (in necando Androgeo) Athenienses Cretam adpulissent. 'stipendia' enim intellege mulctam illam puerorum puellarumque inpositam (cf. Hor. epod. 17, 36). 'indomito' etiamtunc, cum quodam paenitentiae sensu. 'religare funem uel nauem in (ab, ex) litore' dicuntur nautae, qui terram adpellentes litoris siue saxo siue trunco adligant per retinacula nauem: Aen. VII 106, Hor. od. I 32, 7, Ouid. met. XIV 248, Sen. Med. 611 *barbara funem religauit ora*, Lucan. VII 860 *nullus ab Emathio religasset litore funem nauita.* nec porro, tertio cum obsides portarentur, in his Theseus uenisset Cretam: — **175, 176. nec malus hic celans dulci crudelia forma consilia in nostris requiesset sedibus hospes.** 'hic' *δεικτικῶς*, quasi uirgo uideret etiamtunc abeuntem. 'malus' substantiue, homo dolosus ac fraudulentus, ut XXIX 31; non placet coniungere 'malus hospes' (Prop. II 24, 44). 'dulcis forma' (cf. Stat. Ach. I 161 *dulcis adhuc uisu* de Achille, Ouid. met. XIII 795 *matura dulcior uua* de Galatea) ut res, quae specie dulcis intus amara est. uide in Ciri 429 sqq. et acerbissime puella suspicatur, iam ab initio hoc fuisse iuueni consilium, ut pellectam in amorem regis filiam ad auxilium ferendum inpelleret iamque perfide relinqueret. difficile explicatu 'requiesset'; nam fatigatum itinere et quiete (Hom. Od. XVIII 223) fruentem ut nobis fingamus res ipsa uetat, cum Theseus non ut hospes ibi iucunde commoraturus, sed ut opses diram pugnam pugnaturus Gortynam (160) uenerit. quamquam 'hospes' pro aduena et peregrino accipi potest; cf. et Verg. Aen. IV 10 *nostris successit sedibus hospes.* quodni in tradito 'requisisset' aliquid ('degisset'?) latet, statuendum est, Thesea Minois hospitio tamdiu usum esse dici, dum status pugnae dies aduenisset. — **177. nam quo me referam?** Eurip. Med. 502 *νῦν ποῖ τράπωμαι; πότερα πρὸς πατρὸς δόμους; οὓς σοὶ προδοῦσα καὶ πάτραν ἀφικόμην; ἢ πρὸς ταλαίνας Πελιάδας; καλῶς γ' ἂν οὖν δέξαιντό μ' οἴκοις ὧν πατέρα κατέκτανον*, Enn. 231 R. *quo nunc me uertam, quod iter incipiam ingredi? domum paternamne anne ad Peliae filias?* unde uidemus, 'nam', quod in hoc ad rem longe diuersam transitu non potest rationem adferre superiorum, sollemni mutatione ex 'iam' ortum esse. nam quod Spengelius 'nunc' reposuit: cum ui hic inepta hoc praeponitur, unde Ennius 'quo nunc' potius scripsit.

erat autem hic locus siue Euripideus siue Ennianus (uide etiam Ennii 75 sqq. R.) nobilis; Cic. de or. III 56, 214 haec adfert ex C. Gracchi oratione *quo me miser conferam? quo uertam? in Capitoliumne? at fratris sanguine redundat. an domum? matremne ut miseram lamentantemque uideam?*; cf. et Verg. Aen. II 69 sqq., Ouid. met. VIII 113 sqq. 'me referam', redeam. — **quali spe p. nitor?** male olim secundum illud 'referam' Itali 'nitor'; ut illud 'se referre' ad tempus futurum, ita hoc 'niti aliqua spe' ad praesens necessario spectat. de dictione cf. Cic. ad Att. III 9, 2 *sustinebimus nos et spe, qua iubes, nitemur.* — **178. Idomeneosne petam montes?** sic uulgo legunt, de Idomeneo, Minois nepote (cf. Apollod. III 1, 2; Hom. Il. II 645), cum anachronismo quodam dictos esse Cretae montes putantes. sed licet eius tumulus Gnosi extiterit (Diod. V 79, 3), tamen longe aliud est, si ex. gr. Piraeus dicitur portus Erechtheus; neque enim Idomeneus heros erat Cretensis. itaque ab eo potissimum insulae illius montes adpellari, ut exemplo ita etiam ratione caret. accedit quod 'Idomeneos' insolita plane in hoc genetiuo synizesi est pronuntiandum; id quod non defenditur exemplis a LMuellero d. r. m. p. 275 adlatis; unde Lachmannus ad Lucr. p. 192 formam in latino certe sermone suspectam 'Idomeneusne', Buechelerus [mus. Rhen. XV p. 437] 'Idomeneine', ego ipse 'Idmeneosne' proposuimus (olim BGuarinus 'Idaeosne', hoc est Idam Cretensem, uoluerat). nunc totam illam rationem abiciendam esse perspicio. nam cum hoc per se pateat, uirginem non esse in patriam reuersuram nisi de patris Minois uenia certam (cf. et Ouid. epist. 10, 64 sqq.), in Cretam reditus uno u. 180 potest indicari; ubi cum 'ac' pro 'an' reponendum diceret Silligius, aliqua saltem ex parte uerum uidisse est putandus, quamquam ab arte falsus. itaque cum in V legatur 'Idoneosne' cum uaria lectione 'Idmoneos', ex illa lectione nomen eruatur oportet regionis, in qua cum haberet propinquos omnium facillime tutum refugium sperare potuit Ariadne. quale refugium cum uix alibi ei licuerit sperare quam in Europae auiae terra patria, uide an 'Sidoneosne' siue 'Sidoniosne' (utraque forma proba) sit restituendum. — **178, 179. a, gurgite uasto discernens ponti truculentum ubi diuidit aequor.** aequor cum sit primitus omnis planities (cf. *campi aequor* Enn. ann. 140 et Cic. de diu. I 42, *aequora caeli* Attius trag. 224 R.), etiam *maris aequor* (-ra) interdum dixerunt, ut Tib. I 7, 19 et Verg. Aen. II 780, *salis aequor* Aen. III 385, *ponti aequora* Georg. I 469. 'discernens', dissocians me ab illis (Liu. XXVII 39 *urbes magno inter se maris terrarumque spatio discretas*), 'gurgite lato', aqua inmensa interfluente, 'ubi diuidit'. quae uerba conlatis Lucr. I 721 *angustoque fretu rapidum mare diuidit undis* et poetae incerti (Varronis Attacini, ut puto) ap. Cic. Tusc. I 20, 45 *Europam Libyamque rapax ubi diuidit unda* defendere student, quamquam haec synonymorum adcumulatio a stili Catulliani simplicitate abhorret (nam alia ratio est c. LXIII). et certe 'ubi' defensionem non ineptam quidem admittit nullam; unde praeeunte BPisano plerique delent. ego uero alterum quoque incommodum una sublaturus

dedi 'auidae inuidet (abid' īuidet)', cui ab affectu egregie conuenit cum 'a' interiectione: cum illuc fugere aueam, eheu denegat mare interiacens (cf. ad 170 et Verg. ecl. 7, 57). — **180. patris auxilium.** scil. me anquirentis. — **quemne ipsa reliqui.** eius nempe, quem mea sponte deserui sine spe ueniae; acerbe. 'ne' interrogatiuum ad pronomen relatiuum adiungitur cum brachylogia quadam ('quine', isne qui), ubi cum affectu miramur; qui usus, apud priscos frequentior (exempla dat Kuehnerus gr. l. II p. 1004), rarior est inde a Catullo, apud quem hic et 183 acerbitatis significatio circumscribi potest per 'nempe eius qui'; qua paululum obscurata aliis locis 'quine' simpliciter ualet 'quippe qui', ut iam in fragmento Lucilii ap. Non. 313, 15 sic emaculando ⟨*pueros tu dilige,*⟩ *quine* ('quiete' codd.) *poscent te minus et praebebunt rectius multo*, Ter. Ad. II 3, 9, Hor. sat. I 10, 21, Verg. Aen. II 673; cf. GHermannus in Iahnii ann. 1841 p. 246, Hauptius opusc. III 537. — **181. respersum iuuenem fraterna caede.** sanguine fratris (Minotauri, cf. 150), ut ex. gr. Lucan. VII 294 *populos in caede* (= cruore) *natantes*; Verg. Aen. IV 21 *sparsos fraterna caede penates*; Ouid. am. II 14, 28 *Colchida respersam puerorum sanguine.* — **182. coniugis an fido consoler memet amore.** in his unumquoduis fere uerbum spirat acerbitatem summam. 'coniugis', nempe promissi; 'fido amore', quae sciam illum cupiditate satiata inmemorem nil me curare; 'memet', ego me ipsa (de 'memet' raro omnino cf. Neuius d. f. l. II p. 186, Attius trag. 190 R. *utinam memet possem obliscier*), quae alios qui malum meum solaciis leniant non habeam; 'consoler', sperem eum reuersurum esse. — **183. quine fugit lentos incuruans gurgite remos.** suapte natura remi sunt 'lenti' siue flexibiles; Claudian. d. rapt. Pros. IV 37 *quae* (arbor) *lenta, fauebit remigio*; Sen. Phaedr. 306 *ungula lentos imitante remos.* unde 'lentare remos' pro 'nauigare' dicit Verg. Aen. III 384, Sen. Agam. 438; Ciris 461 *flectitur in uiridi remus sale.* quodsi 'incuruans' praeterea additur, hoc arte nimirum cum 'fugit' cohaerens nihil indicat nisi summam celeritatem, qua abit Theseus. cui celeritati, qua ad frangendum usque inflectuntur remi, horum fauet natura. — **184. praeterea nullo litus sola insula tecto.** accedit, ut nulla nitar spe, insula ipsa inculta desertaque (cf. ad 57 et Prop. I 18, 4 *sola saxa*). quod dicunt, uerba 'sola insula' per adpositionem accedere ad 'litus', nullo id pacto fieri licet propterea quod, etiamsi litus ubique fere incultum carebat domibus, tamen insula interior quamquam nunc relicta eas habere potuit. praeterea latine dici nequit 'litus (insula) est nullo tecto'. unde corruunt coniecturae prolatae omnes, Scaligeri 'litus solum, nullo insula tecto', Vossii 'nullo (litus solum) insula tecto', Weisii 'nullo litus, nullo i. t.', mei ipsius 'nullo litus tecto, insula sola' (nam altera coniectura a me temptata 'nudum litus, sola i. t.' ab eo laborat, quod 'sola' nusquam cum ablatiuo coniungitur, quo qua re aliquid desolatum sit indicetur). et hinc commenta liberius euagantia, ueluti Huschkii 'litus nullo solamina tecto', HAKochii 'solum litus, sola i. tota'. nunc autem in uoce una

'litus' latere mihi uidetur uitium, quippe a quo nihil omnino sperare licuerit; possuntque difficultates sic fere dissolui 'nullo recipit (admittit) sola insula tecto', hospitio me suscipit. — **185. nec patet egressus pelagi cingentibus undis.** et ut insula nihil spei nobis praebet, ita *ecce maris magna claudit nos obice pontus* (Verg. Aen. X 377). persequitur haec Ouidius epist. 10, 58 *quid faciam, quo sola ferar? uacat insula cultu: non hominum uideo, non ego facta boum. omne latus terrae cingit mare: nauita nusquam, nulla per ambiguas puppis itura uias.* — **186. nulla fugae ratio, nulla spes.** iam per asyndeton summatiuum ex antecedentibus fit conclusio: nulla igitur nec abeundi potestas nec uiuendi hic facultas. de 'est' omissa cf. supra p. 49. 'nulla' producta 'a' in arsi ante 'sp', ut IV 9 et 18, XVII 24. uide quam pulcre uocis 'nulla' epanaphorae respondeat ter repetitum 'omnia' in sqq. — **187. omnia muta, omnia sunt deserta, ostentant omnia letum.** 'muta', uoci meae opem inploranti non respondent; Prop. I 18, 1 *deserta loca et taciturna querenti.* mortem mihi ob oculos ponunt minanturque; Pacuuius trag. 55 R. *mortem ostentant, regno expellunt*, Verg. Aen. I 91 *praesentemque uiris intentant omnia mortem.* — **188. non tamen ante mihi languescent lumina morte.** mors igitur est certa; sed antequam moriar, deuouebo te dis inferis. Sil. Ital. I 503 *trahit instanti languentia leto membra*, Verg. Aen. IX 436 *languescit moriens,* h. e. deficit; Quint. XI 3, 76 *oculi languidi et torpentes.* oculi scilicet primum morte adpropinquante teguntur nocte; cf. et Ciris 348 *super morientis alumnae frigidulos .. ocellos.* — **189. nec prius a fesso secedent corpore sensus.** nec ceteri porro sensus me in rerum omnium inopia uiribus defectam relinquent. Ciris 448 *fesso fugiunt de corpore uires,* Aegrit. Perd. 245 [PLM. V p. 123] *detorsit fessos artus et languida membra*; Lucan. V 760 *attonito cesserunt pectore sensus*; Ouid. met. III 467 *nostro secedere corpore possem.* 'prius' post 'ante' uariandi causa, ut saepius; et sic etiam Verg. Aen. IV 24 sqq. explicandi. — **191, 192. a diuis exposcam prodita multam caelestumque fidem postrema comprecer hora.** deos iterate nominans quam firmam spem auxilii ab eis ferendi mente gerat ostendit uirgo. 'prodita', perfide relicta, ut Ouid. epist. 10, 118. 'exposcam', cum adfectu; Caes. b. c. II 5, 3 *et ante simulacra proiecti uictoriam ab diis exposcerent.* de genetiuo 'caelestum' cf. Neuius d. f. l. II p. 37. 'fidem deorum comprecari', ut *deos comprecari* Ter. Ad. IV 5, 65, *deum fidem clamitans* Apul. met. VIII 18, *hominum fidem inplorare* Ter. Ad. III 4, 43, in quibus fidem notum est ualere auxilium firmum praesentemque tutelam. 'postrema', usu rariore pro 'suprema', ut CI 3. IVossius cp. Pacuui trag. 206, 7 R. — **192. quare, facta uirum multantes uindice poena, Eumenides.** 'quare' in transitu ad rem, ut et 'igitur'. Erinyes hic ut *dii periuriorum uindices* (Iustin. XIV 4, 10) inuocantur, utpote quae puniant certa ultione (Cic. pro Balbo 18 *accusatorem huius multa et poena multarunt*; 'uindice' adiectiue pro 'uindicante', ut Ouid. met. I 230 *uindice flamma*, plura dat Neuius d. f. l. II p. 18) mala facta

generis uirilis. nam ipse conexus suggerit 'facta' dici 'impia' (ut Lucr. III 1018 *at mens sibi conscia factis praemetuens adhibet stimulos*); et cogitat Ariadne de solito quodam more, quo puellae desertae in amatorum perfidorum poenam arcessunt deas ultrices. male Schraderus coniecit 'uiri'. — **193, 194. quibus anguino redimita capillo frons expirantis praeportat pectoris iras.** notum est Aeschylum (Choeph. 1048) induxisse in scaenam tres istas uiragines ὀφιοπλοκάμους (Orph. hymn. 69); unde frequens poetis imago illa (cf. Enn. trag. 28 R.; Tibull. I 3, 69; Hor. od. II 13, 35; Verg. Aen. VI 281; Ouid. met. IV 453, alia). utraque forma 'anguĭnĕus' et 'anguīnus' proba: *ceruice anguina* Pacuu. trag. 3 R., *anguino ore* Prop. IV 8, 10. 'praeportat', prae se fert siue manifesto ostendit, ut Lucr. II 621 *telaque praeportant uiolenti signa furoris*; et sententia similis eius, qua Pacatus pan. 37 *in speculo frontium imago extat animorum.* 'expirantis' (acc. plur.) absolute positum cum 'iras' potius iungas quam (gen. sing.) cum 'pectoris': angues ex fronte crinium instar pendentes indicium sunt furoris intra in pectore saeuientis forasque prorupturi; cf. Lucr. VI 640. — **195. huc huc aduentate, meas audite querellas.** huc, si quo alio, properate, LXI 8 sq., PLM. III 19, 36 [p. 62] *huc huc, Pierides, uolucri concedite saltu*; Priap. 14, 1. Verg. Aen. VI 258 *aduentante dea.* 'audite', exaudite, ut nostri imitatione Verg. Aen. IV 612 *et nostras audite preces.* — **196. quas ego, uae, misera extremis proferre medullis.** 'uae' absolute, ut Hor. od. I 13, 3, Verg. ecl. 9, 28 et (ut puto) Ouid. epist. 3, 82; male 'uae miserae' uulgo legitur, quod quantumuis usitatum non tamen parentheseos loco inseri potest. 'extremis medullis', quamquam insolenter est dictum (unde Casaubonus maluit 'ex imis'), unum tamen exemplum habet Ouid. epist. 4, 70 *acer in extremis* (= imis) *ossibus haesit amor*; cf. et 'medullitus ingemere' Apul. met. VII 2. — **197. cogor inops, ardens, amenti caeca furore.** pulcra cum ascensione: consilio auxilioque destituta (Sil. Ital. II 462; plerumque *inops animi* similiterue legitur, Aen. IV 300), incensa indignatione (Caecil. com. 230 R. *nunc enim demum mi animus ardet*), per iram uecordem externata conpellor. Attius trag. 450 R. *cor ira feruit caecum, amentia rapior,* Verg. Aen. II 244 *caecique furore.* Sen. de ira III 39 *ira amens*; usitatius sane 'furor demens'. quomodo 'amenti' et 'caeca' cohaereant, docet Cic. Tusc. III 5, 10 *animi affectionem lumine mentis carentem nominauerunt amentiam eandemque dementiam.* — **198. uerae nascuntur pectore ab imo.** iustae et aequae; cf. Priscian. XVIII 24 [II p. 308, 18 H.], Broukhus. ad Prop. III 13, 11 et loci a Bentleio ad Hor. a. p. 318 congesti, inter quos Lucr. III 57 *uerae uoces tum demum pectore ab imo eiciuntur*; CFrHermannus uind. lat. p. 14. — **199. uos nolite pati nostrum uanescere luctum.** Sall. Iug. 14, 25 *nolite pati regnum Numidiae ... tabescere.* 'uanescere', uanum atque inritum fieri, perire hunc dolorem; Quintil. IV 3, 8 *cauendum est ne ipsa expositio uanescat auersis in aliud animis*; Ouid. am. II 14, 41, epist. 1, 79. — **200. set quali solam Theseus me mente reli-**

quit, tali mente, deae, funestet seque suosque. non insueta in deuotione formula par pari referendi; Iustin. XIV 4, 10 *di .. tales uobis exitus dent, quales uos ducibus uestris dedistis*; CIL. I 818. 'solam reliquit', deseruit; CIL. IV 1951 *Sarra, non belle facis: solum me relinquis,* Lygdam. 6, 41 (Ariadne) *ignoto sola relicta loco*, Prop. II 24, 46 (Medea) *ab infido sola relicta uiro.* 'quali mente', leui nimirum et inmemori; cf. 248. 'funestet', non (ut alibi) 'commaculet', sed respectu funestae uestis luctui propriae 'funestos reddat', ut Lucr. VI 1139 *finibus in Cecropis funestos reddidit agros*: eundem luctum (199), quem ipsa sum experta, Theseus eiusque familia percipiat in se translatum. — **202. maesto profudit pectore uoces.** ui quadam expulit, utpote uoce iamiam deficiente, ut similiter Verg. Aen. IV 553 *rumpebat pectore questus*; cf. et 125. de producta in 'profudit' prima cf. LMuellerus d. r. m. p. 363. — **203. supplicium s. exposcens anxia f.** Schwabius coniecit 'saucia'; sed utitur hic 'anxia', plane ut LXVIII[a] 8, significatione primitiua rariore 'uersans in angoribus'; qualis descripta est uirgo u. 197. Stat. Theb. XII 459 *deposcere saeua supplicia .. iuuat.* — **204. annuit inuicto caelestum numine rector.** 'annuit', uoti eam compotem fecit; cf. Aen. IX 104 sqq., ubi plenior dictio 'ratum annuit'. attributum Iouis proprium 'inuictus' (Hor. od. III 27, 73; Ouid. fast. VI 650) transfertur hic ad eius numen; quae uox ita nutum designat (Verg. Aen. IV 269 deum *regnator, caelum et terras qui numine torquet*), ut simul imperium innuat sine uoluntatis manifestationem; quam significationem, ubicumque 'numen' pro 'nutus' positum uidetur, agnosco. est igitur 'numen inuictum' imperium, cui nemo obloqui audet; et praeter conlatum a CdeAllio Liuium VII 30 *annuite, p. c., nutum numenque uestrum inuictum Campanis et iubete sperare* etiam conparari potest Hor., sat. I 7, 30 *uindemiator inuictus.* male V habet 'inuito', ut semper haec in codd. confunduntur; falso docti nonnulli retinentes illud eo referunt, quod Iuppiter iustitiam exercens aegro tamen animo Thesea, Neptuni sui filium secundum quorundam narrationes (Plut. Thes. 6), poena affecerit; sed haec fabula utique aliena a Catullo, qui Aegea facit patrem Thesei. sententiam ipsam notum est ex Homero (cf. Il. I 528 sqq.) fluxisse in poetas latinos ualde ea delectatos (cf. ex. gr. Verg. Aen. IX 106 *adnuit et totum nutu tremefecit Olympum,* Hor. od. I 34, 9, Ouid. met. I 179, Sil. Ital. V 385). — **205. quom tunc tellus atque horrida contr. aequora.** haec cum in uulgata lectione 'quo tunc et' parum scite feliciterque essent sanata, Fea praeeunte Schwabius coniecit *quo nutu tellus* (cf. Ouid. met. II 849 *qui nutu concutit orbem*) obstante u. superiore iam satis nutum indicante. ergo recepi Heysii inuentum 'quo motu' (exaratum olim tibi finge 'quomtu', supra lineam 'o' scripta), quod confirmant loci Statii Theb. VII 3 *concussitque caput, motu quo celsa laborant sidera* et Claud. rapt. Pros. III 66 *et horrendo concussit sidera motu.* 'horrida' proleptice sumas; Hor. od. III 24, 40 *horrida callidi uincunt aequora nauitae* (cf. et Lucr. III 834). — **206. concussit-**

que micantia sidera mundus. mirum est, in hac praesertim descriptione, qua quid Iouis nutum consequatur ob oculos ponitur, mundum ipsum concutere, non concuti dici. unde olim Itali ʽconcussusqueʼ nimis pro Catullo certe libero constructionis huius usu, Pleitnerus ʽconcusseique m. s. mundeiʼ coniecerunt. ego ʽconcussique m. s. mundiʼ ita puto corruptum esse, ut ʽconcussitqueʼ obuio errore semel exaratum traheret uocem alteram. ʽmundusʼ (Graecorum κόσμος) notum est indicare ʽcaelumʼ apud poetas Propertio priores, qui primus (quantum quidem nunc uidere licet) ad hunc terrarum orbem uocem illam deflexit; cf. Buechelerus, coniect. lat. p. 8. — **207. ipse autem caeca mentem caligine Theseus consitus.** per ʽipseʼ (quod pronomen oppositionis κατ' ἐξοχήν uocat Naegelsbachius stil. lat. § 91) Theseus ex contrario ponitur Ariadnae; quod contrarium intendit addita etiam ad praesentem deorum poenam indicandam particula ʽautemʼ. ʽcaecaʼ, obscura (cf. LXVIII^b 4 *caeca nocte*) uel potius, utpote cum eiusdem notionis substantiuo coniunctum, densa; adamatum erat hoc ʽcaeca caligineʼ, cf. Verg. Aen. III 203 et VIII 253 quaeque congessit Marklandus epist. crit. p. 34. ʽconsitusʼ (usu raro pro ʽobsitusʼ), tectus, obrutus; Plaut. Men. V 2, 4 *consitus senectute* et Lucr. II 211 *sol lumine conserit arua*; nec opus uidetur coniectura olim a me facta ʽconditusʼ (Claud. in Prob. et Olyb. 166 *meam condunt obliuia mentem*), quamquam quod incorporea dicuntur ʽobsitaʼ potest sane mouere offensionem. quod ad ʽmentemʼ eodem modo quo supra 64 et 65 constructum, uide poetae licentiam iam ultra corporis partes (in quibus initio se continuit constructio illa) procedentis; Verg. Aen. I 713 *expleri mentem nequit* et III 47. — **208, 209. oblito dimisit pectore cuncta, quae mandata prius constanti mente tenebat.** ʽdimittere pectoreʼ cum per se sit ʽobliuisciʼ (Sil. Ital. XVI 156), tamen ʽoblitumʼ iterum pectus dixit poeta, ut iusta aequabilitas euaderet cum membro altero ʽconstanti m. tenebatʼ, hoc est, animo inmutabili seruabat firmiterque recordabatur; Lucr. II 582 *et memori mandatum mente tenere*, Aen. III 388 *tu condita mente teneto*, Apul. met. XI 6 *plane memineris et penita mente conditum semper tenebis.* ʽpriusʼ, antea; cf. ad IV 25. ʽmandataʼ, praecepta, hic pro mero participio habuerim (non ʽcuncta mandata, quaeʼ). — **210. dulcia nec m. sustollens signa parenti.** ʽlucidaʼ maluit Wakefieldus, uetante oppositione, quae est haece: signa constituta (uela candida), quae Aegeo uidenti in angore suo gratum leuamen metus timorisque de filio concepti erant futura. ad ʽsustollereʼ cf. 235. — **211. sospitem Erectheum se ostendit uisere portum.** sic egregie IVossius pro tradito in V ʽereptumʼ, unde olim languidissime Itali ʽsospitem et ereptumʼ uel ʽerectumʼ (= superbum) fecerant; ab Erechtheo enim, fabuloso illo Athenarum rege, poetae Atticam denominabant saepe. cuius nominis formam latinam ʽErect(h)eusʼ fuisse (ut usque ad finem liberae reip. semper, saepe etiam postea graecum ʽχʼ per ʽcʼ est redditum), codd. fere adserunt. ʽostenditʼ, manifestauit. ʽuisereʼ, hic fere: ex longinquo dispicere. Cic. pro Mur. 2, 4 *prope iam ex magna iactatione*

terram uidentem. — **212, 213. namque ferunt olim classi cum moenia diuae linquentem gnatum uentis cum crederet Aegeus.** nouam degressionem nouamque fabulam priscam introducit C. formula itidem apud Prop. I 20, 18 obuia. uitia, quae uerba illa contraxerunt, uulgo ita remouent ut Auantio auctore 'concrederet' legant (Colum. I praef. 4 *nauigia mari concredere*), contra artis criticae regulas. nam quoniam 'cum' postpositum nemini bilem mouet (cf. Aetnae 308, German. Arat. 103, Manil. II 136, alia), corruptelae sedes ibi potius statuenda est, ubi adest alterum uitium certum. 'classi' enim, licet pro unica naue accipi possit nec ablatiui forma insolita sit (ex. gr. Verg. Aen. VIII 11), tamen corruptum est putandum propterea quod 'diuae' nudum minime Mineruam indicat. unde iam olim Pontanus aliique desiderauere 'castae'. et notum est, quam saepe 'casta Minerua' similiaue inueniantur. quamquam castitas non tam est propria huius deae (casta Iuno ex. gr. non minus praedicatur), ut iam hoc 'castae deae' pro uera indubitate periphrasi Palladis possit haberi. sed cum hoc uitio cohaerere alterum in 'cum' alterutro superfluo positum intraque hunc locum cohibendum esse remedium intellegens olim scripsi 'castae tum moenia diuae'. nunc 'tum' nimis abundare sentiens requiro fere 'galeatae (clupeatae) moenia diuae'. cf. Anth. lat. 425, 1 [PLM. IV p. 359] *crede ratem uentis.* — **214. complexum.** eum. superflue Itali 'complexo'. — **215, 216, 217. gnate, mihi longa iocundior, unice, uita, gnate, ego quem in dubios cogor dimittere casus, reddite in extrema nuper mihi fine senectae.** filium unum ideoque carissimum uixdum reducem ('reddite' pro 'restitute' accipe, non cum aliis pro 'edite'; cf. Peerlkamp. ad Verg. II p. 195) a Troezene, ubi ille apud Aethram matrem auumque Pittheum usque ad puberem aetatem degerat (Hygin. fab. 37), Aegeus statim iterum 'dimittere', a se mittere (Ouid. epist. 2, 13), in ancipitia pericula (Hor. sat. II 2, 108) tristi fato conpellebatur (Hygin. fab. 41). est quidem haec non insolita locutio 'uita gratior mihi est aliquis' (cf. ad LXVIII^b 66 et Aen. V 724 *nate mihi uita .. care magis* et IV 31), sed senem morti uicinum uocare filium 'longa sua uita iucundiorem' (nam praeterita aetas nihil in his uotis ad rem), id uero caret et ratione et exemplo. quapropter recte IHHoeufftius (is enim primus peric. crit. p. 6 protulit) restituit 'longe', conparans LXVIII^b 119, Lygdam. 4, 93, Ouid. met. XII 686. porro 'extremae' uoluit Auantius, quem olim fere editores sequebantur. sed ad intendendam notionem uocis 'finis' additur synonymum 'extrema' (de uocis illius usu feminino cf. Neuius d. f. l. I 675), ut similiter habet Tib. I 8, 50 *ueteres senes* (nam Hor. ep. II 1, 12 et Aen. II 447 hinc alieni). maior difficultas in tradito uersuum ordine. nam u. 217 causam adfert, cur Theseus patri tam sit carus (ante breue demum tempus hic illum norat et amore conplexus est); unde 215 et 217 artissime cohaerent. nam si dicas, 'dimittere' et 'reddite' aliquatenus tamen bene coire, saltim 'redditum' flagitamus. cui rationi obstat quod non minus arte cohaerent 'cogor' et 'quandoquidem' (u. 218), quae non discindi

poscit perspicuitas in hac nimis longa protasi anxie obseruanda. unde praestat tollere difficultatem traiectis inter se uu. 216 et 217. ad 'gnate' cum affectu repetitum apte AStatius cp. Verg. Aen. I 664, V 725. — **218. fortuna mea ac tua feruida uirtus.** mea sors aduersa in publica calamitate te retinere non patiens, tuus ultro haec pericula adeuntis animus ferox pulcro feruore elatus. Verg. Aen. VI 130 *ardens uirtus*. — **219. eripit.** ut illud 'cogor'. — **languida lumina.** senio extremo hebetata tardeque recipientia. — **220. gnati cara saturata figura.** non iam satis perbiberunt (LXVIII^{b} 43) pulcritudinis tuae dulcedinem. ad periphrasin 'gnati figura' (= natus pulcra figura ornatus) cf. Prop. I 2, 7 et III 20, 1. Claudian. de cons. Stil. 197 *nec uaga dilecto satiantur lumina uoltu*; cf. et 'pascere oculos'. — **221. gaudens laetanti pectore.** gaudia siue interna animi uoluptas ex laetitia, qualem secunda rerum fortuna procreat, profluunt: laetitia adfectum pectus gaudet. nec adest hic luxurians loquendi genus posteriorum, sed prisca illa cogitandi sentiendique simplicitas saepius apud Plautum obuia. — **222. nec te ferre sinam.** nec propterea te praeferre, nauem tuam gerere patiar eqs. laetorum nimirum indicia sunt omnia alba candidaque, unde niuea lintea naui Thesei denegat pater. — **223. multas expromam mente querellas.** ex pectore abdito proferam in diem; Plaut. Bacch. IV 4, 9 (consilium) *ubicumque usus siet, pectore expromat suo*; cf. et LXV 3. non male Heinsius coniecit 'mutas'; quamquam 'multa' non minus bene conuenit seni illi, quem uerbosiorem pingit poetae ars. Ouid. epist. 13, 110 *cur uenit, a, uerbis multa querella carens* ('tens' Paris.), crebra etsi muta. — **224. canitiem terra atque infuso puluere foedans.** ex noto illo more ueterum in magno luctu humi fusos crines adspergendi harena; cf. Hom. Il. XVIII 23 et XXIV 314; 'canitiem' pro crine cano primus posuisse uidetur Catullus, recepit Verg. Aen. X 844 *canitiem multo deformat puluere* et XII 611 *canitiem inmundo perfusam puluere turpans*, et porro alii. 'terram' uel 'humum' intellege (ut Verg. Aen. VI 365) uel cum 'puluere' per *ἓν διὰ δυοῖν* iunge. — **225. inde infecta uago suspendam lintea malo.** 'inde', tum. 'uago', nutanti utpote uentis agitato, ut Enn. trag. 151 R. *arbores uento uagant*, quod alibi non inuenitur; quid consuetius sit docet Lucr. V 1096 *uentis pulsa uacillans arbor*. 'infecta', tincta colore obscuro, ut ex. gr. Ouid. met. IV 10 *infecta pensa*. — **226. nostros ut luctus nostraeque incendia mentis.** 'noster' (= meus) post 'suspendam': cf. ad II 1—3. ut 'luctus' externam doloris manifestationem, ita 'incendia' animi ardentem commotionem indicant; Verg. Aen. IV 360, Val. Flacc. VII 243 *perpetior dubiae iam dudum incendia mentis*, Vell. Paterc. II 130, 4 *abstruso .. pectus eius flagrauit incendio* (in dolore). — **227. carbasus obscurata dicet ferrugine Hibera.** ferrugo, a ferri similitudine trahens nomen, est color siue purpureus siue uiolaceus in nigrum inclinans; 'uicinus purpurae subnigrae' teste Seruio ad Verg. Aen. IX 582 *ferrugine clarus Hibera*, *πορφύρα μέλαινα* testibus glossis a Scaligero excitatis (paulo aliter Nonius p. 549, 3). iam etsi purpura Hispana (Polyb.

III 114, 4, Liuius XXII 46, Verg. l. l.) ferruginea sit, caue tamen hic 'ferrugine Hibera' coniungas. immo 'Hibera' ad 'carbasus' spectat: Plin. h. n. XIX 1, 10 *Hispania citerior habet splendorem lini ... et tenuitas mira ibi primum carbasis repertis.* etenim ferrugo sensu latiore et obscurata purpurae notione omne atrum, etiam quod cum morte et inferis cohaeret, designat: Ouid. Ib. 233 *tinctis ferrugine pannis*, Verg. Aen. VI 339 (Charontis) *ferruginea cumba,* Georg. I 467 *caput obscura nitidum ferrugine texit*, Ouid. met. V 404 (Ditis) *obscura tinctas ferrugine habenas.* hinc olim Itali hic e coniectura dedere 'obscura'; sed 'obscuratum' etsi singulariter dictum aperte ualet 'obscura siue pulla (Ouid. met. XI 48 *obscuraque carbasa pullo*) reddita inficiendo'. tum 'dicet' V; et licet uerbum dicandi ex Nonio p. 287 constet significasse etiam olim 'indicare, nuntiare' (Lucil. XXX 5 M. scribo *sicubi ad auris fama tuam pugnam claram mi adlata dicasset*), male tamen Aegeus pulla lintea suspendere se dicit, ut luctus suus maerorque omnibus fiat apertus. iam olim Italus quidam dederat 'decet'; quod uulgata lectione 'obscura' deceptus in 'deceat' mutari uoluit AStatius; recte illud restituit Lachmannus: quemadmodum rerum mearum condicioni conuenit (cf. X 24). — **228. sancti incola Itoni.** dei dicuntur incolae (cf. XXXVI 14) locorum sibi sanctorum (ibid. 12), ut Grat. Cyneg. 438 *Vulcane .. incola sancte,* paneg. ad Mess. 56, porro etiam templorum consecratorum, ut Minuc. Fel. 7, 5 *templa sunt magis augusta numinibus incolis,* Hor. od. I 16, 6 *adytis quatit .. incola Pythius.* 'incola' feminine, ut Phaedr. I 6, 6. Mineruae Itonidis siue Itoniae (Prelleri myth. graec. I p. 176 et 180) cultus ex Thessalia (Pausan. I 13, 2) migrauit in Boeotiam, in qua locus prope Coroneam situs et ipse Iton siue Itonos (Strabo p. 435) secundum ueterem illum Thessalicum uocabatur (Hesych. Ἰτωνία Ἀθηνᾶ ἐν Βοιωτίᾳ, Pausan. IX 34, 1, schol. ad Apoll. Rhod. I 551 et 721); et haec Boeotica Itonia magis celebrata (cf. ex. gr. Liuius XXXVI 20, Stat. Theb. II 720) hic fortasse est intellegenda. 'sanctae Itonis' maluit Turnebus sine causa. prima in 'Itonus' syllaba anceps (cf. ex. gr. Hom. Il. II 696 et contra Callim. hymn. Cer. 74). — **229. quae nostrum genus ac sedes defendere Erecthi annuit.** nostrum regum Atheniensium inde a Cecrope per longam seriem (Apollod. III 14, 5 sqq.) genus atque hanc urbem Minerua semper se tuituram esse pollicita est ('se' omissum, ut XXXVI 7; 'defendere' pro 'defensuram esse', cf. Kuehnerus gr. l. II p. 517). 'erecti' siue 'Erecthi' egregie hic quoque IVossius restituit pro tradito 'freti' (E et F confusae, ut LXVIII[b] 1), secutus Hom. Il. II 547 δῆμον Ἐρεχθῆος μεγαλήτορος (uide et cetera); nisi quod ille 'Erechthei' maluit; sed de forma breuiore 'i' pro 'ei' cf. Ribbeckius prolegg. Verg. p. 130 sq., Buechelerus mus. Rhen. XV p. 437. — **231. facito ut memori tibi condita corde haec uigeant mandata.** Cic. pro Flacc. 24 *etiam atque etiam facite* (= operam date) *ut recordemini.* 'memori' cum 'corde' iunge, ut Sil. Ital. XIII 40 *narrabat memori Diomedes condita mente* (Verg. Aen. III 388 *tu condita mente teneto*).

'mandata uigeant in corde', uiuant in pectore tuo eique quasi litteris inextinctis inscripta sint, ut Ter. And. I 5, 48 *scripta mihi illa dicta sunt in animo,* Cic. Tusc. III 31, 75 *uerbum .. ut uigeat.* — **232. nec ulla obliteret aetas.** numquam (quantumuis longum tempus procul sis futurus) haec ex animo tuo deleantur quasi spongia ingesta, obliuioni dentur. — **233. simul haec nostros inuisent lumina collis.** 'haec', pro quo Itali 'ac' reposuere ('simul' pro 'simulac', cf. ad XXII 15), de Thesei oculis accipe, quos manu tangit pater. 'inuisent' rara significatione pro 'uidebunt' siue 'uisent' (211), ut XXXI 4, Cic. Arat. fr. XXIII [PLM. I p. 5] *et natos geminos inuises sub caput Arcti*: si oculi tui tendendo per extrema spatia sibi subiecta reperient quaesitos colles Atticos. — **234. funestam antemnae deponant undique uestem.** hoc est, uelum; Lucr. VI 114 *ubi suspensam uestem .. uenti pulsant*; qua uoce hic cum respectu habitus lugubris utitur poeta: Attius trag. 86 R. *sed quaenam haec mulier est funesta ueste, tonsu lugubri?* antemna est lignum transuersum malo adligatum (in maioribus nauibus duae erant inter se coniunctae, unde pluralis explicandus), cui subnectebatur uelum. iam deponunt siue exuunt antemnae uelum ita ut singuli nodi, quibus per certa interualla lintea conexa erant cum ligno, dissoluantur (cf. Richius lex. antiqq. s. u. 'anquina'); sed difficile est dictu, quomodo hoc faciant 'undique'; an nautis ab omni parte in ea re occupatis? facile uox illa mouet suspicionem. — **235. intorti sustollant uela rudentes.** funes nautici e cannabi firmiter torti (Ouid. met. III 679 *intortos funes,* alii *tortos f.*), per quos sursum erigebantur noua lintea denuo iam per nodos adliganda antemnis. male post h. u. Faernus aliique inseruerunt uersiculum a nobis ut fragmentum 9 exhibitum; qui etsi indubitate esset Catulli (sed est potius Cinnae), hic tamen nisi cum summa molestia atque descriptionis damno tolerari non posset. — **236. quam primum cernens ut l. gaudia m. agnoscam.** prima et ultima uerba coniunge: quam celerrime (ante nauem portum ingressam) ut intellegam, nuntium gaudii plenum indicari niueis linteis, cum haec uideam. — **237. cum te reducem aetas prospera sistet.** Ouid. met. III 635 *terra sistere petita,* Liuius XXIX 27 *domos reduces sistatis.* sed quomodo terrae patriae eum reponere possit aetas, obscurum est, siquidem aetas (aeuitas) semper certum quoddam temporis spatium magis minusue longum significat, etiam ap. Verg. Aen. VIII 200 *attulit et nobis aliquando optantibus aetas auxilium aduentumque dei* (post longum tempus tandem nobis uenit per deum salus), numquam unum aliquem diem; nec coit cum tali circumscripto spatio longiore uox 'prospera', quae in solum reditus diem quadrat. igitur 'sors' AGuarinus, 'fors' Dousa iunior (cf. Prop. III 12, 2 *nam quocumque die saluum te fata remittent*), male HAKochius 'aura' coniecerunt. mihi, cum 'lux' nimis sit remotum, praeplacet cogitare de Mineruae fauore, cuius iam supra mentio est facta: 'dea prospera'; Val. Flacc. III 184 *si fata sinant, si prospera Iuno.* potest etiam latere 'trabs (= nauis) prospera', ut Valgius Rufus ap. Isid. XIX 4 *prora .. laetantem gratis sistit in hospitiis.* —

239, 240. Thesea ceu pulsae uentorum flamine nubes aerium niuei montis liquere cacumen. uentus acrius flans nubes, deae ultrices mandatorum memoriam dispulerunt. ad imaginem cf. Hom. Il. V 522 sqq. 'liquere' commune uerbum alteri membro additum more Alexandrinorum, qui abhinc etiam apud Romanos increbuit (cf. Hauptius opusc. II p. 77 sq.); Ouid. epist. 12, 167 *ipsi me cantus .. artesque relinquunt,* a me fugiunt. 'niuei', niue candidi, ut German. Arat. 243 *niueus quos procreat Haemus*; CMuellerus cp. *ὄρεϊ νιφόεντι* Hom. Il. XIII 754. 'aerium', ut infra 291, LXVIII^{b} 17. — **241. ut summa prospectum ex arce petebat.** quemadmodum cotidie acropolin uisendi causa adscendere solebat. scimus ex Pausania I 22, 5, ex arce quamquam a litore remota longe in mare potuisse prospici. Verg. Aen. I 180 *Aeneas scopulum interea conscendit et omnem prospectum late pelago petit*; Pacuuius trag. 96 et Attius 407 R. — **242. anxia in assiduos absumens lumina fletus.** ut semper 'in' cum accusatiuo iunctum indicat finem et propositum, ita 'absumitur aliquid in aliquam rem' hoc modo, ut res, quae pro pretio refertur, aut ea, cui inpensis factis prosumus, significetur (cf. ex. gr. Sueton. Aug. 98 et 101). neque enim conparare licet Verg. VII 301 *absumptae in Teucros uires,* hoc est 'uires aduersus Troianos' (quibus hi inpugnantur). neque quod Gronouius [diatr. in Stat. I p. 520 Handii] inter aliena conlegit exemplum Prop. IV 6, 55 *dixerat et pharetrae pondus consumit in arcus* aliter explicari potest quam 'omnes sagittas in usum arcuum (ut tela emitterentur) absumpsit'. neque aliter Graeci *ἀναλίσκειν εἰς* adhibent. uix autem est quod moneam, ineptum esse hoc, Aegea propterea ut fleret oculos 'absumpsisse' siue exhausisse et plane debilitasse (similiter Ouid. met. V 427, et Mitscherlichius cp. Anth. Pal. IX 432, 1 sq.). unde pronum esset coniectare 'in assiduo consumens l. fletu', nisi alio ducerent lumina anxia. dum enim pectoris adfectus transfertur ad eam corporis partem, qua ille maxime proditur, Aegei oculi uocantur 'anxii' eo facilius quod anxie in mare prospiciunt. flendo absumit lumina qui soli luctui indulget assidue quocumque loco positus (Huschkius epist. crit. p. 92 cp. Hom. Od. V 156 sqq., ubi Ulixes *πόντον ἐπ' ἀτρύγετον δερκέσκετο δάκρυα λείβων*, nil tamen in mari quaerens), non is qui longe alium illorum usum facit semper acie permetiens aequor oculosque ad uidendum intendens. non dubito igitur quin librarii inter scribendum diuersa animo miscentes grauius peccauerint et poeta coeptam in uersu priore descriptionem continuans dederit 'in assiduos absumens lumina uisus': ut assiduo uideret uim oculorum exhauriens. caue autem cogites de prisco illo 'spectus': abhorret a Catulli more hoc 'lumină spectus'. — **243. infecti lintea ueli.** sic recte Itali pro tradito 'inflati': inflatum uentis uelum tam nigrum quam candidum est, cum tamen omnis uis sit posita in eo quod ferruginea aspexit pater; nec licet sic defendere ut euentum rei declarare aiamus colorem (Mitscherl.). — **244. scopulorum e uertice.** ex acropoli nempe (Diodor. IV 61, 7; Valcken. ad Eur. Hipp. p. 165); non ex Sunio promunturio, unde in mare se praecipitasse Aegea referunt

alii (cf. Hygin. fab. 242, Stat. Theb. XII 624 sqq.). etenim 'scopuli' de quouis monte scopuloso etiam in terra posito dicitur. — **245. inmiti fato.** crudeli, ut Ouid. met. XIII 260. — **246. sic funesta domus ingressus tecta paterna morte ferox Theseus.** uulgo interpretantur: tecta domus, quae sunt morte patris funesta siue in tristitia luctuque (Ouid. met. VII 575 *sua cuique domus funesta,* consolat. Liu. 474). in quibus modo intolerabili nudum 'domus' iamque plane superfluum est. recte igitur Itali 'paternae': tecta domus paternae funesta; Ouid. fast. VI 640 *inmensae tecta fuisse domus,* Stat. Theb. XII 267 *tectumque adgressa propinquae pastorale casae.* porro pro 'morte' Marcilius reposuit 'marte', egregie uoci 'ferox' restituens additum paene necessarium (Hor. od. I 32, 6 *ferox bello*). nec potest pulcrior oppositio excogitari quam haec domus paternae luctu oppressae et Thesei uictoria elati. — **247. qualem Minoidi luctum obtulerat.** parauerat uel portauerat, ut Plaut. Cas. III 5, 50 (mihi) *offert maerorem,* Lucil. XXVI 88 M. *homines ipsi hanc sibi . . aerumnam offerunt.* Ciris 289 *insanae luctum portauit alumnae*; hinc Itali recte 'Minoidi' pro tradito in V 'minoida'; de sollemni in uocibus graecanicis correptione illius 'i' cf. Hauptius opusc. II p. 129, Muellerus d. r. m. p. 392, nos PLM. II p. 43. — **248. talem ipse recepit.** contra accepit; Cic. Lael. 8, 28 *dandis recipiendisque meritis.* — **249. quae tum prospectans cedentem maesta carinam.** discedentem, ut Prop. I 3, 1 *Thesea cedente carina.* 'tñ (= tamen)' sollemni uitio pro 'tū (= tum)' V, unde G 'prospectans' metro non conueniens ex coniectura mutauit in 'aspectans'. reuertitur poeta iam ad carminis initium ita ut eisdem utatur uerbis (cf. 52 'prospectans'), hinc etiam rationem non habens medii carminis, in quo iam dudum ex puellae uisu abierat nauis. neque enim ille in Aegeo interfecto ita abrumpere potuit hanc degressionem ut de Ariadnae fatis plane incertos relinqueret lectores. — **250. uoluebat saucia curas.** aegra amore (ut Aen. IV 1), sed praeterea aliis quoque curis uariis, ut de morte certo instante, animo conmota aestuansque (cf. ad u. 62). — **251. at parte ex alia.** altera, scil. uestis stragulae. Liuius X 29, 3 et XXI 5, 3 *at ex parte altera*; poetae interdum 'alius' pro 'alter' ponunt, ut Verg. Aen. I 474 et Iuuen. VII 114 *parte alia,* Manil. I 319 *at parte ex alia claro uolat orbe Corona* cum loci nostri recordatione. ridiculo errore V 'at pater', cum 'pater' hic feruidi amatoris absurdum sit epitheton nec facile 'ex alia' absolute possit poni; ex u. 241 uitium est ortum. — **florens uolitabat Iacchus.** aeternae pulcritudine insignis iuuentae, qualis est deorum (cf. Broukhus. ad Tib. I 4, 37); ut 'florere' saepius de luce ac uigore iuuentae, cf. LXI 57 et Lucr. I 124 *semper florentis Homeri*; cui floridae adulescentiae conuenit cum 'Iacchus' nomine (Prelleri myth. gr. I p. 614). discurrit (cf. LXIII 25) autem Bacchus non ut agens incitansque comites (cf. infra 391), sed ut quaerens. — **252. cum thiaso Satyrorum et Nysigenis Silenis.** Bacchi ex India redeuntis comitibus et iunioribus et senioribus (cf. Prellerus l. l. I p. 570 sqq.); quorum hi quod Nysae, in

Indiae (Plin. h. n. VI 79) siue Arabiae (Diod. III 66, 3) urbe, nati dicuntur, recte Muretus inlustrauit cp. Diod. III 72, 1 *συστρατεῦσαι δὲ φασὶ καὶ τῶν Νυσαίων τοὺς εὐγενεστάτους, οὓς ὀνομάζεσθαι Σειληνούς. πρῶτον γὰρ τῶν ἁπάντων βασιλεῦσαι φασὶ τῆς Νύσης Σειληνόν* (cf. et Aelian. u. h. III 40). 'thiasus' de agmine, ut LXIII 28. — **253. te quaerens, Ariadna, tuoque incensus amore.** sequitur poeta eam fabulae formam, qua Ariadne iam antequam sequeretur Thesea a Baccho in coniugium petita esse fingebatur (schol. ad German. Arat. p. 384 Eyss., cf. et Prellerus l. l. I p. 533). Koelerus uoluit 'te cernens' uel 'teque uidens', fortasse recordatus illud Vergilii *ut uidi ut perii*; sed rarior illa fabulae species minime sollicitanda. 'tuo amore', amore in te, ut Dirae 101 *tua cura* et saepius. — **254. qui tum alacres passim lymphata mente furebant.** 'qui' quo referatur non habet. nec enim ea quae secuntur ad Satyros Silenosque referenda esse, docent tradita u. 256 'harum' ('horum' uulgo) et 261 'aliae' ('alii' uulgo), quae ipsa re magis fauente (etenim Maenades proprius dei exercitus: Diod. III 63) ut Baccharum nunc fieri mentionem sumamus suadent. Bergkius coniecit 'quae tum', hinc post 253 intercidisse uersiculum statuens sine ulla probabilitate; Schwabius uoluit 'quam tum' exclamatione utique aliena ab hoc loco, ubi simpliciter nouae comites sunt introducendae. itaque restitui 'quicum': una autem cum illo Bacchae (cf. u. sq.) 'alacres passim furebant' siue alacri motu furibundae uagabantur in omnes partes (cf. Verg. Aen. IV 42 *lateque furentes Barcaei*, VII 377 *sine more furit lymphata per urbem*), cum earum mentes agitarentur Bacchi stimulis; est enim mens lymphata (h. e. amens, Hor. od. I 37, 14, Aen. VII 377) propria Baccharum, cf. Pacuu. trag. 422 *flexanima tamquam lymphata et Bacchi sacris commota*, Ouid. met. XI 3 *lymphata pectora*, Sen. Herc. Oet. 245 *conceptum ferens Maenas Lyaeum .. lymphata rapitur.* 'alacres' ad corporis maxime statum uegetum uigentemque spectat; Ennius trag. 110 *iuuenum coetus .. inibat alacris, Bacchico insultans modo.* — **255. euhoe bacchantes, euhoe capita inflectentes.** participia, ut saepe, pro substantiuis: feminae illae quae 'euhoe' spiritu bacchico actae clamant, quae sub hoc clamore capita reiciunt (cf. ad LXIII 23). 'euhoe' (bisyllabum semper, ut graecum *εὐοῖ*; cf. et Lachm. ad Lucr. p. 309) priori uerbo ut obiectum accedit (quomodo saepius 'bacchari' pro 'clamare' siue 'personare' adhibetur), alteri autem liberiore modo ad declarandum tenorem bacchicum; quod ex Graecorum imitatione fluxit in poetas Latinos, cf. ex. gr. Hor. od. II 19, 5. — **256. harum pars tecta quatiebant cuspide thyrsos.** hastas in summa parte tectas siue uelatas uitibus (interdum etiam hederis, ut Prop. III 3, 35), quas *κισσινὸν βέλος* uocat Eurip. Bacch. 25 quasque tam Bacchus quam comites eius gestabant (cf. Richius lex. antiqq. s. u.); Ouid. met. III 667 *pampineis agitat uelatam frondibus hastam*, id. epist. 13, 33, Verg. ecl. 5, 31, Sen. Herc. f. 904 *tectam uirente cuspidem thyrso gerens,* Nemes. ecl. 3, 64 *et de uitibus hastas integit.* Sen. Herc. Oet. 243 *aut iussa thyrsum quatere* (= librare) *Maenas.* —

257. pars e diuolso iactabant membra iuuenco. discerptos uituli artus in omnes partes spargebant. Photius *νεβρίζειν .. διασπᾶν νεβροὺς κατὰ μίμησιν τοῦ περὶ Διονύσου πάθους* (Prellerus l. l. I p. 543); Eurip. Bacch. 737 sqq.; Persius 1, 99 sqq. *torua mimalloniis inplerunt cornua bombis, et raptum uitulo caput ablatura superbo Bassaris et lyncem Maenas flexura corymbis euhion ingeminat.* — **258. pars sese tortis serpentibus incingebant.** medium scil. corpus tamquam cingulo circumdabant; Ouid. met. IV 483 *induitur pallam tortoque* (nimirum per nodos) *incingitur angue* (Eurip. Bacch. 665); Arnob. V 19 de Bacchis *sequestrata pectoris sanitate circumplicatis uos anguibus atque .. caprorum reclamantium uiscera cruentatis oribus dissipatis.* alias et crinibus induuntur angues; cf. Eurip. Bacch. 103, Hor. od. II 19, 19 sq., Prudent. adu. Symm. I 130. — **259. pars obscura cauis celebrabant orgia cistis.** cista (caua, utpote arcula ex uimine facta) rebus mysticis ad cultum Liberi pertinentibus plena saepius a poetis maxime conmemoratur; quos locos tractauit de tota re dilucide exponens OIahnius [Hermae III p. 317 sqq.]. 'obscura' siue abscondita in cistis (Sen. Herc. Oet. 593 *et uirgineos celebrare choros, nos Cadmeis orgia ferre .. condita cistis,* Hor. od. I 18, 12 *uariis obsita frondibus*) siue potius mystica, ut per cauas cistas dicantur fieri haec mystica 'orgia' siue sacra (Seruius ad Aen. IV 302 *orgia apud Graecos dici sacra omnia, sicut apud Latinos caeremoniae dicuntur*). 'celebrare', ex more instituere, ut 'celebrare festum, ludum', sim. (Ouid. met. IV 4, VI 587; fast. V 597). male hic, ubi omnia sunt in actu ac uolitatione, 'celabant' maluit Broukhusius, cum praesertim in insula deserta nulla celandi esset causa. — **260. orgia, quae frustra cupiunt audire profani.** non initiati (Muretus: *βέβηλοι, ἀμυστηρίαστοι, ἀτέλεστοι*), quales procul arcebantur a sacris; Theocr. III 51 *ὅσ' οὐ πευσεῖσθε βέβαλοι,* interpp. ad Verg. Aen. VI 258, Hor. od. III 2, 26 sq. — **261. plangebant aliae proceris tympana palmis.** attende ad adlitterationem, quae in ornatum descriptionis adhibetur etiam per 'c' in 259 et per 't' in 262; eadem arte utitur in loco nostri simillimo Lucr. II 618 *tympana tenta tonant palmis et cymbala circum concaua raucisonoque minantur cornu cantu et Phrygio stimulat numero caua tibia mentis.* 'proceris', sublatis; nam cum omne procerum altum ac porrectum sit, interdum etiam id quod longum est procerum uocatur: Lucr. IV 827 *proceros passus,* Gell. I 1 *spatium procerum,* alia. in Priapeo 27, 4 *et abducta tympana pulsa manu* legunt codd., quod nunc ita retineo ut 'porrecta manu' explicem; cf. Richius lex. antiqq. s. u. 'tympanistria'. — **262. aut tereti tenuis tinnitus aere ciebant.** intellege usitata in his pompis cymbala (de crotalis cogitare maluit Vossius), quae praeter Lucretii l. l. commendat imitatio Ouidii met. IV 29 *impulsaque tympana palmis concauaque aera sonant longoque foramine buxus,* ibid. IV 393 *tinnulaque aera sonant*; eadem *aera rotunda* uocat Prop. IV 7, 61. 'tenuis', acutos, cum oppositione bomborum; Apul. flor. I 3 [p. 3, 15 Kr.] *acuto innitu et graui bombo concentum musicum miscuit,* met. X 31. — **263. multis**

raucisonos efflabant cornua bombos. de sono illo graui, quem designat uox per onomatopoeiam ficta 'bombus', cf. praeter Persii l. ad 257 l. Lucr. IV 544 *reboat raucum regio . . bombum*; de cornu rauco Prop. III 2, 21, Val. Flacc. VI 92. ut flamus uel inflamus instrumenta musica (cf. Heinsius ad Ouid. fast. VI 704), ita haec ipsa efflant sonos; quod etsi alibi non repertum adeo tamen apertum est, ut rectissime erutum esse censendum sit ex tradito in V 'efflebant' (quae uox ne latina quidem est, ut taceam nil flebile sonare cornua); nec minus recte BPisanus rescripsit 'multis', quam constructionem rariorem, secundum quam datiuus locum inplet genetiui imitatione Graecorum (cf. supra 45 *soliis,* 145 *quis,* infra 307 *his*), non intellegens librarius quidam dederat 'multi', de Baccharum genere securus. — **264. barbaraque horribili stridebat tibia cantu.** 'barbara' ex sensu Graecorum Phrygia (cf. LXIII 22); Hor. epod. 9, 5 *tibiis carmen . . barbarum*, Apul. flor. I 3 de Marsya *Phryx cetera et barbarus.* Lucan. I 237 *stridor lituum.* Ouid. am. III 13, 11 *praesonuit . . tibia cantu.* — abrumpit hic poeta subito descriptionem: quid iam factum sit de Ariadne (cuius fata in ipsa ueste longius persequi artificem coegit partium aequabilitas) nil curans satis ille habuit in eam rem breuiter intendisse digitum, et ne puellae desertae imago exhibita tristem nimis exitum haberet et ut aptus iam reditus ad primarium poematis argumentum pararetur. uitans igitur Bacchi et Ariadnae conubium attingere, ipsum pompae huius bacchiacae strepitum omnium instrumentorum musicorum concentu magnifice effectum in usum hoc modo adhibuit, ut iam laetius adfectos legentium animos sensim reduceret ad Pelei et Thetidos nuptias, per uerba 'talibus figuris' (265) ad initium (50) reflectens. — **265. amplifice,** non tam 'magnifice' quam simpliciter 'ample', alibi nunc non legitur, ut *amplificum ingenium* apud unum Fronton. p. 150, 4 N.; et sunt haud pauca adiectiua cum '-ficus' formata (in uitae cotidianae sermone, ut uidetur, maxime usitata) nunc ἅπαξ λεγόμενα, uelut 'iustificus' infra 405, 'largificus' Lucr. II 627. — **267. puluinar complexa suo uelabat amictu.** 'complexa' circumiecta et tegens (cf. 49), ut 307; porro uide supra 64. 'suo' ad obiectum 'puluinar' uidetur spectare: tam ampla erat uestis stragula, ut alio amictu nullo lectus nuptialis indigeret, sed illo tamquam proprio uteretur. non infitior tamen, mihi Catullum scripsisse uideri 'puluinar complexa suom': puluinar, ad quod pertinuit. — **267. quae postquam cupide spectando Thesala pubes expleta est.** 'quae' ad omnia ea quae u. 43 sqq. indicata sunt spectat. 'pubes', ut saepe, sensu latiore: populus. Lucr. III 104 *explere bonis rebus satiareque numquam*, Verg. Aen. VIII 265 *nequeunt expleri corda tuendo.* — **268. sanctis coepit decedere diuis.** de regia abire et ita locum dare caelestibus; Hor. epist. II 2, 213 *decede peritis,* Verg. ecl. 8, 88 *serae meminit decedere nocti.* 'diuis', per se plenum grauitatis, quod intenditur addito epitheto sollemni 'sanctis', summam agrestium reuerentiam denotat. — **269, 270. hic** ita ualet 'tunc', ut ipsum illud de quo agitur temporis momentum uiuidius subiciat oculis (graecum ἐν

αὐτῷ δὲ τούτῳ); cf. X 24, LXVIII 23; quo loco altero ut 'hic' et 'tale', sic nostro 'hic' et u. 276 'sic ibi' cohaeret. posita est autem conparationis iam sequentis summa in eo, quod Thessalorum ad fores regiae properantium exitumque quaerentium decessus in initio lentus (cf. 'coepit') mox, cum plures qui insequebantur urguerent paucos priores, magis magisque est factus concitatus, plane ut mare paulo ante lucem nouam paulatim insurgens flantibus iam acrius uentis commouetur aestuansque crebras agit undas; cuius imaginis a Catullo pulcre elaboratae exornataeque prima habes lineamenta apud Hom. Il. II 149 et 394 maximeque IV 422 sqq. — **qualis flatu placidum mare matutino horrificans Zephyrus procliuis incitat undas.** mare per noctem positum tranquillumque, sed se tollens tempore matutino, zephyrus (qui hic pro quouis uento dici uidetur ex more poetarum, cf. Prop. I 16, 34, Verg. Aen. IV 562; nec uidetur causa adesse cur de Graecorum zephyro imbres tempestatemque ferente cogitemus) 'horrificat' siue crispat (Hom. Il. VII 63 *οἵη δὲ ζεφύροιο ἐχεύατο πόντον ἔπι φρὶξ ὀρνυμένοιο νέον*, ib. IV 402; apud Latinos 'horror' magis ad saeuiens mare pertinet plerumque, cf. tamen Cic. de rep. I 40, 63 *ubi subito coepit mare horrescere*, hoc est, tremulum fieri, Aen. III 195, Stat. silu. V 4, 5, Lucan. V 446) et ita mouet undas ut procliues fiant (cf 205) siue pronae aduersus litus uoluantur (Lucr. VI 728 *et procliuis item fiat minus impetus undis*). ceterum formae 'procliues' et 'procliuas' cum sint a latinitate aeque tutae, recepi eam quam commendauit maior libri **O** auctoritas. — **271. Aurora exoriente uagi sub lumina solis.** accuratius, ut fere oportuit, nec sola exornatione poetica illud 'matutino' explicatur: cum oritur Aurora necdum adparuit sol. Q. Catulus apud Cic. d. n. d. I 28, 79 *exorientem Auroram forte salutans.* 'sub' cum accusatiuo nota significatione; Verg. Aen. VI 255 *primi sub lumina solis et ortus*, ubi perpetua illa harum uocum confusione pauci libri 'limina' habent, plane ut hic **V** 'sublimia', unde alii Itali effecere 'sub limina', male utique, cum 'limina solis' neque inueniatur alibi (contra sollemne est 'lumina solis') neque uero sensum commodum praebeat (de ea parte, ubi sol oriatur, intellexit Burmannus, quasi hoc commemorari attineret). non raro autem epitheto sol dicitur 'uagus', ut et luna ceteraque sidera certum cursum perficientia (utpote opposita stellis fixis) audiunt 'uaga'; LXI 110, paneg. Messalae 76 *uagi sileantur pascua solis,* incertus (supra p. 14 not.) *hac qua sol uagus igneas habenas inmittit.* — **272. tarde primum clementi flamine pulsae procedunt.** lente in initio mouentur, utpote inpulsae uento non ita forti. Stat. Theb. V 468 *clementior auster.* — **273. leuiterque sonant plangore cachini.** 'leuiter', ut 'tarde', cum ui praepositum; suppleas 'tantum'. 'plangor' (cf. Ouid. epist. 18, 121 *planguntur litora fluctu,* Verg. G. I 133, maximeque Sen. Agam. 680 *licet alcyones Ceyca suum fluctu leuiter plangente sonent,* quod plane traditam in **O** lectionem stabilit; male uulgo 'leni resonant') hic de undarum inuicem superruentium ictu strepituque, ut similiter Lucan. VI 690 *planctus illisae cautibus undae.*

exhibent excerpta ex ueteribus glossis Pithoeana [p. 71 Gothofr.] *placor tranquillitas. at Catullus plangor,* satis confuse. utique nulla est causa reponendi cum Italis 'clangore', quae uox ex. gr. de echo usurpata (Attius trag. 573 R. *echo crepitu clangente cachinnat*) ad mare non pertinet. 'cachinni' siue prisce 'cachini' est nominatiuus: moderati tantum in initio undarum sese plangentium audiuntur susurri risui leni conparandi; recte plerique omnes uiderunt hanc imaginem ductam esse ex graeco, cpp. Aeschyl. Prom. 89 *ποντίων τε κυμάτων ἀνήριϑμον γέλασμα*, ubi plura interpretes. — **274. post uento crescente magis magis increbescunt.** mox autem, quo magis adpropinquat solis ortus, una cum uento iam fortiore semper crebrius undae superfunduntur undis. de 'magis magis' cf. XXXVIII 3; de 'increbescere' forma (quippe 'br' coniunctum minus grato cum sono molliebatur 'r' extrita) Buechelerus Fleckeis. ann. 1872 p. 113 sqq. plerumque de uentis hoc uerbum adhibetur (cf. et Verg. G. I 359 *nemorum increbrescere murmur*); cf. tamen Gell. II 30, 2 *fluctus maximi et creberrimi,* Sall. ap. Seru. ad Aen. I 116 *crebritate fluctuum.* — **275. purpureaque procul nantes ab luce refulgent.** uide pulcrum narrationis progressum in patefacto iam solis lumine; nam quamquam etiam Aurora purpurea sit, tamen ipsum illud 'procul refulgent' una cum uenti flatu uehementiore ut haec de sole accipiamus cogit omnino. quamquam hic progressus manifestius indicari potest adhibita recte arte critica. etenim qui conparant Enn. ann. 584 V. et Manil. I 155 *fluctusque natantes* (Theocr. 21, 18), obliuiscuntur 'nare' siue mare persecare non esse 'natare', quo cum uerbo fluctuandi notio tam facile consociatur quam est aliena a 'nare' (nec adest in compositis, ut 'innare' siue perfluere, persecare Hor. od. III 17, 7). sed fac, fluitantes undas dici posse 'nantes': huius rei nec post 274 iterum fieri mentionem attinuit nec uero uerbo hic iam languidissimo fluitandi. recto igitur sensu Muretus 'procul uariantes luce' et Mitscherlichius 'pr. uibrantes luce' conicientes de tradita lectione dubitauerunt, non attenderunt ad id quod flagitat locus. nam qui modo 271 de Aurora solis praenuntia legimus, cum hic deprehendamus lucem solis, unde is tam subito apparuerit nostro iure miramur. unde ex 'nantes' erui 'nascente': Stat. Theb. III 720 *nascens lux,* de aue Phoen. 41 [PLM. III p. 254] *Phoebi nascentis ad ortus.* quod ex more Catulliano bene cum 'purpurea' iungitur (cf. ad 126); nec opus est hoc auctore Lennepio mutare in 'purpureae' (quod per se non malum est; cf. Prop. II 26, 5, Val. Flacc. III 422): Nemes. ecl. 2, 75 *nondum purpureos Phoebus cum tolleret ortus nec tremulum liquidis lumen splenderet in undis.* 'procul', longe, iunge cum 'refulgent'. Ouid. fast. VI 252 *purpurea luce refulsit humus.* — **276, 277. sic ibi uestibulis linquentis regia tecta ad se quisque uago passim pede discedebant.** in V legebatur 'sic tum', adscripta uaria lectione 'tibi', quae, ut per se omni sensu carens, ficta esse nequit, sed continet 't ibi' scripturam ex codice Belgico petitam (G falso ex V descripsit). iam cum 'ibi' multo sit exquisitius (cf. de hac uoce ad tempus relata LXIII 42) quam 'tum'

(quod ex glossa in V inrepsisse uidetur), illud Hauptio auctore [opusc. I p. 82] recipere non dubitaui. de nominatiuo 'linquentis' cf. ad 14. 'uestibuli', quod V habet, solito artificio ita uulgo defendunt ut inuersionem adesse statuant (uestibula tectorum regiorum), inepte omnino et sine idoneo exemplo. 'uestibulo' uel 'uestibulis' coniecit Schraderus [em. p. 11] tolerabiliter, nisi quod mihi non omitti potuisse uidetur uocula multitudinis concitatae properaeque cum undis tumidis maris similitudinem indicans; unde malim 'festini'. iam 'passim discedebant' dictum de turba, quae abeundo in omnes partes dissoluitur, ita iungitur cum 'ad se quisque' (= suam quisque domum; cf. de hoc 'ad se', quod aequat gallicum 'chez soi', ex. gr. Ter. Eun. III 5, 64 *eamus ad me*), ut simul quo abierint illi indicetur; Nep. Them. 4, 2 *ut domos suas discederent.* 'uago pede', ut LXIII 86. — **278, 279. princeps e uertice Pelei aduenit Chiron portans siluestria dona.** 'Pelei' prisce pro 'Peli': in monte Pelio, non procul a cacumine, antrum fuisse Chironis constat. qui primus uenisse dicitur, utpote quem aliae fabulae intima cum Peleo amicitia iunctum fuisse, aliae adeo eius auum ex Endei filia, Aeaci uxore, fingant. et quod Chiron portat dona siluestria, priscam simplicitatem (cf. ex. gr. Prop. III 13, 25 sqq.) hic quoque sectatus C. refugit luxuriantem illum apparatum, quo alii poetae multi munera a dis Peleo et Thetidi oblata persecuti sunt: duo tantum semidei Thessali, Chiron et Penios, adferunt quae in ornamentum tam ipsius regiae quam uestibuli circumiacentis adhibentur munera, flores et arbores; ceteri dei praesentia sua conubium illud ornant. — **280. nam quodcumque ferunt campis.** non omne quod campi proferunt, sed solos flores adfert Chiron; nec hic 'florum' subintellegere licet. quamquam autem leniore medela Guarinus dedit 'quotcumque', tamen non dubitaui auctore Mureto scribere 'quoscumque'. nam cum tria genera florum, campestrium montanorum fluuialium, proferantur, aut uarietatem qualitatemque respiciens 'quoscumque' et postea 'quos' aut solam multitudinem 'quotcumque' et 'quot' scribere debuit poeta. et hic duo loci posteriores (cf. et 'hos' 283) unum redarguunt primum, cum praesertim qualitatis notio multo sit aptior (cf. Prop. I 2, 9 *quos summittat humus colores*). deinde editiones occupauit Italorum correctura 'campi' me iudice incongrua. nam ex regionibus subiacentibus cum Chirona flores petiisse par sit, 'Thessala' quae sequitur 'ora' non de terra tota, sed de litore maritimo Magnesiae accipienda est; iamque ex altera parte camporum mediterraneorum ita mentio fiat oportet, ut, quemadmodum 'campis' et 'montibus magnis' sibi respondent, 'ora Thessala' itidem quod opponatur habeat. hinc solitae nominum propriorum corruptionis memor conieci: 'quoscumque Pherae campis', ad quod ultro 'creant' ex secundo membro supplemus; cf. Eustath. ad Hom. Il. II 756 *Φεραὶ πέρας φησὶ τῶν Πελασγικῶν πεδίων πρὸς τῇ Μαγνησίᾳ, ἃ παρατείνει μεχρὶ Πηλίου στάδια ἑκατὸν ἑξήκοντα.* — **281. propter fluminis undas.** iuxta fluuium riuumue nescioquem, quem in planitie illa meantem (nam de Peneo plane remoto

cogitari nequit) conmemorabant fabulae nunc deperditae (certe mihi ignotae). — **282. aura parit flores tepidi fecunda Fauoni.** Lucr. I 11 *genitabilis aura Fauoni* (apte de huius fecunditate cp. Vulpius Claudian. d. r. Pros. II 88 sqq.); Ouid. a. a. III 185 *quot noua terra parit flores.* — **283. hos indistinctis plexos tulit ipse corolis.** plexos siue consertos (Lucr. V 1399 *plexis redimire coronis*) quidem in corollas, sed has inordinatas, floribus temere confusis nec digestis secundum artem, qua ex colore uario potissimum in gratam speciem componendi erant. 'corolis', quod efficitur ex libri V memoria, prisce pro 'corollis'. — **284. quo permulsa domus iocundo risit odore.** 'quo', quod omnium facillime euadit ex traditis ductibus, nota attractione pro 'quorum'. saepissime cum ridendi uerbum adhibeatur de eis quae sensibus nostris blandiuntur iucunditate sua (cf. Lucr. III 22, IV 82, V 1395, Hor. od. IV 11, 6), audacius hoc ad odorem translatum est exemplo Graecorum: bene Ruhnkenius cp. Hom. hymn. in Cer. 13 *κηώδει δ' ὀδμῇ πᾶς οὐρανὸς εὐρὺς ὕπερθεν γαῖά τε πᾶσ' ἐγέλασσε καὶ ἅλμυρον οἶδμα θαλάσσης.* 'permulsa', contacta siue imbuta: Stat. silu. I 3, 10 de domo *tum Venus Idaliis unxit fastigia sucis permulsitque crocis blandumque reliquit odorem sedibus.* — **285, 286. confestim Penios adest.** 'conf.' (uox a cultis poetis aliena), statim post illum, uenit numen nobilis illius fluminis, quod plerumque Peneus audit apud Romanos (cf. supra 2 'Aeetios'). non conmemorant ceteri scriptores huius dei praesentiam, qui tamen utpote Thessalicus aptissime prae ceteris adpellatur. — **uiridantia Tempe, Tempe, quae siluae cingunt super impendentes.** Plin. h. n. IV 8, 31 *in eo cursu Tempe uocant V milia passuum longitudine et ferme sesquiiugeri latitudine ultra uisum hominis attollentibus se dextra laeuaque leuiter conuexis iugis, subtus luco* ['sua luce' codd.] *uiridante. hac labitur Penius lucidus* ['uiridis' codd.] *calculo, amoenus circa ripas gramine, canorus auium concentu*; Ouid. met. I 568 *est nemus Haemoniae, praerupta quod undique claudit silua, uocant Tempe, per quae Peneus* (Aelian. u. h. III 1, schol. ad Theocr. 1, 67). cf. et Iustin. XXIV 6, 6 *templum autem Apollinis Delphis positum est in monte Parnaso in rupe undique impendente.* — **287. Minosim linquens doris celebranda choreis.** ex litterulis 'minosim' cum aliae Musas hinc alienas uoluerint eruere, plerique subesse mentionem Nympharum recte intellexerunt; et priores quidem postquam genetiuum agnouerunt, datiuum plur. graecum (Neuius I p. 317) latere primus uidit Scaliger. et BRealini quidem 'Naiadum' proponentis uestigiis ingressus Hauptius scripsit 'Naiasin', id quod generale nimis est omnique proprietate caret neque leni mutatione nititur. melius olim mihi his uallibus conuenire uidebantur puellae arborum pomiferarum siue *Μηλιάδες*, recepique 'Meliasin' a Maduigio propositum; quamquam num hae Nymphae uallibus Thessalicis conueniant, iure dubitari potest. uocantur interdum Nymphae a locis quos incolunt, uelut a Callim. hymn. a. Del. 109 sqq. *νύμφαι Θεσσαλίδες*, ab Euripide *Ἰδαῖαι*, a Sophocle *Ἑλικωνίδες* (cf. Pape-Benseler lex. nom. propr. s. u.

νύμφαι); unde a uetere Thessaliae nomine 'Haemonia' (Steph. Byz. *Αἱμονία, ἡ Θετταλία, ἀπὸ Αἵμονος*) Thessalides illae Callimacheae uocari potuerunt 'Haemonides'. addita enim 'e' unica atque traiectis 'i' et 'o' sine uiolenta nimis mutatione euadit 'emonisin' siue 'Haemonisin', quod Turnebo 'Haemonidum' praeeunte restituit Heinsius (cf. et Aelian. u. h. III 1). idemque Heinsius quomodo possit defendi traditum 'Doris' cum 'choreis' iungendum docuit praeeunte Scaligero: etenim teste Strabone [IX 437] Thessaliam olim uocatam esse Dorida nempe a Doro Hellenis filio auctore Herodoto I 56 (alia nuper testimonia adiecit GHRoscherus in Fleckeis. ann. 1880 p. 786), praeterea ab Hesychio *δωριάζειν* explicari 'abiecta ueste choreas ducere' (cf. et Anacr. fr. 60 *ἐκδῦσα χιτῶνα δωριάζειν* ibique Bergkius). sed formam 'Dorus' addubitantes solosque Dores uel Dorienses cognitos habentes ut olim Itali 'claris' et Statius 'doctis', ita nuper Hauptius opusc. I p. 142 'pulcris' et Lachmannus (quem uide ad Lucr. p. 280) 'crebris' coniecerunt; quibus accedens Maduigianum 'duris' (= agrestibus) recepi secundum Ouid. fast. III 537. sed a Doro heroe originem repetentes adpellatos etiam esse Doros, duo loci indubitati demonstrant, Fest. p. 206, 3 M. (de altero p. 312, 33 non constat) et Seru. ad Aen. II 27. cumque sane potuerit 'Dorus' etiam pro adiectiuo adhiberi, retinenda uidetur archetypi lectio, quamquam ex qua fabula reconditiore saltatio nuda suam accipiat explicationem nos latet. innuitne poeta, absente Penio nymphas priuas sibi choreas duxisse licentius, quas illo praesente non ausae sint ducere? 'celebranda', frequentanda, ut Verg. Aen. III 280 *Actiaque Iliacis celebramus litora ludis.* — **288. non uacuos** cum 'adest' cohaeret; Prop. IV 5, 47 *si pulsat inanis* (= sine muneribus), Mart. III 58, 33; et sic Graeci *κενεός*, ut Hom. Il. II 298, Od. XV 214. — **namque ille tulit radicitus altus fagos.** 'ille' falso hic additur (rectum foret 'non ille uacuos, namque'); nam Ellisius 'ille' explicans 'pro sua parte' errat. unde olim proposui 'ipse'; quod, licet a sententia probabile, a repetitione minus grata (283) non commendatur. mox 'radicitus' difficile iungitur cum 'altas' (nam uulgo adlatus Verg. G. I 20 *et teneram ab radice ferens, Siluane, cupressum* non plane est similis), unde Heinsius uoluit 'actas', quod esset 'euolsas'; sed hoc etsi optime et ex more coit cum 'radicitus', tamen neutiquam 'actas' ea utitur significatione. pro uitioso autem 'ille' si legimus 'inde' (ex uallibus Tempe), iam 'tulit' non est 'attulit ad regiam', sed potius (ut saepe) 'abstulit', quod facile recipit 'radicitus'. Verg. G. I 173 *altaque fagus.* — **289. ac recto proceras stipite laurus.** trunco non inflexo celsas (Hor. III 25, 16 *proceras fraxinos*); et laurus prae ceteris Tempe protulerunt (VHehnius l. l. p. 194 sq.). — **290. non sine nutanti platano lentaque sorore flammati Phaethontis.** 'non sine', cum multa; iam enim qui post fagos laurusque secuntur singulares sunt collectiui, quos uocant. platanus (de qua cf. Hehnius l. l. p. 248 sqq.) 'nutans' dicitur, ut Verg. Aen. IX 681 (quercus) *caelo attollunt capita et sublimi uertice nutant*; Enn. ap. Gell. XIII 20

capitibus nutantis pinos rectosque cupressus. 'lenta', siue 'flexibilis' siue (propter oppositum 'nutanti') 'inmobilis' audit populus (nam hanc potius quam alnum uidetur poeta innuere); de Phaethontis flammati (κεραυνωθέντος explicat Vulpius; est potius 'ardentis' siue flammis Iouis pereuntis; Culex 128 *ambustus Phaethon*) sororibus cf. Ouid. met. II 325 sqq., Verg. Aen. X 190 *populeas inter frondes umbramque sororum*, Sen. Herc. Oet. 187, Culex 142 sq. — **291. et aeria cupressu.** Cul. 139 imaginem inlustrat; et sic saepius arbores 'aeriae', ut platani Cul. 124, ulmi Verg. ecl. 1, 59, quercus Aen. III 608. — **292. haec circum sedes late contexta locauit.** 'haec' ad uaria arborum genera spectat. 'cont.', inter se ligata, arboribus tam arte positis, ut rami conecterentur cum ramis (Plin. ep. V 6, 9 *uineae unam faciem longe lateque contexunt*). 'l. l.', amplo circa regiam (43) orbe. — **293. uestibulum ut molli uelatum fronde uireret.** 'molli' (delicata perque umbram suam iucunda: Aen. IV 147 *mollique fluentem fronde tegit crinem*) fronde efficiunt arbores, ut uiride sit (Verg. G. IV 18 *stagna uirentia musco*) uestibulum siue tota circa arcem undique patentem area (sic enim ut accipiamus, cogit illud 'circa sedes late'). iam cum 'uelare' non ualeat 'inumbrare' (Verg. G. IV 20), sed usitatum sit de sertis suspensis (cf. ex. gr. Verg. Aen. II 248), 'uelatum' recte se haberet in Chironis corollis in ipsa aula adfixis, non in Penei arboribus altis, quae potius circumdant uallantque regiam nec solum umbram praebent gratam, sed etiam oculos arcent profanos. tradito ergo 'uellatum' ita sum usus, ut darem 'uallatum'. — **294. post hunc consequitur solerti corde Prometheus.** 'consequitur', statim uenit. descriptio ex nomine: ex sollerti siue ad inueniendas nouas artes ingenioso 'corde', hoc est prudentia (Lucr. V 1106 *ingenio praestare et corde uigere*), constat dictum esse Promethea; cf. Welckerus libri 'Aeschyl. Trilog.' p. 20. interfuit autem ille nuptiis Thetidis, utpote quae causa fuisset ei liberationis et cui ut contingeret Peleus maritus ipse effecisset; Hygin. astr. II 15 (audiens fatorum de Thetidis filio decretum) *Prometheus auditum Ioui nuntiauit, qui .. coactus destitit Thetin uelle ducere uxorem et Prometheo pro beneficio meritam retulit gratiam eumque uinculis liberauit* (Welckerus l. l. p. 49 sqq.). — **295. extenuata gerens ueteris uestigia poenae.** in corpore prae se ferens adhuc siue cicatrices ex stigmatis inustis olim per dirum supplicium (Verg. Aen. II 278 *uolneraque illa gerens*, Plin. XXXII 11, 24 *cicatrices extenuat*) siue secundum Probum ad Verg. ecl. 6, 42 *ob hoc beneficium* (fati nuntiati) *Iuppiter eum soluit; ne tamen impunitus esset, coronam et anulum gestanda ei tradidit, ut neque in anulo saxi ac ferri memoria deesset et in corona uinculorum forma remaneret* (Welckerus l. l.), ut 'extenuata' iam ualeat 'mitigata'. 'ueteris', prioris, ut Aen. I 23 *ueteris belli* et IV 23 *ueteris uestigia flammae.* — **296, 297. quam quondam silici restrictus membra catena persoluit pendens e uerticibus praeruptis.** 'silici', quod nullo pacto coit cum 'catena' (haec praeterea erat ferrea), uulgo ut datiuum siue ablatiuum cum 'restrictus' copulant; cf. Aeschyl. in Ciceronis uer-

sione Tusc. II 10, 23 *aspicite religatum asperis uinctumque saxis.* quae constructio ut iam durior fit ob pendens ex 'restrictus' illud 'membra' (ad 65), ita rupis mentio infertur uerbis 'e uerticibus praeruptis', hoc est, Caucasi ex montibus summis praecipitibus (Aeschyl. Prom. 4 *πρὸς πέτραις ὑψηλοκρήμνοις*, Apoll. Rhod. II 1250), ut in uersu priore plane abundet; praeterea 'e' et pluralis 'uerticibus' eam potius legentibus suppeditat imaginem, quasi inter duo cacumina per catenam iuncta pependisse in aere a poeta fingatur Prometheus, qui iam nullo modo simul etiam ad rupem religatus potuit esse, sed tantum toto corpore uinctus. unde pro corrupto 'silici' Heinsius maluit 'Scythicis' (cuius uestigia premens Schwabius 'in Scythia'), memor locorum, quales sunt Claudiani gigant. 22 *infelix Scythica fixus conualle Prometheus*, Mart. XI 84, 9 et spect. 7, 1. mihi praeplacuit 'catena' firmare addito (cf. Aesch. Prom. 6 *ἀδαμαντίνων δεσμῶν ἐν ἀρρήκτοις πέδαις* et Hesiod. theog. 521), nimirum 'triplici', ut dixit Hor. od. I 3, 9 *aes triplex,* Verg. Aen. VI 549 *triplici circumdata muro.* 'persoluit', Attius trag. 534 R. *eum* (ignem) *dictus Prometheus clepsisse dolo poenasque Ioui facti* ['fato' codd.] *expendisse supremo.* iamque post semideos, quos singulos et prae ceteris ob certas causas esse nominatos uidimus, uenit deorum turba magnorum. — **298. inde pater diuum sancta cum coniuge natisque aduenit.** supra 27 *diuum genitor*; quamquam hic secundum **V**, in quo 'diui', fortasse 'diuȝ' siue 'dium' est restituendum, ut Enn. ann. 18 V. *Venus pulcherrima dium.* 'natis', liberis; Ellisius cp. Hom. Od. III 381 *αὐτῷ καὶ παίδεσσι καὶ αἰδοίῃ παρακοίτι.* de uersu hypermetro cf. LMuellerus d. r. m. p. 294, de falsa in **V** lectione 'gnatisque' idem p. 318. — **299, 300. caelo te solum, Phoebe, relinquens unigenamque simul cultricem montibus ydri.** sic iungendum esse plerique intellexerunt, male nonnulli 'caelo' referunt ad 'aduenit'. respondent enim inter se siue datiui siue ablatiui 'caelo' et 'montibus': utramque stirpem in solita sede reliquit. de Diana montium domina cf. XXXIV 9, Aen. XI 557 *nemorum Latonia cultrix* (ad LXI 1). 'unigena' dicitur ea, quam uno partu cum Apolline in monte Cyntho Latona mater enixa est, usu per se aperto, etsi alibi non obuio (cf. LXVI 53); nec enim accedo eis, qui cogitauere de Hecate, unica Asteriae et Persaei filia, quae propterea *μονογενής* audit (Hes. theog. 426 et 448, Apoll. Rhod. III 1035); nam et abhorret hic quidem locus a tali eruditione et ineptum est, hoc uersu conmemorari Hecaten ut diuersam a Diana, quam Phoebi sororem eandemque cum 'unigena' hic nominata profert u. sq.; uideturque poeta reddere potius, ut Hertzbergius statuit, graecum *ὁμόγνιος* siue *ὁμότροφος Ἀπόλλωνος* (Hom. hymn. 9, 2). iam ipse locus, cuius cultrix audit Diana (nam genetiuus, etsi aliquantum etiam ad 'montibus', multo tamen magis spectat ad 'cultricem', quod per adpositionem accedit ad 'unigenam'), in **V** audit 'ydri'; unde Itali nonnulli 'Hydri', de promunturio quodam Asiae minoris cogitantes (Plut. Cim. 13), quod Dianae tamen cultu nobile fuisse plane ignotum est. nec probabilius 'Hydrae' Statius,

'Idae' Muretus, 'Idri' Vossius (iam a forma grammatica suspectum, cum Cariae illa regio 'Idrias' sit uocata et urbs 'Idrieus'), 'montium Abydi' Froehlichius, 'Iri' Ellisius coniecerunt. mihi praeplacet 'Istri' siue 'Histri', siquidem Artemis Istria diserte conmemoratur a Pindaro (Ol 3, 25 sq.). ceterum cf. supra p. 17. — **301, 302. Pelea nam tecum pariter soror aspernata est nec Thetidis taedas uoluit celebrare iugalis.** 'nam' traiectum, ut XXXVII 11 (supra p. 18); cf. Bentl. ad Hor. sat. II 6, 78, interpp. ad Verg. Aen. I 444. Aen. I 572 *his mecum pariter* (= una mecum) *considere regnis.* Ouid. her. 4, 121 *taedaque accepta iugali* (supra 21 et 25). Octauia 708 *quorum toros celebrasse caelestes ferunt.* notum est, apud Homerum (Il. XXIV 62), quem sequitur Aeschylus fr. 281 D., Apollinem interfuisse nuptiis illis. sed postea cum recordarentur, Phoebi sagitta prostratum esse Achillem, accedentibus aliis fabulis quibus Aeacidis inimicus (fortasse ob Phoci necem) fingebatur deus, hunc iam olim afuisse a nuptiis consentaneum putabant (num Hesiodus his erat auctor?). quidquid id est, Dianam hac quoque in re a fratre pendentem siue Catullus ipse siue eius fons finxit: iniuriam a Peleo fratri inlatam sibi quoque absentiae causam esse putauit illa nec propterea Thetidos quamquam carae alioquin grataeque diem festum ut ornaret praesentia sua a se inpetrare potuit. ceterum fortasse 'est' delendum, ut 'nec' iam non 'nec propterea', sed 'ne quidem' ualeat: uidentur litterulae 'ist', pertinentes illae ad 'ydri' in u. priore corrigendum, huc delapsae esse. — **303. niueis flexerunt sedibus artus.** in soliis illis eburneis u. 45 conmemoratis (sine ulla causa Itali 'niueos'). 'artus flectere' secundum graecum *κάμπτειν κῶλα* (*γόνυ*) pro *καθέζεσθαι* dictum explicandum esse uidit Mitscherlichius cp. Aeschyl. Prom. 396, Soph. O. C. 19; nam Stat. Ach. II 108 (394) *fluxa* nunc legitur. sedebant ad mensas, non adcumbebant, tempore heroico; cf. Lambinus ad Hor. od. I 27, 8. — **304. large multiplici constructae sunt dape mensae.** quamquam miro, tamen non insulso plane modo dici posset 'dapes in mensis construuntur' (quod acerui imaginem suppeditaret); sed 'mensae dapibus construuntur' tam ineptum quam inauditum est. quid usitatum sit, docent Plaut. Men. I 1, 25 *cereales cenas dat, ita mensas extruit,* Cic. de sen. 13, 44 *caret epulis extructisque mensis*, id. Tusc. V 21, 62 *mensae exquisitissimis epulis extruebantur*, Tib. II 5, 99 *dapes et festas extruat alte cespitibus mensas,* Ouid. met. XI 119 *mensas posuere ministri extructas dapibus.* Sil. Ital. XI 273 *regifice extructis celebrant conuiuia mensis* (Hor. epod. 11, 43, sat. II 6, 105, alia). hinc certa nascitur emendatio 'sunt extructae dape mensae', siue transpositione casu facta iam ob hiatum correctum est 'constructae' siue grammaticus quidam in uersus conformatione offensus male (ita quippe laborantes sub pondere mensae egregie depinguntur, cf. 58) de suo uoces traiecit mutauitque. 'multiplex daps', cena multorum ferculorum. — **305, 306. cum interea infirmo quatientes corpora motu ueridicos Parcae coeperunt edere cantus.** 'interea', inter cenam; XCV 3. 'quatientes', mouentes, dum carminis

ictus comitantur; cf. LXIII 11. 'infirmo motu', qualis est proprius anuum (LXI 154); etsi enim interdum Parcae ut pulcrae uirgines describuntur, in artis monumentis et in Hom. hymn. in Merc. 552 (unde eas in uicinia Pharsali habitasse comperimus), tamen cum aliis C. eas introducit anus fatidicas (cf. Prellerus myth. gr. I p. 416). qui hac quoque in re, ubi Homeri deseruit uestigia (apud quem Apollo fata canit), Hesiodum (th. 217) sequens hoc munus apte dat Parcis. recte CMuellerus [spicil. p. 37 sq.]: 'Parcae, ut fatales deae, praeesse uitae hominum fingebantur et grauissimarum rerum curam suscipere. quare praeter Ilithyiam, quae est naturalis socia Parcarum (*πάρεδρος Μοιρᾶν*), operam praestant in partu inprimis egregiorum et inlustrium puerorum atque unicuique nascenti sortem suam canunt. tale carmen cogitandum est illud, quod Tibullus finxit Parcas eo die cecinisse, quo Messala nasceretur [I 7, 1, ubi uide Dissen.]. orta autem uidetur illa opinio inde, quod uetulae matronae puerperis assistere solebant nendo tempus fallentes. eaedem deae, Iunonis pronubae haud raro comites, nuptiarum curam suscipiunt (Poll. onom. III 3 p. 117, Bekk. ad Arist. aues 1734). patet igitur, cur adpareant festo illo die, quo nuptiis inter se iunguntur, quibus nasciturum sciunt filium Achillem, patris gloriam non aemulaturum tantum, sed aliquanto aucturum. huius igitur laudes et fortiter facta uaticinantur'. Hor. c. s. 25 *ueraces Parcae,* Pers. 5, 48 *Parca tenax ueri*; Cic. de diu. I 45, 101 *ueridicae uoces ex occulto missae.* — **307, 308. his corpus tremulum complectens undique uestis candida purpurea talos incinxerat ora.** 'his' pro 'harum', ut 263. 'tremulum', prae senio, ut Enn. ann. 36 V. *cum tremulis anus artubus.* palla 'complectitur undique' siue totum corpus circumdans contegit (266). 'talos', ut Lygd. 4, 35 *ima uidebatur talis illudere palla.* 'ora', instita siue limbo uestis, ut Ouid. met. IV 480 *summa uestem deduxit ab ora,* Hor. sat. I 2, 29 *quarum subsuta talos teget instita ueste* (ibid. 99). AStatius cp. Plat. rep. 10 p. 617 C *θυγατέρας τῆς Ἀνάγκης Μοίρας λευχειμονούσας στέμματα ἐπὶ τῶν κεφαλῶν ἐχούσας.* — **309. at roseo niueae residebant uertice uittae.** 'at' talis infimis opponit uerticem summum. quem 'roseum' attribui Parcis tamquam roseo iuuentae flore utentibus, iure suo bene sani critici carpserunt, siquidem diligentissimum in earum tamquam anuum descriptione poetam credi nequit hic adeo sui oblitum esse. nec de roseis corollis illarum capiti inpositis cogitari posse, ultro adparet. nil autem iuuat Ciris 122 *et roseus medio surgebat uertice crinis,* cum et purpurei crinis Nisaei peculiaris sit ratio nec cetera congruant. 'ambrosio' ergo Vulpius, 'annoso' ESchulzius coniecerunt; minima cum mutatione (saepissime enim uocabulorum exitus inter se confusi) 'roseae niueo' restituit AGuarinus. niueum crinem (cf. Hor. od. IV 13, 12 *capitis niues* cum Peerlkampii nota, quod ex graeco *γήραϊ νιφόμενος* ductum esse constat) anus habent, quem eadem cum colorum oppositione iam in u. priore obuia insigniunt uittae roseae: Prop. IV 9, 52 (sacerdos) *puniceo canas stamine uincta comas*, Ciris 511 *purpureas flauo retinentem uertice uittas*

plane emendationem firmans (nam ex re niueus uertex in flauum conmutatus), PLM. III 19, 1, 46 *candida flauenti discinxit tempora uitta,* Stat. Ach. I 611 et Theb. II 738, IV 218. — **310. aeternumque manus carpebant rite laborem.** officium inde ab initio mundi sibi impositum fata nectendi (cf. Cic. de diu. I 55 *fatum . . est ex omni aeternitate fluens ueritas sempiterna*) suo ordine (mox descripto) peragunt. locutiones quales sunt ʻcarpere (= perficere) iterʼ et ʻcarpere uellera (pensum)ʼ hic in unum confusae. — **311. laeua colum molli lana retinebat amictum.** de nendi opera uniuersa cf. Bluemnerus libri ʻTechnologieʼ I p. 307 sqq. et in actorum archaeolog. t. 35 (1877) p. 52, Marquardtus antiqq. priu. II p. 500 sqq., ex poetis maxime Ouid. met. VI 18—23. colus (cuius uocis de genere masculino raro cf. Neuius I p. 651) per totum opus tenetur (sic ʻretinereʼ pro ʻtenereʼ Prop. II 29, 5) a manu sinistra, circumdatus ille lana infecta siue rudi in orbem glomerata. quam lanam rudem cum semper conmemorent in colo (Ouid. l. l. 19, epist. 1, 78, a. a. II 220), mollis lana (ut infra 318) constet ex filis deductis perfectisque, ouium autem lana fueritne mollis an crassa (ʻsolloxʼ Festus p. 301) nil ut in colo uellus indigestum gerente referre adpareat, pro ʻmolliʼ attributo ex corruptela nato quaerendum erit uocabulum rei conueniens (nec enim quod conieci ʻinformiʼ nimis placet). — **312. dextera tum leuiter deducens fila supinis formabat digitis.** dextra lanam e colo trahens agili habilique modo (Iuuen. 2, 56) stamen in longum ducit (Ouid. met. IV 36 *leui deducens pollice filum*) digitis sursum erectis et in certam fili speciem redigit. ʻtumʼ cum proximo ʻtumʼ arte cohaeret: ʻmodo . . modoʼ; uariat dextra inter hoc negotium deducendi et torquendi officium statim describendum: — **313, 314. tum prono in police torquens libratum tereti uersabat turbine fusum.** modo, dum policem (prisce pro ʻpolliceʼ) deorsum inclinat (opp ʻsupinis digitisʼ), torquet filum dextra eo quod uersat siue in gyrum circumagit fusum (in cuius cacumine primum filum erat adfixum), qui libratur siue aequabiliter mouetur ope rotundi turbinis siue uerticilli (in quo inferior pars fusi haeret); cf. Tib. II 1, 64 *fusus et apposito pollice uersat opus,* eleg. in Maecenat. 1, 73 *torsisti pollice fusos*, consol. Liuiae 164 *hanc lucem celeri turbine Parca neat.* uersatus siue tortus pollice fusus quia simul filum uersat uel torquet, facili opera ipse pollex stamina torquere uersareue dicitur, ut Ouid. met. IV 34 et XII 475; unde hic, ne tautologia minime grata existat, ʻtorquensʼ potius ad fila referenda puto, dum ʻprono in polliceʼ magis ad u. 314 spectat. — **315. atque ita decerpens aequabat semper opus dens.** difficile explicatu ʻitaʼ, cum non id quod ex prioribus consequitur (84, Ouid. met. I 228, III 22 et 118, Verg. G. IV 409), sed noua plane res adferatur. nam dum in filo deducto tortoque forte extantes floccos naeuosque sordidos feminae nentes, utraque manu occupata, oris dentibus remouent et ita aequando consulunt operis siue fili et subtilitati et puritati, tantummodo pergunt in coepto. itaque reponendum uidetur ʻatque ibiʼ (LXVI 33). de re cf. eleg. in Maecen. 1, 74

de Hercule *lenisti morsu leuia fila parum; percussit crebros te propter Lydia nodos* (quos nimirum parum accurate decerperet heros), Claud. in Eutr. II 583 *non alius lanam purgatam sordibus aeque praebuerit calathis.* 'semper' (ut et imperfecta omnia) eo refer, quod uno filo deducto torto aequato, ubi fusus terram tetigit, denuo incepit opus nendo nouom filum. — **316. laneaque aridulis haerebant morsa labellis.** substantiuum 'morsum' indicans id, quod morsu decerptum est siue frustum, hoc uno locu inuenitur; AStatius cp. 'mansum' apud Cic. de or. II 39, 162 *omnia minima mansa.* nec minus est *ἅπαξ λεγόμενον* 'aridulus', hoc est, sucis siue sputis carens (utpote in anubus); de duobus deminutiuis cf. III 18. — **317. quae prius in leui fuerant extantia filo.** antea eminuerant (cf. Colum. V 11, 5 *surculi de arbore extent*) in stamine iam tereti aequalique (Ouid. met. IV 221 *leuia stamina*). de constructione 'fuerant extantia' (= extiterant) cf. Draegerus synt. hist. I p. 293. cf. et Ciris 33 sq., 252. — **318, 319. ante pedes autem candentis mollia lanae uellera uirgati custodibant calathisci.** hi calathisci (quos praeterea habet Petron. 41, cum sint usitati magis calathi) siue quasilli sunt corbiculae e uirgis teneris contextae (Copa 16 *uimineis in calathis,* Prop. III 13, 20, ubi fortasse restituendum *uirgatos per calathos*, codd. 'uirgineos'), pedibus nentium subiectae, recipiebant seruabantque (cf. ad LXXXIV 8 *audibant*) candentis iam per purgationem lanae (Claud. in Eutr. I 276 *et niueam dominae pensis inuoluere lanam*) uellera iam e rudi statu mollia aequando facta (Ouid. fast. II 742 *calathi lanaque mollis*). nempe fila singula, fuso terram attingente, abrupta fuso inuoluebantur; qui si inpletus esset, iam uellus inde detractum calatho tradebatur (Iuuen. 2, 54 *calathisque peracta refertis uellera,* Theocr. 24, 69 *κατὰ κλωστῆρος ἐπείγει*), ubi in glomera formabatur. — **320. haec tum clarisona pellentes uellera uoce.** 'haec' pro 'hae' (quod ipsum olim restituebant); cf. Fleckeisenus mus. Rhen. VII p. 271 (IX p. 220), Usenerus Fleckeis. ann. 1865 p. 226, Neuius II p. 207. 'uellus' etsi adhibetur etiam de rudi coli lana (Ouid. met. XIV 264 *quae uellera motis nulla trahunt digitis nec fila sequentia ducunt*), cum 'pellentes' tamen nullo modo coit, quippe quod trahatur, carpatur, uellatur ad filum deducendum. cum autem aliena intulerint AStatius 'plectentes' coniciens (nam calathis peracta uellera tradentes Parcae denuo nent, inter nendum more in antiquitate quoque sollemni cantantes: cf. u. 306) et Heinsius 'polientes' scribendo, melius sane se habet LFruterii commentum 'uellentes uellera'. cum tamen 'clarisona (cf. 125) uoce' ad solum illud inclusum 'pellentes uellera' pertineat, nullo modo ad u. sq., cui iam adest suus ablatiuus, cum porro sic iunctum 'pellentes' optime se habeat (quippe inpellunt incitantque Parcae opus uoce sua acuta, scil. uersu intercalari elatiore cum uoce repetito): uitium potius in illo 'uellera' utpote scribae neglegentia e u. 319 iterato latere uidetur. in intercalari autem cum inpellantur fusi eo cum consilio, ut celeriter torqueantur fila, haec ipsa pelli non inepte dicuntur. unde

'stamina' uel 'licia' uidetur depulisse iterata uox 'uellera'. — **321. diuino fuderunt carmine fata.** 'diuino', quod ex pectore dei inplentis pleno (Lucr. I 731 *carmina diuini pectoris,* unde et ipsi uates atque sagae diuini diuinaeque uocantur) 'funditur' siue maiore cum spiritu profertur (Cic. de fin. IV 4, 10, Tusc. I 26, 64, Lucr. V 110). — **322. perfidiae quod post nulla arguit aetas.** sic uere Lachmannus; nam traditum in V 'arguet' ad solum tempus post poetam ueniens spectare potest, cum inter hunc et nuptias illas interpositum spatium fuerit dicendum non accusasse mendaciorum et falsitatis (de perfidiae uocabulo cf. Usenerus Fleckeis. ann. 1878 p. 74) Parcarum carmen. cf. supra 222 *nec ulla aetas,* Ouid. met. II 418 *nemus, quod nulla reciderat aetas.* — **323. o decus eximium magnis uirtutibus augens.** 'decus' neque gloriam potest designare (quae paritur uirtutibus) neque uero nobilitatem (quo pacto 'genus' scribendum foret: Ouid. ex P. I 2, 2 et I 8, 17); unde equidem interpretor de pulcritudine (Aen. IV 150 *tantum egregio decus enitet ore,* Stat. Ach. I 290 *eximium formae decus*), quam in nouo marito quoque praedicari ad LXI 191 uidimus quamque recte Peleus augere siue ornare dicitur summis animi mentisque dotibus: Scip. elog. I 3 *quoius forma uirtutei parisuma fuit.* — **324. Emathiae tutamen opis, carissime nato.** 'Emathia' etiam Thessaliae maximeque Pharsali nomen erat, ut ex Verg. G. I 492 (cf. ibi Vossius) notum est. uocis 'ops' usus singularis priscorum proprius: Enn. trag. 83 R. et hinc Verg. Aen. VIII 685 *ope* (= manu) *barbarica*; hic regni potentiam indicat, quam postea plurali 'opes' designabant: Aen. II 4 *Troianas ut opes* et ib. 605 *has euertit opes.* 'tutamen', ut supra 26 'columen': tragicus inc. 52 R. *qui te tutamen fore sperarat familiae domuique columen* (in V quod legitur 'tutum', 'tutū' pro 'tutn̄' exarauit librarius). deinde Itali rescripserunt 'clarissime' cp. Ouid. met. XI 221 sqq. et 266 *felix et nato, felix et coniuge Peleus* (Cic. de off. III 16, 66). quamquam de coniectura illa dubitari potest, cum propriae Pelei ipsius uirtutes hic praedicentur. coniecit Froehlichius 'car. Peleu', Schwabius 'car. fato' (cp. Ciris 200), mihi in mentem uenit 'notis' (eis qui te nouerunt). — **325. accipe quod laeta tibi pandunt luce sorores ueridicae.** 'accipe', ut LXVIII[a] 13. 'laeta luce', ut supra 16 *alma (beata) luce* et Ouid. f. I 87 *laeta dies.* 'pandere', obscura inuoluta aperire, ut Aen. VI 267. *sorores ueridicae* Mart. V 1, 3, *quae dispensant mortalia fata sorores* Ouid. epist. 12, 3, *dominae fati sorores* id. trist. V 3, 17. — **326, 327. sed uos, quae fata secuntur, currite ducentes subtegmina currite, fusi.** uos, fusi, currite celeriter (hoc indicat repetitio) deducentes fila (nil enim aliud hic quidem sibi uolunt subtegmina; cf. Hor. epod. 13, 15 et Nemes. Cyneg. 311), quae (acc.) fata (nom.) secuntur, h. e. quibus fata reguntur, fila igitur fatalia. Stat. Theb. I 213 *et uocem fata secuntur,* Anth. lat. 227, 1 [PLM. IV p. 260] *consultum fata sequuntur.* haec constructio, quamquam a sententia unice commendatur, tamen contortior est, ut fere non dubitem quin 'sed uos, quos fata secuntur, . . fusi' scripserit poeta. etenim obuia translatione a filis ad fusos hi quoque fatales uocantur. ceterum pluralis

'fusi' confirmat id quod facile per se patet ex tota Parcarum nentium descriptione, poetam non singularum munera (quae exprimit notus uersiculus *Clotho colum baiulat, Lachesis trahit, Atropos occat*) distinxisse, sed omnes simul nentes fecisse, omnes etiam simul cantantes; unde eorum opiniones, qui singulas strophas inter tres deas diuidere uoluerunt, conruunt. quod et refutat ipsarum stropharum inaequabilitas, qua in re Catullo conuenit ex. gr. cum auctore Peruigilii Veneris. Verg. ecl. 4, 46 *'talia saecla' suis dixerunt 'currite' fusis concordes stabili fatorum numine Parcae,* quae uerba nobis illud. 'q. f. s.' ad fusos referentibus fauent. ad intercalarem cf. et Theocr. 1, 64 et Verg. ecl. 8, 68. — **328. adueniet tibi iam portans optata maritis Hesperus.** mox praesto erit secum aduehens (Tib. I 3, 94). 'optata', honeste; Ter. ad. V 9, 21 *di tibi omnia omnes semper optata offerant.* 'maritis' proleptice pro sponsis (nouis maritis); de solis uiris accipe. de Hespero ad LXII. — **329. adueniet fausto cum sidere coniunx.** in thalamum tuom; iam nunc enim praesens dea (338, 372 sqq.). 'cum', una cum, statim adparente sidere felici uotique compotem te faciente. 'considere' **O** praebet; quod etsi sane potest corruptum esse ex 'cum', fortasse tamen continet uestigium scripturae 'quom'; sic etiamnunc lex Rubria a. a. Chr. n. 48 ter *quom eo* exhibet. — **330. quae tibi flexo animo mentis perfundat amorem.** uulgo ex Mureti coniectura scribunt 'flexanimo mentem p. amore' (Lachm. 'te flexanimo mentis p. amore', alii alia), restituto uocabulo Pacuuiano (trag. 177 R. *o flexanima atque omnium regina rerum oratio*; aliter sensu passiuo pro 'amens' ibid. 422). iamque 'perfundat' ualet 'instillet, mentem tuam faciat bibentem' (XLV 11). uerum enim uero Thetis, ad quam haec et sequentia spectant totam, non male dicitur esse animo flexo, scil. Veneri: deponet in cubile ueniens ferociam uirginalem; Verg. G. IV 516 *nulla Venus, non ulli animum flexere Hymenaei,* Aen. IV 35 *aegram nulli quondam flexere mariti.* sed quid iam faciet eadem de mentis amore, hoc est, tecto adhuc (cf. ad LXI 171 et infra 372 *animi amores*)? puto conuenire huic descriptioni: aperiet, nudabit, conmittet, tradet tibi. scripsitne poeta 'defundat' an profundat', hoc est, effundat (de 'o' producta cf. 202)? — **331. languidulosque paret tecum coniungere somnos.** qui languidos reddunt; ut *languida quies* Verg. Aen. XII 909, *languida otia* pan. ad Messal. 181; de deminutiuo rariore cf. Anth. lat. 222, 2 [PLM. IV p. 259] *languidulos ocellos* et Cic. ap. Quint. VIII 3, 66. 'paret', uelit, in eo sit ut; cf. Aen. IV 118 *in nemus ire parant,* Ouid. rem. 99 *peccare parares.* 'coni. somnos' honeste, ut mox 372 *coniungite amores,* Prop. II 14, 22 *mecum habuit positum lenta puella caput* (Ouid. epist. 3, 107 *perque tuum nostrumque caput, quae iunximus una*). — **332. leuia substernens robusto brachia collo.** 'leuia', glabra (hirtis uirorum opposita); cf. LXI 174. Ouid. am. III 7, 7 *illa quidem nostro subiecit eburnea collo brachia,* Lydia 68 *brachia formoso supponens Cypria collo* (moechi), Apoll. Rhod. I 1237. — **334. nulla domus umquam tales contexit amores.** quoniam C. alias numquam

ui arseos sola breues producit nisi ante uocem graecanicam (cf. ad LXII 4), Itali restituerunt adsentientibus omnibus editoribus 'domus tales umquam'. porro traditum 'contexit' uolunt esse 'sub uno tecto sociauit', quod non agnoscit usus, secundum quem siue defendendi tutandique siue celandi notio hic aliena cum contegendi uerbo est iuncta. placuit recentiorum multis (ut et nobis olim) Lachmanni commentum 'conexit', quod ex u. sq. 'coniunxit' uidetur conmendari ('conexit' pro 'conexuit', ut 'nexit' pro 'nexuit': Neuius d. f. l. II p. 495). sed si 'amores' propter sq. 'amor' est explicandum de mutuo inter Pelea et Thetidem amore flagranti (non de hac ipsa, ut VI 16), si porro ad 'domus' tacita mente supplemus 'ita ut hae sedes', quomodo regia Pelei conexuisse amores dicatur nos fugit. olim mare ab Argonautis primo motum inuicem adspicientium deae et herois amores conexuit; domus nunc amantes conexos sociat copulatque. quodni auctore Lenzio 'conspexit' est restituendum, aliud remedium est circumspiciendum (hic 'coniunxit', u. 335 'conexit'?). — **335. nullus amor tali coniunxit foedere amantes.** pulcre 'amores' excipit 'amor': Dracont. 9, 1 sqq. [PLM. V. p. 183] *si decus est uirtus et praemia cuncta meretur, si meritum post fama manet, si fama superstes eminet.* 'foedus' de societate firma tam coniugum quam amantium: Aen. IV 520 *non aequo foedere amantis,* Maxim. eleg. 5, 117 *haec geminas tanto constringit foedere mentes* (et hoc 'mentes' sane magis hic placeret, amandi notione iam plus nimio repetita). 'umquam' hic subintellege. — **336. qualis adest Thetidi, qualis concordia Peleo.** uariandi gratia pro 'quale foedus' (nam altero loco 'qualis' pro 'et' ex more poetarum): LXVI 87, Stat. silu. II 2, 153 *non ulla deo meliore cohaerent pectora, non alias coluit concordia mentes.* 'Peleo' per synizesin bisyllabe. — **338. expers terroris.** *ἄφοβος*. — **339. hostibus haud tergo, sed forti pectore notus.** Hom. Il. XIII 289 *οὐκ ἂν ἐν αὐχέν' ὄπισθε πέσοι βέλος οὐδ' ἐνὶ νώτῳ, ἀλλά κεν ἢ στέρνων ἢ νήδυος ἀντιάσειε.* apte Ellisius cp. schol. Ven. ad Il. XVI 380 *Αἰσχύλος δὲ Ἀχιλλέα σὺν τῇ πανοπλίᾳ φησίν ὄπισθεν ὁρμήσαντα πηδῆσαι τὴν τάφρον μὴ δείξαντα τὰ νῶτα τοῖς ἐχθροῖς.* notum quippe, foeda fuisse militi uulnera in tergo 'timido' (Hor. od. III 2, 16) accepta utpote ignauiae signa, contra honesta ea quae pectus hostibus aduersum gerat: Ouid. a. a. I 209, met. XIII 264 (X 706), Plin. h. n. VII 101, Stat. Theb. X 275, Dracont. 9, 180 sqq. [PLM. V p. 190]. — **340, 341. qui persaepe uago uictor certamine cursus flamea praeuertet celeris uestigia ceruae.** describitur nunc Achilles ut *ποδώκης, πόδας ὠκύς* (cf. ex. gr. Il. I 488), nullo tamen (ut in tota hac stropha) belli Troiani respectu habito, sed memoria cum eius pueritiae (Stat. Ach. II 110 K. *uix mihi bissenos annorum torserat orbes uita rudis, uolucres cum iam praeuertere ceruas et Lapithas cogebat equos . . Chiron,* Pind. Nem. 3, 90), tum institutorum Aulide in belli Troiani praeparatione certaminum (Eurip. Iph. A. 206 sqq., Philostr. heroic. p. 50 Boiss.). Ouid. met. VII 792 *inuictos certamine cursus*; attributum autem proprie cursui conueniens 'uagus' (cf. ad LXIII 86) obuia hic facilique inuersione

ad certamen transfertur ipsum (oppositum ex. gr. luctae certamen in uno loco fixum). 'flamea' siue 'flammea', imagine ab ignis pernicitate sumpta (Cic. d. n. d II 9, 24 *ut imitaretur igneam celeritatem*): Verg. Aen. XI 718 *uirgo pernicibus ignea plantis* (ib. 746), Ouid. met. II 392 *ignipedum uires expertus equorum*. 'praeuertere', anteire, ut Aen. XII 345 *equo praeuertere uentos*. append. Tib. 3, 2, 13 *uelocis quaeram uestigia cerui*. — **343. non illi quisquam bello se conferet heros.** Danaorum, ex quibus nemo cum eo se conparare uirtutibus factisque audebit (Ouid. met. XIII 6 *confertur mecum Ulixes*, ib. 98): fortissimus erit in bello Troiano, cuius iam sequitur descriptio generalis; cf. Hom. Il. II 674, XVIII 105. 'heros', ut infra 384. 'bello', in pugna, non cohaeret cum sequentibus (Kuehnerus gr. l. II p. 263). — **344. cum Phrygii Teucro manabunt sanguine campi.** 'cum', olim cum. 'Phrygii Teucro', mox 'Troica': gaudent etiam loci πολυωνυμία; cf. ex. gr. Verg. Aen. II 325 sq. traditum in V 'teuen' uel 'tenen' cum alii aliter uellent sanare ('riui' Itali nonnulli, 'muri' Statius, 'cliuei' Hauptius; nec minus alii inepta proposuere), a sententia rectissime Itali dederunt 'campi', recordati Stat. Ach. I 84 sqq. cum toto Catulli loco comparandos *quem tu illic natum Sigeo in puluere, quanta aspicies uictrix Phrygiarum funera matrum, cum tuus Aeacides tepido modo sanguine Teucros undabit campos, modo crassa exire uetabit flumina et Hectorea tardabit funere currus*, Ital. Il. lat. 384 *sanguine Dardanii manabant undique campi*, Culex 306, Ouid. met. XIII 579 (Memnona) *Phrygiis campis Achillea pereuntem cuspide*; cf. Burm. ad Anth. lat. I p. 73. uitium quomodo ortum sit mox uidebimus; nam glossam 'teucri' adscriptam peperisse corruptelam, sane parum probabile. 'Teucro' adiectiue, ut Verg. Aen. II 745, Ouid. met. XIV 72. — **345, 346. Troicaque obsidens longinquo moenia bello periuri Pelopis uastabit tertius heros.** pessime 'obsīdens' uulgo explicant 'obsidione claudens' (= obsĭdens), cum sit 'occupans' potius cohaereatque arte cum 'uastabit'. iam etsi longinquum audit etiam id quod per longum tempus extenditur (Enn. ann. 401 *longinqua aetas*, Caes. b. c. III 80 *longinqua oppugnatio*), tamen 'longinquum bellum' non ita coit, ut praeualente temporis notione conparare liceat Nep. Epam. 5, 6 (Agamemnon) *uix decem annis unam cepit urbem* (hoc est, intra decem annos: Kuehnerus gr. l. II p. 263); immo f i n i t o bello longinquo occupasse atque uastasse Troiam dicendus erat Agamemnon. itaque non nimis grate repetita uox 'bello' siue e glossa siue e u. 343 per socordiam irrepsisse uidetur; et uidetur genuina lectio a correctore litteris minutioribus suprascripta depulso e sede sua uersus prioris exitu in illo 'tenen' uestigium sui reliquisse. potest esse Catulli 'longinquo moenia fine', in belli exitu longe remoto. 'periuri', ut Hor. epod. 17, 65 *Pelopis infidi*, scil. quia Pelops Myrtilo aurigae, quo corrupto uicerat Oenomaum curru et Hippodamiam rettulerat, promissa non soluit mortemque intulit (Hygin. fab. 84), unde Myrtili deuotione calamitas uenit in totam Pelopis familiam, Atreum et Thyesten filios in regno se excipientes et nepotem Agamemnonem,

qui iure tertius regni Pelopei heres audit (Hom. Il. II 105). — **348. uirtutes claraque facta.** ʻuirtutesʼ de animi corporisque dotibus, ut 323. Verg. Aen. VII 474 *claris dextera factis.* — **349. fatebuntur gnatorum in funere matres.** testabuntur alta uoce, quamquam diras in carorum interfectorem fundentes, si ex Troiae muris filios neci datos uident. sic enim in nota uocis ʻfunusʼ significatione (Aen. IX 526 *quae funera Turnus ediderit*) explicare malim tam ob imaginis poeticae maiorem splendorem quam ob sequentia. — **350. cum incultum cano soluent a uertice crinem.** describitur matrum in tristi aspectu luctus (cf. Hom. Il. XVIII 122). dedi uerba ex emendatione mea: ʻinciuium canos soluent a u. crimenʼ V habuisse uidetur (cf. appar. crit.); in quibus ʻcrinesʼ propter ʻcanosʼ nimirum G reposuit. unde Itali ex coniectura effecerunt ʻin cineremʼ; quod siue pro ʻut cinere sparganturʼ (Hom. Il. XVIII 25) siue pro ʻut cadaueri (rogo) iniciantur' (Ouid. met. III 506, Hom. Od. XXIV 46) accipitur, pessime se habet a latinitate nimisque recedit a litteris traditis. nec quod AStatius coniecit ʻincuruoʼ melius est, siquidem id quod anui sane conuenit ad uerticem male transfertur. crines soluere comisque passis ire porroque nullam habere earum curam, magni luctus est indicium; cf. interpp. ad Verg. Aen. I 480 *crinibus Iliades passis* et III 65 *Iliades crinem de more solutae,* Ouid. epist. 9, 125 *incultis captarum more capillis,* fast. III 470, Stat. Theb. VI 32 *sparsus et incultam ferali puluere barbam.* itaque ut litterula ʻsʼ dittographa deleta et ʻcanoʼ restituto iam ʻuerticeʼ suum recipit attributum respondens illi ʻputridaʼ, ita ex ductibus ʻinciuiumʼ ultro enascitur ʻincultumʼ. ʻa uerticeʼ, ubi nimirum in nodum erat collectus: Sen. Troad. 99 *soluimus omnes lacerum multo funere crinem, coma demissa est libera nodo.* ceterum si ʻcanos crinesʼ uelis retinere, ʻincultoʼ restitutum eodem redire, uix est quod moneam. — **351. putridaque infirmis uariabunt pectora palmis.** papillas flaccidas et uietas (Hor. epod. 8, 7 *mammae putres*, Attius trag. 56 *corpus annis putret*); nec minus ʻinfirmisʼ de anubus, ut 305. ʻuariabuntʼ, pulsando liuida reddent (Plaut. mil. glor. 216 *uarias uirgis,* prol. Poen. 26 *uarientur uirgis et loris domi*), ut itidem faciebant in luctu feminae: Aen. I 481 *et tunsae pectora palmis.* — **353. uelut densas praecerpens messor aristas sole sub ardenti flauentia demetit arua.** fundus imaginis Hom. Il. XI 67 *οἱ δ' ὥστ' ἀμητῆρες ἐναντίοι ἀλλήλοισιν ὄγμον ἐλαύνουσιν ἀνδρὸς μάκαρος κατ' ἄρουραν πυρῶν ἢ κριθέων, τὰ δὲ δράγματα ταρφέα πίπτει· ὣς Τρῶες καὶ Ἀχαιοὶ ἐπ' ἀλλήλοισι θορόντες δῄουν.* unde saepe metendi uerbum notum est ad pugnas transferri (Hor. od. IV 14, 31, Verg. Aen. X 513). ʻpraecerpensʼ (Apoll. Rhod. III 1386 *προτάμωνται ἀρούρας*) AStatius pro tradito ʻpraecernensʼ, quae uox nihili est, reposuit. quamquam loci collecti dubitantem me faciunt, num uerbo illi hic sit locus; nam Ouid. epist. 19, 143 *nostras praecerpere messes,* Cic. Verr. IV 37, 80 *non praecerpo fructum officii tui*, Plin. h. n. XVIII 177 *boues ne germinum tenera praecerpant* sermo est de eis quae ante iustum tempus carpuntur; et ipsum carpendi uerbum minus hic aptum. usitatum cum sit ʻmessem

caedere, praecidere, succidere' (cf. Heinsius ad Ouid. l. l.), uidendum est potius, an lateat siue 'praecaedens' (cf. 153 'iniacta') siue 'praeceidens'. nam ceterae coniecturae (Italorum 'prosternens', Scaligeri 'praesternens') sane parum probabiles. Verg. ecl. 2, 13 *sole sub ardenti* et ibid. 10 *rabido* ('rapido' codd.) *fessis messoribus aestu*, G. IV 126 *flauentia culta.* illud 'messor demetit' cum non concoqueret is qui G scripsit, frigide 'cultor' reposuit; sed copulatum illud ex priscis temporibus ualde adamatum; cf. comici incerti u. 123 R. *quasi per messim messor* ('messor per messim' codd.) *unumquemque spicum colligit,* Plaut. Epid. V 2, 51 *messem metes,* Ital. Il. lat. 886 *maturasque metit robustus messor aristas*, Coripp. Ioh. VIII 535 *turmasque rebelles letifero mucrone secat, ceu messor acuta falce metit segetes.* — **355. Troiugenum infesto prosternet corpora ferro.** Ouid. epist. 11, 19 *infestum, funebria munera, ferrum,* Aen. X 877 *infesta hasta,* alia multa. 'Troiugenum' (= -genarum: Neuius I p. 19), pro 'Troianorum', ut Liu. XXV 12, 5, Verg. Aen. III 359, VII 117. — **357. testis erit magnis uirtutibus unda Scamandri.** 'testis erit' (ut supra 'fatebuntur') sollemnis in proferendis fortibus factis (sic enim 'uirtutes' accipe, ut 51) formula: Tib. I 7, 10 sq., Hor. od. IV 4, 38. 'undă Scamandri' ex imitatione Homeri fluxit (ut Il. XX 74 ὃν Ξάνθον καλέουσι θεοί, ἄνδρες δὲ Σκάμανδρον): cf. LMuellerus d. r. m. p. 319. — **358. quae passim rapido diffunditur Hellesponto.** non uno ore funditur, sed per plures exitus diuisus stagnansque late (cf. Strabo p. 595) influit in Hellespontum aestuosum (Hom. Il. XII 30 ἀγάρροον Ἑλλήσποντον). 'passim diffundi' (cf. Curt. VIII 13, 8 flumen *IIII in latitudinem stadia diffusus . . speciem uasti maris fecerat*), ut supra 277 *passim discedebant,* Verg. Aen. V 676 *passim diffugiunt.* — **359, 360. cuius iter caesis angustans corporum aceruis alta tepefaciet permixta flumina caede.** rem narrat Hom. Il. XXI 7 sqq., 218 sqq. (ubi fluuius στεινόμενος νεκύεσσι dicitur). 'iter' et 'uia' de cursu fluminis, ut Prop. IV 2, 7. 'angustans', artum efficiens: Verg. Aen. V 806 (cum Achilles) *milia multa daret leto gemerentque repleti amnes, nec reperire uiam atque euoluere posset in mare se Xanthus*, Sil. Ital. IV 655 *clypeis galeisque uirorum, quos mactas, artatus iter cursumque reliqui,* Stat. Theb. IX 436 *stipatus caedibus artas in freta quaero uias,* Claud. l. Stil. I 186 *Alpheus Geticis angustus aceruis tardior . . pergit.* nec tamen 'caesi corporum acerui' ualde placent tam ob inuersionis usum ineptum (recte Cic. Cat. IV 6, 11 *insepultos ciuium aceruos*, Verg. Aen. X 245 *ingentis Rutulae caedis aceruos*) quam ob recurrentem statim uocem 'caede'; ex scriptura igitur libri **O** 'cessis' potius eruendum uidetur 'celsis'. quocum cohaeret 'alta', in altum egesta: Attius 322 R. *Scamandriam undam salso sanctam obtexi sanguine atque aceruos alta* (= alto) *in amni corpore expleui hostico.* 'tĕpēfaciet', ut XC 6 'liquēfaciens' (cf. Ritschelius opusc. II p. 618 sqq.); gelida aqua (ut similiter ex. gr. ferrum Aen. IX 419) tepefit calido sanguine (cf. 181) inmixto; cf. Lucr. III 643, Aen XI 634. — post 360 uel 361 (et ipse intercalaris

causa erroris) nonnulla intercidisse, rectissime adseruit LMuellerus duce Statii loco s. l. his uerbis: 'ipsum illud *denique testis erit* poterat monere, plus semel praecessisse id quod est *testis erit.* quis enim credet poetam, qui narratione sat prolixa uulgi stragem ab Achille perpetratam descripsisset, ne uno quidem uerbo tetigisse caedem eius uiri, in quo uno omnes spes et opes Troianorum fuisse sitas tota ab Homero inde testatur antiquitas? fortasse etiam alia intercidere, ueluti Scamandri minae, mors Achillis, ludi sepulcrales' (add. ad Cat. p. 134). quattuor minimum strophas intercidisse putauerim. — **362. morti quoque reddita praeda.** 'mors', ut saepius, pro cadauere; Ouid. met. II 340 *Heliades fletus et inania morti munera dant lacrimas.* mortuo quoque Achilli ex huius uoluntate suprema dabitur pars praedae Troianae, uirgo Priameia. Seruius ad Aen. III 321 *Achilles dum circa muros Troiae bellum gereret, Polyxenam uisam adamauit et condicione pacis in matrimonium postulauit. quam cum Troiani fraude promisissent, Paris post Thymbraei Apollinis simulacrum latuit et uenientem Achillem ad foedus missa uulnerauit sagitta. tum Achilles moriens petiit, ut euicta Troia ad eius sepulcrum Polyxena inmolaretur. quod Pyrrhus inpleuit* (cf. et Eurip. Hec. 37 sqq., 521 sqq., Ouid. met. XIII 441 sqq., Hygin. fab. 110). de uocabulo reddendi cf. LXVI 36. — **363. cum teres excelso coaceruatum aggere bustum.** 'excelso aggere', terra in magnam altitudinem aggesta, erectum sublatumque 'bustum' siue tumulus (τύμβος) Achillem combustum contegens (Cic. de legg. II 26, 64), quod 'teres' iam siue rotundum est (Fest. p. 363 M. *teres est in longitudine rotundatum, quales asseres natura ministrat* huc non quadrat; cf. potius Culex 395 *atque aggere multo telluris tumulus formatum creuit in orbem*); Verg. Aen. XI 349 *ingens monte sub alto regis Dercenni terreno ex aggere bustum,* ubi Heynius cp. Hom. Il. II 603, VII 86, XXIII 245 sqq.; de Achillis tumulo cf. et Hom. Od. XXIV 80. praeter necessitatem Parthenius 'cum terrae', Martyni Laguna 'ex celso' coniecerunt. — **364. excipiet niueos percussae uirginis artus.** cadentia membra pulcra (Stat. silu. I 2, 20 *niueos artus,* Ouid. am. II 16, 29 *niueos lacertos,* Ciris 399) in se recipiet (Cic. Brut. 11, 43 *sanguinem patera excipere*). 'percussae' recte Itali: 'perculsae' solita in his uocibus confusione V. quae uoces tam de animo quam de corpore adhibitae ita differunt (cf. Bentl. ad Hor. epod. 8, 2), ut 'percutere' de quauis plaga, cuius uis non nimis effertur, 'percellere' uero de ictu uehementissimo et plane prosternente dicatur. hic simplici notione 'gladio interfectae' est opus. — **366. nam simul hanc fessis dederit fors copiam Achiuis.** 'simul', ut supra 31; male hic quoque Itali 'hanc' in 'ac' mutabant. 'fessis', bello decennali; Verg. Aen. II 109 *Danai longo fessi bello*, Hor. od. II 4, 11. Fors hic est non tam dea caeci casus nullisque obtemperans legibus (Enn. ann. 203), sed potius omnipotens illa Fortuna, quacum saepe coniungitur, ut supra 170 *saeua Fors*; nec necessaria coniectura Itali cuiusdam 'sors' reponentis. — **367. urbis Dardaniae Neptunia soluere uincla.** pro consueto magis

'soluendi', ut Aen. IX 484 *nec te .. adfari .. data copia* (= permissum) *matri*; cf. Kuehnerus gr. l. II p. 555. structa a Neptuno (unde *Neptunia Troia* Aen. II 625) moenia, quae apte conparantur cum uinclis ipsi urbi circumdatis ex imitatione Graecorum: Hom. Il. XVI 100 *Τροίης ἱερὰ κρήδεμνα λύωμεν* (Od. XIII 388, hymn. in Cer. 151, Hesiod. sc. 105); nec dissimiliter Petron. 123 glaciem uocat *uinculum undarum.* eo autem translatio aptior, quod 'solui' etiam dicitur de aedificiis, quae diruuntur, recte adnotante AStatio; conparatque Vulpius Vitruu. II 8. — **368. alta Polyxenia madefient caede sepulcra.** bustum Achillis u. 363 descriptum (cf. ad 400). Ouid. met. XV 824 *iterum madefient caede Philippi* ('caede', ut 360). 'fi' et 'sc' cum paene distingui nequeant in scriptura minuscula, facile illud in V 'madescent' explicatur. — **369. quae uelut ancipiti succumbens uictima ferro.** 'quae', Polyxena; Kuehnerus gr. l. II p. 19. Lucil. XXIX 34 M. *ancipiti ferro effringam cardines*, ubi Nonius 'anceps' explicat 'acutum ex utraque parte'. ferri bipennis sub ictu cadens sicut hostia; Ouid. l. l. 452 de Polyxena *diroque fit hostia busto* (Eur. Hec. 108, 628), epist. 8, 38 *succubuit telis.* Ciris 366. — **370. proiciet truncum summisso poplite corpus.** corruens ad terram dabit cadauer a capite diuolsum (Eur. Hec. 567, Verg. Aen. II 557 *truncus*). Ouid. l. l. 477 de trucidata uirgine *illa super terram defecto poplite labens,* quod male exprimitur per 'summisso'; nam ut docent Ouid. met. VII 191 *in dura summisso poplite terra* et IV 340 *flexumque genu summisit,* Lucr. I 92 in Iphigeniae sorte simillima *muta metu terram genibus summissa petebat,* ita faciunt uiui metu uel aliam ob causam; ut et illud quod adferunt Eur. Hec. 561 *καθεῖσα πρὸς γαῖαν γόνυ* ante ictum letiferum habet locum; sed ad mortem dati cum sese sustentare iam nequeant, prolabuntur ad terram genibus succisis uel poplite succiduo, hoc est, neruis quasi succisis; et Ouidianum illud 'defecto poplite' inlustratur locis his Ouid. epist. 13, 24 *succiduo dicor procubuisse genu,* met. VIII 363 *succiso liquerunt poplite nerui* (et X 458, Verg. Aen. IX 762 et X 699), laude Pisonis 76 *et tremefacta cadunt succiso poplite membra,* unde etiam ipsis genibus non caesis prolabi poplitem defectum apparet. nulla igitur dubitatio, quin ex lectione in **O** obuia 'sumisso' eruendum sit 'succiso'. — **372. quare agite optatos animi coniungite amores.** iterum honeste, ut Tib. I 1, 69 *iungamus amores,* id. I 9, 76 *iungere Venerem,* Stat. Theb. I 574 *Phoebo sociasset amorem.* 'optatos', diu desideratos, quid ualeat in his rebus per se patet: Prop. I 13, 17 *optatis animam deponere labris,* ubi Lachm. cp. Stat. silu. I 2, 20 *amplexum .. optatae coniugis artus,* Anth. lat. 550, 3 [PLM. IV p. 443] *lusibus optatis noctis luctemur in umbris* (et sic saepius 'petitus'). sed quid hoc sibi uult 'optatos iungere amores'? 'animi amores' (cf. Ciris 241 *animi iactaris amore,* supra 330) si pulcre dicuntur flammae intus reconditae, quibus iam aperitur uia, has minime optabant amantes utpote iam diu pectore gestas, sed iungere eas et sociari desiderabant. 'optatos' ergo ex 'otātos' ortum uidetur: 'o tantos a. c. amores', quanti scil. ante de-

scripti sunt uu. 330 sqq. Verg. G. II 35 *quare agite o proprios generatim discite cultus*, Stat. Th. XI 478. ceterum quod O 'aū' habet: ex 'aīī' ortum puta. — **373. accipiat coniunx felici foedere diuam.** 'accipiat', e manu parentum (Ter. Andr. I 5, 63), qui filiam dedunt uiro in proprietatem. nisi forte praeferendum est 'accipiat in torum' (Ouid. met. X 463, Ciris 414 sq.), ut 'dedatur' ualeat 'se dedat'; cui interpretationi ablatiuus 'foedere' fauere uidetur. 'felici', respectu non solum uocis 'diuam' (supra 25—29), sed etiam stirpis ex hoc foedere nasciturae (= fertili). — **374. dedatur cupido iam dudum nupta marito.** 'iamdudum' duplicem relationem habet: aut ad 'dedatur' cum significatione 'quam primum' (cf. Kuehnerus II p. 155) aut potius cum primaria notione ad 'cupido', ad quod cf. LXI 54 et 164 sqq. Priap. 3, 7 *cupido dat nocte marito.* — **376. non illam nutrix orienti luce reuisens.** altrices, ex multarum heroinarum fabulis notae, alumnas etiam adultas nuptasque comitari eisque in rebus Venereis quoque adesse solebant. 'orienti luce', mane nouo; utitur enim (ipsa ablatiui in 'i' desinentis forma indicante) 'oriens' hic magis notione adiectiui; cf. Neuius d. f. l. II p. 62. 'reuisens', quid agat alumna, uisura. — **377. hesterno collum poterit circumdare collum.** 'hesterno' (ut *hesterni crines* Prop. I 15, 5) pro 'hodierno', respectu illius 'orienti luce'. si noua nupta conceperit nocte prima, ceruix tumefacta (Nemes. ecl. 2, 10 sqq., Wernsdorf. PLM. II excurs. 19) iam non recipiet fili, quo anicula ex certo quodam (ut uidetur) usu ante concubitum collum metiebatur, mensuram eandem; cuius usus aliunde ignoti simile exemplum adfert IVossius ex falsi Democriti de sympathiis et antipathiis fragmento (de cuius fide quid statuam nescio) λαβὼν βιβλάριον καταμέτρησον ἀπὸ ὠτίου εἰς ὠτίον· κἂν μὲν ἴσον ᾖ, παρθένος ἐστιν· εἰ δὲ μή, ἔφθαρτο. — **377, 378. anxia nec mater discordis maesta puellae secubitu caros mittet sperare nepotes.** secubitum postquam Vulpius ostendit non ad Thetidem antea cum matre uno in lectulo cubantem spectare posse propterea quod centum filias adsignent fabulae Doridi, plerique malunt referre ad discordiam siue rixas inter coniuges ortas. quarum mentio, ut uerum fatear, non minus incommoda atque inportuna hoc loco mihi uidetur, qui artissime haec cum prioribus cohaerere puto: felici foedere iuncta diua statim fructum amoris concipiet; nec uerendum est, ne Doris anxia missura siue dimissura sit (Hor. od. I 38, 3 *mitte sectari*) spem nepotum proptereaque maesta fiat, quod filia discors a uiro dissideat et relegetur. etenim secubitus (cf. ad LXI 101) hic de discidio accipiendus (Suet. Tib. 7 *mox dissedit, et aliquando grauius, ut etiam perpetuo secubaret*), cuius causa in ipsa sterilitate posita; nam 'discordis', cuius natura cum natura uiri non concordat, physice intellego secundum Lucr. IV 1247 sqq. anxia igitur mater uerbis 'd. m. p. s.', quae causam anxietatis reddunt, accuratius depingitur. 'caros', cf. LXVIII^{b} 79; Ciris 360 sq. — **381, 382. talia praefantes quondam felicia Pelei carmina diuino cecinere e pectore Parcae.** coniunge: talia carmina (pluralis respectu singula-

rum stropharum; sed cf. et ad LXV 15) olim tempore illo beato e diuino (cf. 321) pectore, dum felicia Peleo praefantur, cecinere. nam 'praefari' non utitur hic rara omnino uaticinandi significatione (Iustin. XI 5, 5, Symm. epist. X 22 *meo praefatu*), quae iam illi 'cecinere' inest, sed solita et uulgari, qua denotat 'ante rem aliquam agendam (hic amantium in thalamo coniunctionem) aliquid edere siue monere', plane ut Liuius XXII 1, 16 *ut ita fierent, quemadmodum cordi esse diuis ex carminibus praefarentur*, Cic. de diu. I 45, 102, Verg. Aen. XI 301. 'cecinere e pectore' restitui, cum V praebeat 'cecinere pectore', unde uulgo 'cecinerunt' effecerant: Verg. Aen. III 373 *canit diuino ex ore sacerdos*, Cic. prognost. fr. 6 [PLM. I p. 28] *pertriste canit de pectore carmen.* 'Pelei', siue ad 'felicia' (sc. omina) siue potius ad 'cecinere' refers, a sententia utique debet esse datiuus; nam si pro genetiuo habes 'felicia Pelei carmina' iungens, haec non sunt uaticinia fausta ad Pelea data, sed a Peleo edita. sed a forma 'Pelei' non potest non esse genetiuus, cum datiuus semper in 'o' desinat (cf. Neuius I p. 329 sq.) nec uerisimile sit, poetam hic alia forma quam supra 336 esse usum. nil igitur relinqui uidetur quam ut 'Peleo' restituatur. — **383, 384. praesentes namque ante domos inuisere castas heroum.** 'ante', aetate heroica, cf. Hom. Od. III 420 et VII 201 sqq.; nec male Ellisius cp. Hesiod. fr. 218 M. *ξυναὶ γὰρ τότε δαῖτες ἔσαν, ξυνοὶ δὲ θόωκοι ἀθανάτοισι θεοῖσι καταθνητοῖς τ' ἀνθράποις.* 'praesentes', in terris inter homines uersantes, ut Hor. od. III 5, 2 *praesens diuus habebitur Augustus*, Lambin. ad od. I 35, 2. 'inuisere', adire, ut Aen. IV 144. 'castas', inpollutas purasque (ad LXII 46), ut Cic. Cael. 4, 9 *Crassi domus castissima*, Hor. od. IV 5, 21 *nullis polluitur casta domus stupris*, Verg. G. II 524. German. Arat. 107 de Iustitia *nec dedignata subire tecta hominum et puros sine crimine, diua, penates iura dabas.* 'heroum', regum praesertim principumque; sunt Homerici *διογενεῖς βασιλῆες.* — **384. et sese mortali ostendere coetu.** coetui (ut LXVI 37) mortalium (qui intellegendi *ἀνέρες δήμου*), ut saepe poetae loquuntur; LXVIII^b 57 sq. *nota* (= notorum) *sepulcra* et *cognatos cineres*, LXVIII^a 14 *dona beata* (= beatorum), Tib. I 3, 67 et Ouid. met. IV 455 *sedes scelerata*, Lucan. IV 207 *dextrae famulae*, Hor. epist. II 2, 17 et 174 similiaque; cf. et Kuehnerus gr. l. II p. 159 sqq. — **385. nondum spreta pietate.** cum homines nondum obliti essent religionis iustitiaeque; ampla enim significatione utens uox 'pietas' hic tam ad deos quam ad homines spectat; Cic. d. n. d. II 61, 153 *cognitio deorum, ex qua oritur pietas, cui coniuncta est iustitia reliquaeque uirtutes*; Pausan. VIII 2, 2 *οἱ γὰρ δὴ τότε ἄνθρωποι ξένοι καὶ ὁμοτράπεζοι θεοῖς ἦσαν ὑπὸ δικαιοσύνης καὶ εὐσεβείας.* — **386. templo in fulgente reuisens.** parum conueniret tempori heroico, si de templis auro et marmore fulgentibus cogitaremus; et deorum aedes eandem prae se tulisse tum incultam simplicitatem quam cetera omnia, certatim efferunt poetae. immo ut ipsa ablatiui forma (cf. ad 376) docet, 'fulgente' est merum participium: in templo, quod per dierum festorum oportunitatem laeto fulgebat ornatu. 'reui-

sens' nemodum potuit explicare. nam ex secundario enuntiato non licere arcessi 'annua sacra', facile sentitur; et si Ellisius locutiones nonnullas adfert, in quibus adest ablatiuus pro accusatiuo postea usitato (ut 'ponere in mensà', cp. Holtzii synt. I p. 85), hoc ad rem pertineret, si postea 'in templum reuisere' dictum esse constaret. constat autem solum hoc, priscos loqui consuesse sic 'reuisere ad aliquem', quod toto ut aiunt caelo est diuersum. scripseram olim teneoque 'residens', ut Aen. VIII 467 *mediisque residunt aedibus,* Ouid. met. IX 310 *diuam residentem in ara.* causa erroris u. 376 scribae memoriae inhaerens. — **387. annua cum festis uenissent sacra diebus.** Ouid. am. III 10, 1 *annua uenerunt Cerealis tempora sacri* (ib. 47 *festa dies*). ceterum per se apparet, hoc non spectare ad certa loca, sed in uniuersum esse dictum; Ellisius cp. Hom. hymn. Cer. 27, Callim. hymn. Apoll. 76 sqq. — **388. conspexit terra centum procumbere tauros.** sic uerissime Itali pro tradito 'procumbere currus', unde alii effecerunt 'procurrere currus', recordati illud Verg. G. III 18; unde cum iam 'terra' abundare intellegerent, hoc aut in 'Cretum' (Wakefieldus) aut in 'cretam' (h. e. calcem, Orellius) inmutare cogebantur, ne sic quidem consecuti quod melius in locum quadret quam 'tauros', quod ἑκατόμβας in Iouis cultu sollemnes optime nobis in memoriam reuocat. ceterum secundum locos quales sunt Ouid. met. II 347 *cum uellet terrae procumbere* et V 122 *procubuit terrae mactati more iuuenci*, Verg. Aen. V 481 *procumbit humi bos*, conicias in scriptura libri **O** 'terram' latere solitam corruptelam priscae formae 'terrai', bisyllabae nimirum, non (ut tunc cascae pronuntiationis restitutores docti haec in uersus redegerunt) trisyllabae; CIL. I 1007 *hau pulcrum pulcrai feminae.* — **389, 390. saepe uagus Liber Parnasi uertice summo Thyadas effusis euantis crinibus egit.** 'uagus', uolitans, discurrens, ut LXIII 13; qualem Liberum describit ex. gr. Eurip. Bacch. 145 sqq. communia Baccho cum Apolline sacra, ut aliis locis, ita Delphis erant (Prellerus myth. gr. I p. 213, 383, 537 sqq., 557); ut et in Apollinis templo magno tympanum fastigii in una parte Phoebum cum Musis, in altera Bacchum cum Thyiadibus sociauit. Lucan. V 72 *Parnasus gemino petit aethera collo, mons Phoebo Bromioque sacer, cui numine mixto Delphica Thebanae referunt Trieterica Bacchae.* poeta tamen hic certum quoddam cacumen (Tithorea et Lycorea summa, quibus minora quaedam accedunt, quae omnia sacris Bacchicis celebrata esse uidentur: Pausan. X 4, 2 et 32, 5 sqq., Soph. Ant. 1126 sqq., Arist. nub. 603 sq., Eur. Bacch. 306 et Eum. 22 et Ion 1225 sq. et Iphig. Taur. 1243 sq. et Phoen. 234 sq.) non uidetur respexisse. 'egit' siue prae se inpulit ut καλεσίχορος cateruatim Bacchas, feminas et Atticas et Delphicas (Paus. l. l., Eurip. fr. 752 N.), quae furore fanatico comas iactantes (cf. ad LXIII 23, Ouid. fast. VI 514 *Thyadas effusis per sua colla comis*) 'euhoe' clamant siue Bacchanalia peragunt; Prop. II 3, 18, Sil. Ital. I 101, Apul. met. VIII 27 (*euantis orgia* Aen. VI 517). Eustath. ad Hom. Il. I 342 ἐκ τοῦ θύειν καὶ Θυάδες αἱ Βάκχαι, et semper haec forma non minus

bona erat quam altera Θυΐαδες tam apud Graecos quam apud Romanos, ex quibus teste Velio Longo [p. 55 K.] Vergilius Aen. IV 302 'Thyias' scripsit (repugnantibus tamen Mediceo et Macrobio), ceteri semper 'Thyas' habent: Ouid. fast. VI 514, Val. Flacc. VIII 447, Stat. Theb. V 92 (ubi solus Paris. 'Thyias') et IX 794 et XII 792; unde non accedo Bentleio ad Hor. od. II 19, 9 (ubi codd. non addicunt) unam solamque formam 'Thyias' agnoscenti. — his uersibus nullum esse conexum cum eis quae secuntur, olim recte intellexerunt: 'saepe egit, cum acciperent aris' (pro 'ut semel acceperunt') male sunt copulata; nec deo licuisse duobus simul uacare negotiis, recte LMuellerus adnotat, cuius ceterae rationes parum ualent. nam Apollinis mentionem desiderans sine causa (nam et inter deas ex. gr. maxima caelicolum non inuenitur, et tria exempla attulisse satis esse potuit poetae), in lacuna, quam statuit, haec fere hausta esse ille putauit 'saepe oculos licuit mortales cernere Phoebum, Pythia uisurum aut adytis oracla daturum'; quae mihi quidem parum eis quae subiciuntur conuenire uidentur. nil fere desideramus nisi uinculum quoddam inter priora et posteriora, quale esse potuit ex. gr.: ex illo tempore, quo cum Baccharum thiaso ex Thracia uenit Delphos. fortasse ex Euphorionis Διονύσῳ [Meinekius anal. Alex. p. 45 sqq.] hic hausit poeta. — **391, 392. cum Delphi tota certatim ex urbe ruentes acciperent lacti diuum fumantibus aris.** 'Delphi', incolae, ut Iustin. 7, 8 et 8, 2. Phaedrus V 1, 3 *ut mos est uulgi, passim et certatim ruit 'feliciter' subclamans,* Verg. Aen. IV 401 *migrantes cernas totaque ex urbe ruentes.* 'acciperent diuum', ut hospitem iam incolam futurum, cf. Aen. III 353 sqq. 'laeti', quod libri G corrector restituit, uulgo optinuit; quo pacto traditum in V 'lacti' posset teneri, iam olim IVossius monuit, conligens Hor. od. II 19, 10 et Eurip. Bacch. 142 (quibus adde ibid. 710 et Sen. Oed. 495), unde lacte (de forma 'lacti' alibi non obuia cf. ex. gr. LXVIII^b 84 *capiti*) quoque Baccho esse sacrificatum apparet. cui obseruationi quominus parerent, editoribus non sine ratione obstitit id quod sequitur 'fumantibus aris', quod quomodo cum lacte sociaretur non perspicerent. unde Itali nonnulli 'spumantibus' dedere, non bene copulatis duobus ablatiuis. fumant autem altaria odoribus accensis, quorum peculiaris mentio tam saepe adest (ut Hor. od. III 18, 8 *uetus ara multo fumat odore*) quam omittitur, ut Verg. ecl. 1, 43 *bissenos cui nostra dies altaria fumant.* possunt igitur haec sic copulari 'acciperent lacti diuum et fumantibus aris'. saepissime copula noto compendio exarata euanuit. — **393. in letifero belli certamine.** cf. supra 340 *certamine cursus*, Lucr. I 475 et Verg. Aen. X 146 *saeui (duri) certamina belli,* Cic. ad fam. X 18, 2. Verg. Aen. VI 279 *mortiferum Bellum* (ib. VIII 700 clausula adsumpta). — **394. aut rapidi Tritonis era aut Rhamnusia uirgo.** dea (cf. LXIII 92) Tritonis siue Τριτογένεια (Hom. Il. IV 515), Tritonia siue Tritonis (ex. gr. Aen. II 171 et 226), unde audiat Minerua, ipsi ueteres dubitant. et cum illa interpretatio, qua e Iouis capite (secundum Aeolicum τριτώ) nata Pallas sic dici fingebatur, hinc exclu-

datur, aquae epitheto 'rapidi' indicatae non tam de Libyae siue lacu ('torpentem' uocat Lucan. IX 347) siue amne in hunc influente (de cuius rapiditate nil constat, etsi magnum eum dicunt Herod. IV 178, schol. Apoll. Rhod. IV 1311, Plin. h. n. V 28) quam potius de Boeotiae fluuio in Copaidem paludem se infundente accipiendae uidentur, quippe qui *χείμαῤῥος* uocitetur a Pausanio IX 33, 7 (*ὀνομάζουσι δὲ Τρίτωνα αὐτόν, ὅτι τὴν Ἀθηνᾶν τραφῆναι παρὰ ποταμῷ Τρίτωνι ἔχει λόγος, ὡς δὴ τοῦτον τὸν Τρίτωνα ὄντα καὶ οὐχὶ τῶν Λιβύων*; cf. omnino Prellerus myth. gr. I p. 147 sqq.). recte Ellisius obseruat deam hic Tritonida dici maxime ut belli praesidem armipotentem (Aen. IX 297), cp. Callim. ep. 71, 5, Sil. Ital. III 322 sq. et IX 297. cum hac autem miro modo consociatur Nemesis a pago Attico Rhamnunte, ubi praecipue colebatur, dicta Rhamnusia, de qua cf. Prellerus l. l. p. 418 sqq. quae dea dictorum factorumque superborum ultrix et uindex uirium omne nefas animo mouentium numquam ab ullo antiquitatis scriptore memoratur hominum praeliis interfuisse (nam epigramma Anth. Pal. XVI 263 nil ad rem). pacis eam amantissimam et, cum extincto Saturni regno bella rixaeque ubique orerentur, ultimam deorum terras reliquisse ueterum fabulae narrant; et tantopere ab huius numinis natura atque indole abhorrent praelia, ut nullo pacto illa a poeta tamquam praesens bellantium uirorum hortatrix fingi potuerit. itaque non dubito quin merum librariorum uitium subsit. non habet autem altera uirgo hic locum quam Diana, quam ex Hom. Il. V 447 et aliunde notum est a bellico tumultu non abhorruisse. quae quia Amarynthi tamquam dea bellica, ut uidetur (Strabo X p. 448; Prellerus l. l. p. 236), colebatur, huius cognomen *Ἀμαρυσία* latere opinatus et uestigia libri **O** secutus scripsi 'Amarunsia'. quam emendationem olim Anal. Catull. p. 56 a me propositam anno post extitit qui iterum tamquam suam proferret. — **395. praesens hortata cateruas.** de Marte cf. Hom. Il. V 461 sqq., contra de Minerua Il. IV 439 et saepius. 'hortata', exstimulauit, ut Caes. b. g. III 19 *Sabinus suos hortatus.* 'cateruas', de exercitu (maxime barbararum gentium), ut Aen. VIII 593, XII 264. — **396. sed postquam tellus scelere est inbuta nefando.** incipit aetatis quam uocant ferreae descriptio, quam praeeunte Hesiodo *ἔργ.* 171 sqq. certatim poetae latini exhibuere; cf. Ouid. met. I 127 sqq., Verg. G. II in fine, Sen. Phaedr. 540 sqq., alia. non desunt tamen Catulli descriptioni colores uere Romani, ultroque ea in memoriam reuocat Sallust. Cat. 10 sqq. 'inbuta', pollutae scelere sunt terrae adhuc purae; Cic. Font. 14, 31 *sociale bellum macula sceleris inbutum,* Phil. V 7, 20 *cum semel gladium scelere inbuisset.* Ciris 323. — **397. iustitiamque omnes cupida de mente fugarunt.** et ita homines ubique fas diuinum humanumque (cf. 385, Cic. part. or. 22, 78 *iustitia erga deos religio, erga parentes pietas, creditis in rebus fides . . nominatur*; de n. d. I 2, 4 et 116) expulerunt ex animo, quem illius loco iam occupauit cupiditas siue auida diuitiarum magnarumque rerum adpetitio lubidinesque (cf. Lucr. III 59 sqq.). sic enim explicare malim quam deam intellegere

(Ouid. fast. I 249 *nondum Iustitiam facinus mortale fugarat* secundum Arat. Phaen. 133; cf. et Hesiod. ἔργ. 190 sqq.). cf. potius Nigidius in schol. Germanici p. 66, 2 Br. — sequitur usque ad 404 scelerum descriptio. — **398. perfudere manus fraterno sanguine fratres.** Verg. G. II 510 *gaudent perfusi sanguine fratrum,* Ouid. met. XIII 149 *fraterni sanguinis insons.* — **399. destitit extinctos natus lugere parentes.** quos leges naturae iubent et animo dolere mortuos (Ouid. met. XV 486 *extinctum .. defleuere Numam*) et huius doloris signa externa prae se ferre habitu: periit quae proprie uocatur pietas. — **400, 401. optauit genitor primaeui funera nati, liber ut innuptae poteretur flore nouercae.** hoc facinus, quod exemplaribus suis non debuerit, Catullum suae aetatis mores deprauatos respicientem inseruisse, bene adnotauit AStatius cp. Sall. Cat. 15, 2 (Catilina *captus amore Aureliae Orestillae*) *quod ea nubere illi dubitabat, timens priuignum adultum aetate, pro certo creditur necato filio uacuam domum scelestis nuptiis fecisse.* nec alium filium indicat 'primaeuus natus', siquidem uerum uitae initium ab adulescentia ducentes 'primaeuos' uocabant puberes, ut Verg. Aen. VII 162 *flore iuuentae primaeuo.* loco autem Sallustiano opitulari licet difficultatibus haud paucis, quas uerba nostra praebent. neque enim quid optauerit mente tacita pater scelestus, sed quid fecerit ui dolisue declarare debuit poeta: quid si uoti non compos reddebatur pater, si uixit uiguitque filius? unde facinus, si facinus est mentis uotum, patefactum est? scribendum 'patrauit', ut Tac. ann. XI 28 *multasque mortes iussu Messalinae patratas.* 'funera', caedem (Aen. II 539), est pluralis amplificationis, ut 368. porro ratione caret nouerca 'innupta' siue coniugis expers (LXII 12); nec recte putant proleptice dici 'nouercam' (ut ex. gr. 'gener' apud Verg. Aen. II 344) nouam coniugem. quippe ut eam posset ducere ('flore potiri', delibare uirginitatem, cf. LXII 46; de forma 'poteretur' Neuius d. f. l. II p. 419), pater scelus commisit; et si domus iam uacua est liberis e priore coniuge genitis, noua nupta non fit omnino nouerca; multo minus autem, ut nonnulli dicunt, propterea illa est nouerca, quod timens priuignum futurum et hac ipsa cunctatione auctor existens facinoris patri scelesto nouercalem quendam animum prodidit. unde nouercam eo abire iubeamus, unde librariorum intempestiua recordantium socordia arcessiuit. scripsisse autem putamus poetam simpliciter 'liber ut hinc nuptae p. f. nouellae': ut ab hac parte (filio) expeditus tutusque (propterea repulsam iam non ferens) duceret nouam coniugem. nam quod LMuellerus Iacobi Maehly commentum 'uti nuptae' praetulit: mihi etiamnunc ob uitandam ambiguitatem multo melius adesse uidetur, quo aperte 'liber' ad natum referatur; nec ita raro 'in' et 'hinc' confusa. decet autem Catullum deminutiuorum amantissimum 'nouellus', quod plane ut 'nouus' adhibent poetae; Ouid. a. a. III 560 *tetigit thalamos praeda nouella tuos*, Tib. II 2, 22; et depingit illud flagrantem feminae amorem, quo ductus pater filium germanum sustulit, ut eo tristior taetriorque euadat imago. — **402, 403. ignaro mater substernens se impia nato impia**

non uerita est diuos scelerare parentes. mirum est, nonnullos poetam de Iocasta et Oedipode cogitantem facere. nam 'impia' mater cum sit ea quae conscia sceleris sese misceat filio nil tale suspicanti, quomodo hoc in Iocastam conuenit? neque tum Romae exempla ex fabulis erant petenda. 'substernens se', corpus ad Veneris gaudia praebens; Val. Max. VII 7, 4 *cuius* (senis) *pollincto iam corpori marcidam senectutem tuam substrauisti* (anus), Sueton. Aug. 68. repetitio autem uocis 'impia' egregie duplex matris taetrae flagitium ob oculos ponit: scelesta est, dum filio ex se descendenti (qui rei ignarus nocte obscura cum quauis alia misceri credit) culpam diram inputat, dum maiorum castam et sine labe domum polluit (nam 'scelerare' ualet 'scelere polluere', ut Aen. III 42 *parce pias scelerare manus*). 'parentes' inde a Scaligero multi interpretati sunt *θεοὺς πατρῴους*, conparantes Corneliae uerba [Nepos ed. Halm. p. 123] *ubi mortua ero, parentabis mihi et inuocabis deum parentem* et Festum p. 230^b, 16 M. *puer diuis parentum sacer esto* (dubia uerba). his ut ego adicere possum tragici incerti u. 243 R. *deos parentes, qui penates Terei* et fortasse Gratii Cyneg. 453 *patriosue lacessere diuos,* ita nuper HIordanus [Herm. XV p. 530 sqq.] inscriptionum exempla haud pauca, in quibus 'dei parentes' conmemorantur, conlegit et parentum inter lares manesque cultum diuinum ex ueteris Latii caerimoniis repetiuit; cf. Hartungii liber 'Relig. d. Roem.' I p. 44. non igitur necessaria Italorum coniectura a multis probata 'penates': lares siue domum sub larum tutela positam intellege. sequitur nunc apodosis: — **404, 405. omnia fanda nefanda malo permixta furore iustificam nobis mentem auertere deorum.** cf. ad III 14 *omnia bella.* asyndeton in contrariis maxime adamatum (cf. *iusta iniusta* Ter. Heaut. 839 et Ad. 990, *dicenda tacenda* Hor. epist. I 7, 72, *digna indigna* Verg. Aen. XII 811), quamquam alibi in nostra locutione usitatior est copula: Aen. I 543 *deos memores fandi atque nefandi* (G. I 505), Ouid. a. a. I 739 *mixtum fas omne nefasque* et met. VI 585 *fasque nefasque confusura ruit,* Sen. de ira II 9, 2, Eurip. fragm. 423, 3. quamquam 'f. n.' epexegetice accedere potest ad 'omnia', siquidem dictio 'omnia miscere' sollemnis est; cf. Landgrafius ad Cic. p. Rosc. Am. 32, 91. 'malo', ex cupiditate profecto; oppositum est bono qui esse potest furori. 'iustificam'; homines ubi ex animo iustitiam expulere, effecerunt ut etiam dei iam non in eos exercerent iustitiam: non plane igitur 'ficus' uim suam abiecit, ut alibi sane (cf. 265); ceterum cum locutione 'iustifica mens' hic tantum obuia cf. Sil. Ital. XII 474 *mitifica mens* et Plaut. mil. II 2, 36 *falsificus animus.* 'auertere', abalienauere, fecere ut auersa mens esset (Aen. II 170). — **406. quare nec talis dignantur uisere coetus.** hominum tam deprauatorum circulos per haec illaue festa congregatos iam non dignos habent, quos adeant. de dignandi uerbo cf. Zumptius ad Rutil. Nam. I 164. — **407. nec se contingi patiuntur lumine claro.** non permittunt (Hor. I 2, 43 *patiens uocari*) sese tangi siue refugiunt hominum contactum (Ouid. tr. II 252 *quas stola contingi uittaque sumpta uetat*). qui contactus fit manibus

uel oris halitu similiterue, minime uero oculis (et hoc pacto additum 'claro' otiosissimum euaderet); alius autem sanus quidem uerba 'lumine claro' explicandi modus non extat. quibus uerbis fere expectamus inesse, quod ubi et quando hic contactus a dis iam denegatus locum habere potuerit indicet. et hic omnia ut de ἐπιφανείᾳ cogitemus iubent. quae quomodo usu uenerit, docet Verg. Aen. IV 358 *ipse deum manifesto in lumine uidi intrantem* et III 151 (di Penates) *multo manifesti lumine*; plura olim dabo ad Hor. od. I 2, 31 *nude candentes humeros amictu* (sic enim corrigimus). quodsi dei ita apparere dignantur mortalibus eisque se miscent, ut abiecto nebulae inuolucro pura in luce refulgeant siue clari sint oculis hominum (cf. ex. gr. Cic. Arat. 180 stellae *paruo cum lumine clarae*, Aen. II 589 *se non ante oculis tam clara uidendam obtulit et .. in luce refulsit alma parens*), nullo autem pacto nudum 'lumine claro' aequat 'in lumine manifesto apparentes', Vergilianum 'manifesti lumine' restituamus Catullo reponentes 'lumine clari' siue potius 'claros'; Hom. Od. XV 164 *θεοὶ φαίνονται ἐναργεῖς*.

Uniuersi carminis, quod male uulgo titulis inscribunt uariis nec a V agnitis, quae sint uirtutes quaeque uitia, iam dudum tute ipse, lector acute, intellexisti. in medias res more Alexandrino properans (Hauptii opusc. II p. 75) poeta paucis uerbis exponit, quomodo ortus sit Pelei et Thetidos felici olim tempore amor, iamque fusius apparatum nuptiarum in Pelei regia faciendarum describit. ecce subito legentium animos erectos auertit a proposito longum ἐπεισόδιον Ariadnes desertae imaginem exhibens (cf. supra p. 377 sqq.). quod inde a u. 50 usque ad u. 264 extentum plusque quam dimidiam carminis partem occupans ubi mentem nostram suis ueneribus deuinxit, aegre nos patimur reduci ad historiae primariae iam fere ex memoria nostra elapsae continuationem, qua nuptiae illae et dei in eis praesentes et Parcarum cantus suauiter enarrantur, et in fine animo paene inuito admiramur poetam, qui aeuom illud priscum praesenti aetati corruptae oppositum tam digna cum simplicitate descripserit neque tamen summam illam totius carminis simplicitatem siue unitatem seruare calluerit. hac enim laude principali carmen plane caret, quippe in particulas hiantes male discissum enormi illa degressione; nec aliter duo argumenta inter se diuersissima cohaerent quam uinculo tenuissimo et arbitrario: ui adhibita quae duorum erant carminum plane alienorum in unum sunt conglutinata. quod uitium nimis apertum eo magis dolemus, quo lubentius inuitantibus singulorum locorum uenustatibus inmoramur suspicimusque ornatum ubique electum elegantemque nec tamen molestum, quem pro uniuscuiusque loci indole modo parca modo larga manu adspersit poeta. qui non certum aliquod exemplar Alexandrinum in hoc carmine ob oculos habuit (ARiesii opinionem, tamquam hoc poema ex Callimacho sit conuersum, recte post alios refutauit CPSchulzius in Fleckeis. ann. 1882 p. 208 sqq.; cf. et Hauptius l. l.), sed ex lectione Homeri, Apollonii Rhodii aliorum-

que hic illic flosculos quosdam cum libera siue imitatione siue aemulatione inseruit (non tam certa utimur Alexandrinorum notitia, ut liquido nobis constet, num horum imitationi an propriae nostri culpae sit uitium illud principale modo expositum inputandum) idemque etiam in descriptione rerum, ueluti nuptiarum a multis anteriorum celebratarum (testimonia supra exhibui), suam semitam triuit, eam legem sibi statuens supremam, ut prisca tempora prisce narrarentur. ceterum cf. supra p. 44.

LIBER TERTIUS.

LXV.

1, 2. Etsi me assiduo defectum cura dolore seuocat a doctis, Ortale, uirginibus. unius qui totam hanc epistulam conplectitur ambitus uerborum bene attendenda est constructio: per 'etsi' (ut amabant hoc exordium) incipit protasis usque ad u. 4 'animi' pertinens, tum post longiorem parenthesin 4—14 interpositam sequitur u. 15 per 'sed tamen' apodosis usque ad finem currens. imitatus est sat artificiosam structuram auctor Ciris in initio. 'cura', maeror luctusque sollicitans (ut Ouid. ex P. I 3, 25, Lygdam. 2, 29), nimirum fratris erepti (u. 5 sqq.), continua lamentatione poetam reddidit 'defectum', corpore animoque languentem (Colum. VII 5 *agnis .. aegritudine aliqua defectis*, Val. Flacc. VII 116 *solo maeret defecta cubili*, Tac. ann. II 70, Heinsius ad Ouid. f. III 674; 'confectum', quod G praebet, h. e. consumptum plane, ut Enn. a. 442 V. *senio confectus*, Lucil. XXVI 27 M. *doloribus confectum corpus*, nimium est) et sic abstraxit a societate Musarum: nimirum *carmina proueniunt animo deducta sereno* (Ouid. tr. I 1, 39). 'seuocat' recte scribunt pro tradito in V 'sed uacat': exaratum erat olim 'se uacat' per errorem, qui O (mox pro D accepta) supraposita corrigebatur; cf. ex. gr. Cic. Tusc. I 31, 75. Ἑλικώνιαι παρθένοι (Pind. Isth. 7, 57, Prop. II 30, 33) audiunt 'doctae' utpote poetarum doctorum patronae (Tib. I 4, 61 *Pieridas, doctos et amate poetas*), ut Ouid. tr. II 13 *doctae sorores*, a. a. III 411 *doctis Musis*, Verg. epigr. 9, 2 *doctae Pegasides*. is, ad quem haec epistula est data, uidetur fuisse orator celeberrimus Q. Hortensius Ortalus (114—50 a. Chr.), quem scimus (supra p. 10) adeo fuisse poeseos nouiciae amatorem, ut ipse poematia luderet amatoria. cf. de eo Drumannus HR. III p. 81 sqq., Teuffelius in Paulyi Encycl. real. III p. 1497 (HLR. § 171). 'Ortalus' rectiorem formam esse quam 'Hortalus' graeca nominis species adserit. — **3, 4. nec potis est dulcis Musarum expromere fetus mens animi.** 'fetus' ut arborum sunt (Ouid. met. IV 125, Verg. G. I 55, Nux 93), sic et scriptorum fructus ingenii (Quint. X 4, 2 *ne nobis scripta nostra tamquam recentes fetus blandiantur*). iam 'dulces' (cf. Lucr. V 1377 *pomis dulcibus*, Hor. a. p. 99 *dulcia carmina*) artius cohaerere mihi uidetur cum 'doctis' u. 2, ut in Catonis monost. 40 [PLM. III p. 238] *doctrina est fructus dulcis radicis amarae.* mirifice

superfluum est abundatque 'Musarum' post u. 2 'doctis uirginibus': V habet 'dulcissimus harum', in quibus 'harum' egregie se habet nec quidquam aliud requiritur. legendum esse censeo 'dulcis simul harum', h. e. eodem tempore, quo cura me angit. Verg. epigr. 9, 7 *uestros* (Musae) *expromere cantus*, in lucem edere, procreare (oppositum est 16 'expressa'); AStatius cp. Pindari fr. 273 B. ad priscam dictionem 'm. a.' (quacum Homericum θυμὸς ἐνὶ φρεσί conparari potest) cf. Plaut. Cist. II 1, 5 et Epid. IV 1, 4, Lucr. IV 758 et V 149 et VI 1183 *perturbata animi mens in maerore metuque*, Cic. d. rep. II 40, 67. 'potis est', potest; cf. Neuius II p. 601. — **4. tantis fluctuat ipsa malis.** 'ipsa' nunc, ubi u. 3 'simul' est recuperatum, ab oppositione est apertius: per se tantis calamitatibus est animus commotus inquietusque (cf. ad LXIV 62), ut aliis curis mentem quietam requirentibus non possit uacare. — **5, 6. namque mei nuper Lethaeo gurgite fratris pallidulum manans alluit unda pedem.** uide quanta cum arte expressum sit illud 'nam modo fratrem amisi'. uulgo construunt: ante paruom tempus (Fest. p. 173 *nuper quasi nouiper, tamquam dicamus nouissime*) pedem fratris mei (qui tamquam mortuus designetur addito ad 'pedem' attributo omnium quae ad inferos pertineant communi 'pallidus', ut Aen. IV 26 *pallentes umbras Erebi*, Spart. Hadrian. 25 *loca pallidula frigida nudula*) unda, quae manat siue tacite lenteque labitur (Prop. IV 11, 15 *uada lenta*, Lygdam. 3, 38 *et ignaua luridus Orcus aqua*), Lethaeo gurgite alluit, h. e. tingit aqua fluminis Lethes; scil. dum potat frater ex eo obliuia (Verg. Aen. VI 714 sq.); nam 'Leth. gurg.' ita pertinere ad 'alluit', ut tamen facile inde ad 'unda' arcessamus mente genetiuum. uerum enim uero ut tota imago me quidem offendit, ita de pede pallido nil me memini legere; et magis poeticam duco hanc constructionem, qua 'pallidulum' cum 'manans' coit uice aduerbii (Kuehnerus gr. l. II p. 211); Lygdam. 1, 28 *pallida Ditis aqua.* euadit quidem sic aliquid ambigui propter sequens illud 'pedem'; sed huic incommodo medendum esse reponendo audacter 'pedes' (quod ex mala adsimilatione est corruptum), docet certa clausula pentametri apud Prop. I 20, 8 *tinxerit unda pedes* et IV 11, 16 *implicat unda pedes*, Petron. epigr. 88, 3 [PLM. IV p. 94] *refuso gurgite securos obruit unda pedes.* et lucramur hinc, quod 'quem' in u. 7 iam rectius refertur. denique hoc est insolitum, quod unda pedes 'alluit', siquidem maria fluminaue regiones siue moenia urbium adluunt siue lambunt, non singulorum hominum pedes (qui potius fluentis adluduntur, sim.). 'alligat' conieci secundum Prop. l. l. *implicat*, Aen. VI 438 *tristisque palus inamabilis unda alligat*, Anth. lat. Mey. 1167, 24 *cohibebor aquis*, ut iam 'Lethaeo' sensu latiore pro 'Stygio' sit positum, ut Culicis u. 215 *Lethaeas transnare per undas*, Prop. IV 7, 91 *Lethaea ad stagna reuerti*; nam tempus praesens, ut facile cum 'nuper' conciliatur, ita usu apud poetas non infrequenti est positum. — **7, 8. Troia Rhoeteo quem subter litore tellus ereptum nostris obterit ex oculis.** construe: quem (fratrem) er. ex nostris (familiae siue mei) oculis (Hor. od.

III 24, 32 *sublatam ex oculis*) Troia tellus (Aen. XI 245 *Ilia tellus*) Rhoeteo litore obtectum in puluerem conmutat. Agroecius GL. K. VII p. 123, 22 *subter est quod re aliqua superiore premitur et conculcatur,* Lucr. III 893 *urgerine superne obtritum pondere terrae.* Verg. Aen. VI 505 *tumulum Rhoeteo litore inanem*: ora illa Troadis regionis, in qua Rhoeteum promunturium cum eiusdem nominis oppido situm (*τὸ Ῥοίτειον ἄκρον*), nobilis erat maxime tumulo Aiacis. ceterum quonam casu Catulli frater ibi mortem inuenerit (num forte naufragio), plane nescitur. — erumpit iam poeta in fratris tam cari dilectique adlocutionem, cuius primus uersus casu infelici in V periit; nam hoc apud prudentes quidem nunc constat, supplementum a Datano consimilibusque exhibitum *alloquar audiero nunquam tua . . loquentem* ('uerba, facta, fata' addunt: cf. praef. uol. I p. XXVIII) male et auersis Musis esse excogitatum ab Italis, cum nec 'audiero' iuxta 'alloquar' defendatur locis Cic. ad Att. III 19 et p. Planc. 33, 79 (Maduigius opusc. II p. 95) nec 'numquam' bene post uerba multo minoris ponderis 'all. aud.' positum sit (quanto melius salua anaphorae ui daturi fuissent Itali 'numquam ego te posthac audibo dulce loquentem'!). sed hoc certum est, errasse non minus Lachmannum post u. 8 septem uersus intercidisse statuentem (sic quippe haec parenthesis nimis euaderet onerosa) quam Haasium uu. 9—14 post CI 6 (ubi uide) inserentem. incertum est sane quidnam interciderit a sententia: 'oculis' et 'aspiciam' u. 11 inter se cohaerere in propatulo est (hinc quoque Italorum supplementum damnatur); unde ad 'oculis' enuntiatum relatiuum potest adnexum fuisse. — **10, 11. numquam ego te, uita frater amabilior, aspiciam posthac; at certe semper amabo.** in priore colo supple 'quidem'. Verg. ecl. 1, 75 *non ego uos posthac . . uidebo,* Prop. I 15, 13 *numquam posthac uisura.* 'uita', scil. mei ipsius; cf. ad LXIV 215 et LXVIII^{b} 66. Prop. II 13, 52 *fas est praeteritos semper amare uiros*: de tenero potissimum desiderio luctuque intellege. — **12. semper maesta tua carmina morte canam.** 'tua morte' pendet a 'maesta', ut LXIV 379. stetit poeta hactenus a promisso, ut et quae inter luctum Veronae sunt scripta cc. LXVIII^{a} et LXVIII^{b} maestitiam illam prae se ferrent et quod manibus fratris postea dedicatum est c. CI. 'canam' egregie Itali: 'tegam' sine ullo sensu idoneo V, quod ortum est ex scriptura 'mortecām' per dittographiam simul uirgulaeque neglectum. Ouid. epist. 2, 118 *cecinit maestum carmen.* — **13, 14. qualia sub densis ramorum concinit umbris Daulias absumptei fata gemens Itylei.** fundus imaginis Hom. Od. XIX 518, ubi nocturnis Penelope indulget querellis, *ὡς δ' ὅτε Πανδαρέου κούρη χλωρηῒς ἀηδὼν καλὸν ἀείδῃσιν ἔαρος νέον ἱσταμένοιο, δενδρέων ἐν πετάλοισι καθεζομένη πυκινοῖσιν, ἥ τε θαμὰ τρωπῶσα χέει πολυηχέα φώνην παῖδ' ὀλοφυρομένη Ἴτυλον φίλον, ὅν ποτε χαλκῷ κτεῖνε δι' ἀφραδίας, κοῦρον Ζήθοιο ἄνακτος,* nisi quod nomina noster secundam recentiorem mythi speciem (cf. omnino Prellerus myth. gr. II p. 140 sqq.) mutauit. de Daulide, urbe Phocidis (cf. Steph. Byz. s. u., Thucyd. II 29, Paus. X 3, 4), ubi Tereus maritus

regnauit, Philomele audit 'Daulias', scil. auis siue aëdon (sequitur enim Cat. solitam poetis latinis formam fabulae, qua partes sororum conmutantur). cf. et Soph El. 107. ob oculos h. l. habuit Ouid. epist. Sapphus 153 *sola uirum noxa ulta pia maestissima mater concinit Ismarium Daulias ales Ityn: ales Ityn, Sappho desertos cantat amores* (quod 'cantat' confirmat u. 12 Italorum 'canam'); cf. et consol. Liuiae 105 sq., Prop. III 10, 8 *increpet absumptum nec sua mater Ityn*, Hor. od. IV 12, 5 *Ityn flebiliter gemens infelix auis*, Sen. Agam. 670 sqq. et Herc. Oet. 199, Anth. lat. Mey. 1167, 25 *ne me noctesque diesque defleat, ut maerens Attica mater Ityn.* ad 'absumptum', interfectum et a patre deuoratum, cf. et Aen. IV 601 (III 255). — **15. in tantis maeroribus, Ortale, mitto.** doloribus et planctibus; Cic. Tusc. IV 8, 18 *maeror est aegritudo flebilis*; unde, ut 'fletus' et 'planctus', etiam 'maeror' pluraliter ponitur, ut CIL. I 1202 *interieisti et liquisti in maeroribus matrem*, Enn. trag. 230 R. *mihi maerores, illi luctum*, Cic. d. fin. I 18, 59. 'mitto', dono siue dedico; cf. ad Corn. 1 et CXVI 2, unde uidemus tum fuisse sollemne, ut Alexandrinorum maxime poemata digne in latinum conuersa dono darentur amicis. 'Ortale' in apodosi repetitum, ut post longam parenthesin appareat constructio. — **16. haec expressa tibi carmina Battiadae.** hi qui iam sequuntur uersus a me conuersi ex Callimacho. nam 'carmina' non de pluribus poematis accipere licet (quippe unum c. LXVI designatur), sed adaequat fere 'uersus', ut et LXI 13 (cf. et LXIV 382); et simillime hunc pluralem de distichis adhibet Ouidius epist. Sapph. 5 *cur sint alterna requiris carmina*, h. e. huius poematis (quod unicum est) uersus ex hexametro et pentametro constent, tr. III 1, 11 *clauda quod alterno subsidunt carmina uersu.* 'expressa', quod habet uim quandam (non proprii animi fetus expromere ualet poeta), est 'conuersa', ut Cic. d. fin. I 4 *fabellas latinas ad uerbum de graecis expressas*; coniunxit utrumque Cic. in Limone (Suet. uit. Ter. 5) *conuersum expressumque latina uoce Menandrum.* Callimachus ut Batti cuiusdam (qui fortasse ex ueteris Batti, Cyrenes conditoris, familia descendit) filius (cf. Suidas s. u. *Καλλίμαχος*) saepe apud poetas latinos audit Battiades; cf. Callim. epigr. 23 Sch., CXVI 2, Ouid. Ib. 53 et tr. II 367, Stat. silu. V 3, 157. — **17, 18. ne tua dicta uagis nequicquam credita uentis effluxisse meo forte putes animo.** uidetur Ortalus Roma decedentem Catullum identidem admonuisse, ut poemata docta Alexandrinorum uertendo non solum uires exerceret, sed etiam doloris caperet lenimen. hae admonitiones precesque (nam 'dicta' est grauius multo quam simplex illud 'uerba') quam non fuerint uentis creditae, h. e. frustra sibi commissae et effectu carentes (cf. ad XXX 10, LXIV 59 et 142, LXX 4, Lucr. IV 931 *tu fac ne uentis uerba profundas*, Ouid. am. I 6, 42), docturus specimen studiorum illorum amico Romam mittit poeta. hoc 'uentis uagis (scil. in omnes partes rapientibus) aliquid credere' cum iam per se contineat notionem uani cassique suscepti, molestissime sane et abundantia uix et ne uix quidem excusanda (nam LXIV 59 'inrita'

similiaque multa huc non faciunt) accedit 'nequicquam', quod mihi sollemni fere corruptela ortum esse uidetur ex 'nequaquam': ne forte me putes oblitum esse uerborum tuorum, quae tamen hercle minime es uentis locutus (ego minime dimisi ex pectore). Prop. I 21, 2 *id tibi ne uacuo defluat ex animo*; Ouid. epist. 2, 105 *utque tibi excidimus*; Cic. ad fam. VII 14, 1 *si nostri oblitus es, dabo operam ut istuc ueniam, antequam plane ex animo tuo effluo* (= obliteratione obruor); cf. et Dissenus ad Lygdam. 1, 20. — persequitur hoc Catullus more Alexandrinis adamato longius degressus in conparatione, quae leni admixtione erotica sua gratia non caret; communis est poetae et puellae sola unaque obliuio mentis, qua illi dicta huic malum exciderunt, cetera ad imaginis ornatum pulcrum pulcre sunt adiecta. habet autem haec degressio suam rationem inde, quod, postquam prior pars enuntiati parenthesi illa longior est facta, iam alteram fulcire e contrario oportuit, ne haec aequo breuior prae illa euaderet periretque iusta quaedam aequabilitas. — **19, 20. ut missum sponsi furtiuo munere malum procurrit casto uirginis e gremio.** mala semper apud ueteres erant symbolum amoris: illis uel sensa pectoris tenera indicabant inter se amantes (Verg. ecl. 3, 64 *malo me Galatea petit lasciua puella et fugit ad salices et se cupit ante uideri,* ibid. 71) uel nuptias ineundas adulescens offert puellae; rem persecutus est CDiltheyus libri 'de Callim. Cydippa' p. 113 sqq. furtiue autem siue clanculum malum missum (ad ablatiuum 'munere' cf. CI 8) non minus quam id, quod matre superueniente puellae occupat uultum rubor, demonstrat et de amasio parentibus ignoto agi et hanc conparationem non profluxisse ex ingenio poetae Italici, prouenisse potius ex imitatione graeci alicuius uatis (fortasse Callimacheae Cydippae). apud quem cum μνηστήρ (ut mihi uidetur) inuenisset Catullus, uocem in lingua latina non obuiam quomodo latine uerteret non repperit; nec enim quod solum fere poni potuit 'petitor' (cf. ad LXX 2) ponere audebat (postea demum Romani admisere); nam 'procus' est qui a parentibus more Italorum in matrimonium natam poscit. sic ut 'sponsus' adhiberet coactus est, ut postea de petitoribus Helenae Hor. epist. I 2, 28 (cf. et gloss. Labb. p. 173 *sponsus: μνηστήρ, νύμφιος*); sed cum 'sponsus' sit is qui in sponsione inter ipsum et parentes puellae facta spopondit se esse ducturum, hac uoce adsumpta de imaginis perspicuitate multum perit. ad ultima uerba iam Muretus et AStatius cp. Festum p. 165[a], 17 *nec mulieri nec gremio credi oportere: prouerbium est, quod et illa incerti et leuis animi est et plerumque in gremio posita, cum in obliuionem uenerunt, propere exsurgentibus* ['exsurgentium' codd.] *procidunt.* cf. et LXVI 56 *casto collocat in gremio.* — **21. miserae oblitae.** infelici (scil. quae sic prodebatur; LXIV 57 et 71), quae plane circa amasium animo uersata mali positum mente dimiserat. — **molli sub ueste locatum.** Ellisius cp. Lucian. d. mer. 12, 1 *τέλος δὲ τοῦ μήλου ἀποδακὼν προκύψας πως εὐστόχως προςηκόντισας εἰς τὸν κόλπον αὐτῆς, οὐδὲ λαθεῖν γε πειρώμενος ἐμέ. ἡ δὲ φιλήσασα μεταξὺ τῶν μαστῶν ὑπὸ*

τῷ ἀποδέσμῳ παρεβύσατο. cf. et Turpil. com. 196 R. *me miseram, quid agam? inter uias epistula excidit mihi, infelix inter tuniculam quam ac strofium conlocaueram.* etiam hic de tunica discincta cogita (ad 'molli' cf. LXIV 129). — **22. prosilit.** ex sede sua. — **excutitur.** ui eicitur ad subitum motum. — **23. atque illud prono praeceps agitur decursu.** 'a. i.' in narrationis continuatione (ad LXIV 16), qua hic exornatur amplius imago. ob oculos uerba habuit Verg. G. I 203 *atque illum praeceps prono rapit alueus amni.* Petron. 138 *inter praecipitem decursum* (ex arce), Lucr. V 946 *montibus e magnis decursus aquai.* per abruptum in fine spondiaco uersum ad terram cadere malum nobis uidemur audire. 'illic', quod O habet, uidetur ortum ex forma scribis insuetiore 'illuc' (cf. L 5, LXVII 15, Neuius II p. 211). — **24. huic manat tristi conscius ore rubor.** 'huic' (scil. puellae) oppositum est *τῷ* 'illud'. 'manat', diffunditur; Paulus p. 159 *manare solem antiqui dicebant, cum solis orientis radii splendorem iacere coepissent*; et conparare amabant pudoris ruborem cum rubore Aurorae, ut Laeuius (Gell. XIX 7) Auroram uocauit *pudoricolorem.* 'conscia' (scil. amoris furtiui; de omisso obiecto cf. interpp. ad Sall. Cat. 14, 3 *animus conscius*) erat puella, unde translatione poetis concessa rubor, qui ex mala conscientia profluit, dicitur 'conscius' (germanice 'schuldbewusst'), ut simillime Ouid. am. II 5, 34 *at illi conscia purpureus uenit in ora pudor,* Sen. Herc. f. 692 *pudorque serus conscios uultus tegit.*

Carmen a. fere 60 Veronae scriptum iam dixi esse praefationem sequentis c. LXVI, quocum una est missum ad Ortalum. scimus ex LXVIII^{b} 36 poetam unam capsulam ex bibliotheca sua Romana aduexisse Veronam: continuisse eam inter alia quaedam opuscula Callimachi etiam illud, quod *πλόκαμος Βερενίκης* inscribebatur, admodum est uerisimile. non tulit aetatem hoc Battiadae poema; nec ex paucis paruisque fragmentis [Callimachea ed. OSchneiderus II p. 144 sqq.] accurate quomodo munere suo noster sit functus agnoscere licet; liberius et ex mente popularium, rebus ipsis integris, eum saepius uertisse facile conicimus. causam autem carminis Callimachei inter ceteros testes optime indicat Hyginus astron. II 24 ita: *sunt aliae septem stellae ad caudam leonis in triangulo conlocatae, quas crines Berenices esse Conon Samius mathematicus et Callimachus dicit. cum Ptolomaeus Berenicen, Ptolomaei et Arsinoes filiam*), sororem suam, duxisset uxorem et paucis post diebus Asiam*

*) apparet Hyginum hic eis quae ex Eratosthene adsumpsit admiscuisse nonnulla ex commentario quodam Catulliano petita, ut iam olim Anal. Catull. p. 24 indicaui. nam Romanum, non Alexandrinum doctum decet indocta illa Berenices Cyrenaicae et eius, quae Euergetis erat soror germana, confusio: ansam errori dedit u. 22 'fratris'. idemque Romanus interpres iam quaerens in huius Berenices uita 'bonum' illud 'factum' u. 27 conmemoratum, adscripsit ex nescio quo fonte id quod porro apud Hyginum legitur. eidemque interpreti attribuo mirum illum errorem de equis a Berenice altis, quem iam Hauptius intellexit ex u. 54 corrupto fluxisse. denique uerba illa Hygineana 'Asiam oppugnatum

oppugnatum profectus esset, uouisse Berenicen, si uictor Ptolomaeus redisset, se crinem detonsuram. quo uoto dampnatam crines ('crinem' codd., qui mox 'eosque') *in Veneris Arsinoes Zephyritidis posuisse templo eosque postero die non conparuisse. quod factum cum rex aegre ferret, Conon [mathematicus] cupiens inire gratiam regis dixit crinem inter sidera conlocatum uideri et quasdam uacuas a figura septem stellas ostendit, quas esse fingeret crinem. hanc Berenicen nonnulli cum Callimacho dixerunt equos alere et ad Olympia mittere consuetam fuisse. alii* eqs (cf. testim. uol. I ad u. 26). aperta est res ipsa: clam tollentibus aulicis quibusdam ubi subito crines in templo positi non adparuerunt, tum uero fortasse Callimacho maxime inpellente, qui iam in epigrammate quodam [52 Schn.] reginam suam celebrauerat ut Gratiarum unam, Conon hoc nouum excogitauit adulationis genus, ut comam a Venere inter sidera positam adfirmaret, poeta autem exquisitarum blanditiarum materiam nanctus est hoc carmine, quo ipsos nempe crines loquentes inducit:

LXVI.

1. Omnia qui magni dispexit lumina mundi. 'qui' cohaeret cum u. 7 'idem ille Conon': a mathematici laude larga (1—6) incipit Callimachus, quo maior illius inuento fides accedat. hinc et 'omnia' cum ui praepositum, unde et hoc nouum sidus illum non fugisse nemo miretur. 'mundi' caeli; ad LXIV 206. Ciris 7 *ad magni suspexit sidera mundi* (etiam Manil. I 283 *omnia quae summo despectant sidera mundo* in re diuersa tamen ad u. h. adludere uidetur); 'lumina' exquisitius pro 'sidera' (Verg. G. I 5 *uos o clarissima mundi lumina*). 'dispicere' (male V 'despexit', cum in caelo positorum sit καϑορᾶν), discernere non solum corporis oculis, qui per umbras penetrant, sed etiam mentis acie calculisque factis. — **2. qui stellarum ortus comperit atque obitus.** Cic. d. or. I 42, 187 *in astronomia caeli conuersio, ortus obitus motusque siderum* (de inu. I 59, de fato 9, 17), Verg. G. I 257 *signorum obitus speculamur et ortus*, Apul. d. deo Socr. 12 *quos* (planetarum motus) *probe callet qui signorum ortus et obitus comperit* (h. e. indagauit), Amm. Marc. XXV 10, 3 *stellarum ortus obitusque*: his aliisque locis caue ne cum Meleagro 'abitus' elicias ex 'habitus', quod in V legitur. — **3. flammeus ut rapidi solis nitor obscuretur.** 'rapidus' (cf. LXIV 271) sollemne ob celeritatem Solis cottidie cursum peragentis epitheton; cf. ex. gr. Hor. od. II 9, 12, Hom. h. Apoll. 375 ὀξέος ἠελίοιο. 'ut', quomodo, accedit ad 'comperit', quippe quod 'indagando eruit' significet (cf. Aen. II 4). Ouid. tr. III 5, 55 *nitidus sol*. Val. Max. VIII 11 ext. 1 *obscurato repente sole*; cf. expositio Plinii h. n. II 10, 47, Lucr. V 751 sqq.; Sen. q. n. VII 3 *Conon postea, diligens et ipse inquisitor, defectiones solis seruatas ab Aegyptiis collegit.* — **4. ut cedant certis sidera temporibus.**

---

profectus esset' et 'si uictor Pt. rediisset' ad carminis Catulliani u. 13 et 35 aperte adludunt. plura uide ad 54.

explicant 'decedant', abeant siue occidant. sed mirandum est, plane eandem rem hic commemorari atque u. 2 'stellarum obitus', ubi tacite subintellegimus hos obitus certis temporibus usu uenire, ut eadem res ex parte nunc inepte repetatur. AStatius cp. Tib. I 4, 20 *annus agit certa lucida signa uice.* sed de anni temporibus, ut uerba leguntur, nemo cogitabit suo sponte: nimis ambigua dictio. unde legendum esse conieci aliquando 'tempora sideribus', cf. Hor. epist. I 6, 3 *et decedentia certis tempora momentis* (= siderum motibus), Manil. I 476 *certa sidera* et 530. sed fatendum est, minus apte haec interponi inter solis et lunae defectum. unde 'sidera' ad solem refero, pluralis in uno solis sidere ardentissimo cum sit non ita rarus (Ouid. met. XIV 172); Lucr. V 758 *solque suos etiam dimittere languidus ignis tempore cur certo nequeat.* quod si probas, 'ut' perspicuitatis causa mecum in 'et' muta: circumiacentes uoculae eaedem corruptelae ansa. — **5, 6. ut Triuiam furtim sub Latmia saxa relegans dulcis amor goero deuocet aetherio.** lunae defectus latebrasque (Lucr. V 751) ex causis physicis exploratas esse a Conone poeta indicat exornans nota fabula, secundum quam Luna pulcrum mortalem Endymionem uisura in Cariae monte Latmo clam nocte caelum relinquit. Cic. Tusc. I 38, 92 *Endymion uero si fabulas audire uolumus, ut nescio quando in Latmo obdormiuit, nondum opinor est expergefactus: num igitur eum curare censes, cum Luna laboret* (h. e. deficiat), *a qua consopitus putatur, ut eum dormientem oscularetur.* Alexandrinos *τὰς αἰτίας* rerum inuestigantes decuit haec explicatio, qua Luna tum descendere ad amasium dicebatur, quando latebat; ceterum cf. de fabula maxime Naekius Val. Cat. p. 165 sqq. (Prellerus myth. gr. I p. 347 sq.). de Triuia ad XXXIV 15. *Λάτμιον ἄντρον* conmemorat Apoll. Rhod. IV 57 (ubi cf. schol.). 'sub saxa relegans', mittens in antrum, poetice dicitur, ut similiter Verg. Aen. VII 775 *Egeriae nemorique relegat.* Theocr. 20, 38 *ἀπ' Οὐλύμπω δὲ μολοῖσα Λάτμιον ἂν νάπος ἦλθε καὶ εἰς ἕνα παιδὶ κάθευδεν.* 'aerio' tradit V sollemni cum confusione uocum 'aether' et 'aer' quaeque hinc descendunt. Alexandrinos ipsos fluctuasse sine ullo discrimine inter *αἰθήρ* et *ἀήρ* perperam persuadere studet OSchneiderus Callim. I p. 293 sqq. (cf. ad u. 7); Romanos scio risuros fuisse hoc, Dianae non in caelo sed in nubibus esse iter; nam et Horatianum *aerias domos* (od. I 28, 5) et Vergilianum *aeris in campis* (Aen. VI 640) hinc aliena. est autem 'gyrus' cursus menstruus (XXXIV 17); Hor. sat. II 6, 65 *seu bruma niualem interiore diem gyro trahit,* Sen. Phaedr. 312 *ille nocturnas agitare bigas discit et gyro breuiore flecti* de Lunae curru; latere formam priscam 'goero' (cf. LMuellerus comm. Lucil. p. 322) intellexit Scaliger in lectionis in V extantis monstro 'guioclero', h. e. 'guro l. cero' (duplex scriptura). — **7, 8. idem me ille Conon caelesti numine uidit e Beroniceo uertice caesariem.** Conon Samius aequalis erat Arati et Archimedis, amicus Callimachi, multi nominis ('ille' effert, ut VIII 6) mathematicus et astronomus, de cuius tamen scriptis nihil superest; cf. Fabricius bibl. gr. IV p. 25, 176. seruata sunt hic ipsius exemplaris uerba apud schol.

Arat. 146: *Κόνων ὁ μαθηματικὸς Πτολεμαίῳ χαριζόμενος Βερενίκης πλόκαμον ἐξ αὐτοῦ (λέοντος) κατηστέρισε. τοῦτο καὶ Καλλίμαχός που φησὶν: ἢ με Κόνων ἔβλεψεν ἐν ἠέρι τὸν Βερενίκης βόστρυχον, ὃν κείνη πᾶσιν ἔθηκε θεοῖς.* sic enim optimum librum Marcianum praebere docuit Wilamowitzius [Herm. XIV p. 199]. reiecta igitur OSchneideri de lacuna cogitantis opinione agnoscendum est, Catullum exemplaris sui uerba dilatasse uertendo. quod maxime apparet in illo *ἐν ἠέρι*. hic enim si in 'aere' posuisset noster, num forte nubeculae instar uolitaret coma quaesiuissent populares. neglegendum igitur erat discrimen subtile inter *αἰθήρ* et *ἀήρ* ab Alexandrinis factum consulendumque Romanae consuetudini. sed quid dederit noster, casu infelici sub corruptela 'numine' latet. licet enim hoc per se aliquo modo stare possit (nam Veneris iussu coma in caelo fulsit, u. 64), tamen nec hoc loco id erat conmemorandum et alio ducit Callimachus. 'munere' non melius olim dederunt prisci editores, 'lumine' Canterus, 'limine' Heinsius, 'limite' Doeringius; sed praepositionem recte requirens IVossius 'in lumine' maluit, ego nunc praefero, quoniam non *αἰθέρι* (= lumine) legitur graece, 'i' repetita et 'u' in 'li' mutata reponere 'caelesti in limine', siquidem 'aer' ex sensu Alexandrinorum sic ut mihi uidetur distinguentium recte dicitur 'caeli limen', in quo inter *αἰθέρα* siue arces igneas deorum et aera crassiorem siue nubes posita sunt meantque sidera. Lucr. IV 132 *in hoc caelo* (= caeli parte), *qui dicitur aer*, Verg. ecl. 5, 56 *limen Olympi*. deinde *τὸν βόστρυχον* Catullus liberius ita uertit, ut simul interpretis munere fungeretur. nam non de uno quodam cincinno (ut uulgo putant) agitur, sed Callimachus *πλόκαμος* et *βόστρυχος* pro collectiuo ponens eam intellexit caesariem e pluribus cincinnis constantem, quae e uertice effusa erat *per candida colla* (Verg. G. IV 337); unde et Eratosth. catast. 12, Hygin. l. l. aliique inter pluralem 'crines' et singularem 'crinis' uariant; et sic ipse noster u. 47 'crines' et 93 'coma'. formam 'Beroniceo' V 'ebore niceo' praebens aperte indicat; cf. omnino Niebuhrius opusc. hist. et philol. I p. 237. — **9, 10. fulgentem clare, quam multis illa dearum leuia protendens brachia pollicita est.** 'f. cl.' cum 'cael. in lim. uidit' iunge (nam etsi per se obscurae sunt stellulae illae adserentibus astrologis, ut Eratosth. l. l., dispexit tamen eas lucentes Conon). non conparet quidem hoc 'f. cl.' in fragmento Callimachi; qui tamen sine dubio in sequenti hexametro hoc expressit addiditque simul, quo illi 'pollicita est' melius conueniret cum simplici *ἔθηκε* (ueluti *εὐχομένη*). neque porro 'laeuia prot. brachia' (scil. suplex ad deos, ut Aen. XII 930 *dextramque precantem protendens*, Lygdam. 4, 64 *cum multa brachia tende prece*; AStatius cp. Callim. Del. 107 *πήχεις ἀμφοτέρους ὀρέγουσα*) sunt Catulli additamentum, sed Callimachi adulantis habueruntque itidem sine dubio in hexametro sequenti locum. denique illud *πᾶσιν . . θεοῖς* postquam iam Valckenarius miratus est uerti per 'multis . . dearum' conparans u. 33 'cunctis diuis pollicita es' (et hercle aut uni Veneri aut omnibus deis uouere debuit crinem Berenice), facili opera Hauptius id quod uerum

est agnouit, traxisse nimirum corruptelam Catullum, qui scripsisset 'cunctis illa deorum' [opusc. I p. 59 sq.]; cf. Ouid. met. IV 631 *hominum cunctos* (Kuehnerus gr. l. II p. 314). ceterum interdum dis uotos oblatosque esse etiam crines notum est ex Stat. silu. III 4 et Sil. Ital. IV 200 (AStatius cp. et schol. ad Pers. 1, 29 *cirri consecrati certis numinibus*, Ellisius Anth. Pal. VI 274—79). — **11, 12. qua rex tempestate nouo auctus hymenaeo uastatum finis iuerat Assyrios.** Berenice, Magae Cyrenarum regis et Apamae filia, iam a patre sponsa Ptolemaei Philadelphi filio, qui postea Euergetes est cognominatus, patre mortuo ipsa Demetrio τῷ καλῷ, cui mater in matrimonium dare uoluit, interfecto effecit, ut cum sponso a patre destinato iungeretur nuptiis anno (ut uidetur) 247; cf. Droysenus libri 'Gesch. d. Hellenismus' II[1] p. 247 sq.; 314 sqq., 362 (Niebuhrius l. l.); ad 27. Euergetes, qui rex Aegypti est factus a. 247, non multo post nuptias (u. 13 sq.) profectus est contra Seleucum II Syriae regem, ut ulcisceretur Berenicen sororem ab hoc interfectam (Niebuhrius l. l. p. 272 sqq., Droysenus l. l. p. 340 sqq.). 'Assyrios fines' igitur intellege 'Syriam terram'; cf. ad VI 8. 'pollicita est' et contra 'iuerat' ostendunt illud 'qua tempestate' (Festus p. 362 *tempestatem pro tempore frequenter dixerunt antiqui*; cf. ex. gr. Cic. de Or. III 38, 153) hic ualere 'postquam', plane ut Prop. IV 9, 1; cf. et XXXV 13 et LXVIII[a] 15. Verg. Aen. II 786 *Grais seruitum matribus ibo*: constructio prosae orationi usitatior (Kuehnerus gr. l. II p. 534). 'auctus' etsi per se stare potest (= beatus, LXIV 25), tamen propterea glossematis est suspectum quod una licentia ('auctūs', cf. LXII 4) excludebat in eodem loco alteram eamque per se insolentem (nam pauca hiatus exempla Catulliana facili opera remouentur), qua 'nouo' hiat ante 'auctus'. glossae medii aeui *macte.i. aucte*: bene Anna Fabri reposuit 'mactus', h. e. felix; qui nominatiuus priscus rarusque (cf. Neuius II p. 99) facile obnoxius erat corruptelae; Mart. IV 13, 2 *macte esto taedis, o Hymenaee, tuis.* — **13, 14. dulcia nocturnae portans uestigia rixae, quam de uirgineis gesserat exuuiis.** uixdum primo matrimonii tempore peracto. 'rixam' (respicit uox luctamen prima nocte inter maritos initum, cf. et Prop. II 5, 4) 'gerere' dicitur noue ad illa 'bellum, praelia, inimicitias gerere'; cuius praelii Venerei uestigia in ore uultuque a puella sectis unguibus acri relicta 'dulcia' fuere nouo uiro. 'de (= super) uirg. ex.', ut uirginitatem referret praedam; Vulpius cp. Ouid. Ib. 173 *deque tuo fiet . . corpore rixa lupis* et epist. 5, 140 *ille meae spolium uirginitatis habet; id quoque luctando, rupi tamen ungue capillos oraque sunt digitis aspera facta meis.* multi porro cp. Claudian. 14, 29 G. *nocturni referens uulnera praelii* (cf. et Aen. VI 736 *in Venerem . . nocturnaque bella*) et Verg. epigr. 9, 5 *horrida barbaricae portans insignia pugnae.* iam descripturus reginae Euergete in bellum proficiscente dolorem, quo acta uotum ea fecit, Callimachus lasciuola euagatur degressione conparans tempus paulo superius, quo eadem Berenice ad uirum adducta uix adire huius cubile uoluit: — **15, 16. estne nouis nuptis odio Venus? atque parentum**

frustrantur falsis gaudia lacrimulis? turbae librariorum sunt manifestae: si oderunt nouae nuptae Venerem, non falsas sed ueras lacrimas profundunt; sin non refugiunt amplexus maritales, uno tenore adiungi nequit ʻatque frustrantur'. duplex igitur emendandi uia patet: aut ʻfalsis' remouendum est (et uoluit Heysius ʻsalsis') aut, si hoc sustentatur opposito ʻuera', auctoribus Italis ʻatque' transformandum est in ʻanne': num re uera oderunt an potius fictis et coactis (Verg. Aen. II 196; cf. et Ter. Eun. I 1, 22 *falsa lacrimula*, Apul. met. X 27 *fictas mentitasque lacrimas*) lacrimis in speciem profusis frustrantur siue fallunt gaudia — parentum? aperta iam sunt omnia, sed cur parentes conmemorentur obscurissimum manet. horum enim gaudia futura, scil. nepotes, minime tolluntur, si paululum remorantur filiae in thalami ingressu. Scaliger cp. Callim. fr. 118 Schn., quod cum nostro loco nil habet commune; cf. Anal. mea Catull. p. 57, ubi primus docui uocis corruptionem proposuique ʻpauentes', scil. gaudia intellegens Venerea (ut LXI 116, cf. et Ouid. met. VI 514 et CIL. IV 1837), quae ipsas manentia prae pauore uirginali differant nouae nuptae. nec tamen ʻfrustrari' simpliciter ualet ʻdifferre'. missis quae post me non aptius temptata sunt nunc intellego latere ʻanne parumper frustrantur'; sic enim illa differendi notio recuperata est. ceterum parentum mentionem uix iniecturus fuisset callidus adulator Callimachus, quia Berenice patre mortuo et matre auersa nupsit Euergeti; et male ad Ptolemaeum II haec rettulit Droysenus l. l. p. 316. — **17. ubertim thalami quas intra limina fundunt.** ʻintra', dum limen supergredi uerentur. ʻubertim' uox in fletu sollemnis, ut Petron. 134 *lacrimis ubertim manantibus.* ad suam interrogationem duplicem ita sibi respondet poeta, ut sine haesitatione innuat falsas esse lacrimas, recordatus fortasse aliquod dictum simile illius inter Varronis sententias obuii (11 R.) *sic flet heres ut puella uiro nupta: utriusque fletus non apparens est risus*: — **18. non, ita me diui, uera gemunt, iuerint.** conlocatio artificiosior (ut XLIV 9), qua uerba ʻn. u. g.' cum fortiore elatione discinduntur adfirmatione illa graui ʻita m. d. i.', de qua cf. LXI 189 (196). ʻiŭerint' pro ʻiūuerint' (quod ipsum reposuere plerumque syncopes ignari librarii) priscis scriptoribus proprium est; cf. Neuius II p. 533 sq., qui recte exemplum Propertianum II 23, 22 omisit (ibi enim ʻiuuerint' est lectio interpolata). ʻuera' pro ʻuere', Kuehnerus II p. 211. — **20. inuisente nouo praelia torua uiro.** marito tuo (relinquente Veneris dulcia bella et) Mauortis in Syria praelia infesta adeunte (LXIV 383). usu uix alibi obuio ʻtoruus' a Mauorte torua tuente ad bella est translatum. — **21, 22. at tu non orbum luxti deserta cubile, sed fratris cari flebile discidium.** dicat hic aliquis (sibi ipse obicit poeta), te non uiri, sed dilecti consanguinei abitu doluisse. quippe pater Berenices Magas et pater Euergetis Philadelphus fratres erant ex eadem matre nati (ὁμομήτριοι ἀδελφοί): Berenice igitur et Euergetes patrueles erant, qui saepius ʻfratres' et ʻsorores' uocantur; Valckenarius, qui primus hanc interpretationem proposuit, cp. Ouid. met. XIII 31 et epist 8, 27. de titulo cogitat Droysenus p. 244;

aliam explicationem uide apud Niebuhrium l. l. p. 230. 'cubile', lectus maritalis (LXI 107, Val. Flacc. II 345 *sanctum tetigisse cubile*), 'orbus' est scil. uiro ad bellum profecto. 'luxti', luxisti; ad XIV 14. pro 'discidium' male G praebet 'dissidium'; cf. Maduigius ad Cic. d. fin. p. 799[3] sqq. totum autem enuntiatum per 'at' noto usu (Seyffertus schol. lat. I § 60) occupationem continet; nec 'et' (quod V cum uaria lectione 'at' praebet) probabiliter defendit Handius Turs. I p. 441; multo peius 'an' Itali, alii alia coniecere. suae ipsius obiectioni iam ita respondet poeta, ut tantum quantum regina prae se tulerit dolorem non in fratrem, sed in solum uirum cadere solere optineat per exclamationes: — **23. ut penitus maestas exedit cura medullas.** de amoris coniugalis cruciatu intellege; XXXV 15, LXIV 72. Cic. d. fin. I 18, 59 *maerores, qui exedunt animos conficiuntque curis*, Val. Flacc. II 13 *exesam curis*; Sen. Phaedr. 282 *sed uorat tectas penitus medullas.* 'maestas' epitheton a persona ad corporis partem translatum, ut Tib. I 1, 46 *tenero sinu*, ubi u. Dissenus. in V legitur 'cum penitus', quod explicant 'eo tempore quo', ridicule, cum non in abitu uiri, sed inde ab eo tempore cura macerauerit Berenicen. utrumque bene distinguens Callimachus u. 24 'tunc' (in abitu), 29 'tum', 33 'ibi' addidit. itaque Bentleius 'cum' mutauit in 'quam'. quod etsi in exclamatione cum illo 'ut' (= quantopere) consociari ostenderunt ex Manil. V 88 *quae tua tunc fuerat facies! quam fugit in auras spiritus! ut toto caruerunt sanguine membra*, tamen mihi 'ut' et facilius ex 'cū' erui et ab anaphorae ui multo iucundius est uisum. — **24, 25. ut tibi tunc toto pectore sollicitae sensibus ereptis mens excidit.** pulcra cum gradatione sic iunge: tibi, quae intimo animo (LXIV 69) eras commota, uiri profectione prae dolore sensus eripiebantur (LI 6) atque ita mens plane abiit (externata es); Hom. Il. X 94, Ouid. met. IV 175 *at illi et mens . . excidit* in perturbatione summa (fast. II 753 *mens abit*); Arnob. VI 22 *mentemque in sanam recreatis reducerent sensibus.* superfluum est quod IVossius coniecit 'sensibus e rectis'. — **25. at te ego certe.** sic omnium facillime 'te' inserto traditum 'at ego' sanauit IVossius; neque Italorum conmenta 'atque ego' aut 'ast ego', in quibus aegre 'te' requiritur, conprobari possunt. cohaeret 'at certe', ut X 14, LXV 11. 'ego', coma tua, quae te optime noui. — **26. a parua uirgine magnanimam.** ἐκ μικρᾶς παρθένου, ut dicunt Romani *a paruulo* (Ter. Andr. I 1, 8), *a uirgine* (Ouid. a. a. III 75) similiterque; Kuehnerus gr. l. II p. 360. 'magn.' OSchneiderus p. 150 putat expressum ex graeco μεγαλόψυχος, cum tamen huic Berenicae cognomen ex ipso facinore mox conmemorato (ut suspicor) inditum fuisse ἡ μεγάλη pateat ex Athen. XV p. 689[a] καθ' ὃν χρόνον ἔζη Βερενίκη ἡ μεγάλη (sic codd.) idque hic repetisse Callimachum probabile sit; nam Hyginum ex Catullo hausisse iam monui. — **27, 28. anne bonum oblita es facinus, quam regium adeptos coniugium, quod non fortior aut-sit alis.** factum egregium et forte (ex. gr. Tac. Agr. 28 *magnum ac memorabile facinus ausa*) non sine causa praedicat poeta aulicus: reddi-

dit illud Ptolemaeis prouinciam Cyrenaicam. recte autem aduersus Hygini falsam interpretationem (cf. testim. uol. I) Niebuhrius cp. Iustin. XXVI 3, 2 *rex Cyrenarum Magas decedit, qui ante infirmitatem Beronicen, unicam filiam, ad finienda cum Ptolemaeo fratre certamina filio eius desponderat. sed post mortem regis mater uirginis Arsinoe* (immo: Apama), *ut inuita se contractum matrimonium solueretur, misit qui ad nuptias uirginis regnumque Cyrenarum Demetrium, fratrem regis Antigoni, a Macedonia arcesserent, qui et ipse ex filia Ptolemaei procreatus erat. nec* ('sed nec' codd.) *Demetrius moram fecit. itaque cum secundante uento celeriter Cyrenas aduolasset, fiducia pulcritudinis [qua nimis placere socrui coeperat] statim a principio superbus regiae familiae militibusque inpotens erat studiumque placendi a uirgine in matrem contulerat. quae res suspecta primo uirgini, dein popularibus militibusque inuisa fuit. itaque uersis omnium animis in Ptolemaei filium insidiae Demetrio conparantur. cui, cum in lectum socrus concessisset, percussores inmittuntur. sed Arsinoe* (Apama) *audita uoce filiae ad fores stantis et praecipientis, ut matre parceretur, adulterum paulisper corpore suo protexit. quo interfecto Beronice et stupra matris salua pietate ulta est et in matrimonio sortiendo iudicium patris secuta.* in uerbis Catulli ualde foedatis pro 'adeptos' siue 'adeptus' uulgo 'adepta es' (adepta's Lachm.) scribunt. quae uox inportuna uidetur, cum Berenice non adsequendo coniugio Euergetis operam nauarit, sed data optione elegerit. probabilius duco 'adoptas', h. e. adsumis a patre tibi destinatum. iamque non opus erit, ut 'quam' sicut uulgo fit in 'quo' mutemus (nam ingrata est pronominis relatiui utpote diuerse adhibiti nec per anaphoram repetiti iteratio), sed sufficit lenior correctio 'quom' (Faernus 'quum' uoluerat): facinus, scil. commissum tum, cum adoptabas; de praesenti historico cf. ex. gr. Cic. p. Rosc. A. 41, 120 *quom occiditur L. Roscius, ibidem fuerunt* (serui), et de ipso 'quom' Tac. dial. 14 *Apri sermo, cum Maternum exhortatus est* (ib. 15). denique ex 'aut sit' BPisanus uere effecit 'ausit'; Itali praeterea 'quo' et Muretus 'fortius' coniecere. alii audacioribus mutationibus sunt usi, ut Santenius 'quoi (coniugio) non faustior adsit (?) auis'. mihi utrumque, neque fortiorem alium quam Berenicen neque huius facto aliud fortius posse esse, omnem adulandi modum concessum supergredi uidetur; et 'fortior' ex glossa prouenisse ratus conieci 'quod non ausit alis mulier'. 'alis', cf. XXIX 15. — **29. sed tum maesta uirum mittens quae uerba locuta es.** quamquam suffecit 'mittens (= dimittens proficiscentem ad bellum ex amplexu tuo; Tib. I 3, 9 *quae me cum mitteret urbe*), tamen 'tum' ad efferendum oppositionem additum est. 'quae' qualia, quam et doloris et amoris coniugalis plena. — **30. Iuppiter.** cum admiratione, ut ad Corn. 7. — **tristi,** triuisti, ad XIV 14; cf. Ter. Eun. I 1, 23 *oculos terendo.* — **31, 32. quis te mutauit tantus deus? an quod amantes non longe a caro corpore abesse uolunt.** quis deus (et utique magnus potensque fuerit necessest, qui te talem mutauerit) effecit, ut de uirgine tam forti fieres femina tam anxie sollicita? saepe sic 'tantus' cum pronomine

interrogatiuo iungitur, ut Verg. Aen. II 282 *quae tantae tenuere morae*, Prop. I 18, 9 *quid tantum merui?*, Stat. Theb. VII 780 *quis tantus miseris honor?* 'tantum', etsi non male, tamen superflue maluit Schraderus. responsum autem quoniam unum hoc esse potest 'Amor', sequens 'an' non putandum est ducere interrogationis disiunctiuae membrum alterum, sed nouam interrogationem incipiens aequat: 'an forte (nam alius nullus potest fuisse deus quam Amor) id te mutauit, quod eqs., h. e. an amoris maritalis desiderium causa erat mutationis?' sic non sine respectu Catulli, ut puto, Verg. epigr. 11, 1 [PLM. II p. 172] *quis deus, Octaui, te nobis abstulit? an quae dicunt, a, nimio pocula ducta mero?* (an forte Bacchus?); cf. et Cic. d. diu. II 57, 117 *quidnam esse causae putem, cur ..? an quod .. sentimus?* (Kuehnerus gr. l. II p. 1019 sq.). 'carum corpus' uenerium habet sensum, ut Anth. lat. Mey. 1210, 4 de maritis *cara iungunt corpora,* Caluus fr. 6 M. de Cerere *et cara iugauit corpora conubiis* (Vulpius cp. Sen. epist. 69, 3 *ei, qui amorem exuere conatur, euitanda est omnis admonitio dilecti corporis*). 'non uolunt', repugnant discidio et aegre ferunt proptereaque macerantur cura et desiderio. — **33, 34. atque ibi me cunctis pro dulci coniuge diuis non sine taurino sanguine pollicita es.** 'atque' traducit ad grauius, quod inest uoci 'ibi', h. e. tunc (ἐνταῦθα), cum dimittendus esset uir (Liu. II 35, 2 *ibi est ira oppressa*, cf. ad LXII 42); simulque hoc 'atque ibi' post degressionem ad rem (u. 9 sq.) reditur. Verg. G. IV 465 *dulcis coniunx,* LXVII 1, LXVIII^b 66. 'ibi pro cunctis pro' V aperta cum dittographia praebet, sub qua aliud quidquam quam 'me' (siue 'nos') uelle quaerere friuolum est: hoc enim necessarium omnino est (inepte proposuerunt 'prae'). 'non sine', una cum (LXIV 290): ornatum capitis pulcherrimum sibique carissimum si uouit deis uxor amans, contra reginam decuit, ut hoc donum comitaretur gratificatio dis more regio facta ex hecatombe. — **35, 36. sei reditum tetulisset. is haud in tempore longo captam Asiam Aegypti finibus addiderat.** sic post priorum dubitationes uariaque conamina plane inprobabilia nunc recte omnes duce AStatio interpungunt: 'is' cum emphasi additum ducit ea uerba, quibus uoti conpotem esse factam Berenicen narratur. necdum tamen causa dubitationum illarum est remota. nil quidem offensionis aut a forma aut dictione praebent haec uerba 'sei reditum tetulisset' (cf. ad LXIII 47); et ipsum 'sei' ostendit, peruerse olim nonnullos statuisse ante 35 distichi interlapsum. sed tamen redire potuit Euergetes etiam uictus fugatusque et praeter uitam nudam nil domum referens gloriae; et ut femina uirum saluum, ita regina regem multa cum laude redire debuit optare. recte Hyginus l. l: *si uictor redisset*: hoc 'uictor' nullo pacto omittere potuit Callimachus; hoc si non ipsum, at eandem tamen sententiam in Catulli textu inuenit sine dubio Hyginus, qui libere quod legit reddidit (ut u. 12). sed ipso illo Hygini 'redisset' quoniam excluduntur coniecturae quales possunt excogitari in primoribus uersus 35 uerbis (ueluti 'sei palmam tetulisset'), cum iam relegemur ad uerba sequentia, in his non tam 'in'

(h. e. per, intra, Kuehnerus gr. l. II p. 265) quam illud 'haut', pro quo V 'aut' habet, offensioni praebet ansam ut fortasse a conlocatione ita certo a re ipsa. tres enim quattuorue per annos (246—243/2) afuit Euergetes; quod tempus etsi per se non nimis longum est, at longum uidebatur necessario uxori amanti desiderantique, qualis hic describitur Berenice. porro diuturni belli labores magis extulerunt regem; et fauet uox 'pristina' u. 38 huic rationi. 'autin' si ex 'ouans' statuimus esse corruptum tum, cum hoc supra uersum olim scriptum falso loco esset insertum textui, bene haec sic profluent 'sei reditum tetulisset ouans. is tempore longo'. de hoc bello cf. praeter alia ab historicis adlata Hieronymus comm. in Daniel. 11, 7 *et uenit* (Euergetes) *cum exercitu magno et ingressus est prouinciam regis Aquilonis, id est, Seleuci cognomento Callinici, qui cum matre Laodice regnabat in Syria*; *et abusus est eis et obtinuit in tantum, ut Syriam caperet et Ciliciam superioresque partes trans Euphratem et propemodum uniuersam Asiam. cumque audisset in Aegypto seditionem moueri, diripiens regnum Seleuci . . . . Syriam quidem ipse obtinuit, Ciliciam autem amico suo Antiocho gubernandam tradidit et Xanthippo alteri duci prouincias trans Euphratem*; uidenda et inscriptio Adulitana. hinc 'captam (= expugnatam) Asiam' sensu proprio praestat accipere nec de una Syria cogitare, ut 'addiderat' fere ualeat 'in dicionem Aegypti redegerat'. nam plusquamperfectum id designat quod ante tempus, quo coma est desecta, accidit. — **37, 38. quis ego pro factis caelesti reddita coetu pristina uota nouo munere dissoluo.** de 'pro' cf. ad LXIV 152. porro uide ad LXIV 384 *mortali coetu.* quamquam 'reddita' possit simpliciter esse 'adsignata' (ut LXIV 362, Lucr. II 96 ibique Munro, Cic. d. n. d. I § 103), tamen praestat cum AStatio conparare Hor. od. II 7, 17 *ergo obligatam redde Ioui dapem,* Tib. I 3, 34, infra LXVIII^{b} 110: oblata dedicataque cunctis illis, quibus uoto obligabar, diuis. 'pristina', prius siue ante (scil. in uiri abitu) facta. 'noua' oppositionis gratia additum est, ut infra 64 et Sen. Agam. 396 *et adhuc lacrimas marmora fundunt antiqua nouas* (cf. et Wagnerus ad Verg. Aen. III 181), sed ut simul 'nouo' significet donum non ita usitatum ac uulgare. 'dissoluo' (de dihaeresi cf. ad II 6) est praesens historicum; Cic. ad Att. XV 11, 4 *erat absurdum, quae, si stetisset respublica, uouissem, ea me euersa illa uota dissoluere*; cf. et 'debitum (aes) dissoluere' similiaque. — **39. inuita, o regina, tuo de uertice cessi, inuita.** pulcre et praeposita et in fine repetita est uox, quae fortem habet ictum. Verg. Aen. VI 460 *inuitus, regina, tuo de litore cessi* (etiam Aen. X 233 huc traxit AStatius). 'cessi' pro 'discessi', ut LXIV 53. — **40. adiuro teque tuumque caput.** seruata sunt Callimachi uerba: *σήν τε καρῆν ὤμοσα σόν τε βίον.* decuit sane comam maxime per rem sibi carissimam, caput dominae prioris, iurare; et erat omnino hoc non infrequens iusiurandum (Aen. IX 300, Ouid. tr. IV 4, 46, Iuuen. 6, 16). sed 'iurare per uitam alicuius' cum Romanis esset insolitum, bene conuenienterque substituit Catullus 'te', cum saepius haec

iungantur, ut Aen. IV 492 *testor . . te, germana, tuumque dulce caput,* Cic. d. dom. 57, 145 *meque atque meum caput,* Liu. XXVI 48, 12. 'adiurare' ut pro simplici 'iurare' ponitur (Ruhnkenius ad Ter. Andr. IV 2, 11), ita et cum simplici accusatiuo rei, per quam iuratur, construitur, quamquam casu posteriores tantum praebent exempla, ut Verg. Aen. XII 816, Apul. met. III 14 *adiuro enim tuum mihi carissimum caput.* — **41. digna ferat, quod siquis inaniter adiurarit.** haec a constructione paulum insolentiora (ut 18) quasi in parenthesi adicit coma ad sua uerba stabilienda: et per hoc caput quisquis iusiurandum fide ac pondere carens fecerit, is meritas patiatur poenas! Verg. Aen. II 144 *miserere animi non digna ferentis,* Ter. Andr. IV 1, 42 *di tibi dignum exitium duint.* 'inaniter', sine iusta causa iurandi, ubi cum iureiurando coniungatur non habeo; cf. tamen 'inania uerba'. — **42. sed qui se ferro postulet esse parem?** 'postulare' paucis locis plane ut 'uelle' confidentis adrogantiae adsumit significationem, ut Cic. d. or. I 22 101 *nam quod tu non poteris aut nescies, quis nostrum tam impudens est qui se scire aut posse postulet?* 'qui', quis et qualis, h. e. nemo uel maximus sibi adrogauerit posse resistere ferro; quod hic de forcipe accipi uoluit coma, mox sensu latiore de maioribus instrumentis. 'qui' substantiue positi exempla dat Holtzius synt. pr. scr. I p. 392. — **43. ille quoque euersus mons est.** male per 'quoque' introducitur hoc exemplum, quo euagatus Callimachus uim potentiamque ferri celebrat. nam hoc 'ille quoque' oppositum habet 'ut ego'; sed coma non se et montem Athon conparat (quod et ineptum foret et refutat u. 47), sed ex eo quod uel ualidissima ferro cedant se tam paruolam teneramque illi resistere non potuisse explicat. et uel tum, si conparationem adesse statuis, claudicat sententia, cum ferro (in quo omnis uis) euersum esse Athon uerba ipsa non suppeditent; qua notione tamen opus est, uariis modis cum euerti potuerit mons ille. scripsi igitur e coniectura 'quone ille', h. e. quippe quo ferro; cf. ad LXIV 180. 'quone' insolitum ut abiit in 'quoque', ob metrum traiectio est secuta. Ouid. met. XI 554 *siquis Athon . . in apertum euerteret aequor* uulgarem uocis usum ostendit; hic de effossis uisceribus intellege, ut habet Val. Flacc. VII 75 *euerso campo.* — **43, 44. quem maximum in oris progenies Thiae clara superuehitur.** altissimus omnium in orbe montium, super quos Phoebus diurnum cursum peragens fertur. Theia, Hyperionis uxor, secundum fabulas est mater Solis; Prellerus myth. gr. I p. 40. Verg. G. I 5 *clarissima mundi lumina.* 'ora' sensu latiore interdum terram a mari remotam designat; XXXIII 5, Aen. III 97 *cunctis dominabitur oris* (= terris) et VII 563 *est locus . . multis memoratus in oris*; absolute positum 'in oris', ut alibi 'in terris', ualet 'in orbe', quod ipsum Itali superflue reposuerunt. de Atho excelsissimo cf. Strabo p. 331 fr. 33, Plin. h. n. IV 10, 37, Mela II 31, Verg. Aen. XII 701 *quantus Athos.* ceterum cf. Aen. VI 216 *regnis quae maxima quondam extremo ueniens sol aspiciebat Olympo,* quod genus loquendi late patet. sic autem, ut dedi, locum restituerunt omnium probabilissime

Guarinus et IVossius adsentiente Bentleio: 'maxima progenies Phthiae' olim legebant, quae ad Macedonum reges ab Achille, Phthiae domino, descendentes relata, quomodocumque explicare studes, te ludunt. — **45, 46. cum Medi rupere nouum mare cumque iuuentus per medium classi barbara nauit Athon.** de Atho a Xerxe perfosso omnia nota: Solinus p. 70 M. *Athon classibus Persicis nauigatum continentique abscissum* (per fretum) *MD passuum longitudine,* Sen. epigr. 52, 5 [PLM. IV p. 77] *classes fossus Athos intra sua uiscera uidit* et 71, 3 *accepit magno deductum Nerea fluctu perque latus misit maxima bella suum.* 'rupere' ex tradito 'propere' (fingas tibi 'ropere' olim fuisse exaratum) omnium optime est erutum, nec aut 'peperere' (alii Itali) aut 'pepulere' (AStatius) aut 'fodere' (Bergkius) uel a litteris uel a sententia magis commendantur; 'mare rumpere' est 'fretum rumpendo (montem) efficere', ut Val. Flacc. I 3 *mediosque inter iuga concita cursus rumpere,* ubi uidendus Heinsius; cf. et Manil. V 49 *nec pelagus Xerxes facietque tegetque.* mare 'nouum', h. e. inuisitatum antea stupendumque, dixit etiam scholiasta ad Iuuen. 10, 174 *'uelificatus Athos': Xerxen, qui Athonem montem in Achaia dicitur perforasse et inmisisse terris nouum mare.* 'nauit', LXIV 2; 'classi', Neuius I p. 213 (Cic. p. Flacc. 14, 32 *nauigare classe*); 'barbara', peregrina, ex sensu Graecorum. — **47. quid facient crines, cum ferro talia cedant?** fortiter prônuntia opposita 'crines' et 'talia'. imitatus est Verg. ecl. 3, 16 *quid domini faciant, audent cum talia fures?*; Hor. a. p. 68 ex nostra emendatione [Misc. Crit. p. 39] *mox talia facta peribunt, nedum sermonum stet honos et gratia uiuax* (Ellisius cp. et Ouid. a. a. III 633 et 655, Valckenarius Prop. III 12, 17 *quid faciet multo munita puella timore?,* h. e. facere potest). — **48. Iupiter, ut Chalybon omne genus pereat.** adiungit coma execrationem ferri, cui debuerit cedere, eiusque qui ferri usum docuit. quales execrationes inuentionum inuentorumque ab eis, qui inde patiuntur in tempore damnum, factas notum est adamatas fuisse; cf. praeter Hor. od. I 3 Aquilius com. 1 R. *ut illum di perdant, primus qui horas repperit,* Prop. I 17, 13 et II 33, 27. 'Iupiter' (ὦ Ζεῦ) in uoto, ut Hor. sat. II 1, 43 *o pater et rex Iupiter, ut* (= utinam) *pereat positum rubigine telum!* extant Callimachi uerba haec (fr. 35° Schn.) *Χαλύβων ὡς ἀπόλοιτο γένος* eqs. (cf. u. sq.), quibus Valckenarius in initio *ὦ Ζεῦ, πᾶν* praemisit. unde dubitari nequit quin ex tradito 'celerum' uel 'celitum' recte APolitianus elicuerit 'Chalybon' (quod postea 'Chalybum' cum hiatu ingratissimo scribentes corrupere); neque enim ut in nomine proprio deprauationis inmanitas miranda est (male, etsi ingeniose, Withofius 'Telchinum' contra ipsum Callimachum reposuit). Chalybum ad Pontum positorum fabricae aerariae per totam antiquitatem erant nobilissimae, inde ab Aeschylo, qui Prom. 715 eos ut *σιδηροτέκτονας* commemorat, usque ad Amm. Marc. XXII 8, 21 *Chalybes, per quos erutum et domitum est primitus ferrum* (cf. Apoll. Rhod. II 375 et 1004, Verg. G. I 58, Val. Flacc. IV 610 et V 142); praeter Cyclopas (Plin. h. n. VII 56, 197) primi omnium

rei ferrariae studuisse narrabantur: Arrian. ap. Eustath. ad Dionys. Perieg. 767 *Χάλυβες πρῶτοι ἀνθρώπων αἰτίαν ἔχουσι χαλκεύσασθαι σίδηρον.* — **49, 50. et qui principio sub terra quaerere uenas institit ac ferri fingere duritiem.** idem hexametri initium LXVIII^b 117. primum inuentorem rei ferrariae, qui scil. eam Chalybas docuerit, his addit. nomen eius reticetur, scil. quia non certo constitit; Plin. l. l. *aes conflare et temperare Aristoteles Lydum Scythen monstrasse, Theophrastus Delam Phrygem putant*: a cuius inuento primo Chalybes ad fabricas instituendas processerint, in dubio relinquit Catullus certe; nam miro modo Callimachus sic post illa *Χ. ὤ. ἀ. γ.* pergit *γειόθεν ἀντέλλοντα κακὸν φυτὸν οἵ μιν ἔφηναν.* num igitur Callimachus duos pluresue inuentores respexit, Catullus eum corrigens unum? uidemus quidem hic quoque nostrum paulo liberius in uerbis *κακὸν φυτόν* et *ἔφηναν* reddendis uersatum esse (nam illud 'principio' et 'quaerere' et 'f. f. d.' apud Callim. in u. sequenti lectum fuisse certum est); sed eum de suo correxisse in rebus ipsis exemplar suum equidem non credo. accedit quod apud Callimachum desideramus illud 'et'. hunc igitur corruptum putauerim et sic fere emendandum *γειόθεν ἀντέλλον τε κακὸν φυτὸν ὅς σφιν ἔφηνεν.* 'uenae' in montibus uel tellure sunt meatus, in quibus metalla iacent abdita; Verg. G. II 166 *aerisque metalla ostendit uenis,* Aetnae 259 *scrutamur rimas et uertimus omne profundum, quaeritur argenti semen cumque aurea uena*; Hor. od. III 3, 50 *cum terra celat* et epist. I 6, 24 *quidquid sub terra est.* 'institit', coepit, ut Liu. XXX 12, 18 *in regiam concedit. institit deinde reputare secum,* ubi (ut et ad XXVIII 46, 11) uidendus Drakenborchius. **O** 'ferris fingere', **G** 'ferris fringere' tradunt. unde 'frangere' uulgo legunt pessime: terra ferri in fornacibus liquefacta (Aen. VIII 446) et decocta malleo in massam cogitur, unde fit dura strictura (Aen. VIII 421, Rut. Nam. I 353); Prop. I 16, 30 *ferro durior et chalybe*; et post inuentionem ferri haec eius fabricatio commemoranda est, non id quod ex fabricato ferro fieri solet. nec minus inprobandum Heysii commentum 'ferri stringere d.': hoc num possit ualere 'stringendo (Pers. 2, 66) efficere ferrum durum', ualde dubito. optime 's' dittographa (ſ = f) abiecta scribendum esse 'ferri fingere (= efficere) d.' Itali intellexere; gloss. nom. p. 19 L. *aurificina: ubi funditur uel fingitur* (aurum). — **51. abiunctae paulo ante comae mea fata sorores lugebant.** 'abiunctae', diuisae, ut Caes. b. g. VII 56 *quod abiuncto* (scil. a se) *Labieno ualde timebat*; rectius autem coma, quae deciditur, abiuncta dicitur a ceteris comis remanentibus (quas intellege eas quae tempora et frontem obtegunt) quam hae ab illa. unde adsentior doctis plerisque, qui inde ab AGuarino 'abiunctae' pro genetiuo habentes iungebant 'mea abiunctae fata', h. e., mei, quae breui ante ferro ab eis diuisa eram, sortem tristem, qua mihi discedendum erat a dominae caro capite; de quo genetiui usu cf. Heinsius ad Ouid. epist. 5, 45 *et nostros uidisti flentis ocellos,* Valckenarius ad Eurip. Phoen. p. 515. 'lugebant', adhuc maerebant, scil. de fato meo ignarae. ad 'comae sorores' iam Valckenarius cp.

Plaut. Poen. I 3, 8 *hanc per dexteram perque hanc sororem laeuam* (Moretum 28); omnia quippe artius iuncta siue 'fratres' (Ouid. tr. I 1, 107) siue 'sorores' sibi esse dici possunt. cf. Naekius ad Val. Cat p. 88, Symphos. aenigm. 244 (rotae) *quatuor sorores* et 269. ceterum decisum et dis oblatum esse crinem in ipso Veneris Arsinoes Zephyritidis templo Hyginus uere tradere uidetur ex fonte limpido; certe hinc sequentia bene intelleguntur. — **52, 53, 54. cum se Memnonis Aethiopis unigena impellens nutantibus aera pennis obtulit Arsinoes Locridos ales equos.** cum subito per noctem adfuit Arsinoes nuntius struthio, qui me ex templo illius sursum tulit ad caelum dominamque. Memnonem, regem Aethiopum fratremque Emathionis iam Hesiodus commemorat (theog. 984; cf. et Apollod. III 12, 4 *Τιθωνὸν μὲν οὖν Ἠὼς ἁρπάσασα δι' ἔρωτα εἰς Αἰθιοπίαν κομίζει· κἀκεῖ συνελθοῦσα γεννᾷ παῖδας Ἠμαθιῶνα καὶ Μέμνονα*, Prellerus myth. gr. I p. 345). hic Emathion solus potest esse 'unigena' siue frater (LXIV 300) Memnonis, nullo pacto aues illae Memnonides longe diuersae ex cinere Memnonis combusti euolantes (Ouid. met. XIII 600 sqq., Aelian. h. a. V 1, Strabo p. 587, Paus. X 31). et ad incognitas hodie fabulas Aethiopicas, qua Emathion cum struthione cohaesit, adludit aperte Callimachus. nam hoc certum est agi hic de struthiocamelo, id quod intellexit primus poeta Italus Vincentius Montius in libello 'dell' cavallo alato d'Arsinoe' inscripto editoque Mediolani a. 1804. priores equum alatum Arsinoes putauerant esse Zephyrum, quem Aurorae quidem filium sed ex Astraeo natum fingunt fabulae; porro ut equitem ita equum (Prellerus myth. gr. I p. 371, Val. Flacc. I 611) et re fauente famulum (Heinsius cp. Apul. met. V 6) dici Zephyrum intellegimus quidem, sed in eodem Memnonis attributum 'Aethiopis' uim nullam habet; et mirandum est, quod Arsinoes dicitur famulus, licet e ratione physica recte Veneris praenuntius audiat idem Lucr. V 736. taceo alias explicationes (de Phoenice AGuarinus, de Pegaso Scaliger male cogitauere): rem acu tetigit Montius. etenim Arsinoe, soror uxorque Ptolemaei Philadelphi (de qua cf. Droysenus l. l. II p. 239 sqq.), post mortem dea facta erat sub Veneris nomine (Ellisius cp. Lobeckii Paralipom. p. 368), qualis colebatur in templo, quod in Zephyrio promunturio non ita procul ab Alexandria erat positum; iam AStatius cp. Poseidipp. ap. Athen. p. 318 *τοῦτο καὶ ἐν πόντῳ καὶ ἐπὶ χθονὶ τῆς Φιλαδέλφου Κύπριδος ἱλάσκεσθ' ἱερὸν Ἀρσινόης. ἣν ἀνακοιρανέουσαν ἐπὶ Ζεφυρηΐδος ἀκτῆς πρῶτος ὁ ναύαρχος θήκατο Καλλικράτης κτλ.* (quibus AHeckerus adiecit schol. Ven. ad Il. XIII 703 et schol. Theocr. 17, 123); Strabo p. 1152b *τὸ Ζεφύριον, ἄκρα ναΐσκον ἔχουσα Ἀρσινόης Ἀφροδίτης*, Steph. Byzant. s. u. *Ζεφύριον. ἔστι καὶ ἄκρα τῆς Αἰγύπτου, ἀφ' ἧς καὶ ἡ Ἀφροδίτη* (*καὶ* hic ponunt codd., traieci ante *ἡ*) *Ἀρσινόη Ζεφυρῖτις, ὡς Καλλίμαχος.* de cuius templi relliquiis Schwabius adire iussit librum gallicum 'revue archéologique' a. 1869 uol. XIX p. 268 et XX p. 377. iam Montius cp. Paus. IX 31 *καὶ Ἀρσινόης ἐστὶν ἐν Ἑλικῶνι εἰκών, ἣν Πτολεμαῖος ἔγημεν ἀδελφὸς ὤν· τὴν δὲ Ἀρσινόην στρουθὸς φέρει χαλκῆ*

τῶν ἀπτήνων κτλ., idemque recte statuit struthiocamelum uehendo et homines et onera parem apte dici equom alatum. nam quamquam struthio non proprie uolat, tamen uolantis est similis: Plin. h. n. X 1, 1 *struthocameli Africi uel Aethiopici altitudinem equitis insidentis equo excedunt, celeritatem uincunt, ad hoc demum datis pinnis ut currentem adiuuent; ceterum non sunt uolucres nec a terra tolluntur,* Claud. in Eutr. II 311 *calidas cursu transmittit arenas inque modum ueli sinuatis flamine pennis puluerulenta uolat*; et par est struthionem deae Arsinoae datum famulum (ad 57) etiam fingi ad caelum posse uolare inpellentem siue ferientem aera pennis (Calpurn. ecl. 2, 11 *quaecumque uagis auium ferit aera pennis*) nutantibus siue trepidantibus: Apul. VI 15 *libratis pinnarum nutantium motibus,* Cic. Arat. 88 *tremebundis pinnis*, Ouid. met. I 506 (sine iusta causa Bentleius maluit 'nictantibus'). difficultas summa remanet in Arsinoes epitheto 'Locridos'. quod ex tradito in V 'elocridicos' elicuit Bentleius, qui ad confirmandam coniecturam haec adscripsit: 'et Locris quidem Venus siue Arsinoe dicetur eadem plane de causa ac Zephyritis in uersu sequenti et in epigrammate Callimachi (6, 1). nam ut Zephyritis a Zephyrio Africae promunturio, ita et Locris dicitur a gente Locrorum, qui regionem eam tenebant' adtulitque Verg. Aen. XI 265 *Libycone habitantes litore Locros* et ad ea Seruium *Locri . . Ozolii delati Pentapolim.* alio modo Bentlei commentum defendere conatus est strenue docteque AHeckerus comment. crit. de Anthol. gr. [Lugd. Bat. 1843] p. 74; sed uereor ut fructum diligentiae tulerit. nimis enim putidae et uel Callimacho indignae doctrinae tota haec ratio est, quae mihi quidem non antea probabitur quam Zephyrion promunturium etiam 'Locri' fuisse uocatum ostensum erit. desidero autem tale Arsinoes attributum, quo statim qualis dea ea fuerit intellegatur. agnouisse autem mihi uideor originem uitii. detractis enim litteris 'elo' et 'co' ('e loco' glossa erat olim superscripta, qua monachus quidam significauit, e loco, quem optineret Arsinoe, uenisse equom alitem) remanet 'cridis', in quo latere nunc puto 'Cypridis' adsentiens Bergkio, qui in actis litt. antiqq. a. 1846 p. 472 'Cypridos' proposuit. denique V exhibet 'alis equos', quod uitium ex frequentissima elementorum E et I confusione ortum fauente nominatiui forma prisca 'equos' peperit errorem ridiculum iam uetustissimo tempore apud Hygin. l. l. *hanc Berenicen nonnulli cum Callimacho dixerunt equos alere et ad Olympia mittere consuetam fuisse,* quod ex nostri loci corruptela fluxisse iam Hauptius opusc. I p. 61 intellexit, ego praeterea explico ex Arsinoes cognomine Ἱππία (ad 57); de qua quae adscripta inuenit (fortasse et illud, Arsinoen scilicet equos ad Olympia misisse), siue Hyginus siue auctor eius male confudit cum Berenice. 'ales' adiectiue pro 'alatus' poni notissimum est; sic de Pegaso habet Ouid. am. III 12, 24 *alite equo.* 'se obtulit', scil. mihi, obuius est factus, adfuit, se ostendit, ut Ter. Andr. IV 2, 3, Verg. Aen. II 590. — **55, 56. isque per aetherias me tollens auolat umbras et Veneris casto collocat in gremio.** struthio me in

ara positam adprendens sursumque ferens ad aethera abit per noctis tenebras caelum tegentes (Ciris 215 *caeruleas umbras*, Ouid. am. I 8, 13, alibi) traditque Veneri, quam iam sine negotio intellegimus dici Arsinoen ipsam. Cic. Tusc. II 10, 24 aquila *sublime auolans*. 'casto': hanc Venerem Zephyritida Aegyptii coluisse uidentur ut pudicitiae nouarum nuptarum tutricem; cf. infra. — **57, 58. ipsa suum Zephyritis eo famulum legarat, Graiia Canopieis incola litoribus.** de Arsinoes cognomine 'Zephyritis' cf. Callim. epigr. 6, 1 Schn. ut quam gratum esset dis Berenices pudicae donum ostenderet, diua Arsinoe in hunc finem, scil. ut tolleret et ad caelum ferret crinem (Cic. ad Att. VIII 9 *eo scripsi, quo plus auctoritatis haberem*), tamquam legatum suum sollemniter (ut describit uersus spondiacus) miserat struthionem, qui eius 'famulus' audit sic ut leo Manil. IV 760 *Idaeae matris famulus,* cerua Sil. Ital. XIII 124 famula Dianae (Ellisius cp. Porphyrium de abstin. III 5). uidetur autem haec Arsinoe equorum amica (Hesych. *Ἱππία, Ἀρσινόη ἡ τοῦ Φιλαδέλφου γυνή*), cum post uaria fata Aegyptum ueniret fieretque fratris germani femina, ut populum ob repulsam a rege uxorem priorem (Arsinoen, Lysimachi filiam) iratum sibi conciliaret, mores Aegyptiacos ita adsumpsisse ut iam strutbionibus, Aegyptiorum deliciis, pro equis uteretur (ut postea Faustina imperatrix). hinc eam celebrat Callimachus (hinc etiam struthio mortuae consecratus est): misit animal id, quod ipsa post longam in Graecia conmorationem tandem in Aegypti finibus considens adamauit. nam a Canopo urbe, Aegypti quasi limine, interdum a poetis totam terram nominari, notum est; cf. ex. gr. Verg. G. IV 287 ('Canopīus' pro 'Canopēus', cf. ad LXIV 3). 'Graia' dubitari nequit quin recte reposuerit Lachmannus pro eo quod V praebet 'gratia', unde 'grata' effecerant Itali parum commode. adest aperta inter 'Graia' et 'Canopieis' oppositio; apteque Ellisius cp. Aen. X 719 *uenerat antiquis Corythi de finibus Acron, Graius homo.* stabilienda est autem Lachmanni coniectura scribendo 'Graiia', de qua aeui Ciceroniani forma cf. acuta accurataque Guilelmi Schmitzii disputatio in libro 'Beitraege z. lat. Sprach- und Litteraturkunde' p. 70 sqq., Fleckeisenus ann. 1873 p. 406. — **59, 60, 61. hi dii uen ibi uario ne solum in lumine caeli ex Ariadneis aurea temporibus fixa corona foret.** dies, ut aiunt, me deficiat, si cuncta uirorum doctorum ad expedienda u. 59 uerba deprauatissima uelim enumerare et refutare conamina. nam ne ea quidem, quae sola in censum ueniunt, scilicet Hauptii 'arduei ibi uario' et Ritschelii 'numen ibi uario', ullo modo satisfaciunt. nam id quod Catullus scripsit aperte, ni fallimur, colorum in his uersibus oppositio indicat. quemadmodum igitur u. 60 'aurea' et u. 62 'flaui' sibi respondent, ita corrupto illi 'hi dii uen ibi' subest, quod uoci 'uario' oppositum sit; ad quam uocem cf. Ouid. met. II 193 *sparsa quoque in uario passim miracula caelo*: ex uariorum colorum sideribus uarium habet et caelum lumen (Ciris 533 *in aetherio signorum lumine*). hinc quam saepe in codicibus ut 'cl' et 'd' ita 'li' et 'n' (cf. ex. gr. LXIII 85 'adhortalis')

inter se locum mutauerint contemplanti mihi ex litteris traditis enatum est hoce 'hic niuen ibi', quod est ortum ex correctura male intellecta 'niueei' (= niuei). iam si scribimus 'hic, niueei uario' eqs., 'hic' ualet 'tum uero' cohaeretque cum u. 63; cf. ad LXIV 269: quam apte uoce illa in transitu ad narrandam suam inter sidera conlocationem utatur coma, ultro apparet. deinde 'niuei' bene opponitur illi 'uario'; simillime de plaga septemtrionali Val. Flacc. IV 204 *orte niuali Arcados axe deae* (cf. LXIV 240). 'ex Ariad. temp.' a 'corona' pendet (u. 8): Ouid. met. VIII 178 Bacchus *sumptam de fronte coronam inmisit caelo: tenues uolat illa per auras, dumque uolat, gemmae subitos uertuntur in ignes*; cf. et German. Arat. 71 *clara Ariadneo sacrata e crine corona*, Manil. I 313 sqq., ubi 323 *Gnosiacae serta ecfulgent monumenta puellae* scribendum est. 'figere', ut mox 'sidus ponere', καταστερίζειν. — **61, 62. sed nos quoque fulgeremus, deuotae flaui uerticis exuuiae.** ad 'fulgeremus' quoque refer illud 'uario in lumine caeli'. 'deuotae', ut simplex 'uotae'; Caes. b. g. VI 17 *huic* (Marti) *ea quae bello ceperint plerumque deuouent.* 'flaui', LXIV 63; uidetur autem Ariadnes cum Berenice conparatio tum adamata fuisse: ut Liber deus factus amatae feminae serta inter sidera recepit, sic Arsinoe comam Berenices, hac ipsa re uxorem pudicam sibi in deliciis esse testata. 'exuuiae' de coma resecta adhibet etiam Sen. Phaedr. 1181 *placemus umbras: capitis exuuias cape laceraeque frontis abscisam comam.* — **63, 64. uindulum a fluctu cedentem ad templa deum me sidus in antiquis diua nouum posuit.** me, quae ... adueniebam in arcibus caelestibus, inter astra recepit Venus Arsinoe. nam utique de aduentu in caelo est cogitandum, ut postulat narrationis progressus (55 sq.); et recte in tradito 'decumme' nil nisi 'deum me' latere intellexere Itali ('Dionae' peruerse postea maluerunt): Enn. trag. 163 R. *magna templa caelitum commixta stellis splendidis,* Attius praet. 2 R. *clamore et gemitu templum resonit caelitum,* Hor. epist. II 1, 6 *deorum in templa recepti*, alibi. de cedendi uerbo, quod haud raro adaequat 'ire', cf. ex. gr. Prop. III 18, 33 *Caesar ab humana cessit in astra uice* (de oppositione in u. 64 uide supra ad 38). at, inquies, iam in gremio deae posita est coma (56). nimirum u. 63 corruptus statum depingit animi, quo perfecit crinis iter: tum uero (59) me, quae tristis accedebam regiam deorum, l a e t i s s i m o honore affecit dea. hinc opitulandum est uerbis corruptissimis 'uindulum (sic habuit V) a fluctu'. unde 'uuidulam' elicuit BGuarinus, postquam 'uuidulum' iam praeiuerunt Itali, qui simul 'fluctu' mutauere in 'fletu', abiunctam comam sororum lacrimis madefactam esse e u. 51 conligentes. uerum enim uero poeta sibi fingit ceteras comas adhuc deflentes abscisam utpote de sorte eius ignaras; nec ea, quae in ara per paruum licet tempus posita iam emenso longo itinere in caelo aduenit, de lacrimis sororum, si reuera possunt madefecisse decedentem, etiamtunc umida fingitur nisi perquam inepte. et lacrimae etiamsi eae, quas ipsa coma profudit, intellegentur, mihi bilem mouent; et ipsum uocabulum ('umidus' potius expecto) suspectum

est. quamquam hoc certum est, nec a fluctu marino (1Vossius: roscido Oceani aere madentem) comam posse dici umidam, siquidem mari non tacto uia derecta ex Arsinoes templo per aethera auolat ad caelum struthio (55). Scaliger indigna coniectura lusit 'a flatu' (Orellius 'afflatu'). describit, ut iam dixi, coma, quo animi affectu adierit caelum, conmota quippe concitataque dolore relicti tam cari dominae capitis. quae sententia si hic legebatur, eo facilius mox u. 75 sq. adiunguntur. hinc critico in poetae mentem se insinuanti rimantique iam litterulas obscuratas haec enascitur genuinae scripturae species 'τ̃uidulum' (unde 't' amissa 'uindulum' factum est) siue 'b' pro 'u' restituta 'turbidulum'. quod deminutiuum etsi alibi non extaret, tuto adnumeraretur similibus multis apud Catullum ἅπαξ λεγομένοις; nunc casu extat apud Prudent. apoth. 208 *turbidulos sensus.* iam ab hac lectione profecti lenius quam prioribus licuit et aptius sic corrigimus 'turbidulam ab luctu', scil. eo quem passa est ipsa a capite Berenices abiuncta. Ouid. tr. I 11, 34 *pectora sunt ipso turbidiora mari,* Hor. od. II 19, 6, alia (de 'ab' cf. LXIV 275, de ipsa praepositione Handius Turs. I p. 26 sqq.). describit porro coma situm suum, quo in parte septemtrionali cincta est quatuor potissimum sideribus: — **65. uirginis et saeui contingens namque leonis lumina.** admodum libere 'namque' traiectum est; secundo enuntiati loco illud positum habet iam Varro ap. Gell. III 10, 1 saepiusque postea historici. ad uirginis siue Astraeae (Eratosth. catast. 9, Hygin. astr. II 25, Ouid. met. I 150) brachium dextrum et ad 'saeui' (scil. Nemeaei, quem nonnulli putauere) leonis (Eratosth. catast. 12, Hygin. astr. II 24) caudam positae sunt septem illae stellulae, quae inde a Conone crines Berenices uocabantur. — **66. calixto iuxta Lycaonia.** sub hac lectione latere Callisto, Lycaonis Arcadis filiam (Apollod. III 8, 2, Hygin. astr. II 1, Ouid. f. II 155 et met. II 410), sub ursae (plaustri, currus) maioris siue Helices nomine in caelo positam intellexere Itali. nisi quod non recte 'Callisto' dederunt, cum sit latina nominis forma 'Calisto', ut docui conlectis exemplis in Fleckeis. ann. 1883 p. 787. iam cum 'iuxtă' nullo pacto possit retineri, eidem Itali reposuere 'iuncta Lycaoniae', quod utique praestat illi 'Lycaonidi' posteo inuento. sed de huius coniecturae ueritate propterea dubitandum est quod datiui 'Calisto' exemplum sat tutum non extat (Neuius I p. 301). unde (ut et artis iubent praecepta) 'Calisto Lycaonia' ita est retinendum, ut solum 'iuxta' inmutetur. latere puto 'tacta' (de 'a' praepositione omissa cf. Draegerus synt. I § 229): pedibus ursae maioris posterioribus subiecta est coma. et facile illius 'contingens . . tacta' uicissitudinem sentis: quae utpote supra uirginem et leonem posita hos tangit, ea ipsa tangitur a superiore ursa. — **67, 68. uertor in occasum tardum dux ante Booten, qui uix sero alto mergitur oceano.** male post 'occasum' ponunt comma, cum non in uerbis 'u. i. o.' uis sententiae insit, sed pergens in positionis suae descriptione se ante Bootem conlocatam occidere narret coma. nam dum Arctos maior minorque *oceani metuunt aequore tingui*

(Verg. G. I 246), coma Berenices luce adpropinquante in undas mergitur siue occidit, praecedens aurigam plaustri siue Booten (de quo sidere cf. Eratosth. catast. 18, Hygin. astr. II 2 et 4, Arat. Phaen. 92), qui quod ante nouum diem lentius e caelo abit 'tardus' et 'serus' et 'piger' apud poetas audit; Hom. Od. V 272 *ὀψὲ δύοντα Βοώτην*, Aratus 581, Q. Cicero de signis 19 *serus in alta conditur Oceani ripa cum luce Bootes*, German. Ar. 139 *tardus in occasum sequitur sua plaustra Bootes*, Ouid. met. II 176 et quae larga manu congessit Heinsius ad Val. Flacc. VII 457. referenda enim haec et sequentia, ut recte adnotat AStatius, ad *δύσιν* et *ἀνατολὴν ἡλιακήν*. 'uix sero' more graeco (*μόλις ὀψέ*), ut similiter *tardo uix editus ortu* laus Herc. 14, copulatum; cf. et German. Ar. 598 *siderea uix tum satiatus luce Bootes in terras abiit.* idem 267 *aegoceros . . oceano mersus* et 659 Orion *altis mergitur undis*: sollemnia haec et similia ('tingere se oceano' uel 'tingi', ut et statim 'Tethyi restituere') de sideribus occidentibus. — **69, 70. sed quamquam me luce premunt uestigia diuum, lux autem canae Tethyi restituit.** transit coma ad nouam Berenices adulationem, se licet summo adfectam honore tamen usque dolere a uertice dominae discessum. nocte in caelum relata fulget uicina deis, per diem autem submersa in undas in sinu Tethyos requiescit: Verg. ecl. 5, 56 *candidus insuetum miratur limen Olympi sub pedibusque uidet nubes et sidera Daphnis*; Scaliger cp. Aratus 339 *θεῶν ὑπο ποσσὶ φορεῖται λείψανον Ἠριδανοῖο πολυκλαύστου ποταμοῖο*, Valckenarius Manil. I 802 *illa deum sedes; haec illis proxima, diuum qui uirtute sua similes uestigia tangunt.* Tethys (cf. LXIV 29) hic pro 'mare' ponitur, ut LXXXVIII 5, Callim. hymn. 4, 17; de 'i' datiui breuiata ad LXIV 247; 'cana' attributum deae illi uetustissimae utpote nutrici (*τηθύς*) omnium deorum dat etiam Ouid. met. II 509 et f. II 191. mirum in **V** uitium 'restituem' explicatur eiusdem **V** lectione 'aut': adscriptae in margine 'em' litterulae et ad 'aut' pertinentes ad 'restituit' praue sunt tractae. — **71. pace tua fari hic liceat, Rhamnusia uirgo.** in parenthesi coma mitigat excusatque uerborum u. 75, 76 sequentium atrocitatem, si forte ut ingrata offensura sit deos maximeque Nemesin dictorum superborum et caelestes laedentium uindicem (ad LXIV 395, L 20), utens formula certa, de qua cf. Q. Catuli uersus supra p. 6, Ouid. tr. V 12, 45 *pace, nouem, uestra liceat dixisse, sorores, uos estis nostrae maxima causa fugae* (met. VII 704). 'hic', in eis quae proferenda habeo. — **72. namque ego non ullo uera timore tegam.** id quod uerum est (Plaut. Capt. V 2, 7 *uera loquere*) nullius periculi metu dissimulabo (Tib. I 9, 28 *facta tegenda loqui*): non praepediet, ut ait Plautus, timor dicta linguae. — **73. nec si me infestis discerpent sidera dictis.** ne tum quidem tegam, si. uidetur hoc antiquissimum esse exemplum illius 'nec' pro 'ne quidem' adhibiti (Kuehnerus gr. l. II p. 660 sq.). futuro autem tempore paene certam se esse de hoc supplicio innuit coma. 'discerpere' quoniam non ad uerba transfertur (ut habes 'uerbis aliquem lacerare, corripere, proscindere', sim.; nam apud Gell. VI 18, 70 'disreptique' bonus liber

praebet), sed proprio sensu est accipiendum (ut Verg. G. IV 522 de Orpheo *discerptum latos iuuenem sparsere per agros*), Bentleius pro 'dictis' restitui uoluit 'dextris'; nec negari potest, in sidera ex ueterum opinione uariis et ex parte humanis figuris induta belle haec quadrare, cum praesertim eorum tamquam anuum uerbis rixantium imago oppido displiceat. sed etsi 'dictis' fortasse eandem in sententiam licet interpretari 'digitis' (LMuellerus comm. Lucil. p. 240), ego tamen praeeunte Mureto non instrumentalem sed causalem agnosco: ob dicta mea tam infesta (cf. ad XIV 2 *munere isto*, Sall. Cat. 15, 4 *animus dis infestus*). — **74. condita qui uere pectoris euolue.** 'quin ueri' (Lachm. 'uerei') et 'euoluam' (de dihaeresi ad II 6) uulgo auctoribus Italis scribunt. et certum est, pessime post illa 'uera non tegam' iterari 'uere (= secundum ueritatem) in lucem proferam'; recteque sic progreditur oratio: uera non tegam inpulsa pectore uero, h. e. quod uerum semper loquitur amatque (Ter. Andr. II 5, 12, Plin. epist. IV 22, 3 *quo uiro nihil firmius, nihil uerius*). sed eisdem Italis 'quin' restituentibus fidem iam non habeo: 'non tegam, quin euoluam' non defenditur eis quae congessit ex. gr. Kuehnerus gr. l. II p. 829. et omnium facillime ex 'qui uere' metathesi fit 'que ueri'; iamque ultro ex 'euolue' elicitur 'euoluo' (centiens 'e' et 'o' in V mutatae): me, quae tamen nihil aliud facio quam ut arcana mentis uerum amantis sensa aperiam. nam 'condita' sic ut 'abdita' (Lucr. VI 809 *terrai abdita*, Hor. a. p. 49 *abdita rerum*) positum est usu nunc alibi non obuio pro 'secreta' uel 'occulta'; non plane dissimiliter Hor. sat. I 4, 89 *condita cum uerax aperit praecordia Liber.* Ellisius cp. Cic. d. or. II 86, 350 *euolutum illis integumentis dissimulationis tuae nudatumque.* praesenti 'euoluo' bene conuenit cum futuro 'discerpent'. — **75. his rebus.** hac condicione mea, hoc rerum mearum statu. — **76. me afore semper, afore me .. discrucior.** iteratio per inuersionem facta egregie discidii depingit dolorem. 'discr.', dolore laceror, accusatiuum cum infinitiuo etiam apud Cic. ad Att XIV 6, 1 recipit (Kuehnerus II p. 509). — **77, 78. quicum ego, dum uirgo quondam fuit omnibus expers unguentis, una milia multa bibi.** horum uerborum corruptela manifesta est. nam duae quae extant interpretandi conamina nauci sunt habenda. earum unam peiorem proposuit IVahlenus [Herm. XV p. 269]: "'ego', coma ait de se, 'quae, dum uirgo fuit domina, omnibus expers eram unguentis, cum domina multa milia bibi una potione, scil. eo die, quo marita est facta Berenice''. ut mittam 'una' incredibiliter defensum (et certae formulae, uelut 'ambabus' scil. manibus, ad hoc nil pertinent) neglegamque permirum illud, uno die multa milia unguenta comam bibisse: iam u i r g o Berenice, et una cum hac (de 'quicum' cf. Neuius II 229 sqq.) coma nostra, bibit siue in se recepit (ut lucerna oleum, lana colorem, arena liquorem, noto usu) unguenta, ut satis constat ex Athenaei a multis laudati sed a nemine dum recte adhibiti uerbis p. 689[a] (de murra) *ἤκμασε δὲ καὶ τὰ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ διὰ πλοῦτον καὶ διὰ τὴν Ἀρσινόης καὶ Βερενίκης σπουδήν. ἐγένετο δὲ καὶ ἐν Κυρήνῃ*

ῥόδινον χρηστότατον καθ' ὃν χρόνον ἔζη Βερενίκη ἡ μεγάλη: reginarum Alexandrinarum (cf. Victorius uar. lectt. XXXIII 7), Arsinoes et Berenices Euergetis sororis, exemplum filia regis Cyrenaici, Berenice nostra, iam uirgo in sede patria est aemulata. altera eaque melior explicatio temptata est ab IDFussio in epistula ad IBLycocriticum [Leodii 1823 p. 48]: 'quicum ego, omnibus (scil. nunc in caelo posita) expers unguentis, una milia multa bibi, dum uirgo quondam fuit'; ad cohaerens illud 'quicum una' apte cp. Plaut. Most. IV 3, 43 *mecum una*, Ter. Ad. IV 3, 7 *ut una mecum ad matrem eas*, alia. rectum est hoc; nam ad 'milia multa' sine negotio mente suppletur 'unguentorum', ut V 10 (cf. ad LXI 203). sed negandum est etiam atque etiam, posse talem notionem principalem 'nunc in caelo posita' ab ullo scriptore mentis conpote omitti, cum praesertim oppositum 'quondam' adsit; nec quisquam ueterum quidem lectorum nostra interpunctione carentium 'expers' coniunxit nisi cum 'uirgo'. rectissime igitur latere corruptelam plerique omnes sumpserunt. sed ex coniecturis prolatis eae a uero aberrarunt, quae latius euagabantur extra fines concessos. Auratus et Passeratius proposuere 'unguenti Suriei (= Syrii) milia multa': nec necessarium est hoc, ut uidimus, et eo refellitur, quod, si Cyrenae rhodinum fiebat, Syriis unguentis minime erat opus. hinc autem profecti qui superiora attemptabant, ut Auratus ipse 'uirgo fuit ominis expers' (debuit esse 'ominum', ut Aen. I 346) et LMuellerus 'u. curis f. omnibus expers' (Stat. Theb. V 81) et BEschenburgius 'Hymenis expers' (nominatiuum 'Hymen' solum adhiberi certum est) et ego ipse 'omnibus extans' (Sen. Med. 94), omnes operam lusimus in fundamento incerto. cohaerent aperte 'omnibus unguentis', h. e. omnis generis (Hor. epist. I 5, 2 *olus omne*, Fabri ad Liu. XXII 41, 6); nec enim aut id quod unum rhodinum commemorat Athenaeus huic interpretationi obstat aut comprobanda est ratio IVossii inter unguenta et murram distinguentis mire ('expers unguentis, murrae m. m. b.', cui insistentes Heinsius 'crocini', Orellius 'rhodini' pro 'una' coniecere). iamque unum solumque 'expers' suspectum remanet corruptionis. pro quo iam Itali quidam reposuere 'expleta' AStatius 'expressa', Marcilius 'adspersa', Munro 'ex pars', Doeringius 'explens se'; sed omnium felicissime NHeinsius ad Verg. Aen. III 625 *sanieque expersa natarent limina* hic quoque unica litterula addita 'omnibus expersa (= madens) unguentis' restituit, uersu scilicet hypermetro, ut habes LXIV 298 et CXV 5 (LMuellerus d. r. m. p. 294 sq.); et licet 'expersus' uox nisi apud Vergilium (ubi codicum et Seruii testimoniis sat munita est) non exstet, nil hoc praebet offensionis; nec alia uox aptior leniore remedio umquam recuperabitur. at, inquiunt, cur in uirginis dominae capite coma se dicit unguentis delibutam esse, cur non et in nouae nuptae? quia nimirum per multo longius spatium ea degerat in uertice uirginis quam nuptae Berenices; quae (si in re incognita coniecturam proferre licet) fortasse inter uiri absentiam ad significandam tristitiam solitis abstinebat deliciis. quidquid id est, iam hoc postulat

coma, ut sibi inter diuos receptae diuini habeantur honores ei, qui cum causa τοῦ καταστερισμοῦ cohaerent: ut a noua nupta Berenice deuota est diis, ita omnes nouae nuptae (quas scilicet sensu latiore accipe non prima nocte cum uiris iunctas, sed primum matrimonii tempus peragentes) abhinc sibi sacra unguentorum ferant optat, ne nimis triste sibi sit discidium ab unguentato dominae capite; sed eae tantum nuptae, quae ut Berenice sint purae pudicaeque: — **79. nunc uos optato quas iunxit lumine taeda.** 'nunc', in hoc rerum statu, cum sim caelo adfixa nec prosit gemitus, solatium mihi feratis uos, nuptae. hanc notionem 'nuptae' bene restituit Auantius pro tradito in V 'quem' reponens 'quas'. lenius quidem uidetur quod inde elicuit AStatius 'queis' (ad 'coniugibus' u. sq. quod pertinet), sed ideo minus bene se habet, quod sic perit quae est necessaria circumscriptio nuptiarum. nec ita difficile ad 'quas iunxit' subintellegimus 'coniugibus'. plane autem est inprobandum quod CdeAllio uoluit 'quum' ('quom' Hauptius); nec enim agitur de ipso nuptiarum die, sed hoc dicit coma: uos, quae sollemni legitimaque face nuptiali et die festo cum uiris uestris estis iunctae. 'optato', cf. LXIV 31; 'lumine', die, ut mox u. 90. — **80, 81, 82. non prius unanimeis corpora coniugibus tradite, nudantes reiecta ueste papillas, quam iocunda mihi munera libet onyx.** 'prius' certa emendatio est Auantii pro eo quod V habet 'post' (saepius conpendiorum culpa hae uoculae confusae). nam cum Fussius et Lachmannus 'post' (= posthac) ita uellent retinere, ut mox pro 'quam' scriberent 'quin', et contortam ualde orationem restituerunt et neglexerunt Callimachi fragmentum πρὶν ἀστέρι τῷ Βερενίκης, quod recte huc rettulit Naekius. breuius quidem egit Catullus, quod illud cum emphasi dictum τῷ ἀστέρι Βερενίκης uerteret simpliciter per 'mihi', sed πρίν Auantianum 'prius quam' plane conroborat: uesperi cubitum euntes uiris uno cum uobis amore sociatis (Val. Flacc. VIII 232 *adfuit unanimis Venus,* Sen. Oed. 773 *unanima coniunx,* Claudian. 35, 368 G. *unanimi consortia discite somni*) non ante praebeatis cari corporis facultatem ('corpus tradere', scil. habendum, fruendum, alibi non uidetur legi), dum remouetis uestem siue tunicam (Prop. II 15, 5 *nam modo nudatis mecum est luctata papillis; interdum tunica duxit operta moram,* Ouid. met. IX 32 *reieci uiridem de corpore uestem,* Lucil. XXII 5 M. *sponte ipsa suapte est adducta ut tunicam et cetera reiceret*) quam unguentorum dona grata, quippe quibus adsueta sim, tamquam sacrum mihi comae Berenices inter sidera receptae offerat uas uestrum unguentarium. nam de marmore (non de gemma) onyche alabastritae simili est cogitandum. ex quo cum alia tum uasa unguentaria fiebant (saepe concharum in formam); Prop. II 13, 10 *cum dabitur Syrio munere plenus onyx* et III 10, 22, Hor. od. IV 12, 17, Plin. h. n. XXXVI 60, Salmas. exercitt. Plin. I p. 558. 'non' pro 'ne', Kuehnerus II p. 147; 'libet' pro 'libauerit', onyche per noctem adstante. — **83. uester onyx, casto colitis quae iura cubili.** cum ui graui, quae sueram continet exceptionem, 'uester' praeponitur repetiturque per reuocationem (ad LXIV 62)

'onyx': uestrum solarum scilicet alabastrum, quae, dum cubile mariti purum seruatis, sanctas eius leges inuiolatas tuemini. sic enim saepius 'iura' adhibentur, ut leges a natura moribusque praescriptas et officia inde redundantia designent: Verg. Aen. IV 27 *ante, Pudor, quam te uiolo aut tua iura resoluo,* Hor. a. p. 398 *dare iura maritis,* Prop. IV 5, 28, Stat. Theb. III 689, Claudian. 24, 264 G., Placidus p. 53, 22 D., Anth. lat. 518, 2 [PLM. IV p. 420] *cuncta pudicitiae iura tenere cupis.* 'colitis', magni aestimatis et religiose obseruatis (cf. ex. gr. Cic. parad. 5, 34 *leges sequitur et colit* et de legg. I 12, 33). quod cum non intellegerent et de prima nocte agi inepte statuerent Itali (quos refutat unum illud 84 *quae se dedit adulterio*, quod non quadrat nisi in feminas iam per aliquod tempus cum uiris iunctas), 'qu(a)eritis' et 'petitis' peruerse reposuerunt. — **84. sed quae se impuro dedit adulterio.** indulget sordido probro; Ouid. Ib. 221 *impurae matris prolapsus ab aluo.* — **85. illius a! mala dona leuis bibat irrita puluis.** arena ut aquam (ex. gr. Verg. G. I 114) ita hic liquorem unguentorum frustra scilicet inpensum bibit secundum prouerbialem dictionem, qua Prop. IV 11, 6 *nempe tuas lacrimas litora surda bibent,* Ouid. f. III 472. 'a' indignationi exprimendae inseruit, ut LX 5; 'mala', infausta; 'inrita', ut LXIV 59 (Verg. G. IV 519 *inrita Ditis dona querens*). — **86. ab indignis praemia n. peto.** ab eis quae ipsis suis moribus indignae sunt quae praebeant munera in honorem ac uenerationem mihi offerenda ab honestis. — **87, 88. sed magis, o nuptae, semper concordia uestras, semper amor sedes incolat assiduus.** difficile est dictu, quaenam sit illius 'sed' ratio. nam neque bene cohaeret 'sed magis' (= potius), siquidem haec uerba nil quod prioribus opponatur continent, neque se corrigit coma (sed quid loquar de adulteris, immo eqs.). habet autem distichon nostrum suum in sententiarum conexu locum, si pro muneribus sibi flagitatis coma nuptis omnia fausta optat. hoc recto sensu intellegentes Itali pro 'sed' (e u. 84 inlato) e coniectura scripserunt 'sic'; quo, si uu. 83—86 parentheseos signis includimus, solita in optatis formula (cf. ex. gr. Hor. od. I 3, 1) restituitur. iam 'magis' cum 'semper' iunge: in dies magis. de concordia, summo uotorum in maritis, cf. ad LXI 226, Stat. silu. II 2, 154, Anth. lat. 212, 3 [PLM. IV p. 256], alia multa (Prellerus myth. Rom. p. 624). Tib. I 10, 18 de laribus *sic ueteris sedes incoluistis aui*: ut Concordia, ita Amor tamquam di domorum tutelares proferuntur. 'assiduus' (respectu illius 'sedes'), qui domui adsidet quasi fidus custos tutorque; Cic. p. Rosc. Am. 24, 67 *hae sunt inpiis assiduae domesticaeque Furiae.* et hinc 'semper adsiduus' non laborat uitio tautologiae (Cic. p. Rosc. Am. 18, 51, Liuius XXXIV 9, 5). — **89, 90. tu uero, regina, tuens cum sidera diuam placabis festis luminibus Venerem.** redit coma ad Berenicen, ut haec quoque memoriam retineat sui rogans. 'festa lumina' ob ipsum adiectiuum uix possunt esse taedae in deorum honorem accensae, ut uolunt nonnulli cp. Herod. II 62 λυχνοκαΐα, sed sunt 'dies festiuis insignes'; cf. ex. gr. Verg. Aen. VI 735 *supremo*

lumine (= die), et sic Callimachum φάεα adhibere h. Cer. 83 et Dian. 182 obseruarunt Dousa iunior et Anna Fabri. LXIV 387 *annua cum festis uenissent sacra diebus*: his Berenice placat siue propitiam sibi reddit (ex. gr. Hor. epist. I 16, 58 *deos uel porco uel boue placat*) diuam Venerem, Arsinoen scil., oculos attollens suppliciter ad caelum (Hor. od. III 23, 1 sqq., Verg. Aen. II 405). 'tuens', intuens, ut saepe. — **91, 92. unguinis expertem ne siris esse tuam me, sed potius largis affice muneribus.** debetur 'unguinis' Bentleio: 'sanguinis' V. nam quamquam neque sues (Callim. fr. 82[b], 100[h] Schn.) neque haedi (Hor. od. I 19, 16, IV 11, 8) a Veneris sacris sunt alieni, uerissime tamen doctus ille Anglus obseruat, comam non potuisse desiderare sanguinem sibi perosum naturaliter, sed sola unguenta sibi familiaria, id quod monstret etiam illud 'muneribus' cum u. 82 conparatum. nec enim hoc orat coma modesta, ut sicut ceterae nuptae domina quoque cotidie ei sacrificet, sed eo est contenta, si illa candidioris notae diebus non permittat plane neglegi eam, quae olim in reginae uertice erat posita (nam hoc 'tuam' uerissime ex 'tuum' in V extante eruit Auantius: 'tui me' uulgo), sed liberaliter dona grata conferat. Nepos Ages. 3, 3 *eos magnis afficeret muneribus.* 'ne siris' elicui ex scriptura tradita 'non uestris', unde Scaliger 'ne siueris' et Lachmannus 'non siris' effecerant. et 'siueris' et 'siris' formae cum sint probae (Neuius II p. 519 et 526; de 'i' ultimae ancipiti cf. ad V 10), tamen 'non' inprobandum est; cf. ex. gr. exempla ab Hauptio opusc. II p. 353 congesta. 'ne siris' postquam in 'uestris' abiit, 'non' (demonstrante 'sed' u. sq.) metri fulciendi gratia est additum. — **93, 94. sidera cur iterent utinam coma regia fiam, proximus Hydrochoi fulgeret Oarion.** ad dominam ubi reflexit orationem, coma iterum in se sentit exardescere desiderii quo tenetur uehementiam: tamquam summo dolore subito correpta, si redire possit in reginae uerticem, stellis quid fiat se nihil curaturam innuit: en dignum callido adulatore Callimacho finem. sed hoc comae uotum extremum nobis magis per nebulas quam clare dispicere licet. breuis ero in disceptandis doctorum coniecturis nec multis exagitabo hanc nonnullorum (ueluti Palmerii spicil. p. 15) rationem: 'largis effice (sic V) muneribus, sidera cur iterent (= quasi in choro iterum iterumque dicant) 'utinam coma regia fiam'': quis non summas has ineptias, quibus nec conuenit cum u. 94, ultro respuit damnatque? non ita multo melius se habet Lachmanni commentum 'sidera corruerint utinam': neque decet ullo pacto comam adeo quidem inmane uotum neque quidquam ea, si compos illius fieret, lucraretur inde nec denique corruentibus sideribus Orion iuxta Aquarium poterit fulgurare (peruersius etiam funditusque sublata et constructione et sententia Ellisius 'corruerent utinam' maluit). pulcherrime rectissimeque omnino Guarinus Pontanusque emendationem incoharunt scribendo 'sidera cur retinent?' quamquam retinendi uerbum, ut utitur demorandi notione, necessarium habet aliquod additum, quo fixam et quasi uinctam se esse designet coma (Tib. I 1, 55 *me retinent*

uinctum). nec ipsum 'cur' ualde placet. scribo equidem 'sidera ui retinent', ut habet ex. gr. Cic. p. Planc. 41, 100 *ui me Plancius retinuit* (uiret'ent = uir eterent = cur iterent). efferendum est nimirum 'ui', taciteque oppositum est hoc 'propria destituta sum uoluntate'. qua si utatur, quid fieri uelit, iam ultimis coma declarat uerbis. in quibus 'utinam fiam' plane ridiculum est, cum certo sciat coma numquam id quod optat effici posse. Marklandus igitur 'iterum', Hertzbergius 'iterum ut' uoluerunt; ego olim ex eo quod **O** habet 'utina' erui 'ut iam'. uerum est, designandum esse pristinum statum, cum 'coma Berenices' iam stella sit. apte, ut puto, haec dicet caesaries: sum caelo affixa; at sic sentio, si quae antea fui coma fiam, per me posse Oriona et Aquarium esse uicinos, quippe quae nihil sidera curem. hinc 'utina(m)' ex *uet'at* ortum puto, constructio ut euadat paratactica, qua in protasi 'si' omittitur (Kuehnerus gr. l. II p. 760 sq.), iamque sequatur in apodosi concessio (ibid. p. 143): 'sidera ui retinent; uetus at coma regia fiam, proximus Hydrochoi fulgoret Oarion!' de 'at' traiecto cf. LXIV 58; 'uetus' (pro quo etiam priscam formam 'ueter' non abnuerim), prior, ut Verg. Aen. VI 449 *in ueterem fato reuoluta figuram.* Hydrochous siue Aquarius (Arat. Phaen. 281, Eratosth. catast. 26) et Orion (Prellerus myth. gr. I p. 350 sqq.) maxime inter se distantia sidera sunt, ut si hunc proximum illi esse uult coma significet per se caelum legibus omnibus liberum esse posse. formam 'Oărīon' (quam inter Romanos recepit Rutil. Nam. I 636) apud Graecos uetustiorem esse (Pindar. f. 50) quam 'Orīon', sumit Idelerus libri 'Ursprung und Bedeutung der Sternnamen' p. 219; Callimachus praeterea habet h. Dian. 265. 'Hydrochoi' datiuum putant esse a forma graeca ὑδροχοεύς deriuatum; quae num latina lingua sit recepta (German. Ar. 382 habet *Hydrochoos* nominatiuum), dubium est; et si uoluit ob sonum ingratum 'Hydrochoo' uitare Catullus, potuit sibi sumere eam licentiam, ut graeco more cum genetiuo construeret 'proximus', plane ut legitur non minus singulariter apud Lucr. IV 336 *proprior caliginis aer.* denique 'fulgeret', ut indicat grammatica, non a 'fulgĕre' descendit, sed a 'fulgerare' siue 'fulgurare', h. e. splendere, lucere, ut Sil. Ital. VI 220, XII 723. quamquam, cum forma per 'e' licet fortasse non plane falsa sit tamen magis medium aeuum redoleat, solitam elementorum 'e' et 'o' confusionem agnoscens restituo 'fulgoret', quod habes in Paconii uersibus apud Diomedem p. 500 K. seruatis *Eoo Oceano Hyperion fulgorat Euro* (sic codd.); cf. et German. Progn. 4, 77 *fulgora.* de Orionis fulgore cf. ex. gr. Lucan. I 665.

LXVII.

1. O dulci iocunda uiro, iocunda parenti. in hoc carmine fingit Catullus se instituere conloquium cum ianua domus cuiusdam Veronensis (u. 34: uidit Scaliger) ex illaque causas quaerit, cur passa sit mulierem in ea domo habitantem moribus uiuere tam perditis. etenim ianuae putabantur aedium custodes ut ab omnibus furibus ita a furtiuis amato-

ribus; unde eae, cum ipsae castitatis uitaeque probae essent amantes, quidquid sceleris intra parietes fieret, aegre ferre atque dolere fingebantur: hinc apud Prop. I 16 uitam libidinosam feminae, quae nunc in domo sit domina, acerbe queritur ianua quaedam. 'iocunda' utpote haec custos pudicitiae bonorumque morum ianua est uiro 'dulci', h. e. coniugi caro et a muliere sua dilecto (LXVI 33); et hoc ipsum 'dulci' uetat, quominus 'iocunda' cum inrisione dictum statuamus. iocunda est ianua etiam parenti, cui filias uiro maturas tueatur. dicta sunt igitur haec in uniuersum in laudem ianuae, ut et par est in adlocutione et conuenit uersus sequentis benedictioni. adhibet autem poeta ad augendam adlocutionis sollemnitatem artificium inde ab Homero ualde amatum. nam in uersibus per caesuras semiternariam et semiseptenariam in tres partes diuisis incipiebant haud raro secundam tertiamque partes a uocabulo eodem, quod sic efferebatur: Hom. Il. XXIV 516 *οἰκτείρων πολιόν τε κάρη πολιόν τε γένειον* et Od. IV 149, Verg. ecl. 10, 54 *arboribus: crescent illae, crescetis amores*, Tib. II 1, 17 *di patrii, purgamus agros, purgamus agrestes*, Hor. a. p. 269 *nocturna uersate manu, uersate diurna*, alia multa. — **2. salue teque bona Iupiter auctet ope.** 'auctare', beare (Plaut. Amph. prol. 6 *bonoque atque amplo auctare perpetuo lucro*, Lucr. I 56), pro 'augere', quod utpote suo tempori conuenientius substituit in huius loci recordatione (AStatius) Ouid. f. I 612 *et quodcumque sua Iuppiter auget ope.* 'bona ope', benigno auxilio, ut XXXIV 23. — **3, 4. ianua, quam Balbo dicunt seruisse benigne olim, cum sedes ipse senex tenuit.** hic Balbus igitur antea domus erat possessor; contrarium huic 'olim' est u. 9 'nunc'. nil praeterea de Balbo (inscriptiones illius regionis [CIL. V] ut Caecilios ita Balbos commemorant) carmen nostrum suppeditat, sed per se apparet eum esse senem illum commemoratum in pentametro, in quo 'ipse' non tam 'dominus' (cf. ad I 9, CXIV 6) quam ob oppositum (u. 6) fere 'uiuus' adaequat. 'sedes' pluralis interdum etiam de singulorum aedibus adhibetur, ut Cic. p. Sull. 6, 18 *qui me in sedibus meis .. trucidaret* ('tenere', incolere, noto usu). sed quomodo huic seni ianua 'benigne seruisse', h. e. prompto fidoque officio eius commodis inuigilasse dicitur? conexus enim ipse admonet, ne de alia re (ex. gr. diuitiis in domum influentibus) quam de custodela pudicitiae haec intellegamus. miror, neminem uidisse, huius Balbi filiam fuisse (hinc u. 1 parentis fit mentio) feminam mox inde a u. 19 descriptam. ceterum 'dicunt', 'ferunt', 'narrant' ubique adhibet poeta, quippe qui rumores populi sequatur. — **5, 6. quamque ferunt rursus uoto seruisse maligne, postquam est porrecto facta marita senex.** 'rursus', *αὖ*, contra; XXII 12. 'maligne', quod habet **O**, ex contrario (u. 3) clare aperteque adseritur (mala adsimilatione G 'maligno'): populus narrat te non stetisse a fide huic domo debita; de perfecto, quod sane primo optutu mirum uidetur, cf. infra ad 9. nemodum explicauit adhuc illud 'uoto', quod omni inludit interpretationi, certe si mittimus nugas; quales pro-

tulerunt Vulpius Caecilium inpio uoto Balbi morti inhiasse opinatus et Schwabius de inpudicae mulieris uotis inpuris (quasi pluralis legeretur et abesse posset genetiuus 'nouae erae') agi sibi persuadens et Munro morientem Balbum nescioquas preces ad ianuam fecisse statuens. Froehlichius de huius carminis personis mirifice alucinatus 'nato' proposuit. ego ad eam quam eruisse mihi uideor sententiam 'natae' reposui, quod teneo. nec ita difficile 'nate' a librario quodam (fortasse medii aeui consuetudinem quandam respiciente) deprauatum est in 'uoto'; et uere nunc sibi respondent 'Balbo seruisse benigne' et 'natae seruisse maligne'. comprobat denique hanc emendationem tota quae sequitur narratio: ad feminam utique spectare seruitium malignum inde patet, quod postea ianua ideo, quia non intacta in domum uenerit noua domina, se liberam fuisse omnibus custodelae officiis in puras nimirum conferendis concludit. huius autem nouae dominae mentio diserta fiat oportet, ne nimia haec omnia laborent obscuritate. ex hexametro autem recte constituto iam lux affunditur pentametro. in quo 'porrectus' ualet 'torpore mortis extentus' siue 'mortuus'; iam AStatius cp. Homerica (Il. XXIII 25, Od. XVIII 92) *ὁ δ' ἐν κονίῃσι τανύσθη* et *ἐπὶ χθονὶ κεῖτο τανυσθείς*, Hor. epod. 10, 21 et epist. II 1, 268 (ubi cf. Schmidius), Verg. Aen. IX 589, Prop. II 8, 33, Mart. IX 85, Pers. 3, 104. nec tamen mortuo demum patre nata nupserat, sed iam multo antea (19 sqq.) unde uulgo cum Aldina prima legunt 'es'. qua in lectione ianuam 'maritam' siue maritalem uocari putauit Scaliger inde, quod lectus genialis ex aduerso positus erat ianuae (Prop. IV 11, 85); Schwabius cp. Liu. XXVII 31 *per maritas domos.* ego 'est' intactum relinquo et ex 'marite' (sic enim V) eruo ER pro M repositis: 'postquam est (scil. nata) porrecto facta era rite sene'. nimirum 'era' sedum patriarum, 'rite' secundum leges de iure hereditatis; nec sine causa hoc additur: in nouam dominam, quae rite est facta, ianua rite fidem obseruare debuit mores eius custodiendo. — **7, 8. dic agedum nobis, quare mutata feraris in dominum ueterem deseruisse fidem.** haec est omnium facillima mutatio illius in V extantis 'dic age de uobis', ex quo alii 'dic age dic' (ut Gell. XX 1, 8, Verg. G. IV 328) eruere maluerunt, cum tamen instantibus precibus, quales 'dic' geminatum indicat, nullus sit locus. *dic age* Aen. VI 343. 'nobis', ut 18, ad solum poetam pertinet. 'mutata', scil. animo, h. e. corrupta; Prop. I 12, 11 *mutat uia longa puellas*, II 14, 31 et 25, 37. 'ueterem fidem in dominum' construe: quam antea semper huius domus possessoribus praestare solebas fidelem custodiam. — **9, 10. non (ita Caecilio placeam, cui tradita nunc sum) culpa mea est, quamquam dicitur esse mea.** nouum dominum Caecilium quin cum Balbo coniunctus aliquo modo (ueluti Schwabius q. C. 347 eum a sene domum receptum ac deinde testamento heredem esse institutum nescio unde compertum habet) et simul mulieris inpudicae maritus sit, non dubitant uulgo. ego uero stupeo ianuam adeo stultam, ut placere se posse speret ei uiro, in cuius femina probra turpissima patienter ferat. immo sic ego sentio, domum

a muliere ista, Balbi pii filia inpia, infamem probrosamque redditam propter eius Verona abitum nunc nouum dominum nanctam esse Caecilium, cui fortasse cum Balbo huiusque filia nil fuerit rei. cui rationi fauet perfectum u. 5 'seruisse'. nec enim necessario traditio domus ad hereditatem referenda est, cum potuerit fieri emptione (Reinius libri 'd. Privatrecht' p. 279 sqq.). etiam hoc plane incertum est, num forte hic Caecilius fuerit amicus ille poetae (XXXV). Ouid. epist. 3, 8 *non ego poscenti quod sum cito tradita regi, culpa tua est, quamuis hoc quoque culpa tua est.* — **11. nec peccatum a me quisquam pote dicere quidquam,** scil. esse. 'nec', nec enim. 'pote', scil. est (= potest), ad XVII 24. priscam abundantiam habet ex. gr. Enn. trag. 400 R., Cato orig. p. 25, 8 Iord. *quod eorum nemo quisquam quidquam mihi ignoturus est*; cf. et LXXIII 1. 'dicere' e u. priore (ut saepissime) male repetiuit librarius quidam. nam etsi in repetitione ipsa apud Catullum interdum paulo neglegentiorem non nimia est offensio, res tamen ineptissima est, siquidem dicere omnes sane possunt omnia (ut re uera hic est factum), sed demonstrare argumentisque conprobare, hoc uero neminem posse innuit ianua. lege 'uincere', quod uerbum saepe pro 'euincere' ponitur tam apud priores quam ex. gr. apud Hor. sat. II 3, 225 *uincet enim stultos ratio insanire nepotes.* — **12. uerum istius populi ianua qui te facit.** huius uersus corruptissimi emendationi uia est munita reiectaeque sunt priorum coniecturae, postquam 'istius' in V lectum esse compertum est. et in uniuersum de sententia dubitatio esse nequit: incertis rumoribus se peccare dici, optinet ianua. Ellisius (nam Munronianum 'astu' mitto) uoluit 'est os populi' cp. Pers. 1, 42 *os populi meruisse,* h. e., meruisse qui in os populi perueniret. uerum enim uero hinc minime sequitur, pro 'sermo populi fert' posse dici latine 'os populi est'! scripsi ego paulo audacius, sed quod uix aptiore remedio submouebitur 'est uox populi'; cf. ex. gr. Hor. od. II 2, 19 *populumque falsis dedocet uti uocibus* (= sermonibus), Apul. apol. 73 *consensum publicae uocis pro diuino auspicio interpretatur*: uox mera uagaque illi 'uincere' opponitur. deinde ex 'qui te' Scaliger 'Quinte' effecit, falsa ductus opinione, qua libris quibusdam pessime interpolatis fidem habentes poetae nostro Quinti praenomen fuisse putabant (supra p. 23); cum qua mutatione quae cohaerent coniecturae (nam sic 'ianua' quoque attemptandum est) concidunt omnes. AStatius 'quidque f.', ego olim 'cuncta f.' temptauimus. nunc probo Munronianum 'quipe', quod prisce pro 'quippe' est positum: nimirum ianua id (peccatum illud: cf. ad XXI 9) facit. conuenit particula illa populo leuiter contemptimque haec iacienti. — **13, 14. qui quacumque aliquid reperitur non bene factum, ad me omnes clamant: i. c. t. e.** 'qui', scil. populus; de qua constructione *κατὰ σύνεσιν* cf. Kuehnerus gr. l. II p. 16 sqq. 'clamare', cum clamore dicere, ut Ouid. rem. 597 '*perfide Demophoon*' *surdas clamabat ad auras.* 'quacumque' (scil. ratione), ut Verg. ecl. 9, 14, cum 'non bene factum' cohaeret. — **15. non istuc satis est uno te dicere uerbo.** 'istuc' (ad

LXV 23), scil. 'non mea culpa est' (9, 10). 'te' paululum effer (= te solam); opponitur 'quiuis'. 'uno uerbo' contemptum habet, h. e. obiter breuiterque (hoc ut Ter. Andr. I 1, 18 *quin tu uno uerbo dic*). — **16. sed facere.** ex negatiuo illo 'non satis est' hic magna cum brachylogia, qualem amat sermo familiaris, notio adfirmatiua est supplenda: sed oportet te efficere; Kuehnerus II p. 1045. — **ut quiuis sentiat et uideat.** istuc animaduertat (sciat) et intellegat. 'quiuis' ex certa formula, ut Cic. p. Rosc. Am. 45, 132 *quiuis potest intellegere,* ubi u. Landgrafius. — **17. qui possum? nemo quaerit nec scire laborat.** male et solita cum confusione V 'quid'; cf. ex. gr. Phaedr. I 1, 7 *qui* (= quomodo) *possum, quaeso, facere quod quereris, lupe?* 'laborat', operam dat ut; Hor. a. p. 25 *breuis esse laboro,* id. epist. I 3, 2 et Pers. 2, 17 *scire laboro.* Verg. Aen. II 105 *scitari et quaerere causas.* — **18. nos uolumus** (scil. scire): **nobis d. n. d.** repetito in uerbis per asyndeton consecutiuum subiectis pronomine quantopere ipse cognoscere rem cupiat poeta indicat ('uobis' sine sensu V). — **19. primum igitur, uirgo quod fertur tradita nobis.** 'primum' non cohaeret cum u. 31 'non solum hoc' (quippe quod ex noua poetae interrogatione profluxerit), sed absolute positum (ut Plaut. Capt. II 3, 100) id quod maximi momenti est denotat (germanice 'zunaechst'): quia iam commaculatam acceperit mulierem, ideo omne custodiendi eius mores officium longe recusat ianua. quae per 'igitur' (*τοίνυν*) nunc ad ipsam narrationem transit (Kuehnerus II p. 737). uirginem populus Veronensis putauit mulierem utpote uiro inpotenti nuptam. 'tradita' non ut LXII 60, sed 'ad custodiendum' (Caes. b. g. VI 4 *obsides Aeduis custodiendos tradidit*). — **20. non illam uir prior attigerit.** putant modeste hic loqui ianuam: fortasse mulierem maritus non attigit (sensu uenerio, ut Ter. Hec. I 2, 61 *nocte illa prima uirginem non attigit*); cf Kuehnerus II p. 132. sed hanc modestiam excludit plane fortissimum illud 'falsum est'. olim Scaliger 'non qui (= quod) illam' scripsit; sed rem acu tetigit Italus ille, qui 'attigerat' restituit: ad tempus traditionem praecedens spectatur plusquamperfecto ('non', non quidem, ut ostendit 'sed' u. 23; cf. ex. gr. Cic. Brut. § 226). 'prior' explicant 'ante ceteros' (Tib. I 4, 32) alii, alii de duobus mulieris uiris cogitant (sed alterum non posse Caecilium esse uidimus). in sermone familiari 'prior' cum quadam breuitate est is qui prius (antea) uixit; Amm. Marc. XXI 6, 2 *inter priores fratres* de mortuis. — **21, 22. languidior tenera cui pendens sicula beta numquam se mediam sustulit ad tunicam.** de 'cui' traiecto ad Corn. 9. 'sicula' *ἅπ. λεγ.* (nisi forte Plaut. Amph. I 1, 152 restituendum est *em, nunciam ergo sicola*, scil. ad manus sumatur); nec 'sica' ubi mentulam denotet extat locus alter, licet imago sit aperta et similibus ('hasta, telum, machaera', Priap. 26, 3 *uentris arma*) sat defensa. Petron. 132 de homine ad rem Veneriam non apto *languidior coliculi repente thyrso*; de beta, olere mollissimo leuissimoque ('tenera') cf. Plin. h. n. XIX 132; adnotat Vulpius, Augustum pro 'languescere' dixisse 'betissare' (Suet. Aug. 87). 'pendens', flaccens, ut

Iuu. 10, 193 *pendentesque genas.* 'mediam', cf. LXXX 6 *medii uiri,* Ouid. am. I 7, 48 *aut tunicam summa deducere turpiter ora ad mediam*; XXXII 12. contrariam penis stantis descriptionem similiter iocosam dat Hor. epod. 12, 19 sq. — **23, 24. sed pater illius gnati uiolasse cubile dicitur et miseram conscelerasse domum.** 'illius' praeter intolerabilem languorem, quo hoc adicitur (nam patrem uiri dici quis non sentit per se?), suspectum fit eo, quod alibi Catullus in uocibus, quarum genetiuus in 'ius' desinit, 'i' semper corripit: exempla ex lyricis poematis congessit Ritschelius opusc. II p. 679, quibus adde LXI 219, LXIV 43, 67, 348, LXVI 85, LXVIII^{a} 39, LXVIII^{b} 4, 106. sed hinc etiam Muretianum 'ipsius' a multis receptum concidit. lego 'illusi', proleptice nimirum (quem sic male ludificauit). 'uiolare', adulterio commaculare, ut Octauia 193 *uiolare prima quae toros ausa est tuos.* conscia sceleris quia facta est domus (Ouid. met. VII 34 *oculosque uidendo conscelero*), hinc 'misera' ea audit; caue 'domum' intellegas Veronensem, ad quam pertinuit ianua nostra; ualet potius sensu ampliore 'familiam'; LXIV 403 *diuos scelerare parentes.* — **25. siue quod impia mens caeco flagrabat amore.** in eadem re LXIV 402 *mater impia.* amor in nurum 'caecus', prae furore non uidens contemnensque naturae iura sacrata, ut Ouid. f. II 762 *caeco raptus amore furit,* Sen. Agam. 117 *coniunx .. inpos sui amore caeco.* — **26. seu quod iners sterili semine natus erat.** 'iners', Veneri non idoneus, ut Hor. epod. 12, 17, Tib. Priap. 2, 5 et 38; et causam addit illud 'ster. sem.', siquidem sterile est semen id, quod non sollicitatur (Lucr. IV 1037) nec commouet lacessitque ad amorem. cur hic forma 'gnatus', quae extat 23 et 30, spreta sit, uide ad LXIV 298. — **27, 28. et quaerendus, unde foret neruosius illud, quod zonam posset soluere uirgineam.** uersus lacunosi emendatio ad eam normam debet derigi, ut ceteris intactis solus hiatus suppleatur. AStatius uoluerat 'et quaerendum (scil. erat), undeunde foret'; sed hoc 'undeunde' nisi indefinite (= undecumque, ut Hor. sat. I 3, 88) non ponitur. unde longius progressi Bergkius 'ut quaerendum undeunde' (Rossbachius 'ut q. aliunde'). hoc uitauit Lachmannus 'quaerendus is, unde foret' proponens. sed quamquam hoc loquendi genus non insolitum est (ex. gr. Ouid. am. II 14, 12), tamen hoc nimis onerosum molestumque uidetur 'homo aliquis, unde ueniret fortius ualidiusque illud', siue hoc 'illud' ad semen refers siue potius absolute positum sumis (ut Graeci *αἰδοῖον* uocant *τὸ δεῖνα*, Arnob. III 10 *Priapum .. circumferentem res illas praeliorum semper in expeditionem paratas*): simpliciter dicendum erat 'et quaerendum .., unde (h. e. a qua parte, a quo homine, cf. ex. gr. Lucr. IV 1252) foret'. mihi in archetypo uidetur fuisse exaratum 'et quaerendu≋≋≋unde'. sed quid madore alioue damno hic perierit, diuinare difficile est: 'hinc' uel 'auido' similiaque uaria conicere licet. nam uno fortasse uerbo causa erat indicata, cur ita ageret pater scelestus (ex. gr. ut, si mulier haberet stirpem, ipse filio infirmo mortuo nepotem eiusque rem auitam in suam redigeret potestatem). 'zonam solu. uirgineam' hic aliter ac

II 6 et LXI 53 siue de uirginitate ipsa siue potius secundum Callim. h. Iou. 21 et Del. 209 (ubi cf. Spanhemius) de parturiente intellege (cf. Theocr. 17, 60 *λυσίζωνος Εἰλύθυια*): quod efficeret, ut mulier prolem ederet desideratam. — **29. egregium narras mira pietate parentem.** haec interlocutor poeta cum indignatione acerba exclamat. 'egregium' cum ui praepositum adaequat a sententia 'pessimum', ut Tac. ann. I 42 *egregiam duci uestro gratiam refertis,* ubi u. Nipperdeius. Aen. VI 769 *pietate uel armis egregius.* 'narrare' prisci maxime interdum cum accusatiuo rei et personae, de qua narratur, construunt; Dziatzko ad Ter. Ad. 400, id. Andr. III 1, 8 *bonum ingenium narras adulescentis.* — **30. qui ipse sui gnati minxerit in gremium.** Hor. sat. II 7, 52 *sollicitum, ne ditior aut formae melioris meiat eodem* (cum eadem femina rem habeat), Pers. 6, 73 *patriciae inmeiat uuluae.* 'mingo' et 'meio' ab eadem radice descendunt, quae tam urinare quam semen effundere significat et a qua etiam *μοιχός* descendit (Curtius libri 'Grundzuege' p. 194[5] sq.); apposite Muretus conmemorat Plinium h. n. VIII 168 semen uocasse 'urinam genitalem'. uiri gremium, in quo nupta (siue amata) sedet (XLV 2, Iuuen. 2, 120), amplexus maritales indicat, ut maxime ex LXVIII[b] 106 (cf. et ibid. 92) apparet. — **31, 32. at qui non solum hoc dicit se cognitum habere Brixia chinea suppositum specula.** de 'at qui', quod ex V restituo, cf. ad XXIII 12. dicit ianua: at hercle non unum illud patris flagitium notum est Brixiae, sed ipsam quoque mulierem in (uiuum) maritum fidem uiolasse eadem scit. 'cogn. hab.', ad LX 5. ceterum cur Brixia (ubi mulierem istam, antequam Veronam uenit, sedem habuisse apparet) in eis quae secuntur tanto cum uerborum honore describatur a ianua, nemodum explicauit. quae descriptio superioris saeculi doctis nonnullis adeo uidebatur aliena, ut Maffeius [Veron. illust. I 1, mus. Veron. p. CCV] uu. 33 et 34 insiticios esse censeret. ineptum esset, de degressione more Alexandrinorum facta in hoc carmine sine arte iacto et magis saturae incultae (etiam a forma) simili cogitare. equidem in uu. 31—34 inrisionem agnosco lepidissimam nescio cuius docti Brixiani, qui nimio patriae amore ductus satis ridicule huius originem et situm explicauerat cum detrectatione Veronae, inter quam et Brixiam fortasse simultas quaedam extiterat. hic igitur doctus tamquam in transcursu iocose perstringitur. Brixiam notum est hodie sitam esse ad radicem collis, cuius uertici nunc arx inposita est, unde in planitiem subiectam late patet prospectus; sed num haec eadem fuerit oppidi antiqui condicio an potius hoc in ipso colle habuerit sedem, plane incognitum est. arcem autem simulque etiam collem designat noto usu uox 'specula' (cf. et Richius lex. antiqq. s. u.). iam qui uerbum corruptum 'suppositum' emendabant (Turnebus 'supposita speculae', ICZanchius libri, quem de origine Orobiorum siue Cenomanorum ad PBembum scripsit, p. 47[b] 'supposita in specula') 'suppositus' secundum hodiernum Brixiae situm explicabant. sed ita supponitur aliquid alicui rei, ut illud ab hac tegatur (nec aliud innuit Sen. Herc. Oet. 159 similesque loci):

'suppositus' non est 'subiectus'. itaque uerbum (de cuius exitu solo esse potest dubitatio) ad eam significationem, qua 'loco alicuius rei aliquid ponere' designat, explicandum puto. 'chinea' autem felicissime Zanchius modo laudatus et correxit in 'Cycnea' et explicauit: Cycnus, Stheneli filius, rex et heros erat Ligurum (Paus. I 30, 3, Verg. Aen. X 189 sqq., Ouid. met. II 367 sqq.), qui olim antiquissimis temporibus in hoc quoque tractu consedisse non inprobabile est. in hac igitur Zanchii emendatione 'Cycnea supposita in specula' ex nostra interpretatione hic inest sensus: quae ibi, ubi olim erat Ligurum specula, loco eius postea (siue a Libuis, cf. Liu. V 35, siue a Cenomanis, cf. Liu. XXXII 30) est posita. quo iure ita statuerit antiquarius quem sumimus Brixianus, nobis nimirum diiudicare iam non licet; sed inrisionem grande illud 'Cycnea' egregie prae se fert. — **33. flauus quam molli percurrit flumine Melo.** Verg. G. IV 278 *prope flumina Mellae,* ubi Philargyrus *Mella amnis in Gallia Cisalpina uicinus Brixiae oritur ex monte Brenno.* sed quia hodie Mella in agro Brixiano, non per ipsum oppidum fluit, ideo Cluuerius [Ital. antiq. p. 412] maluit 'praecurrit', h. e. praeterfluit. omnia hic incerta sunt, cum flumina cursum interdum mutent uel mutare cogantur; nec 'Mella' hic est traditum, sed 'Melo' (G 'Mello'). et hoc sane potest antiquo tempore fuisse, ut nonnulli statuebant, nomen fluuii parui ex Mella deriuati hodieque 'Garza' uocati, ad quem nunc Brixia est posita. quidquid id est, mordicus retineo 'Melo', quippe cuius mentionem hic propterea fieri putem, quod hunc quemcumque fluuium antiquarius ille Brixianus ad Melonem siue Nilum Aegyptiacum dictum esse iactauerat (et hinc sane, 'Melo' nil esse nisi 'Me(l)la', etymologiae gratia a docto illo deprauatum, sumere licet). hinc autem lepor mirus accedit uersui: 'flauus Melo' est quam uulgo uocant contradictio in adiecto (ad XI 7 sq.); itemque Melo 'mollibus' siue leniter fluentibus undis (Aen. IX 816 *ille suo cum gurgite flauo accepit uenientem ac mollibus extulit undis*) sat discrepat ab exemplari Aegyptiaco. — **34. Brixia Veronae mater amata meae.** Brixiam esse Veronae matrem, h. e. e graeco loquendi usu *μητρόπολιν* (cf. Aen. X 172 *Populonia mater,* Florus I 41 *et, ut Graeci dicere solent, urbium matrem Cydoneam*) nusquam memoriae est proditum (cf. Liu. V 35, Plin. h. n. III 130). uidetur haec quoque antiquarii illius fuisse coniectura in patriae gloriam prolata, quae sine dubio Veronensibus Brixiam multo minorem (Strabo V 213) despicientibus haud mediocriter bilem siue potius risum mouit. et cum inrisione positum est illud 'amata', scil. ut decet filiam amare matrem ('Veronae meae' genetiuum puta, non cum AGuarino datiuum; nam 'amata' noto usu pro 'cara, dilecta'). 'tuae' Scaliger uoluit comprobantibus multis; nec tamen est iusta causa, cur non ianuam quoque iusta elatam superbia de cara sua Verona loqui posse putemus. — **35, 36. sed de Postumio et Corneli narrat amore, cum quibus illa malum fecit adulterium.** de his hominibus sine dubio Brixiensibus nil scimus (nam CII 4 qui commemoratur Cornelius diuersus est). cum non posset ita ut sane ex-

pectamus genetiuum 'Postŭmi' ab 'amore' pendentem salua prosodia in metrum redigere, poeta necessario uerba sic ut leguntur conformauit non sat commode. 'de C. amore', contemptim (germanice 'ihr Verhaeltniss zu C.'). 'malum', ut LXI 97. 'fecit' pro 'fecerit', quia ianua et ipsa hoc compertum habuit eo quem mox describit modo. haec adulteria Brixiae facta esse res ipsa clamat. — **37, 38. dixerit hic aliquis: quid? tu istaec ianua nosti, cui numquam domini limine abesse licet.** uulgo haec quoque uerba a ianua dicta esse putant. melius mihi Schwabius Catullo dedisse uidetur, quippe qui interrogationibus suis ad dicendum ubique inpellat ianuam. et quamquam hic parum refert, utri rationi nos addicamus, non recte tamen Ellisius Schwabio opposuit, 'dixerit aliquis' esse eius, qui sese, non qui alios interpellet. tam bene alter cum eo, qui loquitur, has aliorum obiectiones communicare potest, quam is qui uerba facit ipse sibi suggerere eas. deinde 'quid', quod uulgo cum Italis in 'qui' mutant, nunc retinui colligens ex. gr. Cic. Verr. IV 7, 13 *dicet aliquis: quid? tu ista permagno aestimas?* 'quid' igitur mirantis est, et omnis iam uis inest illi 'tu' huius stuporis participi: rationem, cur ianuam talia nosse aliquis miretur, uerba proxima adferunt. ualidius fortiusque hoc uidetur quam si derecte per 'qui' (= quomodo) interrogatur. 'hic' (germanice 'dabei') itidem in interpellationibus sollemne, ut Cic. ad fam. V 15, 4 *hic tu me ab ea abesse urbe miraris*, ubi cf. Manutius (interpp. ad Sall. Cat. 52, 10 *hic mihi quisquam .. nominat*). 'limen' collectiue (nam proprie ianua intra limen superum et inferum posita) pro aditu domus siue domo ipsa (huic rationi fauet additum 'domini') dictum est. Brixiam, cuius rumores narrauerit, ianua tamen adire non potuisse dicitur. — **39, 40. nec populum auscultare, sed hic suffixa tigillo tantum operire soles aut aperire domum?** prima uerba 'n. p. a.' non cum 'soles' coniungo, sed cum 'licet'. 'auscultare' (hic: quid aliquis loquatur audire, ut Afran. 306 R. *ne ego illos uelitantis ausculto lubens*) cottidiani est sermonis uox. 'tigillum' hic est limen et inferum et superum (et ex ligno fiebant limina), in quorum foramina inmissa (et per scapos cardinales mota) ianua arte conexa est tigillis illis. Ter. Heaut. V 1, 33 *ubi abiere intro, operuere ostium.* Vulpius cp. Plaut. Capt. III 3, 9 *operta quae fuere aperta sunt.* — **41, 42. saepe illam audiui furtiua uoce loquentem solam cum ancillis haec sua flagitia.** diluit iam ianua obiectionem et testem locupletem se esse conprobat. finge tibi domum more prisco et prouinciali extructam, ubi per ianuam statim intrabatur in atrium, et in hoc mulierem istam remotis testibus cum ancillis suis sedentem (Verg. G. I 489 *sola secum*) interque nendum (Tib. I 3, 85 sq.) de amoribus suis Brixiensibus uoce suppressa (ut est mentis male consciae) disserentem. naturaliter enim ancillae flagitiorum dominae erant consciae (ex. gr. Hor. sat. II 7, 60, Cic. p. Cael. 23, 57). 'furtiua uoce' qui praeterea dixerit non habeo; de sententia, qua uox submissa indicatur, nulla est dubitatio. — **43. nomine dicentem quos diximus.** repetitio meditata, qua plane

eosdem nominatim esse prolatos (Verg. G. IV 356 *et te crudelem nomine dicit*) quos conmemorauerit ianua (scil. patrem uiri, Postumium, Cornelium) indicatur. 'diximus' et mox 'mi': cf. ad II 3. — **44. speraret nec linguam esse nec auriculam.** ὕστερον πρότερον; nam lingua ea, quae auricula audiuit, narrat aliis. bene Itali 'speraret' ex eo quod in V legebatur 'sperent' (scriptum olim erat 'speraet') elicuere; nam 'speret' uulgatum infert malum hiatum, qualis a Catullo est alienus (LMuellerus d. r. m. p. 332); nam pauca quae adsunt in Catulli textu tradito exempla (LXVIII^{b} 118, LXXVI 10, XCVII 2, XCIX 8) facillima opera remouentur omnia. — **45. addebat** ex 'saepe' explicatur. — **46. ne tollat rubra supercilia.** subducere supercilium irae signum; Quint. XI 1, 79 de superciliis agens: *ira contractis, tristitia deductis, hilaritas remissis ostenditur*; Ellisius cp. schol. ad Arist. uesp. 655 τὰς ὀφρῦς αἴρειν ἔθος τοῖς ὀργιζομένοις (alibi est fastus superbiaeque, ut Petron. 91 *supercilium altius sustulit*). rubor itidem est color irae; cf. et Rosii Anecd. graec. I p. 158 *impudens homo . . palpebris plurimum separatis . . rubicundus colore . . iniuriosus homo est.* apte autem ad supercilium transfertur quod est oris maximeque frontis quodque etiam illud turgens prae se fert. iracundiam notam hominis se nolle mouere simulat ianua, sed astute eadem ita eum describit, facile ut ab omnibus agnoscatur: — **47, 48. longus homo est, magnas quoi lites intulit olim falsum mendacei uentre puerperium.** 'longus' (ex. gr. Hor. sat. II 3, 308) simul ad contemptum et ad descriptionem facit (germanice 'eine Bohnenstange'; 'longurio' audit ap. Varr. sat. Men. 562 B.). Cic. p. Cluent. 41, 116 *si quae in eum lis capitis inlata est*; pluralis eum plus uno nomine ob facinus illud accusatum esse ostendit. 'uenter', fructus uentris siue partus (ut Hor. epod. 17, 50, ubi eadem res), 'mendax' siue fraudulentus erat propterea, quod 'falsum' siue fictum erat puerperium. uidemus, longurionem istum, cum sterilis esset, ne feminae res paterna post soceri mortem propinquorum fieret remotiorum, stirpem a natura negatam simulato coniugis suae partu aliunde sibi adsciuisse.

Carmen a longitudine quidem elegiae, sed tam a re tractata quam ab artis cura minore habituque neglegentiore epigrammatis simile ualde omni tempore mouit doctorum acumina; recte Turnebus [adu. XVI 1] illud dixit esse 'aeque ac folium Sibyllae obscurum ac tenebricosum'. neque adhuc recta interpretatio inuenta est; quamquam non defuerunt qui aliis difficillima sibi facillima intellectu esse clamarent, confidentiae suae poenam dantes omnes. quid igitur sibi uolunt uersus? merosne referre rumores Veronenses? at non tantum narrant, sed et tecte indicant. nam ex ianua tamquam teste loqui uerente ita ea quae fabulis Veronae circumferebantur extorquentur in hoc carmine, ut, cum alia crimina aperte proferantur (Brixia narrat), alia adumbrentur leuissime et suspicionibus aperiatur campus. equidem in his tenebris haec mihi dispicere uideor. mulier (quam Balbi fuisse filiam sumimus), postquam olim Veronae puella pudice uixit, mox nupta uiro Brixiensi sterili corrupta

est a socero et deinde alios adulteros admisit iamque Veronae, quo ob patris mortui hereditatem rediit, pessime se gessit; domo autem paterna Caecilio cuidam uendita mox eadem Veronam (fortasse morum censuram rumoresque malos fugiens) reliquisse uidetur uel tum, cum hoc carmen est factum, relictura fuisse. haec igitur omnia utpote a Brixianis quoque plane confirmata aperte indicare licuit. sed socer anxie stirpem ex nuru quaerens ideoque ipse filio inualido succurrens, longurio olim ob suppositum fetum reus et fortasse eiusdem facinoris siue patri isti siue mulieri auctor, hereditas contra ius fasque adita (singulare illius 'rite' u. 6 a nobis restituti acumen intellegis): haec non obiciuntur uerbis derectis utpote innixa dictis uagis, sed tamen ita attinguntur callida cum arte, ut moueant facile suspicionem et ad indagandum excitent.

LXVIII^a.

1. Quod mihi fortuna casuque oppressus acerbo. epistulare scribendi genus redolet hoc initium 'quod . . . id gratum est' (u. 9): Sulpicia 4, 1 [Tibull. p. 83 ed. m.] *gratum est, securus multum quod . . permittis,* Plin. epist. III 5, 1 *pergratum est mihi, quod tam diligenter . . lectitas,* Fronto p. 60 N. *quod tanta ad me scripsisti . . . id uero mihi longe fuit gratissimum*; et hoc quidem loco 'quod' ita ut nostro ualet 'quod ad id attinet quod' (Kuehnerus gr. l. II p. 840). 'oppressus', prostratus sub onere mali inruentis, ut similiter Lucr. I 63. Verg. Aen. V 700 *casu concussus acerbo.* et attende hunc casum per fortunam, quae cum illo per figuram ἓν διὰ δυοῖν est iuncta, esse inlatum, non per homines. — **2. conscriptum hoc lacrimis mittis epistolium.** hanc uocem rarissimam (Apul. apol. 6 et 79, gloss. Labb. p. 65) per 'litteras communicatorias' explicat Hilarius op. hist. fragm. 2, 13 [Suessius p. 42]; est gallicum 'billet'. 'hoc' recto quodam sensu omisit Muretus, siquidem 'hoc epistolium' eius qui scribit litteras indicat; eius cui respondetur epistulam, etiamsi oculis scribentis est subiecta, nudum 'epistolium' satis designat. nec minus absonum atque ineptum est illud 'conscriptum'. nam quod dicunt 'tamquam in scribendo Manlius lacrimis pro atramento sit usus', id prudentibus statim apparet quam sit auersis Musis excogitatum. damnum capiunt cartae uel litterulae lacrimis inter scribendum fusis conspersae: Ouid. epist. 3, 3 et 11 1, Prop. IV 3, 3. unde Schraderus coniecit 'conspersum'. praebet **O** 'haec', quod in **G** correxisse de suo in 'hoc' librarius uidetur. uide an sit Catulli 'constrictum ec lacrimis': umor constringit naturaliter papyrum, quae ita prodit lacrimas (recte apud Plin. h. n. XIII 82 uulgo scribunt de carta *iterumque constricta erugatur*). — **3. naufragum ut eiectum spumantibus aequoris undis subleuem.** naufragium de quauis magna calamitate dicitur: submerserat illum fortunae procella mari saeue exagitato (de 'spum. undis' cf. LXIV 155), ex quo uix eiectus est in litus naufragus (Ouid. epist 7, 89 *fluctibus eiectum tuta statione recepi*, Verg. Aen. IV 373 *eiectum litore, egentem excepi . . . socios a morte reduxi*, et translate Cic. in Cat. II 11

naufragorum eiecta et debilitata manus). 'subleuem', erigam, dem naufrago tabulam, ut ait Sen. de ben. III 9, 3. hoc quomodo faciendum sit, aperiunt sequentia, nempe consolatione, carmine delenifico. — **4. et a mortis limine restituam.** uitae reddam, ut Ouid. ex P. III 6, 65 *extinctos uel aqua uel marte . . nulla potest iterum restituisse dies*, Hor. od. IV 7, 24. plenius Culex 224 *restitui superis leti iam limine ab ipso* (cf. et *leti limine* Lucr. II 960 et VI 1157). — **5, 6. quem neque sancta Venus molli requiescere somno desertum in lecto caelibe perpetitur.** licet omnes amantes Venerem ut sanctam uenerentur (cf. ad XXXVI 3), hic eam maxime ut praesidem coniugii (cf. ex. gr. Sen. Phaedr. 211) commemorari, docet 'lectus caelebs' (Ouid. epist. 13, 105 *aucupor in lecto mendaces caelibe somnos* dicit Laudamia coniugem desiderans); nam cum 'caelebs' numquam sensu latiore (ut coniunx, maritus, sim.) de eis qui amasia, sed semper de eis qui uxore carent (siue numquam duxerunt siue amiserunt) dicitur, dilabitur eorum opinio, qui de Malio a puella perfida relicto (at cf. u. 1) cogitauerunt, ut peiores nugas taceam, et 'desertum' eo referendum apparet quod ille mortua nempe coniuge damnum u. 1 sqq. conmemoratum accepit iamque tristis et desolatus (Ouid. ex P. I 3, 49) in uiduo cubili iacet; cf. Stat. silu. II 6, 4 *durum et deserti praerepta coniuge partem conclamare tori.* nam cum hoc epistolio non lectores ignaros sit docturus, sed scribat ad amicum nimis eheu gnarum, potest sane poeta magis in transcursu et quasi parentheseos loco breuiter Malii calamitatem attingere in membro hoc secundario. ereptae igitur coniugis desiderium non perpetitur siue permittit (Ouid. met. III 621 *non . . uiolari pondere pinum perpetiar*), eum requiescere somno molli, *μαλακῷ* (LXIV 122, Verg. G. III 435, Ouid. met. I 685), quem olim in amplexu sociae habebat. Maxim. el. 1, 39 *exiguo poteram requiescere somno.* — **7, 8. nec ueterum dulci scriptorum carmine Musae oblectant, cum mens anxia peruigilat.** maiore cum ictu pronuntia 'ueterum': prisci scriptores (ex. gr. Ennius et Lucilius) iam non tam dulces quam antea huic Malio erant; eorum opera (de 'scriptorum Musae' cf. ad XXXV 16, Eurip. Med. 421 *μοῦσαι παλαιγενέων ἀοιδᾶν*) uersibus suis olim gratis nullam nunc adferunt ei recreationem (similiter Cic. de rep. I 17, 28 *cum eorum scriptis se oblectent*) tempore nocturno, cum quaerens somnum ille non potest capere ob animi angores (de 'anxius' cf. ad LXIV 203); epitaph. Pomponii Bassuli 6 *uexatus animi curis anxiis.* iamque sequitur apodosis: — **9, 10. id gratum est mihi, me quoniam tibi dicis amicum muneraque et Musarum hinc petis et Veneris.** Cic. ad fam. I 8, 5 *Pompeium tibi ualde amicum esse cognoui.* 'que' ne neglegas: et ita, quia tibi sum amicus, 'hinc' siue a me rogas 'munera et Musarum et Veneris'. quae uerba difficillima ut probe intellegantur, reminiscendum est, cuiuscumque artis fetus dici dona eius numinis quod praesidet arti (cf. *δῶρα τῆς ἐργάνης δαίμονος* de lanificio Aelian. u. h. I 2 aliaque a Doruillio Crit. Vann. p. 643 sq. congesta); hinc *δῶρα Μουσῶν* et *dona Musarum* sollemni usu ponuntur pro carminibus ipsis;

cf. ex. gr. Theognis 250 *ἀγλαὰ Μουσάων δῶρα ἰοστεφάνων*, Archiloch. fr. 1 *καὶ Μουσέων ἐρατὸν δῶρον ἐπιστάμενος*, Hor. epist. II 1, 243. at enim et priscorum opera erant Musarum dona. quodsi quaerimus, quo tandem pacto Malius, quem prisci tum quidem iam non oblectant, tamen carmina roget, non credibile est eum petiisse leuia illa et ludicra poematia, qualia sunt ex. gr. Catulli passer. securum hilaremque haec delectant, non angoribus maestitiaque adflictum; et quo iure opuscula illa magis obiter iacta quam diu elaborata ('nugae atque ineptiae') uocantur 'munera Musarum'? denique non permittunt, ut ita accipiamus, uerba ipsa propter absentiam iustae oppositionis; quae, ut adesse debet, ita haec tantum potest esse, ut prisca et nouicia siue Alexandrina poesis *ἐξ ἐναντίου* conlocetur. haec autem nouorum scriptorum docta poesis ab Alexandrinis pendens quoniam elegiaca potissimum est (et derat ueteribus haec poesis elegiaca), iam de accipiendis recte uerbis 'munera Veneris' dubitatio esse nequit. quae uerba aut corporis formam gratiamque (ut Hom. Il. III 54, Hor. od. IV 10, 1) aut dulcia amoris gaudia deliciasque (ut Hesiod. scut. 47 *τερπόμενος δώροισι πολυχρύσου Ἀφροδίτης*) indicant. quamquam interpretes nonnulli hic ualde inepta protulerunt (ueluti nouam dominam a Catullo esse Malio comparandam Romae). elegiaca autem poesis si significanda est, artissime debent cohaerere 'munera et Musarum et Veneris' hoc modo: 'et carmina Musarum et Veneris gaudia in unum confusa' siue 'poemata, in quibus Venus materiam, Musae formam limamque cultam suppeditarunt'. obuersata nimirum poetae sunt illa Anacreontis (94^b Bergkii) *οὐ φιλέω ὃς κρητῆρι παρὰ πλέῳ οἰνοποτάζων νείκεα καὶ πόλεμον δακρυόεντα λέγει, ἀλλ' ὅστις Μουσέων τε καὶ ἀγλαὰ δῶρ' Ἀφροδίτης συμμίσγων ἐρατῆς μνήσκεται εὐφροσύνης*, certe quod ad uerba attinet; nam docta carmina amatoria tam res ipsa quam oppositio, ut dixi, hic flagitant. audierat Malius de nouo poesis genere, quod ut uerborum arte ita descriptionum in affectibus maxime amoris subtilitate adliceret legentes; noscere cupiit, ut tam rei nouitate quam ipso argumento pelleret curas. quis ex. gr. Ariadnae desertae carmen aptissimum in eam rem fuisse negauerit? tale aliquid una cum adlocutione ad se caelibem facta (cf. XXXVIII 7) Malius rogauit ut componeret amicus: a poesi adflictorum consolatrice suauissima ita opem flagitat, ut simul Venus, quae uulnus fecit, etiam sanet uulnus. elegiam igitur a Malio petitam esse nobis fingamus, in qua consolationi in initio et in fine positae inclusum esset tamquam pars praecipua poema amatorium materiae nimirum subtristis, non dissimilem a compositione quidem carminis LXVIII^b (qualia tum sine dubio usitata erant). quales adlocutiones apud ueteres erant adamatae (exempla dant Statii siluae, cf. et Fronto p. 234 N. *neque ulla poetarum carmina . . tantum promouerint ad luctum filiae meae sedandum et dolorem leniendum*); amoris illis admixti exemplum non plane congruens praebet Vergilii ecloga decima. uides autem eo magis coniuncta munera Musarum et Veneris spectare posse ad unam elegiam doctam, quod duo eius officia, et con-

solandi et fabula quadam erotica oblectandi, ponuntur. — **11, 12. set tibi ne mea sint ignota incommoda, Mali, neu me odisse putes hospitis officium.** mei ipsius damna atque molestiae: Hor. a. p. 169 *multa senem circumueniunt incommoda*; cf. contra u. 21. quaeritur quis hic Malius fuerit. uulgo ex Italorum coniectura (ut ego ipse olim) scribunt 'Manli' neque dubitant, quin ille fuerit Manlius Torquatus ex c. LXI nobis notus, argumento innixi plane nullo et praeterea inepte, ut infra ad u. 34 uidebimus. et V quidem, qui in c. LXI constanter siue 'manlius' siue 'mallius' exhibet, in nostro c. LXVIII[a] non minus constanter hic et u. 30 'mali' praebet. non ignoti autem sunt Malii, siquidem non solum in nummis (Eckhelii d. n. u. V p. 245) sed etiam in titulis deprehenduntur: habes *L. Malio C. f.* CIL IX 439, *Malia Urbana* VIII 6516, *Malia Fortunata* VIII 3877, *P. Malius Fortunatus* II 4970 (292) et X 8056 (535). nimirum ex nomine 'Manlius' primum extrita 'n' 'Mālius', deinde 'Măllius' est factum; neque ullo modo est mirum, in diuersis praesertim Italiae regionibus et Manliorum et Maliorum et Malliorum familias nullo cognationis uinculo inter se iunctas extitisse; id unum negandum est, potuisse Manlios (ex. gr. Romanos) uocari etiam Malios; immo nominum differentiam illam prisco tempore etiam ad familiarum distinctionem esse adhibitam consentaneum est (cf. Fleckeis. ann. 1883 p. 791). sedem autem habuisse hunc Malium suspicor in aliqua Italiae superioris urbe; fuitque inter eum et Catulli familiam hospitium. ex cuius iure (cf. Marquardtus antiq. priu. p. 192 sqq.) Malius consolationem rogauerat poetam. hoc igitur officium ne se odisse siue refugere (Ouid. met. XI 764) ille putet, ueretur Catullus. — **13. accipe, quis merser fortunae fluctibus ipse.** audi (sollemni usu, ut Enn. ann. 204 V. *hoc simul accipe dictum*), qua calamitate et ego opprimar. ut Malius coniugem, sic poeta fratrem amiserat, ut narrant sequentia; quam fortunae communionem etiam eadem imago seruata indicat. 'mersari' ut 'mergi' est 'obrui': Hor. epist. I 2, 22 *aduersis rerum inmersabilis undis*, ib. I 1, 16 *mersor ciuilibus undis,* Liuius IX 18 *mersus rebus secundis.* — **14. dona beata.** non tam 'larga et opulenta' (Prop. II 20, 25 *muneribus beatis,* Hor. od. I 29, 1 *beatis gazis,* Sen. Herc. f. 166 *beatas opes*) quam propter oppositum 'a misero' sunt munera, qualia beati siue felices praebent; LXIV 384, Bentl. ad Hor. od III 4, 6, Naegelsbachii stil. lat. § 20. carmen nec consolatorium nec amatorium aliis praebere poeta et ipse solatii egens et a Veneris gaudiis auersus nunc ualet. — **15. tempore quo primum uestis mihi tradita pura est.** simul atque togam uirilem accepi sedecennis; cf. omnino Marquardtus l. l. p. 121 sqq. 'quo tempore' cum sit 'ubi' (cf. ad XXXV 13), ad illud accedit 'primum' aeque atque in 'ut (ubi) primum, simulac primum'; ualetque hoc 'quo tempore primum' etiam apud Verg. G. I 61 lectum itidem 'simul atque'. indutis autem toga candida erat *data libertas*, *noscere amoris iter*: Prop. III 15, 4, Ouid. fast. V 778. — **16. iocundum cum aetas florida uer ageret.** cum hilaris uterer flore aetatis (Cic. pro Cael. 4, 9);

CIL. III 3397 *huic aetas prima cum florebat in annis*; qui flos laetus adulescentiae saepe comparatur cum uere, ut ab Ausonio epigr. 12 (13), 2 *utere uere tuo*, Apul. apol. 9 [p. 15 Kr.] *des contra pro uerno flore tuum uer*, Ouid. met. X 85 *aetatis breue uer* et fast. V 525 *primae mihi uere* ('cura' codd.) *iuuentae cognita.* Verg. Georg. II 338 *uer magnus agebat orbis.* — **17. multa satis lusi.** anastrophe pro 's. m.', ut mox 22 'tecum una'. 'lusi' duplici utitur sensu: amoris deliciis fructus sum (cf. ad LXI 204; Varro sat. Men. 87 B. *puerae, quas sinit aetatula ludere*) et uersus amatorios feci (cf. ad L 5); haec quippe arte cohaerent: *cantandum est ut ametur et ut cantetur amandum* Anth. lat. 431, 2 [PLM IV p. 360]. ceterum ut primae adulescentiae ignes leuiculos sepeliuit Lesbiae amor (cf. Prop. III 15 in.), ita quos tunc quidem lusit uersiculos emendaturis flammis mox concessit poeta. — **18. non est dea nescia nostri, quae dulcem curis miscet amaritiem.** bene nos lususque istos nouit dia Venus, scit quam sibi fuerim semper deditus suasque laudes cecinerim. male haec imitatur Ciris 242 *non est Amathusia nostri tam rudis, ut nullo possim cognoscere signo.* deinde iam AStatius cp. Sapphus fr. 40 B., quae γλυκύπικρον ἀμάχανον ὄρπετον uocat Amorem, Theogn. 1353 de eodem πικρὸς καὶ γλυκύς ἐστι et Musaei 166 γλυκύπικρον ἐδέξατο κέντρον ἐρώτων, Plaut. Cist. I 1, 71 *Amor et melle et felle est fecundissimus: gustu dat dulce, amarum ad satietatem usque oggerit*, Pseud. I 1, 61 *dulce amarumque una nunc misces mihi* (ibid. II 4, 1); quibus adde Meleagri A. P. XII 81, 2 τοῦ πικροῦ γευσάμενοι μέλιτος et 154, 4 οἶδε τὸ πικρὸν Ἔρως συγκεράσαι μέλιτι, porro Anacr. 45, 5, Ouid. am. I 8, 104, Claudian. 10, 69 sq., Apul. met. II 10, Boethius de cons. phil. III 7. sed nemodum explicauit, quomodo possit curis misceri amarities. etenim si 'curae' et 'amara' idem sunt (Hor. od. IV 12, 20 *amara curarum*) et res diuersae inter se miscentur (Phaedr. IV 17, 10 *totam aeque uitam miscet dolor et gaudium*, Sen. Agam. 415, alia), apparet recte dici 'quae dulcia (gaudia) hominum miscet amaris (curis)', non posse dici 'curis miscet dulces curas'. nec omissa mixtionis notione 'curis' hic aequat 'per curas', his ut efficiatur τὸ γλυκύπικρον, siquidem dulcia demum per curas fiunt amara. hinc conligens LXIV 96 et in 'curis' illud 'hominum' odoratus conieci 'uitis' (de plurali cf. Cic. Lael. 23, 87, Verg. Aen. VI 433): quae in uitas hominum miscet curas et gaudia, γλυκύπικρον illud. 'amaritiem', quod certo ex codd. apicibus erutum est, praeter unum titulum (Bormannus, ungedr. lat. Inschr., p. 10), plane ut 'amaritia', alibi non legitur; cf. 'crassitudo' et 'crassities'. — **19. sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors abstulit.** omnem et amandi et cantandi cupiditatem magno, quem mihi iniecit, dolore eripuit fratris mei interitus. Verg. Aen. IV 28 *ille meos, primus qui me sibi iunxit, amores abstulit.* iamque C. erumpit in querellas similes earum, quas iam legimus LXV 5 sqq., et fere pares eis, quas in LXVIIIb 51 sqq. deprehendemus: quauis data occasione poeta adhuc doloris plenus nudare amicis luctum atque eloqui et pietatis documentum mortuo et sibi

ipsi leuamen dulce maeroris putauit. — **20. o misero frater adempte mihi.** Plaut. epid. III 2, 27 *si illam, quae adducta est mecum, mihi ademsit orcus*, Hor. od. II 4, 10 *ademptus Hector*, Stat. Theb. IX 52 *mihi frater ademptus.* 'o' hic in sollemnis inuocationis initio, contra LXVIII^{b} 52 in parenthesi 'ei' aptius. — **21. tu mea tu moriens fregisti commoda.** rupisti dempsistique morte tua, quaecumque olim mihi grata fuere iocundaque; Hor. a. p. 175 *multa ferunt anni uenientes commoda secum, multa recedentes adimunt.* ad 'tu' cum affectu iteratum cf. LXIV 24. — **22. tecum una tota est nostra sepulta domus.** te pereunte simul funditus est perdita familia nostra, cuius decus eras et praesidium. Prop. III 15, 9 *cuncta tuus sepeliuit amor,* Ouid. epist. 10, 76. Ouid. ex P. I 9, 13 *cum domus ingenti subito mea lapsa ruina concidit,* epiced. Drusi 263 *spes quoque multorum flammis uruntur in isdem: iste rogus miserae uiscera matris habet*, Symmach. p. Synesio 5 *Synesius quidem meus omnes sibi opes cum fratre credit ablatas,* Auson. epit. 14, 1 *Hectoris . . cum quo sua Troia sepulta est*, maximeque Verg. Aen. XI 394 *Euandri totam cum stirpe uidebis procubuisse domum.* quamquam se ipso superstite mire sic locutus est poeta: num debilis et malae ualitudinis sensit se propagandae familiae inparem esse? — **23, 24. perierunt gaudia nostra, quae tuus in uita dulcis alebat amor.** dilapsa sunt, quaecumque uitam nostram exhilarabant quorumque iocunditatem tui uiui adhuc amor augebat. Eldikius cp. Eurip. Alc. 347 *σὺ γάρ μου τέρψιν ἐξείλου βίου*, Schwabius Auson. epit. her. 36, 5 *nulla mihi ueteris perierunt gaudia uitae.* 'in uita', dum uiuebas, ut Cic. Tusc. V 20, 60 *ut nihil grauius tulerit in uita*; cf. Fritschius ad Hor. sat. II 8, 4. aluntur gaudia, ut contra *alitur et crescit malum* Sen. Phaedr. 101. — **25, 26. tota de mente fugaui haec studia atque omnes delicias animi.** quae antea uno uerbo 'lusi' (et 'totum hoc studium') comprehenderat, nunc poeta de amoribus suis aliquid adiecturus accuratius discernit. 'haec studia', poetandi, ut tam conexus docet quam pluralis; Cic. pro Arch. 3, 5 *studiaque haec . . colebantur,* ib. 7, 16 *si ex his studiis delectatio sola peteretur.* 'del. an.', lusus amoris, ut Cic. pro Cael. 19, 44 *amores et hae deliciae, quae uocantur*; epist. Sapph. 138 *antra conscia deliciis meis.* 'fugaui', expuli, ut Ouid. met. IX 502 *nostro uetitus de corde fugabitur ardor.* nimirum, quod ad poesin, *carmina laetum sunt opus et pacem mentis habere uolunt* (Ouid. trist. V 13, 3). — **27. quare quod scribis Veronae turpe Catullo esse.** iterum hoc fluxit ex epistulari dicendi genere; Naekius ad Val. Cat. p. 232 cp. Cic. ad. fam. XII 2, 2 *quare quod scribis te confidere* eqs ('quod', ut u. 1 iterumque u. 33). discimus autem hinc, Malium poema amatorium rogantem amice nonnulla ad Catullum pertinentia adiecisse: cur ille, amoris poeta iam fama notus, nunc Veronae uiueret, ubi mores antiqui et seueri uigerent, cum contra Romae libere aetatem agens ita ut uatem amoris deceret deliciis se dedere nouorumque carminum materiam posset reperire. nimirum quam tristis causa Catullum Veronae detineret, per nostram

demum epistulam Malius didicit. uerba 'Veronae turpe Catullo esse' uulgo ita intellegunt, ut 'esse' bis intellegant: turpe esse Catullo, Veronae esse (= uiuere, commorari; cf. Cic. ad Quint. fr. II 1 *Plato .. Epicureus, qui Athenis solet esse multum*). alii, cum **V** habeat 'catulle' solita litterularum 'o' et 'e' in hoc libro confusione, hunc uocatiuum tamquam in ipsis Malii uerbis adlatis seruantes ad 'turpe' subintellegunt 'est'. utrumque quoniam ab omni probabilitate abhorret, 'turpe' potius pro aduerbio (ut XLII 8) accipio iamque ad similitudinem locutionis 'male mihi est' (cuius similes multas collegit Holtzius synt. II p. 6 sq.) interpretor 'in indigna condicione hominem, qualis esset C., uersari Veronae'. nam si singulariter hoc dictum putas, non minus singulariter se habet illud 'mihi fuit maligne' X 18. — **28, 29. quod hic quisquis de meliore nota frigida deserto tepefacit membra cubili.** 'quisquis' quia semper (certe cum pluribus uerbis si est iunctum) relatiue ponitur, absolute autem ut pronomen indefinitum in certis tantum formulis (in neutro 'quidquid', in 'quoquo modo', denique, ut ego puto, in nudo 'quisquis', ut Cic. ad fam. VI 1, 1), idcirco de tradita lectione dubitauerunt Perreius siue eius auctor 'est' post 'nota' addens et Lachmannus ad Lucr. p. 287 'quiuis' coniciens. haec mutatio cum sit subuiolentior, cum Perreio facio (saepissime 'est' compendiose scriptum euanuit); nam quod obiectum est, orationem obliquam flagitare potius 'sit': notum est indicatiuum in hac locum habere, si is qui alterius uerba adfert huius adsentitur sententiae remque pro uera ponit (cf. Kuehnerus gr. l. II p. 1035); quod cur hic fieri posse negemus nulla est causa. omnes igitur 'de meliore nota' siue ex nobilioribus familiis oriundi et bona fama fruentes (cf. Lambin. ad Hor. od. II 3, 8, qui cp. Cic. ad fam. VII 29 *Sulpicii successori nos de meliore nota commenda*; cf. et Petron. 116 *urbanioris notae homines* et 132 *seuerioris notae homines*), iuuenes scilicet caelibes indicante scribentis ipsius statu, Veronae non gaudent amoris uagi deliciis, sed soli iacent in lecto uiduo, ne scil. austeris priscaeque seueritatis ciuibus rumorum sermonumque ansam praebeant: Tib. I 8, 39 *quae frigore sola dormiat,* Prop. IV 7, 6 *lecti frigida regna mei,* Ouid. epist. 1, 7 *deserto iacuissem frigida lecto* et am. III 5, 42, Stat. silu. III 5, 60 *et nunc illa tepet uiduo quod sola cubili,* Maxim. el. 1, 76 *permansi uiduo frigidus usque toro.* difficultas iam restat in uoce 'tepefacit', pro qua Itali 'tepefecit' uel 'tepefactat', Schraderus 'tepefiat', Lachmannus 'tepefaxit', Bergkius 'tepefactet' coniecere. uerum etsi 'tepere' suapte natura modo ad frigoris modo ad caloris notionem inclinat, tamen 'tepefacere (-ctare)' solummodo 'calefacere' potest ualere. quod hic ineptum est. nam si is qui solus cubat ex horum poetarum usu dicendi friget, contra qui sinu tepido tenet amicam mollem calefit (Ouid. epist. 3, 114, a. a. II 360): quomodo iuuenes Veronenses soli iacentes simul frigere et calere possunt? haec autem causa fuisse uidetur, quod docti nonnulli interpretationem longe diuersam eandemque absurdissimam protulerunt. nam 'hic', quod nemo non uidet pertinere ad 'Veronae', ex Manlii nempe

Torquati mente intellegentes dicunt esse 'Romae' (cum parua ineptiarum adcumulatione alii de Bais cogitauerunt), cubile autem desertum accipiunt Lesbiae lectum a Catullo relictum: turpe esse Catullo Veronae morari, cum omnes homines, non plebei quidem, sed tamen omnes paulo nobiliores elegantiores inlustriores Romae (siue Bais) uersantes artus prae frigore trementes calefacerent in lecto illo deserto futuerentque Lesbiam. o philologorum iudicium! nihil enim aut historiam Lesbiae, quae tum cum hoc carmen est scriptum nondum coeperat esse prostibulum, aut id, quod nullo modo sic quidem aperire potuerit Manlius ille (hunc ut patienter feramus) amico amasiae perfidiam, curantes summam illius 'de meliore nota' absurditatem et falsam frigidorum membrorum mentionem docti illi non sentiunt. nos qui 'cubile desertum' re ipsa monente non pro relicto sed pro uiduo (Prop. II 17, 3, Ouid. a. a. III 70) accipimus, aptam corrupti illius 'tepefacit' correctionem circumspiciamus oportet. puto autem in libri V exemplari exaratum fuisse hoc: t'pesat, litteris 'ci' correcturae causa supra 'a' scriptis. unde lego 'torpescit membra'; hoc enim 'torpescit', eodem modo constructum quem habemus LXIV 64 et 65, egregie coniungitur cum 'frigida' ('torpescat' ne flagites, cf. ad u. priorem adnotata). — **30. id, Mali, non est turpe, magis miserum est.** non indignum est me, sed potius deflendum (propter causam, quae commorari Veronae cogit). Vulpius cp. Cic. de har. resp. 23, 19 *nam si Cn. Pompeio, uiro uni omnium fortissimo, quicumque nati sunt, miserum magis fuit quam turpe, . . . lucem non aspicere* eqs. 'magis' ita 'potius' ualet hic, ut tamen paene inpleat uim particulae aduersatiuae 'sed', plane ut hodie gallicum 'mais' inde natum; cuius usus rari haec exempla inueni, Prop. II 4, 9 *quem non lucra, magis Pero formosa coegit* et Sall. Iug. 85, 49 *neque quisquam parens liberis uti aeterni forent optauit, magis ut boni honestique uitam exigerent* (cf. et Verg. ecl. 1, 11). — **31. ignosces igitur.** per hanc formulam (Hor. sat. I 9, 72, Prop. I 11, 19) a degressione de sua ipsius commoratione Veronensi redit ad propositum, Malii petitionem. attende ad illud 'quare' et 'igitur'. — **32. haec tibi non tribuo munera, cum nequeo.** utitur C. plurali 'munera' (cf. 'dona' u. 14) duplicem respiciens carminis a Malio rogati naturam, et consolatoriam et amatoriam. Ouid. met. II 44 *munus ut illud me tribuente* (= donante) *feras.* 'cum nequeo', eo quod non ualeo (ob luctum); cf. Kuehnerus gr. l. II p. 881. et quasi C. nondum satis ostenderit, se non inofficiosum esse, nouom adiungit impedimentum: — **33, 34. nam quod scriptorum non magna est copia aput me, hoc fit quod Romae uiuimus.** 'nam' cum certa brachylogia in praeteritione (cf. ex. gr. Draegeri synt. hist. II p. 157 sq.): est alia quoque renuendi tibi causa; nam cum Romae uiuam, mecum habeo paucos tantum libros (quorum plures utique necessarii sunt in poema doctum et arte Alexandrina faciendum, quale flagitas, ut nempe apis instar Matinae hinc inde colligam imagines, comparationes, uerborum flosculos aliaque; fortasse etiam libri, quos secum gessit C., non praebuerunt fabulas rebus Malii sat

adcommodatas). 'scriptorum' potius a nominatiuo 'scripta' quam 'scriptores' repetamus ad locos, quales sunt Ouid. trist. III 14, 37 *non hic librorum, per quos inuiter alarque, copia* (Hor. epist. I 18, 109 *sit bona librorum . . copia*) et Scribonii Largi compos. med. praef. 25 *ignosces autem, si paucae uisae tibi fuerint compositiones . . sumus enim, ut scis, peregre, nec sequitur nos nisi necessarius admodum numerus libellorum.* 'hoc fit quod', euenit inde quod. sed simul hac occasione utitur C., ut Malium, qui Veronae eum iam mansurum esse credidit, meliora edoceat (uides quam inepte haec edoceatur Manlius Torquatus, quem uulgo sumunt, quippe cui Romae uiuenti Catulli condicio optime nota esse debuerit). — **35. illa domus, illa mihi sedes, illic mea carpitur aetas.** Romae habeo domicilium et certam commorationem et uiuo perpetuo, cum pulcra adscensione membrorum; quo simul se aliquando Romam reuersurum esse significat. Ouid. met. I 574 *haec* (tempe Peneia) *domus, haec sedes, haec sunt penetralia magni amnis,* ibid. III 636 *illa* (Naxos) *mihi domus est* et V 496 *hos nunc Arethusa penates, hanc habeo sedem,* Cic. Phil. XII 10 *in urbe maneo; si licebit, manebo; haec mea sedes est;* Verg. Aen. VIII 39, Lucan. VIII 132 *hic sacra domus carique penates, hic mihi Roma fuit.* 'carpitur', decerpitur, utendo quasi deteritur; cp. AStatius Verg. Aen. IV 32 *solane perpetua maerens carpere iuuenta?* et locutionem 'aeuom degere'; cf. et Sen. Herc. f. 874 *prima quae uitam dedit hora, carpit.* — **36. huc una ex multis capsula me sequitur.** Roma me comitata est Veronam una tantum arcula libros continens; praesens pro perfecto 'secuta est', quia subest simul notio 'mecum est'; de poetarum liberiore usu praesentis cf. Kuehnerus gr. l. II p. 90. 'sequi', subsequi, ut Varr. d. r. r. I 55, 4, Front. p. 68 N. *isti libri me secuti sunt* (Hor. sat. II 3, 12 *comites*). de capsa, librorum receptaculo, cf. Hor. sat. I 4, 22 et I 10, 63, epist. II 1, 268 (Richius lex. antiqq. s. u.). uidetur haec una capsula pauca Callimachi uolumina continuisse; cf. ad LXV et LXVIIIᵇ. — **37, 38. quod cum ita sit, nolim statuas, nos mente maligna id facere aut animo non satis ingenuo.** per formulam prosae orationis propriam 'q. c. i. s' iterum a degressione reuertitur C. ad propositium ita, ut in clausula colligat renuendi rationes. Cic. ad fam. IX 15, 4 *atque hoc nolim me iocari putes* ('nolim' et porro 'nos', cf. ad II 3 et in uniuersum Ochsnerus Cic. ecl. p. 250, Kuehnerus gr. l. II p. 63 sq.). ne igitur hanc tibi conformes opinionem, quasi ego ut difficilis parumque largus in dando (cf. Ter. Hec. I 2, 84) aut non ita ut decet hominem liberalem sincerus uerusque (Cic. ad fam. II 6, 2) faciam: — **39. quod tibi non utriusque petenti copia posta est.** dubius haereo, utrum 'non' ad totum enuntiatum pertinere dicam ('non copia facta est utriusque': cf. ex. gr. LXIV 343, XCVII 1) an cum solo 'utriusque' coniungam iamque secundum illa 'non ullus' pro 'nullus' et 'non umquam' pro 'numquam' similiaque poetis adamata explicem 'neutrius': utraque ratio per latinitatem tuto admittitur, et semper duplex petitionis Malianae natura reminiscenda est. sed in hoc alterum (quod interim etiam commendauit

Birtius mus. Rhen. XXXIII p. 5) ut inclinem, facit insita uis maior. potuit enim Malius exclamare, quod ipse Catullus in simili rerum statu XXXVIII 4 et 5. ualet igitur hoc 'neutrius': ne paruae quidem consolationis, nedum carminis amatorii. quamquam, si quis dicat hoc ipsum carmen posse haberi pro parua illa adlocutione, ut iam 'non utriusque' ad uerbum sit intellegendum 'non alterius quoque a te petiti, carminis amatorii', equidem non ualde refragabor. quidquid id est, caue ne hoc 'non utriusque' nimis premens delabaris ad nugas. ueluti et olim et nuper fuerunt, qui hinc concluderent Malium (siue illorum Manlium) rogasse etiam Catullum, ut libros quosdam daret mutuom; quod excusantem u. 33—36 misisse tamen poetam alterum petitum, carmen. haec, ut dixi, ineptiae sunt, quas refutat accurata interpretatio. 'copiam ponere' cum neque exemplis aptis quidem (nam ab Ellisio adlata nauci sunt) neque uero ex indole uocis 'ponere' defendere ullo modo liceat, Itali 'facta est' (quod etsi maxime usitatum, ut Ouid. met. II 157, nimis tamen remotum est), Froehlichius 'praesto est' (non minus uiolente), Ribbeckius 'porcta' (forma insolita), Schwabius 'parta' (ipsi parimus copiam, quae ab aliis nobis paratur) coniecerunt. ipse olim dedi 'aperta' (= patefacta), a sententia certe quod tutum est; a litteris tamen nunc magis mihi placet 'prompta' (quod 'prōta' ita scriptum fuisse tibi finge, ut 'r' littera illius 's' simillima supra lineam extaret): 'copiam promere petenti', exhibere facultatem alicui eumque compotem facere rei rogatae, ex genio tam latinitatis quam huius loci est dictum. 'utriusque' autem nimis nudum cum esset offensioni, Parthenius reposuit 'petiti', itaque quondam uulgo legebatur; quem si prius secutus sum, feci metu ne 'utriusque' male referretur ad ea quae proxime praecedunt. nunc ubi reuersum a degressione poetam iterum totum uersari in una munerum cogitatione et hac plenum nude illud 'utriusque' ponere potuisse intellexi, redeo ad scripturam traditam. et fortius sane 'petenti' facit ad oppositionem iam sequentem: — **40. ultro ego deferrem, copia si qua foret.** lubentissime et sine mora in te conferrem, tibi darem, si in hac rerum mearum condicione ualerem (siue utrumque siue alterum, carmen amatorium; quamquam melius 'utrumque' uidetur supplendum esse). erat hoc 'ultro deferre' dictio sollemnis, et attende ad oppositionem in locis his, Cic. ad fam. XIII 55, 1 *qui ultro ei detulerim legationem, cum multis petentibus denegassem,* ibid. IV 13, 2 *nec mihi quidquam in mentem uenit optare, quod non ultro mihi Caesar detulerit,* Hor. epist. I 12, 22 *siquid petet, ultro defer*; quo ultimo exemplo caueas, ne hic 'ultro' interpreteris 'mea sponte' siue 'antequam peteres' (quo pacto 'ultro detulissem', statim nuntiata coniugis tuae morte, expectamus); est potius, ut alibi non raro, 'animo parato'. 'foret' iam ad IV 5 monui apud nostrum pro 'esset' poni (cf. Neuius d. f. l. II p. 599 sq., et de usu scriptorum Nipperd. ad Nep. Lys. 3, 5).

Etiamsi Catullus non adfirmasset, se ad poetandum nunc parum aptum esse, id tamen ipsum carmen satis patefaceret, quippe quod

(quamuis hic illic altioris artis Alexandrinorum propriae adfectatae uestigia, in initio maxime, prae se ferat) a sententiis uerborumque cura prosae orationis similius quam poematis iusti in uniuersum iaceat langueatque (excepto nimirum pulcro de fratris morte loco, u. 20—24) et praecipue careat perspicuitate sensuum non satis dilucide ex se pendentium, ut interdum difficilius sit adspirare ad scriptoris mentem. quamquam hoc maiore ex parte inde explicatur, quod haec epistula, primum poetae in imitanda poesi Alexandrina conamen, ad unum Malium (cuius ipsius litteras comparare nequimus) missa nec lectorum intellectui commodo destinata erat; dubitoque equidem, num Catullus, si ipse secundum tertiumque carminum uolumen edidisset, hoc opusculum debile nec adnuente Phoebo in uersus coniectum recepturus fuisset. indulgentiores erant ei, qui post poetae mortem nihil ex eius uersibus, quos quidem nancisci potuerunt, interire uoluerunt. sed eidem suppressissent, opinor, si mente praesagire potuissent, quantas lites saeculo XIX fetus iste infaustus moturus esset. casu enim infelici V omisit interstitio facto hoc c. LXVIII^a separare ab eo quod insequitur LXVIII^b; et saepe eodem modo in V esse peccatum, facile qui apparatum criticum perlustrabit intelleget. et prioribus quidem saeculis, quorum uiri docti magis ad singula uerba sensusque quam ad carminum totorum compositionem artemque attendebant, duo opuscula diuersa adesse non perspectum est; perspexit primus in Catulli uersione germanica [Lipsiae 1793] Car. Guil. Ramlerus. sed ecce nouum infortunium. quod enim fieri solet in inuentis rectissimis, ut obliuione premantur, Ramleri siue inmemor siue ignarus Lachmannus c. LXVIII pro uno indiuiduoque inprimendum curauit; eiusque uestigiis hic quoque ingressus est Hauptius. iam etsi minime deerant qui Ramlerum uerum uidisse identidem admonerent, extiterunt tamen placitorum Lachmannianorum per fas et nefas defensores acerrimi, qui in huius carminis unitatem iurauerunt. quorum explicationes, quoniam (ut fieri aliter nequit) absurdae sunt omnes, silentio premere praestat; sed breuiter causas, quae ut c. LXVIII pro uno habeatur uetant, componam. persona, ad quam c. LXVIII^a est datum, secundum V audit 'Malius'; contra 'Allius' is, cui missum est LXVIII^b; unde Lachmannus, cum una eademque persona duobus nominibus gentiliciis uti sane nequeat, coactus est praenomen 'Manius' bis ex coniectura in c. LXVIII^a reponere. porro Malius coniugem suam teste LXVIII^a 1—6 morte amiserat; Allius secundum LXVIII^b 115 *et tua uita* talem iacturam non expertus erat. deinde c. LXVIII^a mera est epistula prosae orationis similior; contra c. LXVIII^b statim ab initio Musarum inuocatione altiorem spiritum prae se ferens carmen doctum est, omni cura politum limaque elaboratum. et si in LXVIII^a poeta aperte negauerat, se nunc quidem dare posse petitum a Malio carmen doctum (et consolatorium et amatorium), quomodo iam sequi potest sine ullo interuallo LXVIII^b omnibus eis, quae carmen doctum et amatorium sibi flagitat, instructum illud quidem, sed idem non tam consolatorium quam gratificum? et uides

ad idem redire, si LXVIII^a praefationem continere statuis (ut fecerunt nonnulli) ad LXVIII^b, ut similiter LXV ad LXVI; nam sicut ceterae difficultates remanent, ita habes in LXVIII^b praestitum id quod in LXVIII^a negatum est praestari posse, et praeterea consolatio subito est mutata in gratiarum actionem. denique uu. LXVIII^a 20—24 iterum occurrunt in LXVIII^b 53—56; cuius repetitionis nulla nec ratio nec defensio est in uno eodemque carmine (quae causa Ramlero iam sufficere uidebatur ad diuidendum), facillima est explicatio, si particulam illam fauente Apolline compositam in poema iustum transsumpsit Catullus ex epistula nullum lectorem praeter unum Malium (ut certe putauit) inuentura. — haec quibus nondum sufficiunt ad rem prudentibus omnibus apertam intellegendam, pergant frui eis quas ad difficultates indicatas remouendas proferunt ineptiis; nam quod mihi, qui olim dixeram omnibus elegantioris iudicii hominibus carminis LXVIII unitatem indiuiduam uisum iri inprobabilem, responsum est hanc elegantiam esse inperitiam indoctam (Fleckeis. ann. 1880 p. 472): malo equidem istis quidem philologis indoctus esse quam hominibus elegantibus bono sensu carere uideri.

LXVIII^b.

1, 2. Non possum reticere, deae, qua me Allius in re iuuerit. ‘possum’ fortiter: non possum a me inpetrare ut reticeam (LXII 21). ‘deas’ ipsa in initio carminis inuocatio sollemnis aperit esse intellegendas Musas: Verg. Aen. VII 641, Stat. Theb. I 3. in V extat ‘quam fallius’, unde Scaliger restituto pronomine necessario fecit ‘qua me Allius’: consueto uitio E in F abiit. ceteris enim locis omnibus is, ad quem hoc carmen datum est, audit Allius (u. 10, 26, 110). de quo uiro ipso nihil scimus, quamquam gens Allia haud ita ignota est (cf. Pauly, encycl. real. I p. 781). ‘qua’ cum ui quadam, quam graui in re; quae mox enarratur. — **2. aut quantis iuuerit officiis.** repetitum uerbum ‘iuuerit’ auxilii, quod totum hoc prohoemium celebrat (cf. u. 26), notionem effert intenditque, plane ut ex. gr. apud Verg. ecl. 4, 24 sq., Aen. XII 698 (XI 453), Hor. od. II 8, 17 sq. (II 16, 24 sq.), Lygdam. 2, 17, Stat. Theb. IX 701 sq. ‘aut’, quod multo ualidius quam ‘et’ distinguit, indicio est ‘quantis’ non tam esse ‘quam magnis’ (quod iam illo ‘qua in re’ designatur) quam potius ‘quot’ (cf. 110), ut ex. gr. apud Lucr. V 45. ‘officiis’, studii amicitiaeque documentis ac paene beneficiis, ut Ouid. epist. 7, 89. — **3. nec fugiens saeclis obliuiscentibus aetas.** quibus rebus annorum series et fuga temporum (Hor. od. III 30, 5) oblitterationem adfert, eis carmen dat perpetuitatem duraturam (ib. IV 8, 13 sqq.); noto poetarum usu saecula dicuntur facere ea quae in ipsis fiunt; Stat. Theb. X 446 *memores superabitis annos.* ‘nec’ in ‘ne’ Itali mutarunt sensu ueri rectissimo; nec enim hic iam poetae uotum (quod sequitur u. 6 sqq.) proferendum erat, sed potius stabiliendum, cur ille reticere nequeat (plane ut 111); Italos igitur secutus pro ‘nec’ ueterem coniunctionis ‘ne’ formam ‘nei’ restitui (supra p. 51). — **4. hoc caeca**

nocte tegat studium. hanc iuuandi me cupiditatem obruat obscura (cf. ad LXIV 207) obliuione; Hor. od. IV 9, 26 *omnes inlacrimabiles urgentur ignotique longa nocte, carent quia uate sacro.* — **5. set dicam uobis, uos porro dicite multis milibus.** hoc nempe carmine. saepissime cum poetae inuocent Musas ad auxilium carminibus ferendum, plerumque hoc ita fit ut doctae sorores utpote Mnemosynae filiae rogentur notitiam eorum quae olim acciderunt, ipsae igitur sint eae quae uatibus rem de qua agitur dicant; Callim. hymn. Dian. 186 *εἰπὲ, θεά, σὺ μὲν ἄμμιν, ἐγὼ δ' ἑτέροισιν ἀείσω*, Stat. Theb. IX 317 *doctae, nosse indulgete, sorores: uestrum opus ire retro et senium depellere famae.* unum tantum locum, quo Musae ut poetae dictorum nuntiae inuocantur, noui, Apoll. Rhod. I 22 *Μοῦσαι δ' ὑποφήτορες εἶεν ἀοιδῆς* (Lachm. ad Prop. p. 91). quamquam eius rei causa hic in propatulo est. etenim ea, quae Catullus mandaturus est carmini aeterno, adeo ad eius res priuatas pertinent, ut non potuerit non communicare ipse cum Musis plane illorum ignaris. 'multis milibus', scil. hominum, usu rariore, ut Ouid. ex P. II 3, 11 *nec facile inuenias multis in milibus unum.* 'uos porro', ex uestra parte deinde. — **6. et facite haec carta loquatur anus.** ad 'facite' siue 'operam date ut' cf. LXII 79 et 82. carta siue carmen (cf. Hor. od. IV 8, 20 et 9, 30; Ouid. ex P. IV 12, 27; supra ad Corn. 6), usu illo uocis 'anus' adiectiue adpositae ad feminini generis uocabula (cf. ad IX 4), 'anus' dicitur utpote longe per saecula cana uiuens; LXXVII 10 *fama loquetur anus,* Mart. XII 4, 4 *fama fuisse loquax cartaque dicet anus*; Valckenarius cp. Aeschyl. fr. 323 *ὡς λέγει γέρον γράμμα.* similiter et 'senex', ut in loco ex nostro expresso Ciris 41 *nostra tuum senibus loqueretur pagina saeclis.* 'haec', quae uobis dicam. 'loqui' ualet hic nuntiare, praedicare; cf. praeter locos, quales sunt Cic. Brut. § 181 *de quibus nulla monumenta locuntur*, Enn. Scip. fr. 7 V. *columnam, quae res et tua gesta loquatur* et qui ex Ennii Scipione colores nonnullos traxisse uidetur Prop. IV 11, 30; unde apud Lucil. XXX 11 M. emendamus ⟨*tuasque*⟩ *uirtutis haec tute* ('tuae' codd.) *artis monumenta locuntur* (siue *loquantur*: 'locantur' codd.); Petron. 135 *Hecale, quam Musa loquentibus annis Battiadae ueteris mirando tradidit auso* (sic enim legimus). — post 6 in V intercidit uersiculus, quem crassa Minerua supplere studebant Itali (ueluti Thomas Seneca 'omnibus et triuiis uulgetur fabula passim'); a sententia tale aliquid desideratur 'uersibus ut nostris etiam post funera uiuat'. — **7. notescatque magis mortuus atque magis.** ut saepe 'notus' pro 'clarus', sic et 'notescere' pro 'clarum fieri', ut Prop. II 13, 37 *nec minus haec nostri notescet fama sepulcri.* alibi 'magis magis' (ad XXXVIII 3) uel 'magis magisque' ('magis ac magis', rarius 'magis et magis') habes; per 'atque' copulantur haec Verg. Aen. II 299, Hor. sat. II 2, 318 et interdum apud posteriores; ualet hic fere 'in annos semper magis'. — **9, 10. nec tenuem texens sublimis aranea telam in deserto Alli nomine opus faciat.** aranea, propterea quod in summis tignis haeret (Ouid. met. IV 179) 'sublimis'

uocata, tenuem texit telam (animaduertas pulcram adlitterationem), apte translato opere Palladio ad bestiolam (cf. Symphos. aenigm. 64 sq.); Culex 2 *atque ut araneoli tenuem formauimus orsum,* Mart. VIII 33, 15 *tenui discurrit aranea tela,* Ouid. am. I 14, 7 *pede quod gracili deducit aranea filum, cum leue deserta sub trabe nectat opus.* locis nimirum desolatis aranea 'opus facere' siue nere ('opus' = texendi studium Tib. I 3, 88; et dicitur 'opus facere' de quouis fere uitae cotidianae studio) amat: Prop. II 6, 35 *sed non inmerito uelauit aranea fanum et mala desertos occupat herba deos* (idem III 6, 33); et desertum est, cuius iam nemo habet curam: Hor. epist. II 2, 118 *situs informis premit et deserta uetustas.* sic igitur sine huius carminis ope obliuione obrutum fingitur Allii 'nomen', hoc est memoria; ita enim explicare malo quam cum Westphalio cogitare de titulo insculpto sub Allii effigie, quae in atrio inter imagines maiorum fuerit posita (Marquardtus antiq. priu. p. 235 sqq.). iamque ad Allii officia enarranda transit poeta de re ipsa praemonens: —

11, 12. nam mihi quam dederit duplex Amathusia curam scitis et in quo me torruerit genere. nostis ex carminibus olim a me factis (ex. gr. LI et I), quantam amoris sollicitudinem (cf. Burm. ad Anth. lat. I p. 672) animo meo iniecerit (Ouid. rem. 557 *modo das modo demis amores*) Venus (XXXVI 14) dolose uersuteque in me agens. sic enim recte 'duplex' uulgo interpretantur. ut Graeci διπλοῦς (cf. Eurip. Rhes. 395, Ruhnk. ad Tim. p. 63), ita Romani duplicem uocabant primitus eum qui aliter loquitur aliter sentit (Plaut. Truc. IV 3, 7 *ne duplices habeatis linguas*) porroque sensu latiore omnes homines astutos dolisque utentes; quemadmodum Horatius od. I 6, 7 Ulixem, quem Liuius Andronicus scaenicos graecos secutus pro πολυτρόπῳ Homerico fecerat 'uersutum' (cf. et Priap. 68, 19), uocat 'duplicem', quod recte 'callidum' interpretatur Porphyrio frustra obloquente Bentleio, qui loco nostro Catulliano ualde contortam explicationem admouit (ut et ante et post eum similes admouebant alii frustra); cf. et Placidus p. 12, 3 D. *altriplicem: duplicem, dolosum,* Ouid. am. I 12, 27. cur autem Venus in poetam fuerit δολόμητις, aperiunt uerba proxima 'in quo genere' recte explicata (nam sine necessitate Heinsius 'cinere', Schraderus 'uenere' coniecerunt). 'genus' interdum absolute ponitur, si ipsa res et conexus accuratiorem definitionem suppeditat sine labore; cf. ex. gr. Phaedr. II prol. 1 et IV prol. 14. hic igitur 'curarum' siue 'amorum' subintellego. quorum nimirum uaria erant genera, uirginis nobili loco natae, libertinae, pueri alicuius. quae genera cum sint uulgaria, commemorare diserte nihil attinuit; sed suum acumen habent et hoc 'in quali genere' et uerba sequentia, quae reluctantem huic amori nec porro iter inuenientem poetam depingunt, si mulieris nuptae amorem molestum ei incusserat Venus; quae quo iure duplex audiat iam adparet. quae interpretatio confirmatur u. 103 sqq. unde iam plane fit manifestum id quod prudentibus per se patet, agi hoc carmine de Lesbiae amore (cf. ad LI 13 sqq.). 'torruerit' ex Turnebi emendatione scripsi: 'corruerit', quod V praebet, si per 'deiecerit,

prostrauerit, pessumdederit' explicant conligentes Lucr. V 368, omittunt nec conuenire hoc, amore aliquem de statu deicere, antiquae cogitandi rationi nec translatum uerbi 'corruere' actiui usum usquam reperiri. nulla autem cum sit frequentior mutatio quam litterularum 'c' et 't', non dubitaui recipere 'torruerit', hoc est, amore inflammauerit, quod multi senserunt egregie in sequentem ardentis poetae descriptionem quadrare; cf. etiam C 7 (ubi G itidem 'correret'), Hor. od. I 33, 6, III 9, 13 et 19, 28, IV 1, 12, epod. 5, 4 *Amore, qui me .. expetit mollibus in pueris aut in puellis urere.* — **13. cum tantum arderem, quantum Trinacria rupes.** adamata comparatio aestus amatorii cum flammis Aetnae (Grat. Cyneg. 430 *est in Trinacria specus ingens rupe,* Verg. Aen. III 554 *Trinacria Aetna*; et saepius 'rupes' pro 'mons', ut LXI 27): Ouid. epist. Sapphus 12 *me calor Aetnaeo non minor igne tenet*, rem. 491 *quamuis infelix media torreberis Aetna,* met. XIII 867, Hor. epod. 17, 33, Sen. Herc. fur. 106 et Phaedr. 102. — **14. lymphaque in Oetaeis Malia Thermopylis.** angustae fauces Graecorum contra Persas posteaque contra Gallos (278 a. Chr.) defensione notae, positae illae inter Oetam montem et oram maritimam in intima sinus Maliaci parte, ab incolis *αἱ πύλαι*, a ceteris Graecis *αἱ Θερμοπύλαι* uocabantur ob fontes calidos et sulphureos ex Oeta infimo in ipso faucium ingressu profluentes et Herculi consecratos, quorum in lauacra salubria multus erat usus (nobilis est locus Sophoclis Trach. 639 sqq.); cf. doctus et accuratus Santenii ad h. l. excursus, Bursianus geogr. graec. I p. 91 sqq. formam uulgarem *aquas Maliacas* habet Lucan. VI 367; a graeco urbis nomine *Μηλία*, cuius species dorica est *Μαλία*, suum adiectiuum 'Malius' C. deriuauit. nam quod in V 'maulia' legitur: uidetur 'u' olim supra lineam uagans pertinuisse ad 'termopilis', pro hac uoce ut fortasse sit restituenda forma prisca 'Thermopulis'. ceterum cum in hoc membro introducatur res a priore diuersa nec accumulationi locus esse uideatur, sollemni uitio 'lymphaque' ex 'lymphaue' corruptum puto. — **15, 16. maesta neque assiduo tabescere pupula fletu cessaret neque tristi imbre madere genae.** lacrimae large profusae ut sunt indicium eius qui summo cum dolore amori uetito reluctatur, ita non sine consilio flammis modo commemoratis adiunctae uidentur, quas nimirum non potuerunt extinguere: cf. epigramma Pompeianum supra p. 6 exhibitum. 'tabescere' spectat ad oculorum fulgorem iam extinctum; cf. Solin. 22, 10 *ignis tabuit* et Sen. Phaedr. 379 de simili miseria *et qui ferebant signa Phoebeae facis oculi nihil .. micant*; nisi forte poeta per 'tabescere' reddidit graecum *κατατήκεσθαι*, recordatus Hom. Od. XIX 205, ubi Hermogenes *ὄψις γάρ ἐστι χιόνος ἀναλισκομένης ἡ τηκεδών* (cf. Huschkii epist. crit. p. 92). et sic 'maesta' fit 'pupula', de qua diximus ad LXIII 56; quam uocem rara insolitaque felicitate Ellisius elicuit ex ductibus traditis 'nu(m)mula', in quibus uix et ne uix quidem uulgare illud 'lumina', quod Itali secundum LXIV 242 effinxerunt, latere potest; et hinc Horatium suum *intabuissent pupulae* (epod. 5, 40) duxisse censeo.

'tristi imbri', ut Tib. I 1, 62 *lacrimis tristibus,* ubi uidendus Dissenus; Ouid. tr. I 3, 18 *imbre per indignas usque cadente genas,* consolat. Liuiae 225 *oculis lacrimarum flumina misit*; Ouid. a. a. III 376 *madere genas.* V habet 'cessare ne tristique', ex quo Itali 'cessaret' uel 'cessarent tristique', Muretus 'cessarent neque tristi' fecerunt: ut ex 'cessare', in quo littera finalis 't' male euanuit, facillime fit 'cessaret' (nam notissimo usu iam in altero membro supplendum 'cessarent'), ita 'que' olim errans supra lineam post 'ne' inserendum est propterea quod, si per 'que' hoc alterum membrum adiungitur prioribus, habemus explicationem ad unum illud 'assiduo fletu' additam iamque omnis huius distichi uis posita est in luminum tabescentium imagine, cum tamen ea quae u. 17 sqq. subicitur comparatio ex ipso 'imbre' profluat. alterum igitur colon ut magis fulciatur suaque ui nitatur, praetuli illud 'neque tristi'. — **17, 18. qualis in aerii perlucens uertice montis riuus muscoso prosilit e lapide.** recte iam olim Muretus 'qualis' ad ea quae praecedunt rettulit; male alii posito post u. 16 puncto totam imaginem iam sequentem spectare uolunt ad subiacentia, ut 'qualis' et u. 26 'tale' sibi respondeant, nauci illi quidem habentes u. 23 'hic', quod ex coniectura in 'ac' uel 'aut' mutare coguntur. est quippe hoc inde ab antiquissimis temporibus adamatum poetis, lacrimarum copiam ex oculis profusam comparare cum fonte ex saxis prorumpente; ita iam Homerus Il. IX 13 sqq. *Ἀγαμέμνων ἵστατο δακρυχέων, ὥστε κρήνη μελάνυδρος, ἥ τε κατ' αἰγίλιπος πέτρης δνοφερὸν χέει ὕδωρ*, Sen. Phaedr. 381 *lacrimae cadunt per ora et assiduo genae rore inrigantur*, *qualiter Tauri iugis tepido madescunt imbre percussae niues*, plura dat Broukhus. ad Tib. I 9, 54. hanc autem imaginem, ipsa uox 'imbre' quam facile suppeditauit, si iam u. 19—22 ita persequitur dilatatque C., ut quod ad suas ipsius res pertineat non indat (quamquam etiam lacrimae profusae paruulum certe leuamen adferunt homini tristi, aeque atque riuus uiatori), in concessa amplificatione poetica non morabimur morosi, sed admirabimur ornatus et in singulis pulcritudinem et in uniuersum oportunitatem, qua in grauis aestus mentione ut coeperat ita finit poeta seruato imaginis tenore. riuus igitur ille in cacumine montis prae altitudine nubibus uicini (Verg. ecl. 8, 59 *aerii specula de montis*, Ouid. met. II 226 *aeriae Alpes,* Tib. I 7, 15) prosilit limpidus (cf. LXIX 4, Verg. Georg. III 522 *purior electro . . amnis,* Sen. Phaedr. 507 *ubi Lerna puro gelida perlucet uado*; si de aquis longe splendentibus cogitandum esset, flagitaretur uerbum simplex 'lucens') e petra musco obtecta; Hor. ep. I 10, 7 *musco circumlita saxa,* Lucr. V 951, Verg. Georg. III 143. 'lapis' usu rariore pro 'saxum', ut Ouid. ex P. IV 8, 49. — **19, 20. qui cum de prona praeceps est ualle uolutus per medium densi transit iter populi.** 'uallis prona', quocum Santenius cp. Culicis u. 123 *prona surgebant ualle patentes aeriae platani,* siue uallis montium a cacumine per tergum decliuium concursu facta ut ipsa hic illic magis minusue est praeceps (cf. et Liu. XXVIII 6, 10 *ueluti monte praecipiti deuolutus torrens*), ita efficit ut riuus 'prae-

ceps' siue incitus effususque (Hor. od. I 7, 13 *praeceps Anio*) de se uoluatur (Prop. I 3, 26 *munera de prono saepe uoluta sinu*, Cat. LXV 23 *prono praeceps agitur decursu*); neque enim adest, ut Muretus statuit, tmesis quam uocant ('deuolutus'), sed uidemur riuum nobis uidere de saxis in saxa per uallem se praecipitantem; Verg. ecl. 5, 84 *saxosas inter decurrunt flumina ualles.* 'iter populi' est uia publica (gallicum 'chaussée'), quae Graecis audit ὁδὸς (κέλευθος) λαοφόρος (Hom. Il. XV 681, Nicand. Alex. 218): Prop. III 16, 26 (terra frequenti) *qua facit assiduo tramite uulgus iter*, Nux 1 *nux ego iuncta uiae .. a populo praetereunte petor*, Lucr. VI 1267 *per populi passim loca prompta uiasque.* 'transire' duplici utitur significatione; nam tertia, qua secundum dictiones 'ire iter' (auct. b. Afr. 6 et 75) et 'ire uias' (ut Prop. I 1, 17) coniungunt 'iter transire' (= conficere, Nepos Ages. 4, 4) iamque interpretantur 'iter suum conficit fluens per mediam planitiem incolarum plenam', nimis non solum arbitraria (nam 'planitiem' de suo addunt), sed etiam absurda est, siquidem 'densus' populus non alius est quam 'confertus, in unum congregatus'. potest autem 'transire' primo esse idem atque 'peruadere' (Hor. epist. I 6, 59 *differtum transire forum populumque*); unde iam riuus uiam communem secare mediam dicitur. sed, di boni, quis in uia publica (nam de paruis callibus semitisue hic non agi docet additum 'populi') tale quidquam aut uidit umquam aut audiuit? non nouerat certe in Italia poeta eiusmodi itinera publica. tum 'transire' ualet 'praeterire' (ut Lucil. XXIX 39 M. *peruade et intra uel da, quam ob rem transeas*); et haec imago, qua riuus iuxta iter populi fluens depingitur, ita est tam secundum rerum naturam quam poeseos dignitati conueniens, ut unice uera aptaque sit censenda: ex aqua praeterfluente uiator sudans sitiensque haurit leuamen. sed hanc interpretationem necessariam si sequimur, uerba praecedentia 'per medium densi' stare nequeunt, quae per se iam dubitationes haud mediocres mouent. fac 'densi' esse posse non 'differti', sed 'crebri': quomodo hoc in regionem auiam solamque, in qua uiatori iucundus est riuus, conuenit? suo igitur iure 'densi' in mendo cubare pronuntiauit Huschkius [epist. crit. ad Santen. p. 95], cuius temptamine reiecto Hauptius [opusc. I p. 64] probabiliter rescripsit 'sensim': postquam praeceps riuus est de ualle uolutus, iam in planitie lente profluit. cf. Cic. Phil. II 17, 42 *ille sensim dicebat quod causae prodesset, tu cursim dicis aliena.* sed nec illud 'medium' stare posse, ex eis quae disputaui elucet. atque respectu artis illius, qua singularum locutionum ex contrario conlocatarum concinnitatem prae ceteris sectantur docti hi poetae, suspicatus sum in 'medium' latere debere, quod illi 'prona de ualle' aeque oppositum sit quam 'sensim transit' illi 'praeceps uolutus'; et comparans Verg. Georg. III 521 *non qui per saxa uolutus purior electro campum petit amnis* conieci 'per campum'. nimirum in libri V archetypo nonnulla labem traxerant umore alioue uitio, ut scriba pro uocibus, quas iam satis dinoscere nequiit, utcumque 'per medium densi' reponeret, fortasse non inmemor

cius quod LXVI 47 *per medium* legerat. — **21, 22. dulce uiatorum basso in sudore leuamen, cum grauis exustos aestus hiulcat agros.** Eldikius cp. Anytae Anth. Pal. XVI 228, 3 *πίδακά τ' ἐκ παγᾶς ψυχρὸν πίε· δὴ γὰρ ὁδίταις ἄμπαυμ' ἐν θερμῷ καύματι τοῦτο φίλον*, Doeringius Oppian. Cyneg. II 39 et Verg. ecl. 5, 47. praebet **O** 'uiatorum', **G** 'uiatori', deinde uterque 'basso'. et hoc 'bassus' uox quidem est latina; per 'pinguis, obesus' explicant glossaria (Loewius prodrom. p. 66). sed pinguem siue obesum sudorem quemnam esse dicemus? potest 'pinguis' uocari ex. gr. pinorum sudor siue resina, non potest sudor hominum, qui recte dicitur 'multus' uel 'creber' similiterue (num etiam 'crassus', ut olim putaui, nunc dubito). porro concedo Loewio, 'bassus' in sermone latino iam prisca aetate extitisse (ut comprobat nomen proprium 'Bassus'), sed idem non dubito quin in lingua plebeia uitam uiuens occultam abditamque peruenerit in medii aeui glossaria. 'basso' autem cum 'sudore' male coire intellegens is qui **G** scripsit ad hominem obuia interpretatione rettulit proptereaque de sua scilicet coniectura 'uiatori' dedit (nam quod idem mox 'leuamus', quod habet **V**, intactum reliquit utcumque accipiens, nihil omnino ad rem). iam Itali insecuti hoc 'uiatori' amplexi porro scripsere 'lasso', male utique, cum dubius haereas, sitne 'lasso' cum 'uiatori' (quo accepto iam nimis nudum illud 'in sudore') an cum 'sudore' (ad quae cp. ex. gr. *arida febris* Verg. G. III 458 similiaque) iungendum, quae ambiguitas a bono poeta utique aliena est. artis igitur regulae et maior libri **O** auctoritas suadent ut retineamus pluralem per se magis placentem 'uiatorum' et ex 'basso' aliud eruamus. proposui in Fleck. ann. 1878 p. 770 'salso', quod placet et adlitteratione et oppositione ('dulce' et 'salsum' contraria ex. gr. dulcis siue fluuialis et salsa siue marina aqua ostendit); nam ut 'gelidus' uel 'frigidus' sudor in magno terrore, ita 'salsus' sudor in aestu sollemnis est, cf. interpp. ad Verg. Aen. II 173 *salsusque per artus sudor iit*. 'grauis', premens cum multa ui, ut Aegrit. Perd. 72 [PLM. V p. 115] *grauis aestus radiosque micantes solis*. uerbum 'hiulco', quod solus habet Venant. Fort. VI 12, 6 *per hiulcatos agros*, glossae Cyrilli explicant per *σχίζω γῆν*, *αὐλακίζω*; rem inlustrat Verg. G. II 353 *ubi hiulca siti findit canis aestifer arua*, Stat. Theb. IV 707 (calore) *hiulca Aegyptus*. 'exustos', siccatos, ut ex. gr. Verg. G. I 107. — **23, 24. hic** (= tunc, in his meis angustiis, cf. ad LXIV 269) cum u. 26 cohaeret. — **uelut in nigro iactatis turbine nautis lenius aspirans aura secunda uenit.** 'in nigro turbine' (cf. Ouid. met. XI 551 *incursu nimbosi turbinis*, Verg. Aen. X 603 *turbinis atri more furens*) caue ne cum solo 'iactatis' iungas; quo pacto abundat 'in' scribendumque est 'ueluti nigro', ut iam olim Itali multique postea coniecere (cf. Aen. I 442 *iactati undis et turbine*, nam alienus Prop. II 9, 7 a Santenio adlatus); sed pertinet illud, etsi ob postpositum 'turbine' etiam aliquantulum ad 'iactatis' ex more notissimo linguae latinae, multo tamen magis ad totum hoc membrum: uelut, si turbo niger saeuit, uenit iactatis eo nautis *leuis inde secunda aspirans aura*

(Sil. Ital. XV 162 ab Ellisio cp.); cf. *lenior aura* Ouid. epist. 18, 72. ad totam imaginem Santenius cp. Hom. Il. VII 4 sqq. — **25. iam prece Pollucis, iam Castoris implorate.** supplicatione a nautis facta ad Dioscuros, qui ut *ναύταις εὐαεῖς ἀνέμων πέμποντες Διόθεν πνοάς* (Eurip. Hel. 1504) hic conmemorantur; cf. supra ad IV 27. nam ut Graeci *εὐχαὶ θεῶν*, sic Liuius praef. 13 *precationibus deorum*, Verg. Aen. XI 4 *uota deum* (= dis facta), epistula Corneliae apud Nepotem *te eorum deum preces expetere* (ad quae cf. Nipperdeius opusc. p. 117, Iordanus Hermae XV p. 533). 'iam' explicationem suam accipit ab eo unde pendet 'uenit'; nimirum hic ualet 'tandem': expectatus diu uentus tandem uenit per instantes miserorum preces. et hoc 'tandem' rhetorice cum ui multa repetitur; male cp. Aen. IV 157, Hor. sat. II 7, 20, ubi 'iam .. iam' significat 'modo .. modo', cum tamen utrosque fratres simul a nautis inuocari par sit. magna de uoce corrupta 'implorate' inter criticos dissensio. uulgo 'implorata' legunt, ad 'aura' quod sit referendum. sed huic commento idem opponendum est quod ceteris coniecturis (Guietianae 'implorante', Heysianae 'implorati'), non haberi scilicet rationem nec repetiti 'iam', quod flagitat nouom substantiuum priori 'prece' respondens, nec Pollucis separatim a Castore nominati. recepi igitur Lachmannianum 'imploratu' (cf. *deum imploratio* Liu. XXII 5, 2), quod accedit multis *ἅπαξ λεγομένοις* inter uerbalia in -us desinentia obuiis (cf. Neuius d. f. l. I p. 501 sqq.). cumulatis synonymis non minus quam uersu spondiaco instantes preces depinguntur. — **26. tale fuit nobis Allius auxilium.** pro magis consueto 'tali auxilio', ut CIL. I 1008, 6 *auxilium et decus futura*, PLM. I 9, 6 [p. 141] *generi humano sitis auxilium utilissimum,* Tac. Agr. 6 *id matrimonium ad maiora nitenti decus ac robur fuit,* Cic. de fin. II 18, 58 ibique Maduigius. — **27. is clausum lato patefecit limite campum.** exercendi amoris occasionem. 'lato', quo commode possemus ambulare iter amoris; Anth. lat. 148, 6 [PLM. IV p. 150] *molle ostendit iter uia lata*; Verg. Aen. IX 323 *lato te limite ducam,* ibid. X 513 *latum limitem agit ferro,* Sen. d. ben. I 15, 2 *benignitatis fines introrsus referre et illi minus latum* ('laxum' codd.) *limitem aperire.* Cic. pro lege Man. 8, 21 *patefactumque nostris legionibus esse Pontum, qui ... clausus fuisset.* — **28. isque domum nobis isque dedit dominae.** ita egregie Froehlichius correxit traditum in V 'dominam'. hanc enim amasiam iam dudum habuit poeta nec ab Allio accepit testibus prioribus, sed conuenire cum ea utpote nupta antea nequierat; huius rei potestatem amantibus aperuit Allius (communis, ut uidetur, amicus) in sua ipsius domo (cf. et infra u. 116). nec caret acumine 'domum nobis et dominae', uulgo cum domus recipiat nouos maritos, dominum et dominam; hic inconcesso in amore contra est. attende ad ter repetitum 'is', quo in Allium omnis praestiti auxilii laus confertur: unus Allius mihi fuit Castor et Pollux. — **29. ad quam communes exerceremus amores.** 'ad quam (= apud quam)' si ad 'dominae' referimus, hic euadit sensus ineptissimus, quasi Allius et Catullus una in

puella illa, utpote amica communi (Santenius cp. Petron. 105, Mart. XI 81, 1), fecissent delicias; quod ut alia ita u. 115 refutant. sin 'ad quam' spectare dicimus ad 'domum' constructione iam per se duriore, non recte adhibitum est 'ad', quippe quod cum uocabulis locum indicantibus iunctum ualeat 'prope, iuxta' (cf. Draegerus, synt. hist. I p. 577² sqq.); nec ullo pacto significare potest 'in qua'. hinc rescribendi auctor extiti 'ad quem': ut apud eum (Kuehnerus gr. l. II p. 854), ut in eius domo; cf. Cic. ad fam. IX 1, 2 *siue in Cumano ad te* (= in domo tua; plura apud Draegerum l. l.). cui coniecturae leuissimis uel nullis (ut tam saepe) causis impugnatae qui nuper praetulit 'ut clam', quid sit rem criticam exercere professus est se nescire. iam uero 'communes amores' ad mutuom inter poetam Lesbiamque amorem spectant (sic Ouid. epist. 15, 317 et am. II 5, 31 *communia gaudia,* Lucr. IV 1208 *communis uoluptas*), quem tuto persequi cuique indulgere possunt; cf. ad LXI 228, Tac. ann. XIV 20 *turpes amores exercere,* Verg. Aen. IV 99; cf. et Prop. I 7, 5 *nostros agitamus amores.* — **30. quo mea se molli candida diua pede intulit.** 'quo', in domum Allii. 'molli' in laudem, cf. ad XLII 8, Anth. Pal. IX 189, 2 *Λεσβίδες ἁβρὰ ποδῶν βήματ' ἑλισσόμεναι,* Prop. II 12, 24 *ut soleant molliter ire pedes,* id. I 18, 11 *non altera nostro limine formosos intulit ulla pedes.* 'candida', cf. ad XIII 4. offensione non caret uox 'diua'. nam cum nihil sit uulgarius quam bellam puellam uocari similem deae aut a cupido amatore praesente appellari 'mea Venus' similiterue, uix tamen reperietur ubi absolute ea 'diua' dicatur. neque uero de *ἐπιφανείᾳ* quadam poetam cogitasse sat docent uerba adiacentia, quae feminae utique humanae ingressum indicant ('apparet subito roseaque in luce refulget' illam rationem decent); et si statim Lesbia cum Laudamia comparatur, iterum 'diua' quam sit alienum apparet; desideraturque aliquid, quod aeque ac 'lux mea' u. 92, quo respicitur ad nostrum uersum, amatam indicet. hinc proposui quod adlitteratione commendatur 'candida cura' (Verg. ecl. 10, 22 *tua cura Lycoris*). — **31, 32. et trito fulgentem in limine plantam innixa arguta constituit solea.** in limine per usum multum detrito (epitheton graphice e re petitum) conlocauit niueum pedem, dum innititur solea sic crepante. Itali olim maluerunt 'constitit in' construentes: in limine constitit, plantam a. s. innixa, ut Prop. I 15, 18 *constitit in thalamo* et II 29, 40 *prosilit in laxa nixa pedem solea.* sed locutio 'plantam constituere' alibi, ut uidetur, non lecta ad similitudinem illius 'pedem ponere' (ex. gr. Tib. I 2, 20) facile defenditur. audit autem pes 'fulgens' non a calceis purpureis, ut nonnulli putant cp. Lucr. IV 1125, sed utpote naturali candore nitens, ut Sen. Troad. 1138 *fulgent genae,* Tib. I 8, 31 *fulgent ora* similiaque; cf. LXI 9 *niueo pede*, Lydia 10 *pedis niuei uestigia ponet.* solea autem (quae feminis maxime erat sollemnis: Turnebus adu. XXIV 17), qua innititur (cf. Prop. l. l.; nam cp. a Statio Turpilius 31 R. diuersus est), uocatur 'arguta' non ut subtilis breuisque (cp. Verg. Georg. III 80, porro de pede exiguo Ouid. am. III 3, 7), sed ut crepans; qua significatione nota

(cf. VI 11) prae aliis contulerim Tib. Priap. 2, 40 *sed ille cum redibit aureus puer, simul sonante senseris iter pede.* pulcherrima sic exoritur imago: in domus Allianae conclaui quodam Catullus amasiam expectans ecce audit signum optatissimum aduenientis, solearum crepitum. — **33, 34. coniugis ut quondam flagrans aduenit amorei Protesilaeam Laudamia domum.** de prisco ablatiuo 'amorei' siue 'amori' cf. supra p. 51; de adiectiuo 'Protesilaëus' Prop. II 15, 14 *Menelaëus.* 'Laudamia' pro graeco *Λαοδάμεια*, ut in multis uocabulis graecis cum *λαο-* formatis 'o' in 'u' transformauit priscis temporibus lingua latina, ut 'Laüdice, Laümedon, Laücoon' (in cista Praenestina 'Laoumeda'); cf. HUsenerus in Fleckeis. ann. 1865 p. 227 sqq., Schuchardtus libri 'Vokalismus d. Vulgaerlat.' II p. 142 sqq., Corssenus de pronunt. I p. 657. unde in his uocabulis 'a' et 'u' uocales postea coaluerunt in 'au' diphthongum et ex. gr. 'Laucontem' trisyllabe adhibitum est (LMuellerus d. r. m. p. 265). iam poeta transgreditur ad longam Lesbiae et Laudamiae comparationem: communis quippe utrique est flagrans uiri amor, commune est quod hoc amore incitata utraque ultro uirum appetens (et de Lesbia hoc ex VIII 4 apparet), quamquam diuerso modo, inconcessos hymenaeos iniit; simulque hoc poetae esse uidetur consilium ut admoneat leniter Lesbiam ut seruando in amore fidem eandem inter puellas Romanas consequatur gloriam, qua inter Graias floruit Laudamia. sed ut heroine Thessala per totam antiquitatem pro fidi in coniugem unice dilectum amoris exemplari habebatur, ita uarias species per saeculorum decursum induit quae de illa et Protesilao circumferebatur fabula. ad quam accuratius cognoscendam proficiscendum est ab Eustathii ad Homeri Iliados II 701 scholiis. ubi postquam pauca de Protesilao sunt praemonita, haec habes de Laudamia (p. 325, 22 sqq.): *γυνὴ δὲ Πρωτεσιλάῳ Λαοδάμεια ἡ Ἀκάστου φίλανδρος πάνυ καὶ μὴ ἀνασχομένη ζῆν μετὰ τὸν τοῦ ἀνδρὸς θάνατον, περὶ ἧς λόγος φέρεται τοιοῦτος. Πρωτεσίλαος καὶ μετὰ θάνατον ἐρῶν τῆς γυναικὸς κατὰ μῆνιν Ἀφροδίτης ᾐτήσατο τοὺς κάτωθεν ὄντας ἀνελθεῖν, καὶ ἀνελθὼν εὗρεν ἐκείνην ἀγάλματι αὐτοῦ περικειμένην. αἰτήσαντος δέ φασι μὴ ὑστερεῖν αὐτοῦ ξίφει διεχρήσατο ἑαυτήν.* tum pergit (325, 26 sqq.) *ἕτερον δὲ ἄλλως φασὶ τὴν Λαοδάμειαν καὶ τεθνεῶτος τοῦ Πρωτεσιλάου ἔρωτι ἐκκαίεσθαι χόλῳ Ἀφροδίτης. ἀγγελθέντος γὰρ τοῦ πάθους οὐ μόνον χαλεπῶς ἤνεγκέ φασιν, ἀλλὰ καὶ ἀναγκαζομένη πρὸς τοῦ πατρὸς γάμῳ δευτέρῳ ζευχθῆναι οὐκ ἀπέστη τοῦ ἐρᾶν, ἀλλὰ κατεχομένη ἐνυκτέρευε μετὰ τοῦ ἀνδρός, μᾶλλον αἱρουμένη τὴν πρὸς τὸν τεθνεῶτά φασι συνουσίαν ἢ τὴν πρὸς τοὺς ζῶντας ὁμιλίαν, καὶ ἐξέλιπεν ὑπ' ἐπιθυμίας.* in his Eustathium sequi poetarum epicorum narrationes diuersas, uno eoque certissimo argumento comprobatur, repetitis illis *κατὰ μῆνιν Ἀφροδίτης* et *χόλῳ Ἀφροδίτης.* amabant enim epici posteriores causas rationesque laborum malorumque, quibus carminum suorum personas principes iactari fecerunt, numinis alicuius laesi *μῆνιν* producere. increbuerat hic mos cum ex pusilla Homeri imitatione, tum ex illa *τὰς αἰτίας* rerum inquirendi

consuetudine Alexandrinorum maxime aeuo exorta. ut unicum exemplum proferam, in Ciri epyllio (quod ad Parthenii imitationem totum esse compositum paene certum est: cf. PLM. II p. 31) Scyllae infelix amor ex Iunonis ira (139—157) scite repetitur, sed ita consuetum artificium ibi uariatur, ut non ipsa dearum princeps quippe de Iouis sui mala fide sollicita supplicium exequi, sed huius administrum eligere Amorem fingatur. duce autem Eustathio et uocatis in partes ceterorum testimoniis, quae fabulae illius fuerit forma primaria quaque ratione ab epicis sit tractata, erui potest. Graecorum duces Helenae raptum uindicaturi postquam in bellum Troianis inferendum coniurarunt, Protesilao quoque proficiscendum erat omittendaeque nuptiae iamiam propinquae. tum uero Laudamia amore saucia, quamuis uiri amati domus nondum ita esset perfecta, ut nouam dominam posset excipere, nondumque thalamus sacris cum ceteris dis nuptiarum patronis tum sanctae Veneri constitutis rite esset consecratus, ultro in Protesilai domum uenit et reluctantem licet uirum ui uehementiaque amoris sui perduxit, ut raptim nuptiae celebrarentur, sperans fortasse fore, ut sic coniugem retineret. nam hoc, Laudamiam in Protesilai domum ultro uenisse, etsi alibi non traditum est, ita tamen ex Catulli uerbis disertis (33 sqq.) et ratione comparationis inter Laudamiam et Lesbiam factae (cf. et ad 78) sequitur, ut in dubitationem uocari omnino nequeat. sed ecce praesens deorum poena. unam enim per noctem (schol. Aristidis p. 671) noua nupta fructus maritus subito ab ipsis Graecis fatorum consciis ut simul ad Troiam iret est coactus; disturbataeque sunt nuptiae eo fere modo, quem descripsit Apuleius met. IV 26 (ἠναγκάσθη μετὰ τῶν Ἑλλήνων Arist. l. l.). qui paulo post, ubi primus omnium e nauibus in litus Troianum prosiluit, interfectus est (ad 45). iam in eis quae deinceps narranda sunt in diuersa omnia abeunt auctores, ut tamen una eademque fabulae species, si summam spectes, usque ad Antoninorum imperatorum aeuum optinuisse uideatur. sed poetae tragici, quos fabulam illam saepius in scaenam datauisse ex Ouidio (tr. II 404) constat, quemadmodum historiam pertexuerint, ex Protesilai Euripideae laceris fragmentis (649 sqq. Nauckii) coniectare non licet, nisi quod ex scholii Aristidei l. l. uerbis patet, apud Euripidem ipsum Protesilaum deos inferos ut ad uxorem rediret orasse idque precibus optinuisse, ut unum per diem apud superos morandi potestas ei daretur. eademque huius rei narratio apud Alexandrinos epylliorum elegiarumue auctores inueniebatur. sic enim Prop. I 19, 7: *illic Phylacides iucundae coniugis heros non potuit caecis inmemor esse locis, sed cupidus falsis attingere gaudia palmis Thessalis antiquam uenerat umbra domum.* et ita Stat. silu. V 3, 273 ex Heinsii emendatione certissima: *si lux una retro Phylaceida rettulit umbram,* idemque Stat. silu. II 7, 121 ad fabulam nostram (fortasse a Lucano in libro 'catachtonion' fusius tractatam) adludens de Lucano: *unum, quaeso, diem deos silentum exores: solet hoc patere limen ad nuptas redeuntibus maritis.* sed quo modo hanc fabulae formam exornauerint, docet ille poeta epicus, cuius narrationem paulo

accuratius excerpsit Eustathius priore loco inde a p. 325, 22. ille igitur finxit Venerem ob sacra scilicet coniugalia omissa iratam Protesilaum admotis amoris stimulis instigasse, ut redeundi ad superos facultatem umbrarum regem oraret (bellam huius rei narrationem habes apud Lucianum d. m. 23); id nimirum deae consilium erat, ut iterum mariti amplexibus usa Laudamia funditus periret itaque poenas daret. quod quo certius efficeret, ipsam quoque puellam, ne eius cura tempore lentesceret, spe uiuida recuperandi mariti (Sen. epigr. 25, 44) ac tanto desiderio dea impleuerat, ut ceream illa uiri imaginem tamquam uiuum uigentemque maritum bracchiis fouere exoscularique amoris ui insana impelleretur (cf. Ouid. epist. 13, 149 sqq.). fictum esse et hoc tamquam Veneris iratae supplicium facile est intellectu; hinc Ouid. rem. 723: *si potes, et ceras remoue. quid imagine muta carperis? hoc periit Laodamia modo.* quae autem partes fuerint patris Acasti alteras filiae nuptias desiderantis apud epicos, non ita patet; ut sunt in hac re nonnulla obscura. illud autem simulacrum in amplexu tenentem coniugem inuenit Protesilaus; qui cum peracto concessi temporis spatio ad umbras rediturus erat, tum Laudamia et ipsa relinqui iterum inpatiens et marito ut se sequeretur persuadente (cf. praeter Eustathium Philostratus prooem. heroicon 2) gladio incubuit; itaque, ut ait Ouidius (am. II 18, 38; cf. ex P. III 1, 110), extitit 'comes extincto Laodamia uiro'. huius autem loci Ouidiani memor erat Claudianus laus Serenae 150. haec igitur testimoniis omnibus apte conexis pristina mythi species agnoscitur, quae usque ad Luciani Philostratique tempora perdurauit. horum autem tempore, id est medio fere saeculo post Chr. n. secundo, extitisse uidetur poeta siue Graecus siue Romanus, qui noua excogitaret commenta; quae secuti sunt posterioris aetatis scriptores omnes, Minucius Felix Oct. 11, 8, Hyginus fab. 103 et 104, Ausonius edyll. 5, 35, Seruius ad Aen. VI 447. ita autem poeta ille fabulam inuertit, ut ipsa Laudamia a dis inferis mariti reditum peteret impetraretque trium horarum colloquium. quo tempore elapso cum iam duas noctes, ut ait Ausonius, uiui functique mariti sibi praereptas quereretur, amore percita uiri imaginem adamare amplexarique coepit. qua re deprehensa cum simulacrum combureretur, misera mulier et ipsa in flammas se inmisit. aliter paulo rem narrat Seruius, qui illam in mariti ab inferis reducis amplexibus pereuntem facit. iterumque alio modo feminae finem narrat Eustathius posteriore loco inde a uerbis ἕτεροι δὲ ἄλλως φασί. cuius narrationem et ipsam ex poeta quodam epico nouicio esse haustam monstrat illud χόλῳ Ἀφροδίτης. nos missis his recentioribus figmentis in eruta feliciter antiqua fabulae forma adquiescemus. sed ut tandem in uiam redeam, Catullum non cognitam habuisse nisi priscam mythi speciem iam ultro apparet. neque minus in propatulo est eum non tragoediam aliquam (de Euripidea fabula cogitauit male AKiesslingius in programmate Gryphiswaldensi a. 1877), sed aliquod epyllion ob oculos habuisse. cf. ad u. 37. sed quinam poeta Alexandrinus obuersatus sit Catullo, hoc plane in tenebris iacet. neque

enim certi quicquam de Heliodoro Protesilai, carminis epici, auctore scimus (cf. Meinekii Anal. Alex. p. 384). si uellem hariolari, concluderem ita: Veronae (ubi carmen LXVIII^b scriptum esse infra ostendam) unam capsulam Catullo adfuisse, continentem illam Callimachi carmina (cf. ad LXVIII^a 36); huius igitur epyllion quoddam, fortasse in Aetiorum libris extans, a Catullo expressum esse. sed praestat ingenue fateri, esse aliqua quae ignoremus. nec quomodo Laeuius in carmine suo 'Protesilaudamia' inscripto historiam pertexuerit, ex paucis fragmentis (post Muelleri Catullum p. 81 sq.) persequi licet. — **35, 36. incepta frustra, nondum cum sanguine sacro hostia caelestes pacificasset eros.** Italis auctoribus uulgo 'inceptam' legunt, accersentes Hom. Il. II 698 *τῶν αὖ Πρωτεσίλαος ἀρήιος ἡγεμόνευεν ζωὸς ἐών. τότε δ' ἤδη ἔχεν κατὰ γαῖα μέλαινα. τοῦ δὲ καὶ ἀμφιδρυφὴς ἄλοχος Φυλάκῃ ἐλέλειπτο καὶ δόμος ἡμιτελής.* quae etsi iam ueteres etiam aliter acceperunt de domo nondum liberis fulta (cf. Val. Flacc. VI 688 *et primo domus inperfecta cubili,* Turnebus adn. XXI 17 et XXIX 25), nihil tamen obstat quominus sequamur scholiastam haec ad Il. II 701 adnotantem *ἢ ἀτελείωτος. ἔθος γὰρ ἦν τοῖς γήμασι θάλαμον οἰκοδομεῖσθαι. διὸ οἱ πολλοί φασιν ὅτι οἰκοδομῶν θάλαμον ἑαυτῷ ὁ Πρωτεσίλαος ἀπέπλευσεν ἐπὶ τὸν πόλεμον* (cf. et Lucian. catapl. § 8). quod si uoluit indicare Catullus, utique non scribere potuit 'frustra inceptam', sed fere 'perfectam nondum'; nec enim domus propterea frustra coepta erat aedificari, quod ei inperfectae deorum uoluntas propensa nondum erat sacris conciliata. rectius Froehlichius 'incepto' cum 'amore' iungendum dedit, fortasse respiciens Cirin 328 *non ego te incepto (fieri quod non pote) conor flectere amore,* Verg. Aen. IV 316 *per inceptos hymenaeos*: coniugis amorem frustra inbiberat misera puella. quamquam nec abhorret plane a latinitate, si explicamus 'per inceptum uanum domum uenerat mariti eumque retinere studuit' (cf. Kuehnerus gr. l. II p. 165). ut autem omnia ad deorum cultum pertinentia sunt 'sacra', ita hostiarum quoque inmolatarum sanguis, ut Auian. fab. 42, 13 *sacrum diuis fudisse cruorem.* caelestes autem domini (cf. ad LXIII 92), qui pacificantur siue propitii redduntur conciliunturque (bene Vulpius cp. Verg. Aen. IV 56 *pacemque per aras exquirunt* et Sil. Ital. XV 424 *pacificans diuos*; adde Plaut. Poen. I 2, 43 *quae ad deum pacem oportet adesse*, Grat. Cyneg. 437 (Vulcani) *pacemque precamur,* Buechelerum mus. Rhen. 36 p. 240), hic in uniuersum appellantur, etsi prae ceteris significantur Venus et Iuno ceterique *θεοὶ γαμήλιοι*, quibus uaria fiebant a nouis nuptis sacra sollemnia, de quibus cf. ex. gr. Ruhnkenius ad Tim. s. u. *προτέλεια.* — **37, 38. nil mihi tam ualde placeat, Rhamnusia uirgo, quod temere inuitis suscipiatur eris.** Sen. de clem. I 1 *nec est quisquam, cui tam ualde innocentia sua placeat, ut non .. gaudeat,* Petron. 126 *nolo, inquit, tibi tam ualde placeas*: inest notio superbae iactantiae, cf. Ruhnk. ad Vell. Pat. II 112, 3. de Rhamnusia dixi ad LXVI 71. Verg. Aen. II 402 *heu nihil inuitis fas quemquam fidere diuis,* plura ad LXXVI 12. 'temere', leuiter spretaque

deorum ira. dicit autem haec poeta exemplar Alexandrinum secutus respectu poenae, quam Veneris maxime ira inpendit Laudamiae (cf. supra), et innuit simul animo demisso, uelle se suo amori quantumuis grato renuntiare potius quam offendere deos, si forte horum iram sibi contraxerit ob suas cum Lesbia nuptias inconcessas. — **39. quam ieiuna pium desideret ara cruorem.** quam sit necessarium, diuos pacificare sacris. nam ut poetae omnes res inanimatas tamquam uiuentes sensuum faciunt compotes, sic etiam loco ipsorum deorum sacrata his ara (cf. Aen. V 48 *maestas aras*) dicitur 'ieiuna', utpote quae nondum biberit cruorem hostiarum, desiderare siue auere (Plin. h. n. XVII 26, 249 arbores *desiderant rigari*, Hor. od. IV 11, 6 *ara .. auet inmolato spargier agno*) sacrum sanguinem; nam 'pius', plane ut 'sacer', de quibuscumque rebus ad deos pertinentibus adhibetur (cf. 'ture, farre pio, pia uota', sim.). — **40. amisso uiro.** scil. Troiam proficisci a Graecis coacto (non morte, redarguente u. sq., quamquam Troiam ire et mori unum erat Protesilao, cf. 45). — **41. coniugis ante coacta noui dimittere collum.** 'noui', cf. ad LXI 32. 'coacta', ex praesenti deorum poena (cf. supra), de qua ut cogitemus suadet omnino totus locus. 'dim. collum', quod amplexa tenet; Ouid. epist. 15, 155 *tene manus umquam nostrae dimittere uellent, tene meo paterer uiuus abire sinu?* — **42. quam ueniens una atque altera rursus hiems.** 'unus et alter' cum ualeat plerumque 'complures' (cf. quae dixi ad Tac. dial. p. 76), hic additum 'rursus' ut ad uerbum intellegamus cogit; Ter. Andr. I 1, 50 *unus et item alter.* 'ueniens', in orbe annuo rediens, de tempore futuro, ut Verg. Aen. I 283, Hor. a. p. 175. — **43. noctibus in longis auidum saturasset amorem.** Lucr. V 699 *noctes hiberno tempore longae*, per quas ('in') amorem exercere in molli lectulo iuuat (cf. et Ouid. epist. 16, 181). de auido amore cf. Lucr. IV 1101 sqq.; 'saturare', ut LXIV 220; Sen. Troad. 762 *amplexu ultimo auidos dolores satio.* — **44. posset ut abrupto uiuere coniugio.** abstractum pro concreto, ut docet u. 46: ut 'hospitium' pro 'hospes' Prop. I 15, 20, 'seruitium' pro 'seruus' adhibetur, sic 'coniugium' pro 'coniux' Prop. III 13, 19 *et certamen habet leti, quae uiua sequatur coniugium*, Verg. Aen. II 579, Lygdam. 4, 74. quo magis iam patet, male G ex coniectura nempe scribae praebere 'abrupto' (nam uitam coniux ipse abrumpit, fato abripitur; et coniugium abrumpitur ex. gr. diuortio), sed proficiscendum esse ab O, in cuius scriptura 'abin nupto' latere putaui putoque 'absumpto', hoc est, dempto; cf. praeter Aen. I 555 Tac. ann. VI 32 *nouo genere mortis absumptus* et alia multa. — **45. quod scibant Parcae non longo tempore abisse.** expectamus fere 'quod (= quem) mortuum esse'. nam perfectum tempus facile explicatur, si uerba in orationem uertimus derectam: 'Protesilaus secundum fatorum decretum paruo tantum spatio interiecto (itinere maritimo) mortuus est, si Troiam profectus erit'; quod nil aliud sibi uult quam 'statim morietur'; cf. Kuehnerus gr. l. II p. 97. sed 'abire' num 'mori' possit aequare, perquam est dubium; quam notionem illud ubique nan-

ciscitur ex ipso aliquo addito, ueluti in dictionibus 'abire e uita' et 'abire hinc in communem locum'; nec dubito quin apud Lucil. XXX 38 M. *insperato abiit* tale aliquid olim praecesserit; ut et in glossa dubiae fidei, quam praebet Paulus Festi p. 380 *abitionem antiqui dicebant mortem* (ueluti 'in Orcum abitionem' intellegimus). Itali olim 'abesse' proposuerunt: hoc, puellam sine coniuge esse uicturam, mox euenturum esse. quae sententia mihi quidem et languida uidetur et potius flagitare 'adesse', quod Santenius coniecit; nam 'non longo tempore' ad futurum spectans latine ualet 'post breue tempus'; Prop. II 18, 20 *haud longa curua futura die.* iam cum Ribbeckianum 'uixe' careat probabilitate, restituo 'obisse', quod accurate id quod desideramus designat (semper 'o' et 'a' fluctuant in his uocibus). restat alterum uitium in 'scibant' tradito a V, quod miro sane et insolenti modo est dictum; nam si Santenius cp. tragici incerti u. 87 R. *scibam me in mortiferum bellum, non in epulas mittere* (filium), hoc recte loquitur homo de re illa certus; sed Parcae, quae olim fata cecinerunt, ita 'decreuisse' uel similiter sunt dicendae, ut docet facile sensus communis. nam ne hoc quidem rectum est, solas Parcas mortis Protesilao Troiam profecto instantis conscias fuisse, siquidem fama eius rei quamquam nondum aperta uagabatur (cf. Ouid. epist. 13, 93); suspicorque ob eam causam sibi detectam duces Graecorum ui adhibita (cf. supra) secum Troiam abduxisse uirum; quem notissimum est iam nomine fata indicare: Auson. epit. her. 13 (12) *fatale adscriptum nomen mihi Protesilao; nam primus Danaum bello obii Phrygio, audaci ingressus Sigeia litora saltu ... hoc letum iam tum mea fata canebant, tale mihi nomen cum pater inposuit.* itaque non auctore Lachmanno 'scibat' (nam Laudamia utique nil certi de re illa compererat teste Ouidio l. l.), sed cum LMuellero 'scirant', a sciscendi uerbo ductum, esse reponendum apparet: Prop. II 13, 43 *in primis animam me ponere cunis iussisset quaeuis de tribus una soror,* Lucian. d. m. 19 ipse dicit Protesilaus *οὐ γὰρ ἐγὼ τούτων αἴτιος, ἀλλ' ἡ Μοῖρα καὶ τὸ ἐξ ἀρχῆς οὕτως ἐπικεκλῶσθαι* (Philostr. her. p. 284). de constructione cf. Sil. Ital. VII 544 *solem concedere nocti sciscant.* — **46. si miles muros isset ad Iliacos.** 'miles', bellator, etiam de duce, ut Prop. II 13, 48 de Nestore *Iliacis miles in aggeribus.* 'muri Iliaci' pro Troia positi sunt respectu oppugnationis instituendae. iamque ad Troiam delapsus exspatiandi licentiam sibi sumit poeta, causa huius degressionis aperta: quae enim Troia Laudamiae uirum ademit, eadem ob fratris mortem Catullum diuisit a Lesbia sua; et in comparationem coeptam hoc quoque bene quadrat, quod poeta amoris sui inconcessi sibi conscius tacito pectore in hac re poenam quandam deorum agnoscere sibi uidetur (cf. 37 sq.). — **47, 48. nam tum Helenae raptu primores Argiuorum coeperat ad sese Troia ciere uiros.** 'raptu', ob raptum; Kuehnerus gr. l. II p. 291. 'primores uiros' (cf. Tac. ann. IV 10 *primores feminae*) hic tam ad genus quam ad uirtutes refer; Hom. Il. X 273 *πάντες ἄριστοι,* Verg. Aen. IX 309 *primorum manus,* Lucr. I 87

ductores Danaum delecti, prima uirorum, Cat. LXIV 4. 'ad se ciere', contra se mouere et excitare in arma, ut saepe apud priscos maxime 'ad' pro 'aduersus'; cf. Aen. VI 165 *aere ciere uiros*, et similiter Lucr. V 946 *decursus aquai largus citat* (= ad se uocat) *late sitientia saecla ferarum* ex emendatione Ritschelii [opusc. II p. 435]. 'coeperat' de initio expeditionis, quae parabatur Aulide, quo contendit Protesilaus. — **49. Troia, nefas, commune sepulcrum Asiae Europaeque.** 'nefas' parenthetice cum indignatione, ut ex. gr. Aen. X 673, Hor od. III 24, 30 (non explicandum secundum Aen. II 585). Hor. sat. I 8, 10 *hoc miserae plebi stabat commune sepulcrum*, Lucr. V 259; et similiter Helena audit *Troiae et patriae communis Erinys* Aen. II 573; Prop. II 1, 27 *ciuilia busta Philippos*, Liuius XXXI 29 *Capua sepulcrum ac monumentum Campani populi*; cf. et Ciris 131. Ouid. am. II 12, 17 *nisi rapta fuisset Tyndaris, Europae pax Asiaeque foret*, ut semper Europa utpote adorta Asiam praeponitur (Aen. VII 223 et X 90, Prop. II 3, 36, Sen. Agam. 274, nam ib. 205 diuersus est, Val. Flacc. VIII 396, Stat. Ach. I 82 et 410), ut appareat non sine causa Italos traiecisse hic 'Europae Asiaeque', siquidem hoc multo melius in rem quadrat: commune tam inpugnantium Graecorum quam inpugnatorum Teucrorum. — **50. Troia, uirum et uirtutum omnium acerba cinis.** ubi uiri fortissime dimicantes in cinerem sunt conuersi conpositique; similiter Claudian. de bell. Get. 637 (Pollentia) *uirtutis fatale solum, memorabile bustum barbariae.* dicitur 'cinis' (de qua uoce feminina cf. ad CI 4) 'acerba', utpote ob optimorum et Graecorum et Troianorum mortem praematuram; Ouid. met. XIV 187 *acerba morte*, Verg. Aen. VI 429 *acerbo funere.* pulcre 'uirtutes' (de plurali cf. ad LXIV 51, Prop. IV 10, 17) cum 'uiri', unde descendit, copulatur: Lucil. inc. fr. 22 M. *specimen uirtutis uirique*, Verg. Aen. I 566 *uirtutesque uirosque*; quae tamen cum coeant in unam notionem uirorum uirtutibus maxime insignium, facile accedit 'omnium': optimus quisque cecidit. — **51. quaene etiam nostro letum miserabile fratri attulit.** haec est felicissima et unice recta in loco sexcentis coniecturis uexato emendatio Nicolai Heinsii, qui scripturam libri V 'que uetet id' ortam intellexit ex 'quene etiã'; nimirum 'quaene' hic ualet 'quippe quae', ut uidimus ad LXIV 180: uere optimi cuiusque funus praematurum Troia uidit, siquidem etiam fratri meo mortem contraxit (sic enim 'attulit' accipe: cf. ex. gr. Cic. d. n. d. II 3, 7). iam dixi causam huius mortis ignotam esse. in longa quae sequitur parenthesi fere easdem quas in c. LXVIII^a querellas poeta profert (quae repetitio quo pacto facile excusetur, supra exposui), non solum fratris unice dilecti dolore abreptus, sed etiam similem aliqua ex parte suam et Laudamiae sortem respiciens. — **52.** cf. LXVIII^a 20, ubi iam monui huic parenthesi 'ei' (quae est uera et antiqua interiectionis forma) magis conuenire quam 'o'. — **53. ei misero fratri iocundum lumen ademptum.** facile apparet cur poeta non et LXVIII^a 21, ut cetera, transscripserit: quae illic ipse conexus suppeditauit, hic abundabant plane, cum prae-

sertim eandem rem u. 55 sq. indicarent. alia uerba igitur cum circumspicienda essent, repetiuit, ut dolori conuenit, priora. quamquam in uulgata lectione haec repetitio male instituitur. lumen adimitur morienti: Lucr. III 1033 *lumine adempto animam moribundo corpore fudit*; et haec uita quia dulcis est, iucundum dicitur: Verg. Aen. VI 363 *per caeli iucundum lumen et auras*, Anth. lat. 499, 5 [PLM. IV p. 412] *quam facile offuscant iucundum tristia lumen.* male autem se habet et mutatum subiectum, quia sequens 'tecum' fratris ipsius appellationem praecedentem desiderat, et omissum in hoc enuntiato 'est', quod abesse apud Catullum nisi in certis quibusdam formulis non solet; ipsa autem lectio uulgata dubia est utpote ex G profecta (nisi quod hic 'adeptum'), cum contra O praebeat 'iocundumq; limine adeptum'. iam ad repetitionem priorum sufficiebat 'ei misero adempte' (nam 'mihi' ultro supplemus), cui accedere potuit, quo repetitio tolerabilis fieret, quaedam amplificatio. et cum ex tradito 'adeptum' facile euadat 'adempte' ('m' olim supra 'pte' natabat), quae restant olim ita expediui, ut 'iocundo e lumine' restituerem: 'e lumine adimi' tam bene quam 'e uita tolli' similiaue dicuntur. sed hic quoque otiosissimum illud 'fratri' (pro quo prius dederam 'frater') alio postea me duxit. nam ex 'iocundumq;' eliciens 'iocundo in' (exaratum fuit olim 'iocundum', posita 'o' supra alteram 'u') sic totum nunc redintegro 'ei misero aetatis iocundo in limine adempte'; est enim 'limen aetatis' siue 'uitae' adulescentia, ut Stat. silu. II 1, 38 *anni stantes in limine uitae* (cf. et Marklandus ibid. II 6, 70); et ad attributum 'iocundus' cf. LXVIII^a 16. — **54, 55, 56.** cf. LXVIII^a 22 sqq. — **57, 58. que nunc tam longe non inter nota sepulcra nec prope cognatos compositum cineris.** ex 'que' Itali effecerunt 'quem'. sed quamquam pronomine relatiuo saepius nouom enuntiatum adiungitur priori (cf. u. 30, 61, 65, 91, 95), tamen in hac parenthesi iam per se longiore quam male nouom inferatur enuntiatum cum magno perspicuitatis damno, cum omnia iusserint continuare fratris adlocutionem, facile qui pulcri fruitur sensu intellegit; idemque lubenter, puto, mecum reddet poetae 'te', cum praesertim traditum 'que' ex uersus praecedentis initio sit ortum. 'tam longe'; Veronae quippe hoc carmen scriptum; Santenius cp. Ouid. tr. III 3, 37 *tam procul ignotis igitur moriemur in oris* et Petron. c. 115. notum est quam fuerit ueteribus gratum sepeliri in terra patria et in eodem cum parentibus auisque monumento; cf. ex. gr. Ciris 385 *cineri patria est iucunda sepulto,* Ouid. met. XIII 524 *condeturque tuum monumentis corpus auitis.* 'nota' et 'cognata' non sunt mera synonyma, sed cum gradatione iunguntur: inter monumenta sepulcralia notorum siue ciuium, hoc est patria, et iuxta propinquorum urnas, in quibus cineres ossaque combustorum solebant 'componi' (Val. Flacc. VII 208, Lygdam. 2, 26 ibique Broukhus.). 'cognati cineres' (nam in plurali, de quo cf. Neuius d. f. l. I p. 411, non facile inuenitur genus femininum, metri necessitate cogente nulla), ut Prop. III 7, 9 *et mater non iusta piae dare debita terrae nec pote cognatos inter*

humare rogos, Stat. silu. II 4, 22 *cognata funera,* Ouid. epist. 14, 81 *cognatae mortis*, cf. et ad LXIV 384 (LXVIII^a 14). de 'cineris' forma pro 'cineres' cf. supra p. 51. — **59, 60. sed Troia obscena, Troia infelice sepultum detinet extremo terra aliena solo.** huius et prioris distichi membra per chiasmum inter se contraria sunt. te sepultum 'detinet' siue in se retinet (κατέχει) nobisque quibus deberis inuidet (cf. Tac. ann. XII 44 cum Nipperdei adnot. et XIV 65, Stat. Theb. XII 561) terra aliena (oppos. 'nota sep.') in extrema orbis parte (respondet 'tam longe'). etenim qui 'extremum solum' oram Troadis siue litus Rhoeteum (LXV 7) esse putant, neque ad oppositionem attendunt neque uero ad hoc, accuratiorem loci definitionem exhiberi ablatiuo illo 'Troia obscena, Troia infelice'; recte Santenius cp. Ouid. tr. III 3, 13 *in extremis iaceo populisque locisque.* in illa autem praeposita loci definitione Troia totam designat regionem; quae 'infelix' siue tristis propterea uocatur, quod in terra ignota mori tristissimum putabatur, cum desset tumulo pia carorum cura; in quali regione ignota obire et Tibullus I 3, 3 sqq. deprecatur et Ouidius tr. III 3, 38 *tristia fata* uocat; cf. et praeter Soph. Electr. 1115 sqq. Ouid. met. II 337 et epist. 10, 121, Verg. Aen. IX 485, alia. hoc igitur respondet illis 'nec prope cognatos cineres'. restat iam uox 'obscena'. uulgo ita appellari putant Troiam utpote execrandam, comparantes Ouid. epist. 5, 119, ubi nauis Helenam Troiam adducens *obscena puppis* uocatur, et Accium trag. 511 R. *obscena dicta* aliaque; quibus locis omnibus 'obscenum' ita est 'infelix', ut malum in tempus futurum omen significet. potuit ergo ex. gr. id, quod olim Laumedon deos pacta mercede fraudauit, obscenum in ueniens aeuom uocari; Troia quo iure postea quoque, ubi dudum poenas persoluit (nec Hor. od. III 3, 61 sqq. huc facit), et ipsa obscena dicatur, plane nos latet. melius explicaturi fuissent 'polluta'; cf. consol. Liuiae 280 *strata per obscenas corpora nuda uias*; quamquam et hoc, contectam olim heroum cadaueribus Troada et nunc obscenam esse, nimium et paene ineptum est. hic quoque uerum aperit oppositio. etenim terrae ignotae notio prae ceteris efferenda parum uel nihil effertur solo illo 'infelice'. itaque quod eodem compendio ('obsc̃a') exaratur 'obscura' restituendum proposui: Troia ignota et propterea infelice. omne nimirum ignotum dici 'obscurum', notum est; cf. ex. gr. Claudian. r. Pros. III 121 *sedes obscurior.* de ablatiuo rarissimo 'infelice' cf. Neuius d. f. l. II p. 47. Troia iterum conmemorata aptam ad rem redeundi ansam praebuit. — **61, 62. fertur simul undique pubes Graeca penetralis deseruisse focos.** ne mireris 'fertur deseruisse' post 'coeperat ciere' (48) expectesque potius 'deseruit': est haec sollemnis poetis circumscriptio plurimis locis obseruanda, in quibus 'dicitur', 'traditur' similiaque uim suam perdunt, ut Ouid. fast. II 289 *ante Iouem genitum terras habuisse feruntur Arcades, et luna gens prior illa fuit*; cf. Marklandus ad Stat. silu. V 1, 33. lacunosum deinde uersum suppleui recipiendo Italorum commentum 'simul'; quod, si olim 'simol' scriptum fuit, facile inter 'r' et 'und' intercidere potuit; quam-

quam et alia supplementa praesto est excogitare; ueluti Froehlichius 'cuncta', Eldickius 'lecta', ego aliquando 'ualida' coniecimus. ad 'undique' Eldickius cp. Bion. XV 9 *οὐδέ τις Ἕλλην οὔτε Μυκηναίων οὔτ᾽ Ἤλιδος οὔτε Λακώνων μεῖνεν ἑὸν κατὰ δῶμα, φέρων δύστανον Ἄρηα.* cf. et Stat. Ach. I 406 sqq. librariis iterum debetur forma uulgaris 'Graeca' pro ea, quae poetis Latinis (de prosa oratione cf. Nipperdeius opusc. p. 286) ubique in sermone paulum altiore est usitata; 'Graia' uere restituit LMuellerus (cf. statim u. 69 et LXVI 58). 'foci', qui interdum penates iuxta focum positos indicant (ut Prop. IV 11, 42), audiunt 'penetrales', quemadmodum omne quod interius positum est (cf. *tecta p.* Verg. G. I 379, *sedes p.* Aen. IV 504), hoc est, domestici: Aen. V 660 *rapiuntque focis penetralibus ignem,* Cic. d. n. d. II 27, 67 *penates .. etiam penetrales a poetis dicuntur* et de har. resp. 27, 57 *abditos ac penetrales focos.* superflue 'deos' pro 'focos' Itali. — **63, 64. nei Paris abducta gauisus libera moecha otia pacato degeret in thalamo.** 'nei', ut supra 3, pro 'ne'. Paris 'gauisus', dum laetus fruitur ouatque Helena rapta (Verg. Aen. VII 362 *abducta uirgine praedo*, X 79), quae prisca cum seueritate audit 'moecha', degit siue peragit 'otia libera', a nullo turbata (Ouid. a. a. II 729 *cum libera dantur otia,* Hor. epist. I 7, 36; Culex 73 *otia degentem*), in thalamo (Hor. od. I 15, 13 sqq.) 'pacato', tuto securoque (Lucr. V 1154 *pacatam degere uitam*). — **65. quo tibi tum casu, pulcherrima Laudamia.** qua occasione, cum Troiam properatum est. Laudamiam ut pulcritudinis specimen (quod innuit superlatiuus) praedicat ex. gr. Aegritudo Perdicae 229 [PLM. V p. 122]. — **66. ereptum est uita dulcius atque anima coniugium.** hoc est coniux (ut 44), qui non solum dulcior quam uita (LXIV 215, Culex 212 *tua dum mi carior ipsa uita fuit uita,* Lucan. V 739 *uita mihi dulcior .. coniux*), sed etiam quam uita atque anima audit (cf. Hor. od. IV 8, 14 *spiritus et uita*), ardentissimus nempe ut mulieris amor depingatur; ad quem declarandum etiam faciunt sqq.: — **67, 68. tanto te absorbens uertice amoris aestus in abruptum detulerat barathrum.** 'tanto' (supple 'enim') ad superiora spectat, non cum 'quale' u. 69 cohaeret. 'amoris' in medio positum tam ad 'aestus' (Ouid. am. III 5, 36 *aestus amoris erat*) quam ad 'uertice' pertinet; pro quo Itali 'uortice' uoluerunt restituere, inferentes discrimen postea demum a grammaticis inuentum, cum 'uertex' forma iam inde a Scipione Africano magis increbuisset (Charis. p. 88 K., Quintil. I 7, 25). iam obuia maris aestuantis imagine (Ouid. epist. 15, 25) puellam absorbuerat aestus amoris uertice (Aen. I 117 *uorat aequore uertex,* Plaut. Bacch. III 3, 67, Cic. Brut. 81, 282 *hunc absorbuerat aestus gloriae,* Iustin. IX 1, 13 *sorbentis aestus uorago*) et ita detulerat siue abripuerat in uoraginem profundam atque periculosam (cf. ex. gr. Tac. h. I 48 *mox Galbae amicitia in abruptum tractus*). nam barathrum etiam de maris praecipiti profundo adhibetur (Aen. III 420 *laeuum inplacata Charybdis obsidet atque imo barathri ter gurgite uastos sorbet in abruptum fluctus*); et ut ab Hesychio *Χάρυβδις* explicatur *χάσμα θαλάσσης*, apte

cp. Vulpius Hor. od. I 27, 19 *quanta laborabas Charybdi, digne puer meliore flamma.* sed quodnam erat illud, quod barathri uoce indicatur, periculum, quae pernicies? mortem esse uolunt Protesilai. alio me ducit plusquamperfectum 'detulerat', quod nisi ad tempus nuptiis praecedens non referri posse uidetur: in tam uehementem altumque amorem incideras uiso primum Protesilao (Theocr. 3, 42 *ὡς ἴδεν, ὡς ἐμάνη, ὡς ἐς βαθὺν ἅλλετ' ἔρωτα*), ut uita atque anima hic tibi fieret carior, tu sine hoc uiuere omnino nequires. hoc est illud barathrum, in quod eam abripuerat amor insanus quodque absorbuit eam tum, cum subito Protesilaus ad Troiam uocabatur (cf. ad 77). iterum nunc, ut Alexandrinorum discipulus gnauus, poeta a proposito aberrans barathri depingendi occasionem adripit: — **69, 70. quale ferunt Grai Pheneum prope Cylleneum siccare emulsa pingue palude solum.** Pheneos est urbs Arcadiae sub Cyllene monte in ualle sita, quam iam Homerus Il. II 605 sqq. conmemorat; 'Pheneum' formam neutralem ut habet Plin. h. n. IV 6, 10, ita hic sequi uidetur Catullus. uallis autem illa cum tam aquis ex Cyllene confluentibus quam Olbii fluuii inundatione laboraret paludum copia nimia (de lacu quodam, cui et ipsi Phenei nomen, cf. Herod. VI 74 et Ouid. met. XV 332), iam olim fossae sunt factae, quibus deriuarentur stagna; quas Herculi deberi adserunt fabulae. Pausan. VIII 14 *διὰ μέσου δὲ ὤρυξεν Ἡρακλῆς τοῦ Φενεατῶν πεδίου ῥεῦμα εἶναι τῷ ποταμῷ τῷ Ὀλβίῳ, ὅντινα Ἀροάνιον Ἀρκάδων καλοῦσιν ἕτεροι καὶ οὐκ Ὄλβιον, μῆκος μὲν τοῦ ὀρύγματος στάδιοι πεντήκοντά εἰσι, βάθος δὲ, ὅσον μὴ πεπτωκός ἐστιν αὐτοῦ, καὶ ἐς τριάκοντα καθήκει πόδας.* unde apparet quo iure comparationi ansam dederit altitudo fossarum, quae 'barathra' uocabantur: Strabo p. 389 *Ἐρατοσθένης δέ φησι περὶ Φενεὸν μὲν τὸν Ἀνίαν καλούμενον ποταμὸν λιμνάζειν τὰ πρὸ τῆς πόλεως, καταδύεσθαι δ' εἴς τινας ἠθμοὺς οὓς καλεῖσθαι ζέρεθρα* iterumque Pausan. l. l. *ὑφ' ἑκατέρῳ δέ ἐστι τῷ ὄρει βάραθρον τὸ ὕδωρ καταδεχόμενον ἐκ τοῦ πεδίου. τὰ δὲ βάραθρα οἱ Φενεᾶται ταῦτά φασιν εἶναι χειροποίητα, ποιῆσαι δὲ αὐτὰ Ἡρακλέα* (uide cetera, in quibus diuersam a nostra fabulae speciem habes); cf. et Bursianus geogr. gr. II p. 199. hoc igitur barathrum, ubi paludem emulsit siue exhausit absorbuitque (cf. LXXX 8, Tac. Agr. 31 *siluis ac paludibus emulgendis* ex emendatione nostra), siccat siue exsiccat (praesens autem tempus de re ad suum aeuom durante adhibet poeta) uallis solum iam pingue ac fertile, quale inprimis est aptum agrorum pecorumque culturae (Verg. G. I 64 *terrae pingue solum*). nam in 'siccare' uerissime Schraderus correxit traditum 'siccari', quod nemo bene sanus ita defendet ut 'quale' pro ablatiuo habeat; quae forma et exemplo et probabilitate caret. — **71, 72. quod quondam caesis montis fodisse medullis audit falsiparens Amphitryoniades.** 'quod', barathrum. 'medullae' de monte interiore, ut similiter adnotante Vulpio de tellure Sil. Ital. XII 135; adice Grat. Cyneg. 444 *ruptoque e pectore montis,* Verg. Aen. III 575 *uiscera montis*, Sen. epigr. 52, 5; cf. Gerberus libri 'd. Sprache a. Kunst' I p. 375. 'caesis', ut

Plin. h. n. XII praef. 2 *caedi montes in marmora.* 'Amphitryoniades' saepius inde ab Hesiodo Hercules audit, ut Aen. VIII 214; sed iterum doctrinam Niligenam ostendit poeta Romanus secundum illud exemplaris sui ψευδοπάτωρ (quod paulo aliter adhibet Callim. hymn. Cer. 99) illi adiciens attributum noue formatum 'falsiparens': Amphitruonis filius, qui tamen eum falso uocat parentem suum, utpote ex Ioue prosatus. 'audit' (sic uere Palmerius, minus bene Weisius 'gaudet', pro tradito 'audet'), quemadmodum alibi ut 'uocari, appellari' construitur adhibeturque (Kuehnerus gr. l. II p. 10 sq.), ita hic noue et sine dubio ad fontem graecum cum infinitiuo iunctum adaequat 'fertur'; quod eo facilius fieri licuit quod 'cluet' prisci eodem modo ponebant (cf. ex. gr. Lucr. IV 53 *cluet de corpore fusa uagari*). — **73, 74. tempore quo certa Stymphalia monstra sagitta perculit imperio deterioris eri.** accuratius res inlustratur: postquam (XXXV 13) uersatus in Arcadia (et Stymphalos uicina Pheneo; Bursianus l. l. p. 195) quintum athlorum (aerumnarum) ab Eurystheo inpositorum absoluit, sua sponte hoc quoque parergon barathron illud fodiendi suscepit. 'certa', semper scopum feriente: Ouid. met. I 519 et Hor. od. I 12, 23 *sagitta certa*, Aen. XI 767 *hastam certam*, Val. Flacc. I 366 *certa iacula.* 'monstra' autem aues Stymphalias propterea uocare uidetur poeta, quod carne humana uescebantur (Pausan. VIII 22; cf. et Hygin. fab. 20 et 30, Seru. ad Aen. VIII 300, schol. Apoll. Rhod. II 1053, Prellerus myth. gr. II p. 197 sqq.). 'perculit', interfecit; Mart. IX 101, 7 *Stymphalidas astris abstulit.* dominus autem 'deterior', tum uiribus quam uirtute inferior, Eurystheus ab ipso Hercule est uocatus Hom. Od. XI 621 μάλα γὰρ πολὺ χείρονι φωτὶ δεδμήμην, ὁ δέ μοι χαλεποὺς ἐπετέλλετ' ἀέθλους (Il. XIX 98 sqq.); et multi in uexando Eurystheo poetae (Prellerus l. l. p. 186). obuiae autem quaestioni, quomodo tandem hoc fieri potuerit ut indigno seruitio premeretur heros, respondetur disticho sq., nimirum uirtutes ostendendo beneque de genere humano merendo strauisse illum sibi iter, quo enisus attingeret arces igneas, deus fieret: — **75, 76. pluribus ut caeli tereretur ianua diuis, Hebe nec longa uirginitate foret.** 'ianua' de introitu, ut Verg. Aen. VI 127 *patet atri ianua Ditis*; cf. 'limen terere' supra 31. non sine lepore est dictum hoc 'ne uetula uieta fieret Hebe'; quam deam (Iuuentam dictam Romanis) notum est a Iunone placata in matrimonium Herculi esse concessam (Prellerus l. l. p. 257); Hom. Od. XI 602 αὐτὸς δὲ μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσι τέρπεται ἐν θαλίῃς καὶ ἔχει καλλίσφυρον Ἥβην. — **77, 78. sed tuus altus amor barathro fuit altior illo, qui tuum domitum ferre iugum docuit.** redit a degressione ad Laudamiam, ut 'tuus' monstrat (cf. 67); caueasque, ne ab Hercule iugum Eurysthei suscipiente aliquid similitudinis in hoc distichon redundare putes. in iusta autem uerborum difficillimorum et interpretatione et emendatione ualde inter se discrepant docti, qui in hoc tamen consentiunt, poetam adludere ad ea quae post Protesilai mortem acciderunt, uiam monstrante IVossio his uerbis 'Laodamia uiuentem maritum flectere

non potuit, quominus se relicta Ilium proficisceretur; mortuo persuasit, ut relictis inferis ad se rediret'. haec ut priscae fabulae formae parum conuenire supra demonstrauimus, ita a uero aberrauerunt doctorum in in illis 'qui tuum' sanandis coniecturae, cum aut a puella uiro mortuo aut ab hoc puellae iugum inpositum esse fingerent miro modo neglegentesque formulae illius usum certum. ad quam quod attinet, res est notissima homines a Venere auersos et uirginitate tumentes comparari solere a poetis et Graecis et Romanis cum iuuenco iuuencaue aut cum equo equaue in campo libere lasciuiente iugumque aut frena detrectante; eosdemque, ubi amori siue legitimo siue furtiuo cesserint, sub iugum ire aut habenas accipere domitos dici; unde, cum iam pari cursu eant uir puellaque, apud Graecos σύζυγες, coniuges apud Latinos uocari. inlustrat imaginem cum Prop. II 3, 47 *ac ueluti primo taurus detractat aratra, post uenit adsueto mollis ad arua iugo, sic primo iuuenes trepidant in amore feroces, dehinc domiti post haec aequa et iniqua ferunt,* tum Ouid. epist. 4, 21 *scilicet ut teneros laedunt iuga prima iuuencos frenaque uix patitur de grege captus equus, sic male uixque subit primos rude pectus amores.* igitur quisquis uenerem ante repudiatam iam non recusat, seu mas est seu femina, is ceruices iugo submittere, is iugum ferre dicitur: Plaut. Curc. I 1, 50 *iamne ea fert iugum?*, Hor. carm. II 5, 1 *nondum subacta ferre iugum ualet ceruice, nondum munia comparis aequare nec tauri ruentis in uenerem tolerare pondus. circa uirentes est animus tuae campos iuuencae* eqs.; Ouid. epist. 6, 97 *scilicet ut tauros ita te* (Iasona) *iuga ferre coegit* (Medea). similiterque Tib. I 4, 16 (*puer*) *paulatim sub iuga colla dabit*, Ouid. rem. am. 90 *et tua laesuro subtrahe colla iugo.* plerumque autem imponere iugum dia fingitur Venus: Hor. od. I 33, 11, III 9, 18, Sen. Phaedra 584 *illae feroces sentiunt Veneris iugum,* Claud. laus Serenae 120 *quarum Cythereia necdum sub iuga ceruices niueas Hymenaeus adegit.* legitimo autem conubio iunctis praeesse Iunonem Iugam notum est. ad homines subactio refertur aut in simillima imagine, qua amantes equo equaeue frena accipienti conferuntur (cf. ex. gr. Stat. silu. III 5, 26 *tua* [uxoris] *frena libens docilisque recepi et semel insertas non mutaturus habenas usque fero*), aut si uiri feminaeue ueneri reluctantes, quemadmodum animalia iugi impatientia, uel ui uel multo certe cum labore domiti dicuntur, unde apud Lucil. XXX 51 et 52 LM. cupidus amator ad puellam ferocem hoc clamat: *a! ego te uacuam atque animosam Thessalam ut indomitam frenis subigam ante domemque!* cui uirgo uoce contempta: *tune iugo iungas me apte et succedere aratro inuitam et glaebas subigas proscindere ferro?* quo in dialogo equos frenandi et iugum iuuencis imponendi imagines suauiter commiscentur, ut etiam in illis incerti poetae tragici (125 sq. Ribb.) uersibus: *erras, erras: nam exultantem te et praefidentem tibi repriment ualidae legum habenae atque imperi insistent iuga* ('iugo' codd.). hinc etiam apud Ouid. epist. 9, 6 Herculi (quem uincere sane magnum erat) Iole imponere iugum audit. apparet autem, ut ad

propositum redeamus, peruersissime cogitari de mortuis siue Protesilao siue Laudamia, hi cum uiuentes olim iugum ferre didicerint, utpote per breue licet tempus coniuges. nec magis totius loci conexus tali fauet sententiae. nam inde profectus, amore flagrantem Laudamiam in domum Protesilai uenisse, superato itinere per multas degressiones flexuoso poeta nunc ad illud initium reuertitur paulatim, ut u. 91 sq. Lesbiam in suum gremium uenientem iterum cum heroine Thessala comparet. barathrum autem, in quod haec delata erat, uidimus fuisse id ipsum quod sine iuuene amato iam uiuere nequiret. quo barathro si profundior dicitur fuisse profundus puellae amor (βαθὺς ἔρως Theocr. l. l.), eam ex illo emersisse atque uiam, qua frueretur amplius eo qui sibi uita atque anima esset carior, inuenisse significatur. firmiter autem recordantes, ad limen narrationis (uirginem amore uesanam in amasii domum uenisse) pede lento redire poetam, iam quae fuerit illa uia ultro intellegimus: cum sponsus ad expeditionem Troianam uocaretur, puella alto amore suo impulsa nec leges pudoris uirginalis morisque traditi nec deos curauit, sed inferens se sponsi aulae precibus suis tandem adegit iuuenem, ut uel inperfecta domo fierent nuptiae. hoc est illud 'amor tuus altus ferre iugum docuit domitum Protesilaum': quidquid ille reluctabatur ut pius deorum cultor, resistere non potuit instanti mulieri moremque inuitus ei gessit ('domitum', superatum, ut Sal. Cat. 7, 5 *uirtus omnia domuerat* alibique). restat emendandum 'qui tuum'. dedi olim ab Aldinarum et Vossii coniecturis quibusdam profectus 'qui toruum dominum': adeo interdum in aperta luce caecutimus. nam ut mittam, 'toruum' non bene quadrare in Protesilaum reluctantem ('inuitum' melius foret), id quod est 'dominum' planissime adest, siquidem 'tuus' ('meus, suus', porro 'tua' cet.) haud raro indicant amatorem: Lydia 41 *Luna, tuus tecum est, cur non est et mea mecum?*, Hor. od. I 25, 7 *me tuo longas pereunte noctes* et I 15, 32 *non hoc pollicitus tuae,* Tib. I 4, 75 *pareat ille suae,* Prop. I 9, 22 *posse negare tuae,* Ouidius saepius. quodsi iam una syllaba ad uerborum integritatem deest, quid magis in rem poterit esse restituto 'quine', hoc est 'quippe qui' (cf. ad 51)? iamque (quo sententia nostra plane confirmatur) ad iunctae cum Protesilao suo puellae amorem tenerum feruidumque describendum noua degressione transit poeta. — 79, 80. **nam nec tam carum confecto aetate parenti una caput seri nata nepotis alit.** 'nam' ad 'altus amor' spectat. fundum imaginis iam AStatius uidit esse Pindarum Olymp. 11, 86 *ἀλλ' ὥτε παῖς ἐξ ἀλόχου πατρὶ ποθεινὸς ἵκοντι νεότατος τὸ πάλιν ἤδη, μάλα δέ τοι θερμαίνει φιλότατι νόον. ἐπεὶ πλοῦτος ὁ λαχὼν ποιμένα ἐπακτὸν ἀλλότριον θνάσκοντι στυγερώτατος*, cui praeiuit Hom. Il. IX 481 *καί με φίλησ' ὡσεί τε πατὴρ ὃν παῖδα φιλήσῃ μοῦνον τηλύγετον πολλοῖσιν ἐπὶ κτεάτεσσιν.* cui imagini transmarinae admiscuisse poetam colores Romanos mox uidebimus. diuiti per senium paene enecto (Aen. IV 599 *confectum aetate parentem*) unica filia alit siue educit anxie (Hor. sat. II 5, 46) ut carum caput, in quo omnis aui cura amorque residet (Hor. ibid. 94

uti uelet carum caput, Verg. Aen. IV 354 *capitisque iniuria cari,* Val. Flacc. II 404 et IV 24), nepotem serum, hoc est, siue naturaliter pro longaeuo auo (Aen. VI 764 et VIII 581, Auson. XIII 19 Sch.) siue potius cum affectu 'diu expectatum' (filiae matrimonio longum per tempus sterili), plane ut graecum *ὀψίγονος* et *τηλύγετος*; Santenius cp. Hom. hymn. Cer. 164 sq. et 219 *παῖδα δέ μοι τρέφε τόνδε, τὸν ὀψίγονον καὶ ἄελπτον ὤπασαν ἀθάνατοι, πολυάρητος δέ μοι ἐστίν.* — **81, 82. qui, cum diuitiis uix tandem inuentus auitis nomen testatas intulit in tabulas.** nepotulus, ubi post longam expectationem (cf. ad LXII 2) adquisitus adeptusque est (Ter. Heaut. IV 7, 12 *inueniendus est aliquis, labore inuenta mea cui dem bona*; sic Graeci *εὑρίσκειν*) aui opibus (datiuus) et 'nomen' heredis 'intulit' siue inferendum dedit in testamentum sollemne praesentibus testibus scriptum obsignatumque. ut hoc 'nomen intulit' (an poetice pro 'cuius nomen inlatum est' siue 'qui nominatim scriptus est heres', ut Cic. ait de or. I 38, 175?) sine exemplo est dictum ad similitudinem illius 'heredis nuncupatio', ita tabulae testamenti, quemadmodum plenius loquuntur icti, nouo modo audiunt 'testatae' (unde Schraderus coniecit 'ceratas'); sed cum nuda uox 'tabulae' saepissime adhibeatur de testamento, 'testatas' non explicuerim 'quae supremam uoluntatem senis indicant' (cf. ex. gr. 'ius testandi'), sed 'quae testato (coram testibus) sunt factae'; cf. Guil. Reinius libri 'das Privatrecht' p. 791. recte autem Santenius: 'totius loci intellectus pendet a lege Voconia, quae prohibebat nequis feminam (ne unicam quidem filiam) institueret heredem [cf. Reinius l. l. p. 778 sqq.]; quae si uera est animaduersio, non amplius cum aliis hunc nepotem ab intestato heredem nec eo nato testamentum rumpi dicemus; quippe qui auo materno nec suus nec agnatus erat, sed ab eo heres scribi poterat'. — **83, 84. impia derisi gentilis gaudia tollens suscitat a cano uolturium capiti.** nepotulus heres institutus gentili alicui (cf. Reinius l. l. p. 506 sqq.), qui secundum legem XII tabularum *si paterfamilias intestato moritur, familia pecuniaque eius agnatum gentiliumque esto* iam inhiauerat diuitiis, gaudia scelesta (ad XXIII 10), quibus spem senis nepotem desiderantis frustrari gauisus erat ille in tacito sinu, euertit funditus et iam ipsum spe deceptum risui tradit (Hor. sat. II 5, 57 *captatorque dabit risus Nasica Corano*) simulque illum abigit remouetque ab auo tamquam uolturem iam nihil praedae captaturum; Plaut. trin. 101 *tum autem sunt alii qui te uolturium* (= auidum opum) *uocant,* Ouid. trist. I 6, 11 *aut ut edax uultur corpus circumspicit . ., sic mea nescio quis, rebus male fidus acerbis, in bona uenturus, si paterere, fuit,* Mart. VI 62, 4 *cuius uulturis hoc erit cadauer,* Sen. epist. 95, 43 *amico aliquis aegro adsidet; probamus. at hoc hereditatis causa facit: uultur est, cadauer expectat*; simili imagine Hor. sat. II 5, 56 *coruum deludit hiantem.* denique 'canum caput' quoque copulatum ob allitterationem paene in prouerbium abiit: Plaut. Asin. V 2, 84 et Bacch. V 1, 15 et Cas. III 1, 4 et Merc. II 2, 34, Tib. I 1, 72, Ouid. fast. V 57, Pers. 1, 83. de ablatiuo 'capiti'

cf. Neuius d. f. l. I p. 238. — **85. nec tantum niueo gauisa est ulla columbo compar.** tenero aui amori adiungit cupidam illam auidamque libidinem columbarum. Prop. II 15, 27 *exemplo iunctae tibi sint in amore columbae, masculus* (= columbus niueus: XXIX 8) *et totum femina* (= compar; Ouid. am. III 5, 38 *iu uacca compare*) *coniugium*, hoc est, uxor tota coniugii amore ardens; porro, ut Plin. h. n. X 104 dicit, *columbae coniugi fidem non uiolant communemque seruant domum* (cf. et Porphyr. ad Hor. epod. 16, 32 *dicitur columba nulli alii succumbere quam cui se semel iunxit*); unde haec comparatio omni a parte in Laudamiam, tam amoris flagrantis quam fidei piae exemplar, optime quadrat. 'pulla' male IVossius uoluit pro 'ulla', quo uix possumus carere, alioquin cum expectes 'gaudet'. auidum columbae amorem depingunt sqq.: — **86, 87, 88. quae multo dicitur inprobius oscula mordenti semper decerpere rostro quam quae praecipue multiuola est mulier.** Prop. I 20, 27 (Zetes et Calais) *oscula suspensis instabant carpere palmis*; et spissa ('semper') columbarum rostris mordentibus oscula in prouerbium abiere: Cn. Matius fr. 4 M. *columbulatim labra conserens labris,* Sueius pullorum fr. 1 (ex emendatione nostra Misc. Crit. p. 22) *se incidunt, exin labellis morsicatim lusitant*, Maecenas ap. Sen. epist. 114 *et labris columbatur*, Mart. XII 65, 7 *amplexa collum basioque tam longo blandita quam sunt nuptiae columbarum.* 'inprobius', magis inmodice, ut 'inprobum' dicitur omne, quod modum excedit (Verg. G. I 119 et Aen. II 356, Hor. od. III 24, 62, alia); ad quod accedit 'multo' (cf. ad XLV 15) ut apud Lucil. XXX 78 M. *inprobior multo quam de quo diximus ante.* et cum his 'multo inprobius' cohaeret 'quam quae', id quod aperta ueritate pro tradito 'quamquam' feliciter restituit IVossius; nam dicitur columba maiore etiam ardore correpta quam mulier omnium maxime adpetens uiri; in 'praecipue' (= maxime, ut Hor. epist. I 1, 108 *praecipue sanus*, Apul. met. V 2 *praecipue mirificus*) ergo uis est posita. 'multiuola' est ἅπαξ λεγόμενον; nam etsi Roenschius libri 'Itala und Vulgata' p. 226[2] adfert Sirac. 9, 3 *ne respicias mulierem multiuolam, ne forte incidas in laqueos illius* (quo loco olim ad emendandum Plaut. Truc. II 4, 80 sum usus), tamen hic non meretrix designatur, sed femina multos coniugis amplexus uolens; ceterum cf. 'nolus' a 'nolle' et mox 100 *omniuolus*, Varronis ap. Non. p. 123 *multicupidus.* denique 'dicitur decerpere' post 85 'gauisa est', ut supra 61. — **89, 90. sed tu horum magnos uicisti sola furores, ut semel es flauo conciliata uiro.** 'tu', Laudamia; et obseruetur ars, qua poeta inde a u. 65 heroines adlocutionem pro filo habuit, quo duce ex degressionum tamquam labyrintho exitum sibi muniret. 'horum', aui illius et columbae; quorum magnum uehementemque amorem (Ouid. met. IX 583 *pariter rediere furores,* iam plurali magnitudinem indicante) supergressa est Laudamia, ubi nuptiis optatis cum Protesilao suo est iuncta. uno nimirum uerbo digitus intenditur in heroines sortem posteriorem, qua fidus flagransque amor eius sane eluxit (cf. supra p. 514). 'ut semel' licet nota significatione possit

uti (Prop. I 15, 20 *ut semel Haemonio tabuit hospitio*), non male tamen ad uerbum intellegetur 'semel' (= per unam noctem). flauum crinem, quo pulcritudo innuitur (cf. ad LXIV 63), in Protesilao laudat Philostr. her. II 2. 'conciliata', siue 'precibus tuis in matrimonium adsumpta' siue potius 'Venere mixta', ut Lucr. V 963. finita tandem longa comparatione redit C. ad eam, quae simili modo ad inconcessum amorem se contulit, ad Lesbiam suam: — **91, 92. aut nihil aut paulo cui tum concedere digna lux mea se nostrum contulit in gremium.** 'cui' (Laudamiae) traiectum; cf. ad Corn. 9. 'aut paulo', aut certe paulum tantum (cf. ad XXII 4), cur adiciatur statim ad 95 uidebimus. 'concedere', se postponere siue inferiorem esse, ut Caes. b. G. IV 7 *sese unis Suebis concedere*; imitatur Ciris 104 *quarum non ulli fama concedere digna stat Megara*; Catullus non addit ablatiuum (nam 'nihil' ualet 'plane non'), sic nimirum ut tam de pulcritudine quam de amore Lesbiae cogitetur efficiens. 'lux mea' solita apud elegiacos amasiae appellatio, ut et infra 120. 'gremium', amplexum (LXVII 30, infra 106). 'mea — nostrum'; cf. supra ad LXVIII^a 37. — **93, 94. quam circumcursans hinc illinc saepe Cupido fulgebat crocina candidus in tunica.** Ter. Heaut. III 2, 1 *hac illac circumcursa.* Cupidinis quae sint hic partes ut intellegatur, reminiscendae sunt tabulae Campanae, in quibus haud raro rebus uitae cotidianae inmixtus pingitur puer alatus, inprimis eis quibus interest femina aliqua pulcra, ex. gr. balneum relinquens aut mundo muliebri operam nauans. nimirum per Amorem pictor nihil aliud indicauit quam feminae ueneres amabiles, quam plane ut matrem Idaliam ipsam Cupido circumuolet (Hor. od. I 2, 34). tales autem tabulas notum est saepissime obuersatas esse animo poetarum in imaginibus comparationibusque. et si Catullus Amorem Lesbiae sedulo ('saepe') seruientem facit candidum siue a cute niueum ipsum (Prop. II 3, 24) in crocina tunica (uides oppositionem; Sappho fr. 64 B. purpuream chlamyda dat Amori) fulgentem (Sen. Herc. f. 467 *fulsitque pictum ueste Sidonia latus*), mira arte laudat effertque formam amasiae, cui prae ceteris nitidus comptusque (Tib. II 5, 7 sq.) adsit puer Venerius. cuius in modum Hymenaei (Ouid. met. X 1) crocea tunica induti praesentia sine dubio simul etiam opera amoris indicat. 'in tunica', ut Prop. II 29, 26 *neque ostrina cum fuit in tunica*, Ouid. a. a. II 297. — **95. quae tamen etsi uno non est contenta Catullo.** detrahit nunc poeta aliquid de laude supra tributa, sed leniter et magis adhortantis instar. etenim a gloria fidei, qua clara erat Laudamia, paululum huic inferior Lesbia. 'tamenetsi' melius coniuncte scribitur utpote primaria illius 'tametsi' forma, quam seruarunt Enn. ann. 512, Pacuuius epigr. ap. Gell. I 24, 4 *tamenetsi, adulescens, properas* (codd. 'a. t. p.'). 'non est'; attende ad praecedens perfectum 'contulit' et subsequens futurum 'feremus': Veronae uersans poeta per epistulas amicorum, ut uidetur, certior erat factus, Lesbiam nunc Romae liberius uiuere (cf. supra p. 28). feminarum uniuirarum (Broukhus. ad. Prop. p. 417) laus praecipua, cuius certam

hic habemus formulam: Val. Max. II 1, 3 *quae uno contentae matrimonio fuerunt, corona pudicitiae honorabantur,* Plaut. Merc. IV 6, 8 *nam uxor contenta est, quae bona est, uno uiro,* Ter. Eun. I 2, 42 *neque tu uno eras contenta*, Afran. com. 117 R. *uno ut simus contentae uiro,* Hor. epod. 14, 15 *neque uno contenta Phryne* (de uiris Ouid. a. a. II 399 *dum fuit Atrides una contentus,* Tac. Germ. 18 *singulis uxoribus contenti*). — **96. rara uerecundae furta feremus erae.** 'furta' notum est indicare apud poetas amores furtiuos clam uiro siue amatore (interdum etiam adulteria); cf. Marklandus ad Stat silu. I 2, 59. scit nempe Catullus, quam non liceat amatori Romae moribus corruptissimis amasiae fidem certam sibi sperare (Prop. II 32, 49 *tu prius et fluctus poteris siccare marinas . . quam facere ut nostrae nolint peccare puellae*); id unum rogat ut et raro peccet et uerecunda sit, bonae famae consulat (Ouid. am. I 5, 7 *uerecundis puellis*), ne caput argutae praebeat historiae (Prop. III 20, 28). bene ad haec 'rara uerecundae' cohaerentia Vulpius cp. Ter. Hec. IV 1, 37 *si modeste ac raro hoc facit* (ad amicam ire), Verg. epigr. 5, 13 [PLM. II p. 166] *meas cartas reuisitote, sed pudenter et raro.* 'era' (ut 'domina') de amasia praeterea semel habet Ouid. epist. 9, 78. 'feremus', quando Romam reuersi erimus. — **97. ne nimium simus stultorum more molesti.** de zelotypia haec intellegunt; quae potest sane aut pro persona aut si nimia est existere stulta, et potest ipse se zelotypus uocare stultum (ut Prop. II 34, 20). sed et hoc nimium est, omnes zelotypos uocari stultos, et ratione caret, stultos, quorum plurima sunt genera, simpliciter poni pro zelotypis et omnibus stultis hunc morem, esse molestos feminis, adscribi. uox 'molestus' adhibetur de eo qui custodiendo et obseruando uxori est oneri (Ouid. am. II 2, 8 et 3, 15, a. a. III 602). teneo igitur quod olim proposui litterula 's' dittographa deleta 'tutorum', de quorum incommoda seueraque custodela querelae extant apud Pers. 3, 96 *ne sis mihi tutor,* Man. V 455 *tutorisue supercilium patruiue rigorem*; cf. et statim 102. — **98, 99, 100. saepe etiam Iuno, maxima caelicolum, coniugis in culpa flagrantem cotidiana, noscens omniuoli plurima facta Iouis.** Ouid. met. III 263 *si maxima Iuno rite uocor*; et sic 'magna' apud Verg. audit deorum regina. 'caelicolum' (= -colarum), Neuius d. f. l. I p. 18. ad tollendam foedam corruptelam 'cotidiana', quam retinentes et 'flagrauit' reponentes priores prosodiam neglexerunt ('cŏtīdie' aut 'cottīdie'), primus uiam muniuit Santenius feliciter ex ultimis litterulis 'na' eruens 'ira(m)'. ira flagrat siue exardescit, ut ex. gr. Sall. Cat. 14, 5 *ut cuiusque studium ex aetate flagrabat*; et hinc Apul. de dogm. Plat. I 18 *dominam illam reginamque rationem . . ira flagrantior uicerit.* iamque restant litterae 'cotidia' siue 'a' et 't' in scriptura langobardica simillimis 'cotidit'; unde Santenius ipse 'continet', Lachmannus 'concoquit', Hertzbergius 'contudit', Pohlius 'condidit' elicuere securi uocis quae sequitur 'noscens'. etenim cum primum Iouis perfidiam noscit siue comperit, eam exardescere par est ira, quae paulatim mitigatur tempore (ultione sumpta). sed hoc ipsum utpote notum omnibus non male hic

reticetur; et poeta de Iunone etiam saepe irata loquens Lesbiae suae hoc carmen prae ceteris lecturae tecte suggerit, se quoque aliquam iram accepto perfidiae illius nuntio concepisse. quod intellexerunt qui falsa ab arte coniectura olim 'flagrauit' dederunt. itaque siue 'concipit iram' (Ouid. met. I 166) siue 'cōligit' (ibid. I 234, III 258) restituendum puto; possisque adeo hoc 'conligit' ambigue dictum putare, ut etiam cohibentem se iterum iram indicet (ex. gr. Sil. Ital. VI 399). nec minore uitio (fortasse archetypi in hoc loco detrimento quodam externo, quod male resarcire studebant librarii insequentes) laborat u. sq., quo accuratius poeta rem persequitur, cum 'culpa' (cf. interpp. ad Aen. IV 19) tantum generalem laesae fidei maritalis notionem contineat. uulgo ibi scribunt 'plurima furta' (= amores furtiuos, cf. ad 96). quae medela quominus recta putetur, iterum prohibet illud 'noscens'. bene ex. gr. Ouid. met. I 605 *atque suus coniunx ubi sit circumspicit, ut quae deprensi totiens iam nosset furta mariti*; sed 'noscens' non est 'quae nouit (cognita habens)', 'noscere' non 'scire', sed 'comperire, audire'. saepe Iuno ob laesam fidem coniugalem in iram exardescit, si sentit (nouam) mariti perfidiam: haec sententia ut adsit omnia flagitant. unus olim NHeinsius uulgatae lectionis perspexit peruersitatem 'omniuoli ignoscens' coniciens contra artem et aliena inferendo. immo in uerbis 'plurima facta' uitii sedes; nam male nonnulli dicunt 'rara furta uerecundae erae' et 'plurima Iouis furta' inter se opponi, nulla cum sit causa talis oppositionis. ut et hoc incertissimum est, num Iunonis in comparationem uocatae peculiaris sit ratio in Lesbiae pulcritudine Iunonia (cf. supra p. 32): non Lesbiae, sed Catulli hic est cum Iunone similitudo. olim autem dedi 'perfida pacta'; etenim 'pactum' siue 'pacta' plane ut 'foedus', cuius est synonymum, de coniugio interdum adhibetur, ut 'perfida pacta' designent coniugium cum alia muliere fide falso data initum. quamquam siquis hunc usum posteriorum proprium a Catullo arcendum putat, equidem nunc non refragor: dedi olim quod potui, et in his rebus facilius est quid desideretur detegere quam restituere id quod uerum est. nam possunt sane etiam alia haud pauca, ueluti 'turpia probra' (cf. LXI 99) uel, quod fere nunc malim, 'turpia facta', excogitari. 'omniuoli', quidquid est puellarum pulcrarum habere cupientis, ἅπαξ est λεγόμενον; AStatius cp. Anacr. 10, 11 B. Ἔρωτι παντορέκτα. — **101, 102. atquei nec diuis homines componier aequm est, ingratum tremuli tolle parentis onus.** interrumpit se in ordinem redigens poeta: 'at hercle non decet *componere magnis parua*' (Ouid. met. V 416, Verg. G. IV 176). nam 'atqui' (quod pro tradito 'atque' rectius Itali quam 'at quia' restituerunt) hic plane primariam retinet significationem, qua ut ex 'at' et particula adfirmatiua 'qui' (cf. ad XXIII 12) compositum utitur. de forma 'componier' cf. ad LXI 42. post 101 hiare textum Marcilius olim sensit, quamquam rationibus adferendis pepercit. admonet autem u. 102 poeta sese ipse, ut procul habeat perosam mulieri custodelam, ne illi oneri sit instar parentis ob aetatem grandaeuam morosi (LXI 51 *tremulus*

parens). nam 'tolle' ualet 'aufer' (germanice: weg mit), ut Aen. X 451 *tolle minas*, Priap. 12, 10, Ouid. am. I 8, 66 et a. a. I 718, Hor. od. II 5, 9 et epist. I 12, 3; ipse autem se adhortatur poeta, ut c. VIII. quem usum non agnoscentes praeter necessitatem Lachmannus 'tremulist illa', Hauptius 'tremulist olla' coniecere, insistentes nimirum peruersae opinioni, cui inde a Scaligero multi se addixerunt, quasi hic de uero Lesbiae patre ageretur; cf. Schwabius q. C. p. 72. haec autem admonitio a poeta ad semet data quomodo succedere possit uersui priori, sane obscurum est quam maxime, cum desit omne quod sententias longe diuersas coniungat uinculum. quod quale fere olim mihi uideatur fuisse ut indicem, lubet exhibere quod in mentem uenit supplementum nimirum longe inferius arte ingenioque poetae Veronensis:

Atquei nec diuis homines componier aequm est,
Qui sua caelicolis attribuunt uitia;
Nec decet hos annos morum custodia dura
(Ingratum tremuli tolle parentis onus!).

tale quid si scripsit Catullus, a discrimine annorum inter ipsum et amasiam intercedente (cf. supra p. 35) aptum repetit argumentum, quo morum regimen recusat. alterum denique argumentum, scilicet nullo iure se censorem agere puellae utpote non iustis taedis sibi iunctae, sequentibus profert distichis. — **103, 104. nec tamen illa mihi deastra deducta paterna fragrantem Assyrio uenit odore domum.** aduersatiuum illud 'tamen', quidquid intercidisse statuimus (et de uerbis tantum, non de re potest esse dubitatio, conexum ipso u. 102 suppeditante), locum habet nullum. postremum enim in serie eorum, quibus posita in u. 96 sq. stabiliuntur, membrum cum nunc exhibeatur, conuenientem huius partis fini uoculam desideramus. memor igitur confusarum tam saepe uocum 'tamen (tñ)' et 'tandem (tm̄)' hoc alterum restitui. maiores difficultates praebet proximum 'deastra', quod uulgo auctoribus Italis cessit in 'dextra' (Schwabius 'dexstra', Ellisius 'decstra'). quae mutatio quam facilis a litteris, tam reicula a sententia est. nam si cum Santenio haec accipimus de uirgine, quae uiro in manum conuenit (Ter. Andr. I 5, 61), neque quid abolita fere Catulli tempore in manum conuentio sibi uelit perspicimus neque uero quomodo haec conciliari possit cum uersu sequenti. etenim domum fragrantem (cf. VI 8) Assyriis aromatis (Tib. I 3, 7 *Assyrios odores*) intellege mariti aedes digne excepturas nouam dominam (cf. Rossbachii liber 'Roemische Ehe' p. 335); quibuscum si coniunctum legitur 'deducta', nemo facile cogitabit nisi de sollemni domum deductionis more (cf. ad c. LXI); unde procul sunt arcendi loci Ouid. epist. 15, 313 aliique, ubi 'deducere' lenocinii admixtam habet notionem. sin fere flagitas 'a patre tradita' (LXII 60) rem Catulli tempori non aptam inferens, potius 'adducta' uel similia desiderantur. iam cum hoc, siquid aliud, certissimum sit, in pompa illa, qua noua nupta in domum mariti ducebatur, hanc non esse ductam a patre (cf. Rossb. l. l. p. 336), elucet quam omni a parte peruersa sit

coniectura 'dextra'. quod olim intellegens IVossius coniecit 'Vesta' infelicissime, quamquam indicans quid fere requiratur a sententia, nempe 'de domo paterna deducta in domum mariti'. cum igitur id quod primo optutu sese commendare uidetur, 'de ara', reiculum sit propterea quod foci domestici per pluralem 'arae' indicantur (cf. LXIV 132), in Fleckeis. ann. 1881 p. 408 proposui 'de aula deducta paterna'. aula quippe siue atrium (Hor. epist. I 1, 87) in domo nobili, e quali orta Lesbia, aptus erat locus, ubi adpropinquante Hespero congregarentur pompae nuptialis socii. — **105, 106. sed furtiua dedit mira munuscula nocte, ipsius ex ipso dempta uiri gremio.** contigerunt poetae tantummodo inconcessa Veneris munera siue gaudia (*δῶρα φιλοστεφάνου Ἀφροδίτης*, cf. ad LXVIIII^{a} 10), utpote ex horto alieno carpta siue sublata (Ouid. met. XI 113 *demptum tenet arbore pomum*). Ouid. am. II 5, 6 *nec data furtiue munera crimen habent.* 'ipsius ex ipso' tanta cum ui adcumulatur, ut 'uiri' non possimus non explicare 'mariti' (cf. LXXXIII 1), minime de nuptiis ut aiunt innuptis cogitare liceat (quo sensu aeuo Augusteo 'uir' et 'coniunx' uoces honeste interdum designant eum qui sustinet puellam). 'gremio', LXVII 30. insolenter admodum dictum est 'mira nocte'. nam 'mirus' ubique designat id quod siue in bonam siue in malam (Hor. epod. 16, 31) partem admirationem mouet; cf. LXIV 51 *mira arte,* LXVII 29 *mira pietate* (Cic. ad Att. XVI 7, 5 lege *ego uero austro gratias miro* pro 'miras'). nox uero amanti a puella data in hoc non tam sensum admirationis quam dulcedinis inenarrabilis (sic uertendum Heinii illud 'in wunderbar suesser Stund') ciet. scripserunt olim Itali 'nigra', Schraderus 'niuea', Hauptius 'rara', HAKochius 'misero'; optime in hunc furtiuom amorem quadrare est uisa Heysii emendatio 'muta' (cf. VII 7), commendata illa ab allitteratione quoque. nihil igitur iuris sibi esse ubi adseruit, ita concludit poeta: — **107, 108. quare illud satis est, si nobis is datur unis, quem lapide illa dies candidiore notat.** sufficit, si felix illud tempus, quod Lesbia nostro amori concedit, mihi soli contingit sine riuali. nam riuales sibi esse in amore audiuerat (u. 95); quos ferre se uelle (frustra!) sibi proponit, modo ne turbent laetitiam candidioris illius diei, quo Catulli esse uelit Lesbia. inutili plane commento et olim et nuper multi 'unus' scripsere pro tradito 'unis'; recte Schwabius cp. Ter. Eun. 793 *dixtin hos mihi dies soli dare te?*; cf. et Prop. II 1, 47 *laus altera, si datur uni posse frui; fruar o solus amore meo,* Mart. IV 42, 14 *uni sit puer ille mihi.* 'diem' autem hic conmemorari, cum ante de muta nocte fuerit sermo, non mirandum est, siquidem, ut ait Seruius ad Aen. I 732, *per 'diem' accipimus et noctem.* quod ad uersum minorem, quocum cf. CVII 6 *o lucem candidiore nota,* Bentlei super hac re disputantis eamque nube exemplorum stabilientis ad Hor. od. I 36, 10 haec sunt uerba 'id sollemne scriptoribus latinis, ut dies felices creta uel albo lapide lapillo calculo gemma signandos et notandos dicant, infaustos uero nigro'. pro 'dies', quod uix et ne uix quidem defendere licet ea liberiore uerborum conlocatione, quam deprehendimus XLIV 9,

uulgo legunt 'diem', minime ea quidem falsa attractione pro 'is dies, quem'; nisi quod nominatiuus 'dies', quem ex accusatiuo esse deprauatum non oppido probabile est, indicio mihi esse uidetur, traiectione uocabulorum in Catulli textu interdum obuia (cf. statim u. 120, LXVI 85) concinne esse restituendum 'is datur unis, quem l. i. notat candidiore, dies'; cf. ex. gr. Tib. I 3, 44 sq. — **109, 110. hoc tibi, quod potui, confectum carmine munus pro multis, Alli, redditur officiis.** redit nunc finis elegiae eo, unde exorsum erat initium, ad Allium, ad quem hoc carmen est missum. 'conficere', cum cura elaborare, ut Cic. de or. II 28, 121 *orationis partem superiorem . . perpoliam atque conficiam*; quocum coniungitur ablatiuus modum conficiendi indicans, ut Nep. Hann. 13 *libri graeco sermone confecti.* licuit quidem poetae remunerationis loco ('reddere pro', ut LXXVI 26) mittere multa; sed ut Horatius in simili causa (od. IV 8), ita noster Allio aliorum donorum non indigenti mittit carmen, ut quod et solum fere dare potuerit et amico acceptum pretio sempiterno esse sciat. sed in tradita lectione mirum quantum friget nudum illud 'carmine', mirum quantum falsum est illud 'quod potui'. utrique incommodo medens Muretus scripsit 'quo potui' (Ciris 44). intercedit autem inter formulas 'quod potui' et 'quo (qua) potui' certum quoddam discrimen, ad quod non attenderunt qui uulgatam defendunt. 'quod potui' ubique ad solum uerbum regens pertinet, ut in exemplis a Burmanno ad Lotich. I p. 275 congestis, Verg. ecl. 3, 70 *quod potui . . aurea mala decem misi* (nil aliud licuit mittere), Ouid. rem. 167 *quod potuit, ne nil illic ageretur, amauit*; cf. et inscriptio CIL. III 21 *et tibi, quod potui, lacrimas hic maesta profudi.* sed ubicumque substantiuo aliquo modus, quo id quod uerbum denotat usu fit, describitur, cum hoc substantiui ablatiuo cohaeret formula 'quo (qua) potui'; Ouid. epist. 10, 135 *sed qua potes aspice mente* (Trist. II 56, ex P. IV 4, 45) et epist. 13, 41 *quo* ('qua' male nunc edd.) *possum, squalore tuos imitata labores,* trist. IV 10, 12 *tristia, quo possum, carmine fata leuo,* Iahnii spicil. epigr. p. 108 *hoc . . quo possum munere paruo prosequor.* his aliisque locis multis 'quo (qua)' fere ualet 'quo solo (qua sola)'; et hoc ipsum loco unice conuenit. de 'officiis' cf. u. 2. — **111, 112. ne uestrum scabra tangat rubigine nomen haec atque illa dies atque alia atque alia.** cf. supra 9, 10. 'uestrum nomen', Alliae gentis (Ouid. trist. II 65 *uestri praeconia nominis*). 'rubigine' (ad LXIV 42) per situm obducta. 'scabra' siue scabiosa (Verg. G. I 495 *exesa inueniet scabra robigine pila,* Ouid. ex P. I 1, 71, Lucan. I 243, Prud. c. Symm. I 440 et Psychom. 105; de metonymia cf. Val. Max. II 9, 5). 'tangat' siue laedat (ad XI 24, Ouid. trist. V 12, 21 *ingenium longa robigine laesum*, Verg. G. II 220) 'haec atque illa dies', tempus futurum proximum, et porro 'dies alia atque alia', aetas ueniens magis remota. secundum enim 'atque' coniungit duo tempora propius et longinquius; significatque 'alius atque alius' non tam 'multiplex' (Kuehnerus gr. l. II p. 644) quam 'usque alius (nouus)', ut apud Plin. ep. I 3, 4 *post te alium atque alium dominum sortientur.*

— **113, 114. huc addent diui quam plurima, quae Themis olim antiquis solita est munera ferre piis.** 'huc', ad meas hominis mortalis gratias. 'addent' (non 'addant', ut olim superflue coniecerunt), quia certa fiducia tenetur poeta. 'antiquis', substantiue pro hominibus tempore heroico et fabuloso uiuentibus (cf. ad VII 6; Hor. sat. I 4, 117 *traditum ab antiquis morem*); superflue 'uiris' pro 'piis' Itali nonnulli (Kuehnerus gr. l. II p. 171). de Themide, iustitiae dea, cf. Prellerus myth. gr. I p. 373, Welckerus 'Goetterlehre' III p. 18 sqq., 210; quae etsi olim praesens hominibus fauit (Pind. Isthm. 8, 40), tamen hic peculiaris quoque ratio eius uidetur inde repetenda, quod secundum Plutarchum q. r. 56 eadem habebatur cum Carmenta, quae nuptis et adfuit parientibus et stirpem largam dedit: inter alia fausta omnia poeta optare uidetur ut sterili adhuc amici matrimonio contingat proles desiderata. — **115. seitis felices et tu simul et tua uita.** uidetur hoc 'sitis felices' ualedicendi formula fuisse, ut similiter Aen. III 493 et Lygdam. 5, 31 *uiuite felices*, Apul. met. II 14 *sisque felix et iter dexterum porrigas*; cf. et C 8 *sis felix* (nam Aen. I 330 diuersus): uiuite ergo, ut finiam, fortunati tam tu quam mulier tua. nam uix est quod moneam, ineptissime nonnullos de ipsius Allii uita cogitasse, quasi haec ab Allio possit secerni per 'et simul et'; immo adest notissima ex elegiacis formula siue amasiam siue coniugem indicans, qua ipse noster utitur CIX 1. — **116. et domus, in qua lusimus et domina.** in uota sua includit simul aedes Allii, beatorum dierum cum Lesbia in eis peractorum memor; cf. supra 28 et 30. lacunam ita supplebant Itali, ut alii 'domus ipsa, in qua', alii probante AStatio 'domus, ipsi in qua' scriberent. et hoc utique praeferendum a sententia, quia poeta se et Lesbiam in domo illa ludentes (cf. ad LXI 204, LXVIII^a 17) conmemorans propter puellam oppositam semet uno uerbo efferre debuit, plane ut supra 28 *nobis isque dedit dominae*; omne igitur punctum mihi uidetur tulisse is qui huius loci respectu in codice quodam interpolato correxit 'in qua nos lusimus et domina': facillime 'nos' ante 'lus' intercidit. — **117, 118. et qui principio nobis terram dedit aufert, a quo sunt primo omnia nata bono.** haec uerba non sine causa pro corruptissimo poetae nostri loco habent docti, ex quorum commentis plurimis nullum adhuc rem acu tetigit. petamus autem disputandi initium a nouissima IVahleni coniectura, qui 'et' in 'dum' mutans hanc restituit sententiam: 'sitis felices, usque dum uita finitur, hoc est, dum qui principio nobis hominibus terram ad uiuendum uitaeque dulcedine fruendum dedit, eam quam dedit aufert, is ex cuius benignitate nata sunt omnia'. quae coniectura (ut totius sententiae et inportunitatem et languorem interneciuum taceam) eo euertitur, quod 'terram' nullo pacto aequare potest id quod est 'uitam'. ratio autem, qua Vahlenus ad hanc coniecturam est adductus, non minus est futilis. dicit enim, cum u. 26 sqq. unius Allii fiat mentio, non admodum probabile esse, in exitu carminis nescioquem alterum tamquam principem auctorem salutis inferri. uerum enim uero priore loco non

potuere omnino nisi de uno Allio uerba fieri; nunc uero in fine epistulae, ubi Allio plane satisfactum est, breuissime poeta etiam ceteris caris Romae uersantibus, qui quidem cum amore suo sint coniuncti, salutem mittit: quid in hac re inprobabile aut incredibile est? rectissime igitur omnes critici priores perspexerunt, ipso uersus initio 'et qui' indicari uiri nobis ignoti mentionem, qui iam in principio amoris illius ante Allium alicui usui fuerit Catullo officiis nobis ignotis (ex. gr. aperiendo Lesbiae poetae amorem, aditum ad eam parando, epistolia amatoria adferendo similibusue). eiusque nomen in litterulis 'aufert' latere sibi persuadebant Scaliger 'Oufens', et ThHeysius 'Anser' conicientes (Anser pro noto poeta habendus); alii certum aliquod nomen melius abesse sentientes uaria coniecere, ut Lipsius 'auspex', Rossbachius 'auctor'. in uerbis autem praecedentibus plerique aut Scaligero 'te transdedit' reponenti (a forma paulo rectius Mitscherlichius 'te tradidit') adsentiebantur peruerse (peruerse enim Catullo Allius commendatus esse dicitur, cum ob u. 118 sententia plane contraria postuletur; cf. Hor. epist. I 9, 3 et I 18, 78) aut ipsius Lesbiae mentionem inferebant, ueluti Aldinae 'nobis dominam dedit', AStatius 'nobis teneram d.', ego olim 'nobis curam d.' coniciendo. mitto alia haud pauca et ex parte ualde inepta: omnibus commentis perlustratis eo peruenimus ut cum Schwabio exclamemus, omnia hoc loco incerta esse, praeterquam quod corruptissimus sit. itaque denuo et noua uia temptandum est, num tandem monstrum lectionis traditae subigi atque domari queat. dicitur is, qui in initio ante Allium adiuuit poetam, ita adiuuisse ut huic 'omnia' inde nascerentur 'bona' (neque enim dubitatio est quin 'bono' recte in 'bona' mutauerint Itali). haec uerba dudum animaduerterunt recurrere in carmine paulo post scripto LXXVII 4 *ei misero eripuisti omnia nostra bona*: designatur igitur Lesbiae amor. iam uir ille ignotus Catullo 'terram dedit'. nullane adest haec explicandi ratio? ultro apparet, nihili esse Vossii interpretationem 'campum patefacere'. equidem multis frustra temptatis tandem recordatus quam saepe is, qui homini infelici et fortunae casu acerbo naufragium passo auxilium praebet, huic 'portus esse' dicatur (Ouid. trist. IV 5, 2 ex P. II 8, 68, alia), porro comparans Senecae epigr. 15, 4 [PLM. IV p. 60] *Crispe . . naufragio litus tutaque terra meo* et Ouid. ex. P. I 2, 60 *mollia naufragiis litora posse dari* (unde apud Lucil. V 7 M. emendo *tristitia in summa, crepera in re litus salutis*: 'crepera inuentus' codd.), denique opinionem meam confirmans loco Ouidii ex. P. II 9, 9 *excipe naufragium non duro litore nostrum, ne fuerit terra tutior unda tua,* hoc est 'terra a te data' (et hunc quidem locum nunc uideo iam ab uno Santenio esse ad u. 29 adlatum), his omnibus, inquam, adductus sic statuo, 'terram alicui dare' non male quidem dici de auxilio praebito, sed tamen necessario exemplis omnibus admonentibus adiciendum esse, quo agi de naufrago appareat. iamque uia est munita remouendo illi 'aufert'. in quo nunc eo lubentius nego latere nomen proprium, quod haec epistula ad solum Allium (solamque Lesbiam) data nec lectorum

post genitorum intellectui inseruiens personas Allio notissimas breuiter adumbrare sane potuit; nam nec Lesbiae nomen usquam legitur. flagitamus igitur tale aliquid: et sit felix is qui ante Allium terram siue salutem dedit mihi, qui saeuo amoris aestu absorptus naufragiumque passus paene perii. conligens ergo Tac. hist. 1 2 *haustae* (= mari absumptae) *aut obrutae urbes* aliaque multa aptam coeptae imagini uocem restituisse mihi uideor pro 'aufert' siue *aufr̃* reponendo *aufr'* siue 'austis', i. e. 'haustis'. restat uersus minor, in quo certum est alienum esse hiatum a poeta nostro (ad LXVII 44). olim igitur 'primo sunt' uel 'sunt nobis' temptauere; Hauptius adsentientibus nuperrimis editoribus 'primo mi' scripsit. equidem hoc iam non probo. nam si summae est offensioni, post 'principio' iterari 'primo' peruersa cum ui rhetorica (nam ne nimium in modum efferrentur huius amici officia, gratiae Allio redditae uetabant), duplex et metri et sententiae incommodum ipsam potius uocem 'primo' reddit suspectam. quam repositam censeo a librario, qui quid exemplaris sui scripturae 'promi' faceret nesciret. tu lineola per 'p' ducta legas 'a quo sunt porro mi omnia nata bona', ita nimirum ut intellegas 'post quod principium deinde' (scil. Allii maxime beneficiis). — **119. et longe ante omnes.** scil. sit felix. adsumpsit Lygdam. 4, 93 *et longe ante alias omnes mitissima mater.* — **mihi quae me carior ipso est.** ut LXIV 215. Ouid. ex P. II 8, 27 *per patriae nomen, quae te tibi carior ipso est*, trist. V 14, 2, Culex 211. — **120. lux mea, qua uiua uiuere dulce mihi est.** 'lux mea', de Lesbia, ut supra 92. Hor. epod. 1, 5 *quid nos, quibus te uita sit superstite iucunda, si contra, grauis*, Prop. II 28, 42 *uiuam, si uiuet; si cadet illa, cadam.* Ellisius cp. Hom. Od. XXIV 435.

Carmen nostrum, quamquam nomine quidem ad Allium datum est, re uera tamen totum in Lesbiae laudibus exequendis uersatur. Allii enim amicitia perspecta officiosaque humanitas, qua ille amantibus miseris succurrit, iterumque preces pro eiusdem Allii coniugisque salute gratiarum loco susceptae quasi lineae sunt, quibus includitur Lesbiae amoris et temporis dulcissimi a poeta cum ea peracti imago coloribus uiuidissimis depicta: his mediis uersibus 11—108 Catullus ita suum cum Lesbia amorem describit, ut utrum affectum suauissimum an egregiam artis poeticae perfectionem magis admireris nescias. nam huius descriptionis singulae partes tanta cum cura expolitae sunt, ut, quamquam non usque ad uersuum numerum sibi respondeant (ut bonum architectum, ita poetam non mediocrem interdum quaedam neglegentia atque ἀσυμμετρία decet), tamen gratam iucundamque earum aequabilitatem habeas. hac quoque in re quin Alexandrinorum uestigia presserit Catullus, non potest dubitari. quamquam Westphalius (p. 73 sqq.) de huius carminis artificiosa compositione meras protulit nugas, bene eas a Rettigio (Catulliana II p. 11 sqq.) reiectas. postquam autem triste illud, quo nondum felix fruebatur amata, tempus conmemorauit, mox in melius illud mutatum aperta amantibus tamquam refugio Allii domo (11—32), iam

Catullus Lesbiam cum Laudamia comparat (33—90). quae comparatio nullam aliam ob causam instituta quam ut profundus illius amor quam maxime reddatur inlustris, quemadmodum carminis quasi domus interior est, ita in duas partes disciuditur interiecta fratris mortui conmemoratione (51—60). hos igitur uersus quasi pro intimo domus recessu habere licet. eo autem quod interposita de fratris obitu acerbo degressione Laudamiae historiam inceptam disrupit, hoc sibi uoluit poeta, ut morte illa suum quoque cum Lesbia amorem diremptum esse significaret; et tacito eum metu occupatum uidemus, ne inconcessa gaudia carpens eodem quo olim Laudamia modo deorum sibi contraxerit iram; ut iam intellegamus, cur hanc si qua est paulo ante a se deprecatus sit demisse. iam uero ad carminis cursum institutum reuersus non potuit secundum artis normas pertexere Laudamiae cum Lesbia comparationem nisi ita, ut seruata partium aequabilitate triginta fere uersibus 33—60 opponeret triginta alteros 61—90. itaque quod in hanc partem nonnulla intulit aliena quodque eam longius quam pro nostro qui nunc sumus gustu extendit, facile ex ista symmetriam obseruandi necessitate excusatur. depicto hoc modo Lesbiae amore iterum uiginti uersibus 91—108 (unum distichon intercidit) ad ipsam dominam reuersus hanc ut eandem quam heroine Thessala laudem fidei sibi uelit comparare leniter adhortatur; et in tempore futuro depingendo commorans seque utpote in muliere non iustis nuptiis secum iuncta non nimis rigidum et seuerum morum illius censorem fore affirmans, ut rumoribus Veronam adlatis se non nimium tribuere significat, ita hac ipsa patientia omnisque reprehensionis fuga se puellam sibi deuincturum esse et futurum hunc amorem iam dis propitiis quam laetissimum fore sperat. deprehendimus igitur hanc singularum partium responsionem: 1—10 (11—32 [(33—50) + (51—60) = 61—90] 91—108) 109—120. quid autem sibi uult carmen ad Allium ita datum et in gratiis Allio agendis ita uersatum, ut omnia tamen ad Lesbiae maxime et praedicationem et amicam admonitionem spectent? nimirum Catullus Romam se reuersurum esse cum Allio, tum uero Lesbiae nuntiat: discussa graui illa tristitia, qua oppressum eum ostendit c. LXVIII^a, postquam conciliauit paulatim doloris lenimen testibus cc. LXV et LXVI sancta poesis, nunc refecto alacrique animo Romam ad amasiam est rediturus anno fere a. Chr. 60 uel 59. demonstrat autem carmen nostrum, si cum ceteris Veronae scriptis comparatur, ab arte quoque progressum quendam atque perfectionem. nam quod in c. LXVIII^a obstante sane ipso animo depresso parum poetae contigit, ut nouam formam Alexandrinam aemulando exhiberet, hoc melius ei successit, postquam in LXVI uires seuero intentoque labore conroborauit, in hoc poemate, quo libere ingressus magistrorum uestigiis id est adsecutus, ut procuderet carmen etsi adhuc nimis oneratum degressionum ornatu tamen in uniuersum et elegans et pulcrum. spretis igitur nuperrimorum iudicum (ut Bernhardyi et Gruppii) sententiis iniquis peruersisque magis accedimus Mureto, qui 'pulcherrima omnino haec elegia est'

inquit, 'atque haud scio an ulla pulcrior in omni latina lingua reperiri queat': ita nimirum huic dicto adsentior, ut magis admirer sensus poeticos (prae ceteris in Laudamiae fabula alte intellecta pulcreque exornata) quam artis perfectionem nondum omni ex parte consummatam.

LXIX.

1, 2. **Noli admirari, quare tibi femina nulla, Rufe, uelit tenerum supposuisse femur.** recte Muretus et AStatius hunc Rufum dicunt esse M. Caelium Rufum, Catulli in amore Lesbiae siue Clodiae aemulum (supra p. 33). cui sententiae quod opponit Vulpius, Caelium fuisse hominem formosum et elegantem, non pili est faciendum propterea quod morbus in hoc carmine descriptus etiam in hominem formosum elegantemque cadit neque secundum ueritatem dictum est aperte id quod in primo uersu dicitur; quippe huius carminis hoc est consilium unicum, ut Lesbia a Rufi amplexu deterreatur: uerene an ficte (an denique cum uitii parui exaggeratione) obiectus sit Rufo morbus ille, scire nec licet nec refert. XXIII 25 *noli spernere*, LXII 64, LXIV 199, LXXXII 3. 'quare'; cf. ad LXXVI 10. cum posset e more scribi 'nulla puella', praelatum est 'femina' ob sequens nimirum 'femur'; cum eodem lusu Anth. lat. 114, 14 [PLM. IV p. 104] *sinuare ad Veneris cursum fĕmina fēminae.* adamata erat illa pentametri clausula, ut Tib. I 8, 26 *femori conseruisse femur,* Ouid. am. III 14, 22 *sustinuisse femur*; in qualibus metri ratio facile commendauit, ut reciperetur genus loquendi iam in priscis legibus praeceptisque (praesertim post 'uelle' et 'posse') sollemne, ut habet Cato d. r. r. 5 *ne quid emisse uelit insciente domino*; cf. Draegerus synt. hist. I § 128, Kuehnerus gr. l. II p. 101. — 3. **non si illam rarae labefactes munere uestis.** de 'non si' cf. XLVIII 5. imago de turri paulatim conuolsa sumpta: Ter. Eun. III 3, 3 *ita me uideo ab ea astute labefactarier*, Cic. p. Cluent. 68, 194 *fidem pretio labefactare,* Maxim. el. 2, 4 *respuit amplexus, heu, labefacta meos*: a pudicitia temptando abducere siue 'corrumpere' hic ualet uox (PVictorius u. lectt. III 22). in V 'nos illa mare' legitur, h. e. 'nō si illam are'. sed ex hac uoce postrema dubitari potest num recte Auantius elicuerit 'rarae'. quod alii recordati illius 'omnia praeclara rara' (cf. Antiphanes ap. Athen. III p. 84 ὀλίγον τὸ καλόν ἐστι πανταχοῦ καὶ τίμιον, Prop. I 17, 16, Ouid. met. XIV 337, Lygdam. 4, 37) uolunt esse 'praestantis', quod est languidius; alii explicant 'tenuis et translucidae' siue 'Coae', sed non recte in hanc significationem cp. Hor. epod. 2, 33 *rara retia* aut Lucr. IV 196 *textura rara* similiaque; nam maculas nullas omnino habet uestis Coa una et continua textura tenuissima confecta; et plane incredibiliter putant Ouid. am. I 5, 13 *deripui tunicam, nec multum rara nocebat* dici uestem translucidam, quae post tunicam dereptam nulla erat (legendum ibi 'irata'). dubito igitur de coniecturae 'rarae' ueritate; nec iuuat Ellisianum 'carae'. rescribo ipsum illud 'Coae' (nam 'coe' in 'ae' corruptum, ubi 'm' ex uoce priore adhaesit, non potuit non abire in uocem

saltim latinam 'mare'), quippe quod hic legisse mihi uideantur et Prop. IV 5, 57 *Coae dederit nec munera uestis* et Hor. od. IV 13, 13 totum hoc distichon ob oculos habens *nec Coae referunt iam tibi purpurae nec clari lapides tempora* (cf. de Cois uestibus Tib. II 3, 56, Hor. sat. I 2, 101, Richius lex. antiqq. s. u.). — **4. aut perluciduli deliciis lapidis.** dicitur ornatus pretiosus (Cic. Verr. IV 23, 52 *Haluntini excussis deliciis*, Hor. od. IV 8, 10) margaritarum siue bacarum, de quibus cf. Plin. h. n. IX 35, 112 *dos omnis in candore, magnitudine, orbe, leuore, pondere, haud promptis rebus in tantum, ut nulli duo reperiantur indiscreti; unde nomen unionum Romanae scilicet imposuere deliciae; nam id apud Graecos non est, ne apud barbaros quidem inuentores eius aliud quam margaritae*; et sic 'lapis' indicat margaritam Hor. od. III 24, 48 (et l. modo l.), Ouid. med. fac. 20, Sen. Phaedr. 391, Sil. Ital. XII 231. 'perlucidulus' (ἅπ. λεγ.) teneritatem bacae clarissimae indicat (de gemmis Sen. epist. 90, 45 *nec perlucidos lapides ima terrarum faece quaerebant*). — **5. laedit te quaedam mala fabula.** Prop. I 13, 13 *rumore malo*, Ouid. epist. 16, 149 *mala murmura uulgi* et fast. IV 307 *rumor iniquus laeserat*, h. e. nocuerat. 'quaedam' maligne. — **5, 6. qua tibi fertur ualle sub alarum trux habitare caper.** ab axillis exortus foedus odor hircum olens 'caper' uel 'hircus' uocabatur, ut graece τράγος; Hor. epod. 12, 5 *grauis hirsutis cubet* (cf. 'habitare') *hircus in alis* (id. epist. I 5, 29), Ouid. a. a. III 193 *ne trux caper iret in alas* cum recordatione Catulli, qui 'trux', h. e. toruus infestusque, ad depingendam bestiam iocose addit (Verg. ecl. 9, 25 *occursare capro, cornu ferit ille, caueto*, Plaut. Bacch. V 2, 29 *arietes truces nos erimus*). 'uallis' alarum pars concaua supter bracchium; similiter Auson. epigr. 79 (128), 5 *de ualle femorum*. — **7. omnes.** puellae. — **neque mirum; nam.** XXIII 7. — **mala ualde est bestia.** anastrophe, ut VI 12 *ualet nihil*, LXIII 80 *libere nimis* (Plaut. ap. Non. p. 127 *insanum ualde*). Muretus cp. Plaut. Bacch. I 1, 21 *mala es bestia* (κακὸν θηρίον Graeci); et sic facili a Rufo ad ipsum caprum translatione pergitur: — **8. nec quicum bella puella cubet.** nec cum qua bestia; Neuius II p. 230. cf. LXXVIII 4. in iuncto cum assonantia 'bella puella' (ex. gr. Ouid. am. I 9, 6, Lygdam. 4, 52) adiectiuum aeque ad ingenium hilare et cultum elegantem et corpus pulcrum (XXIV 7) spectat. — **9, 10. quare aut .. aut.** XII 10 sq. — **crudelem nasorum interfice pestem.** LXIV 76. cf. graecum ῥινώλεθρος; Vulpius cp. Ouid. a. a. I 522 *nec laedat nares uirque paterque gregis*. 'int.' respectu bestiae pro 'remoue, dele' (ad res etiam illud transfertur, ut Apul. met. V 4 *interfectae uirginitatis*). — **cur fugiunt.** scil. pestem puellae. sine causa Heinsius uoluit 'fugiant'; de hoc indicatiui usu in sermone familiari cf. Draegerus synt. hist. II § 463; quamquam etiam apud poetas cultos usus ille late patet.

LXX.

1. Nulli se dicit mulier mea nubere malle quam mihi. 'mulier' honesta est appellatio amicae, ut Hor. epod. 12, 24 *magis quem diligeret*

mulier sua quam te, simul tamen cum respectu est dictum illius 'nubere'. quod et ipsum rem turpem decoro uocabulo uelans 'concumbere' fere designat; cf. Plaut. Cas. II 8, 47 et Cist. I 1, 45; Sen. rhet. p. 290, 15 K. *moriar, nisi nubere dulce est.* nam ne de iusto conubio ineundo cogitasse Lesbiam statuamus (quae mea olim erat sententia), uetat LXXII 1 et porro dicendi uerbum, quod monstrante uersu tertio hic utitur notione promittendi, ut LXIV 148 et Ouid. a. a. III 435 *quae dicunt uobis, dixerunt mille puellis* alibique. cf. imitatio ap. Suet. d. gramm. 18 *soli Crassicio se dixit nubere uelle.* — **2. non si se Iuppiter ipse petat.** de 'non si' LXIX 3. 'petere' (cf. graecum αἰτεῖν) apud poetas latinos exprimit germanicum 'freien', ut tamen sensus lasciuus haud raro cum uoce ea sit iunctus (ad concubitum petere); cf. ex. gr. Aen. VII 54 et contra Hor. od. I 33, 13, Prop. II 16, 27, Maximiani eleg. 1, 65. ad totam sententiam apte AStatius cp. Plaut. Cas. II 5, 14 *negaui enim ipsi me concessurum Ioui, si is mecum oraret* et Ouid. epist. 4, 36 *Hippolytum uidear praeposita Ioui*; Vulpius et Ouid. met. VII 801 *nec Iouis illa meo thalamo praeferret amores.* — **3. dicit s. m. cupido q. dicit amanti.** grauiter repetitum dicendi uerbum ad significanda uana promissa; iam Muretus cp. Callimachi epigr. 26, ubi eodem modo ὤμοσεν iteratur. 'cupido', cf. LXIV 145, Ouid. am. II 5, 26 *seu tulerit cupido mollis amica uiro,* Lygdam. 4, 52. — **4. in uento et rapida scribere oportet aqua.** nota est graeca dictio εἰς ὕδωρ γράφειν (Sophocl. fr. 741 N. (694 D.) ὅρκους ἐγὼ γυναικὸς εἰς ὕδωρ γράφω, Plato Phaedr. 276, Lucian. catapl. 21); bene Vulpius cp. Augustin. d. c. d. XIX 23 [II p. 343 Domb.] *forte magis poteris in aquis inpressis litteris scribere .. quam pollutae reuoces impiae uxoris sensum.* graphice autem 'rapido' additur: omne uestigium litterarum forte signatarum statim diluit concitus amnis (app. Tib. III 3, 8). 'in uento scribere' qui dixerit, non extat scriptor latinus graecusue; nota sunt prouerbii instar dicta 'dare uerba in uentos', 'profundere uoces in uentos' similiaque. quodni forte incognita latet dictio graeca, confusio adesse uidetur illius 'in aqua scribere' cum solita locutione Prop. II 28, 8 *quidquid iurarunt* (puellae), *uentus et unda ferunt,* Ouid. am. II 16, 46 *uerba puellarum, foliis leuiora caducis, inrita quo uisum est uentus et unda ferunt* (cf. et ad XXX 10). utique nulla causa uidetur adesse, cur 'in uino' reponatur auctore Gifanio (cf. et Burm. ad Anth. lat. I p. 541), secundum illud εἰς οἶνον γράφειν (Athen. X p. 441[e]).

Scriptum est hoc poemation (quocum comparari potest LXXXV et LXXXVII) paulo post reconciliationem amantium, h. e. eodem fere tempore cum CVIIII.

LXXI.

1, 2. Siqua uiro bono sacratorum obstitit hircus aut siquam merito tarda podagra secat. in hoc carmine omnia sunt corrupta atque obscura; hoc tantum in uniuersum apparet, agi de nesciocuius aemulo, qui et hirco et podagra laboret atque hinc inter concubitum

simul et se et puellam iustissima poena adficiat. certa autem putanda est ea emendatio Italorum, qua u. 1 'siquoi' et u. 2 'siquem' scribitur. nam ne forte utroque loco 'siquā' (scil. ratione, εἴ πως) stare posse putes: nec cetera huic sententiae fauent nec praepositum in u. 3 cum ui 'aemulus', quod personam oppositam ex constanti latinitatis usu flagitat: si (umquam) alicui ..., (nunc certe) aemulus ... sed haec ut aperta, ita reliqua in uersu primo incerta sunt. Parthenius nomen proprium 'Virro' (cf. interpp. ad Iuuen. 5, 39) latere putauit ad eumque hoc carmen missum esse; sed licet adeo 'Vīro' scribere potuerit Catullus, tamen ob metricam rationem ('o' correptam) sat intutum est commentum illud (cf. LMuellerus d. r. m. p. 336 sq.), cum praesertim nec 'siquoi bono' (aliquid alicui est bono, h. e. utilitati commodoque) bene dictum sit nec de Virone quidquam tradant poetae nostri carmina. Palladius uoluit 'iure bono'; quod uereor ut defenderit Hauptius [opusc. I p. 68] ita: 'non possum equidem alium producere scriptorem, qui dixerit *iure bono*; uerum aliquoties legimus *iure optimo*, et cur superlatiuo gradu Catullus uti non potuerit sponte intellegitur'; nam usum in huiusmodi coniecturis anxie obseruandum esse patet. legerunt autem et Parthenius et Palladius porro cum Italis 'sacer alarum obstitit', nimirum 'sacer' esse uolentibus 'exsecrandus' (XIV 12). quae coniectura antea, cum sola libri G adseclarumque lectio 'sacrorum' nota esset, potuit fortasse adridere; quamquam quod Hauptius adseruit ita legisse Isidorum de differ. V p. 63 Ar., mox perspectum est hunc suum 'sacer hircus' petiisse ex Verg. G. II 395. sed magis commentum illud per se parum blandificum suspectum est redditum, postquam apparuit **O** 'sacratorum' praebere ita compendiose scriptum, ut quomodo in G ortum sit 'sacrorum' facili opera agnoscatur. hoc posset uideri fauere Froehlichii conmento 'iure Bonae sacratorum', nisi falsissime aemulus iste hircosus sacris deae Bonae initiatus diceretur; nec CII 3 quidquam huic loco prodest. sed, quod maioris est momenti, coniecturis illis conmemoratis propterea fides nequit haberi, quod non medentur difficultatibus summis, quas carmen nostrum praebere mox optinebo. cum quarum disceptatione coniungam meum qualecumque, ut in re paene desperata, conamen. 'obstitit', molestus erat, scil. in exercendo amore. 'aut' fortius quam copula effert alterum, quod ad prius accedit, uitium (LXVIII^b 2). Hor. sat. I 9, 32 *nec laterum dolor aut tussis nec tarda podagra*, epitheto ab eo quod est podagrosorum proprium translato ad morbum, qui tardos efficit, hic alacrem in concubitu motum inpedit. 'secat', mordet excruciatque, sumpta de bestia clanculum corpus peruadente imagine (cf. Lucian. tragoedopod. 119 sqq.); iam Scaliger cp. Mart. IX 92, 9 *podagra cheragraque secatur.* — **3, 4. aemulus iste tuus, qui uestrum exercet amorem, mirifice est a te nactus utrumque malum.** nulli uersus magis nos uexant ludumque habent. nam qui scimus, Catullum indefatigatum esse in aduersariis ob eadem uitia insectandis quique pleraque ad illius uitam pertinentia ex eius carminibus optime agnoscere posse nobis uide-

mur, eidem uetamur ne hic de Rufo hircoso illo Catulli aemulo cogitemus, quem qui mente integra haec perlegunt statim deprehendunt. sed quoniam ei qui uetant praeiudicata opinione ex u. 1 concepta ducuntur, uereor ut plerique in uetitum sint nisuri. nam qui 'nactus est malum' siue morbum (XXX 5), non naturale habet uitium, sed contraxit; cf. 'febrim, morbum nancisci' Nep. Ages. 8 et Att. 21. itaque ex graui fortasse frigore concepto aemulo isti contigerat podagra simulque alarum foetor. unde non mirabimur, coniunctum utrumque malum hic re ferente exagitari, contra in c. LXIX tantummodo unum idque ab effectu ingratius. sed qui tacito sensu Rufum et aemulum istum putamus esse unum eundemque, eis obstant sane difficultates haud paucae. et prima quidem posita est in illo 'a te'. cuius interpretatio Vulpiana uulgo accepta 'nempe ob uota et preces tuas' nimis est inepta: quis hanc sententiam, quae iam ipsa est subabsurda, tali modo umquam expressit? sed coniecturae pleraeque a doctis propositae infelices sunt, ueluti Muretiana 'mirifico e. astu', Hauptiana 'mirifica e. Ate' (quae doctrina ab huius carminis simplicitate alienissima). melius quidem GHermannus 'mirifico e. fato', nisi quod hoc in naturale potius uitium quadrat; unde ego 'mirifica e. poena' proposui in Fleckeis. ann. 1872 p. 846 (cf. ex. gr. Plin. h. n. IX 35, 110). sed potest iure dubitari, num concessum sit mutare in eo loco, qui ex uersu primo nunc corruptissimo fortasse suum habuit intellectum. et erant olim, qui non male illud 'a te nactus' de contagione acciperent: iocose hoc fingitur, a puellae siue coniuge siue amasio priore, qui et hircosus et podagrosus fuerit, nouum amatorem, qui casu in morbum incidit, utrumque malum nactum esse quasi ex successionis iure; et potest sane hoc 'mirifice' ille nactus dici (LIII 2). altera autem difficultas adest in uerbis 'qui u. e. amorem'. quae cum interpretationem accipere uideantur ex LXVIII^b 28 *communes exercere-mus amores,* accuratius inspicienti hoc subsidium mox euanescit: unus aliquis exercet siue agitat amorem cum domina, hi duo simul exercent amorem siue communes amores, sed nullo pacto aemulus exercet alterius (nedum huius et puellae) amorem. neque uero 'exercet' in hac dictione potest esse 'uexat' siue 'disturbat'; unde erat qui 'exterret' mallet. sed melius in 'uestrum' (quod pro 'tuum', ut putauit Schwabius, accipi nequit) agnoscemus uitium, cuius sanatio ex totius distichi intellectu pendet. tertia eaque summa difficultas in eo est posita, quod latet persona, ad quam carmen nostrum est datum. Catullum non ad se ipsum uerba facere, inde apparet, quod numquam ille in his sui adlocutionibus omittit illud 'Catulle'. sed nec in eis poematis, ubi ad alios fit adlocutio, horum nomen umquam reticetur (de LX et CIV uide comm.). quod nomen cum Heysius Schwabiusque quaererent in illo 'a te' conicientes 'Atei', siue ab 'Ateius' siue ab 'A(t)tius' ductum, temere intulere hominem plane ignotum nullo cum totius quaestionis emolumento. haec autem iam sic est dissoluenda, ut remota uersus primi corruptela ignoti illius, quem adloquitur poeta, et Rufus aemulus recte

dicatur heres ex hirco podagraque et recuperetur iusta adlocutio. ex uerbis igitur traditis 'uiro bono sacratorum' eliciendum est id quod tamquam salutifera luce horum uersuum tenebras discutiat. libere dicam quod sentio, etsi non defuturi sunt qui me ariolari clament. in uoce 'uiro' detrahens 'o' litteram saepe a monachis ad designandum uocatiuum additam (cf. L 19 *ocello* ex 'ocelle' ortum) et porro 'bono' remota adsimilatione mutans in 'bone', hoc 'uir bone' eam quam requirimus adlocutionem continere aio Lesbiaeque maritum intellegendum esse (cf. LXVIII^b 106, LXXXIII 1). 'at' inquies, 'etsi Rufus fortasse extremis Metelli temporibus iam huius aemulus in Lesbiae amore erat, tamen tum cum Catullus Romam rediit iam Metellus mortem obierat (c. VIII ante nostrum est scriptum)'. sed 'bone' non tam *εἰρωνικῶς* (XXXIX 9) accipiendum est quam pro sollemni mortuorum appellatione: ut Graeci *χρηστός*, sic Latini 'bonus' plane ut 'beatus' de defunctis adhibebant (cf. Peerlkampius ad Hor. od. IV 1, 3, Minuc. Fel. 1, 1). est sane haec adlocutio Metelli mortui, a quo hircum podagramque in nouum Lesbiae fututorem transmigrasse acerbo cum ioco ludit poeta, ex nostra sentiendi ratione nec honesta hercle nec uenusta; sed eadem apud Catullum, qui prae furore fanda nefanda in aemulos conicit, ferenda: posito hoc epigrammate ibi, ubi Metelli memoria maxime uigebat (ueluti in ianua domi eius), ita ut acrius fieri nequiret Rufi et Lesbiae amor et risui tradebatur et contemptui. iamque minora quae restant uitia sananda. recte plerique illud Palladii 'iure' ob eam maxime causam fouerunt, quod in u. 1 requiritur aliquid quod uoci 'merito' uersus secundi respondeat: in 'iure' et 'merito' omnis sane uis inest. hinc restituo 'siquoi, uir bone, sacrato iure obstitit hircus': ut haud raro 'sacratus' pro 'sacer' ponitur (LV 5) saepiusque occurrunt 'sacrata iura', ita hic respectu mortui usitatum illud 'iure' intenditur addito illo. in uersu autem tertio uideant alii num leniore medela possint aptiora restituere me, cui a sententia optimum uidetur hoce 'aemulus iste, tuo qui lecto exercet amorem'. — **5. ulciscitur ambos.** et se et puellam poena afficit, ut ex. gr. Syrus S 20 *stultum est uelle ulcisci alium cum poena sua.* — **6. illam affligit odore.** hirci foetore paene internecat; Liuius III 6 *urbs pestilentia afflicta.* recte Vulpius adnotat, in ipso concubitu taetrum odorem axillarum totius corporis sudori coniunctum (Hor. epod. 12, 7) ingrauescere. — **podagra.** hic 'a' naturaliter breuis, contra u. 2 positione longa; sic uel in eodem uersu ex. gr. Hor. od. I 32, 11 *et Lycum nĭgris oculis nĭgroque.*

LXXII.

1, 2. Dicebas quondam solum te nosse Catullum, Lesbia, nec prae me uelle tenere Iouem. tangitur aperte c. LXX initium; nec tamen 'quondam' ita ponitur, quasi hoc Lesbiae promissum multis annis ante sit factum, sed quia assiduum cum riualibus bellum defatigauit poetam, unde tempus inde elapsum longius est uisum. sic VIII 3 Catullus

post absentiam paulo plus quam annuam Romam reuersus cum omnia contra uotum uideret inmutata, 'fulsere quondam' exclamat: praesens calamitas tota nobis incumbens efficit, ut felicioris temporis memoria magis remoueatur obscureturque. 'uelle' ἀπὸ κοινοῦ positum et ad 'nosse' et ad 'tenere' spectat. de 'nosse' uerbi sensu uenerio cf. ad LXI 180. 'tenere' (LXX 1 *nubere*), complexum tenere; cf. ad LXIV 28. — **3, 4. dilexi tum te non tantum ut uulgus amicam, sed pater ut gnatos diligit et generos.** diligendi uerbum, etsi interdum ad uulgarem amorem (VI 4), multo tamen magis suapte natura declarat puriorem illum et cum ueneratione mixtum amorem. et hanc differentiam inter Veneris uulgiuagae amorem (et est 'amica' inde a Naeuii tempore magis honesta appellatio concubinae; cf. et Sen. epist. 75, 2 *aliter homines amicam, aliter liberos osculantur*) et altiorem illum amorem Catullus nondum satis exprimere uerbis ualuit. optime Westphalius [p. 115] 'in der gesammten antiken Welt ist Catull das erste Beispiel, dass das Bewusstsein eines solchen Gegensatzes auftritt, und wir bemerken bald, dass es ihm noch schwer wird, fuer diese Empfindungen in seiner Sprache einen Ausdruck zu finden. Die wahre sittliche Liebe, die er frueher fuer Lesbia fuehlte, vergleicht er als Roemer mit dem Gefuehle des Vaters fuer seine Kinder und Schwiegerkinder, in der That dem Hauptrepraesentanten des sittlichen Elementes im alten Roemerthum.' diligit paterfamilias gnatos siue liberos et 'generos' (h. e. generum et nurum, cf. ad LXIII 59), qui ad familiam aeque ac liberi pertinent, tenera cum caritate: haec caritatis notio inprimis est premenda; Cic. d. am. 8, 27 *ea caritas, quae est inter natos et parentes*, Curt. III 6, 1 *ut alumnum eximia caritate diligebat.* — **5. nunc te cognoui.** perspexi penitus naturam indolemque tuam perfidam, expertus scio quam sis fallax; XCI 3 *quod te non nossem bene.* — **5, 6. etsi impensius uror, multo mi tamen es uilior et leuior.** eadem oppositio, ut multi uidere, atque apud Ter. Eun. I 1, 27 *o indignum facinus! nunc ego et illam scelestam esse et me miserum sentio: et taedet et amore ardeo*; ubi 'ardeo' aeque atque 'uror' de effrenata amoris cupiditate dicitur (Aen. IV 68 *uritur infelix Dido*). 'imp.', fortius ualdiusque. 'uilior', abiectior, ut Hor. od. III 27, 57 *uilis Europe*; 'leuior', contemptior et minoris habita, ut Cic. p. Rosc. C. 5 *cui leuissima semper pecunia fuit,* Hor. od. I 25, 10; Tac. h. IV 80 *unde paulatim leuior uiliorque haberi.* periit igitur reuerentia ex morum probitate oriens, quae est omnis amoris altioris fundamentum. — **7. qui potis est? inquis.** cf. XXIV 7. 'potis', scil. fieri, ut LXXVI 24 (cf. et ad XLII 16); Ellisius cp. Plin. ep. IV 9, 17 *qui fieri potest, inquis* et Pers. 1, 56 *qui pote, uis dicam?* — **7, 8. quia amantem iniuria talis cogit amare magis, sed bene uelle minus.** 'ini.', fides laesa, ut Prop. III 8, 19 *nulla est certa fides, quam non iniuria uersat.* 'talis' (cum ui), quali tu me affecisti. 'amare' hic ex ipsa oppositione poeta uoluit uti notione cupidi ardoris libidinisque ('impensius uror' et hoc 'amare magis' sunt synonyma), plane ut LXXV 4. contra per 'bene

uelle' iterum paulo obscurius puriorem illum amorem designat. facilius hoc intellegemus, si recordamur cum caritate naturaliter esse coniunctam beniuolentiam (Cic. d. off. I 17, 54 *beniuolentia deuincit homines et caritate,* de or. II 51, 206, de fin. I 16, 52). ad totam autem sententiam iam AStatius apte cp. Ouid. am. III 11, 37 *nequitiam fugio, fugientem forma reducit: auersor morum crimina, corpus amo: sic ego nec sine te nec tecum uiuere possum et uideor uoti nescius esse mei.* accedit tamen apud nostrum hoc, quod perfidia puellae tamquam stimulis quibusdam inpellit eum, ut pro amasia sibi retinenda magna bella pugnet contra riuales; et hac ipsa pugna magis accenditur cupiditas. — ceterum facile sentimus iam uanis his conseruandae sibi soli amasiae conatibus defatigatum esse Catullum: hoc carmen eodem fere cum LXXV tempore scriptum initium finis indicat.

LXXIII.

1. Desine de quoquam quicquam bene uelle mereri. indignationem de perfidia amici cuiusdam (Rufi, ut summa cum probabilitate inde a AGuarino statuunt plerique, cp. LXXVII) Catullus effundit in praeceptum generale (cf. XXVIII 13 *pete*) sine certae personae adlocutione et utpote in uniuersum loquens etiam amici illius nomen reticens. cf. LXVII 11 *quisquam quidquam*; neque hic 'quicquam' aduerbialiter accipe (ut VI 7), sed coniunge cum 'bene mereri': operam dare, ut in aliquem aliqua beneficia conferas (Aen. IV 317 *si bene quid de te merui*). — **2. aut aliquem fieri posse putare pium.** gratum, ut Ouid. tr. V 4, 43 *fore se memoremque piumque,* ex P. IV 1, 8. 'fieri p.', esse ualere; ut interdum 'fieri' pro 'esse' ponitur, uelut LXXX 2. 'aliquem' fortius quam 'quemquam', quod secundum u. 1 expectamus; Kuehnerus gr. l. II p. 466, Draegerus synt. I p. 89 sqq. — **3. omnia sunt ingrata.** 'omnia' effer uoce et de rebus accipe: quaecumque bene feceris, non inueniunt gratiam. nam 'gratum' et 'ingratum' sensu passiuo dicitur, cui gratia redditur uel non redditur, ut Ter. Eun. III 1, 6 *ut grata mihi sint quae facio omnia,* Lucr. III 942 *et ingratum occidat omne,* Verg. Aen. II 101; Vulpius cp. Plaut. Asin. I 2, 10 *ingrata inrita esse omnia intellego, quae dedi et quod benefeci.* — **3, 4. nihil fecisse benigne immo etiam taedet obestque magisque magis.** in his uerbis aperte corruptis (nam in prioribus constructio nulla) uiam muniuit Auantius delendo 'magisque', quod apparet esse ortum ex dittographia copulae, unde ad corrigendum errorem additum est uerum 'magis' (nec enim illud pro 'magis magisque' accipi potest, ut olim sibi persuaserunt). et haec fuisse uidetur causa, cur in initio uersus, ne hic abundaret pedibus, omitteretur a librario uox quaedam, unde uerba 'n. f. b.' pendent. mitto commenta multa inutilia artificiosa incredibilia: uerum uidit Guietus addendo 'prodest', nisi quod mihi praeplacuit addere 'iuuerit'. nam ut in hoc quidem colo modesta illa loquendi forma multo est aptior iucundiorque (quapropter inprobo quod post me Munro maluit 'iam iuuat'), ita 'iuuat' duplici

notione, scil. et 'prodest' et 'delectat', instructum optime opponitur duplici illi 'taedet obestque'. sic igitur construe: fecisse benigne (h. e. bene, ut Cic. ad fam. XIII 67, 1 *qui plurimis in ista prouincia benigne fecisti*; cf. et X 18 *maligne*), plane nihil (Prop. II 34, 30 *nil iuuat*) aut delectat aut prodest, quin potius et ut inritum fructuque carens taedium adfert (de constructione Neuius II p. 622) et magis etiam (scil. quam taedet) nocet. ad 'magis' (germanice 'noch mehr') cf. non tam LXVIII[a] 30 quam ex. gr. PLM. III 19, 2, 2 [p. 63] *cura dapes sequitur, magis inter pocula surgit.* in uniuersum cf. et Petron. 92 *neminem nihil boni facere oportet; aeque est enim ac si in puteum conicias.* damnum utpote rem grauiorem suo C. persequitur exemplo: — **5. ut mihi.** scil. obest. — **quem nemo grauius nec acerbius urget.** premit molestusque est inimicus; Tib. II 1, 79 *quos hic grauiter deus urget.* 'ac.', cum maiore dolore meo; coniungit Caesar quoque b. c. I 5 *grauissime acerbissime decernitur.* 'nec' post 'nemo' pro 'et', ut XXIII 25. ceterum hoc optime intellegetur de aemulo inportuno maximeque Rufo, quem praecipue indicat u. sq.: — **6. quam modo qui me unum atque unicum amicum habuit.** 'qui' per anastrophen reiectum post 'modo' (h. e. breui ante). 'unum am.', uerum et tot aliis antistantem; 'unicum', qualis nec reperiatur nec umquam repertus sit; populariter hoc iunctum uidetur, ut Gell. XVIII 4, 2 *se unum et unicum lectorem esse enarratoremque Sallustii,* Apul. met. IV 31 *idque unum et pro omnibus unicum.* 'habuit', habere se dixit. in duris elisionibus cumulatis uix agnoscendum est consilium quoddam poetae.

LXXIV.

1. Gellius audierat patruum obiurgare solere. hunc Gellium, quem abhinc saepius habebimus obuium, ex c. XCI constat fuisse poetae aemulum in amore Lesbiae et ob eam causam inpugnatum. frustra Catullus quaesiuerat, ut eum sibi propitium redderet et amicum (CXVI): postquam uanum esse hoc coeptum intellexit, iambos, quos ibi minatus erat, in inimicum uibrat trucissimos, stupra cum matre et sorore et patrui uxore commissa porroque fellationem illi obiciens (cf. LXXX, LXXXVIII—XCI, quae carmina quo ordine sese exceperint nec licet certo scire nec refert). fuit hic Gellius adulescens (LXXX 1 *rosea labella*); unde, cum ex ratione temporis, quo omnia haec in aemulos poemata sunt scripta, anno fere 58 hic cyclus sit uindicandus, non licet auctoribus Parthenio Muretoque cogitare de Gellio Poplicola, in quem a. 56 Cicero in Sestiana tam acerbe est inuectus, siquidem ille teste § 110 huius orationis *otio et tranquillitate reipublicae consenescebat* (cf. Schwabius q. C. p. 103 sqq.). rectius igitur Octauius Pantagathus cogitauit de L. Gellio filio, de quo Val. Max. V 9, 1 haec refert: *L. Gellius omnibus honoribus ad censuram defunctus cum grauissima crimina de filio, in nouercam commissum stuprum et parricidium cogitatum, prope modum explorata haberet, non tamen ad uindictam procurrit continuo,*

sed paene uniuerso senatu adhibito in consilium expositis suspicionibus defendendi se adulescenti potestatem fecit; inspectaque diligentissime causa absoluit eum tum consilii tum etiam sua sententia; eandemque rem qui plura de Gellio filio exhibet Dio Cassius XLVII 24 narrat; cf. et Schwabius (l. l. p. 111 sq.), qui illum a. fere 79 natum esse, a. igitur 58 uicesimum primum aetatis annum egisse optinuit. et licet Valerius Maximus innuat, stuprum in nouerca (cf. infra ad LXXXIX 1) commissum falso esse obiectum Gellio filio, hoc tamen (ut sit uerum) non inprobat eorum opinionem, qui Gellium Catullianum eundem esse cum illo Valerii Maximi perprobabiliter sibi persuaserunt. recte Schwabius 'eadem suspicio, siue recta siue falsa erat, qua motus Gellii pater quaestionem consilii senatorii in filium instituit, Catullo quoque suffecit, ut carminibus acerbissimis idem flagitium castigantibus hominem Lesbiae insidiantem persequeretur'. de patruo autem Gellii (ut iam ad nostrum carmen redeamus) nihil constat; fortasse fuit Gallus itidem ignotus, qui in LXXVIII occurrit. quidquid id est, patruum illum poeta facit dignum nomine patrui, quippe quem fingerent ueteres morosum morum censorem castigatoremque minorum austerum, in uerbis seuerum largumque opprobriis: in comoediis certa erat persona *patrui obiurgatoris* (Apul. flor. p. 20 Kr.), cf. et Cic. p. Cael. 11, 25 *fuit in hac causa pertristis quidam patruus, censor, magister: obiurgauit M. Caelium, sicut neminem umquam parens, multa de incontinentia intemperantiaque disseruit*, Hor. od. III 12, 3 et sat. II 3, 88 *ne sis patruus mihi*, Pers. 1, 11, Manil. V 454 *patruiue rigorem*. 'audierat': ueneratne hic patruus breui ante Romam ex prouincia? — **2. siquis delicias diceret aut faceret.** siquis uerbis lasciuis factisue (amando) aliquem aetati daret ludum (ad XVII 15); Cic. p. Cael. 11, 27 *deliciarum obiurgatio* (nil ad rem VI 1, XLV 24). — **3. hoc ne ipsi accideret.** 'hoc', obiurgare: ne ipse patruae uerbera linguae pateretur. 'ipsi', sibi (Kuehnerus gr. l. II p. 461). — **perdepsuit.** hoc *ἅπαξ λεγόμενον* explicat Varro sat. Men. 331 B. *sed tibi fortasse alius molit et depsit* (Cato *corium depsere*, sim.), utriusque uocis sensum obscenum (= subigere concubitu) Cic. ad fam. IX 22, 4 *batuit, inquit, impudenter, depsit multo impudentius; atqui neutrum est obscenum* (per se) et Hor. sat. I 2, 34 *non alienas permolere uxores.* — **4. et patruum reddidit Harpocratem.** patruo os obsignauit, eum mutum fecit; CII 4 *factum me esse puta Harpocratem.* quod numen Aegyptiacum (cf. Pauly encycl. III p. 1511) deum et silentem et silentium imperantem sibi finxerunt Romani; Ouid. met. IX 692 *quique premit uocem digitoque silentia suadet*, Varro d. l. l. V 57 *etsi Harpocrates digito significat ut taceam* ('taceas eam' cod., h. e. 'taceaseam'), Augustin. d. c. d. V 18 *simulacrum quod digito labiis inpresso admonere uideretur, ut silentium fieret.* casu orta est uerborum similitudo Anth. lat. 346, 6 [PLM. IV p. 310] *puerum reddidit Hippocratem.* sed in uoce illa (ut similiter CII 4) cum posset aculeate finem facere poeta, in ioco acerbo sibi placens in tertio disticho eandem sententiam ex parte eisdem uerbis ('pa-

truum — patruus': acerbo cum ioco nimirum haec uox totiens iteratur per anaphoram et mox per epiphoram) longius persequitur, ab eo quod iam magis in uniuersum spectat ('reddidit') ad ipsius Gellii res procedens. — **5. fecit.** effecit, consecutus est; XCVIII 6, Sen. rhet. p. 166, 17 K. *plane quod uoluit consecutus est.* — **quamuis irrumet ipsum nunc patruum.** licet iam perpetuo uel patruum ludificet (ut XXVIII 10), rem scil. cum eius uxore habens. — **6. uerbum non faciet patruus.** hunc quidem ludum (has delicias), quo Gellius uel patruum facit ludum, hic ne unico quidem uerbo obiurgabit (scil. metu mali rumoris). 'uerbum', scil. 'unum', quod modo grauiter additur, ut Ter. Andr. IV 4, 13 *uerbum si mihi unum .. faxis*, modo omittitur, ut ibid. I 2, 7 *numquam quisquam nostrum uerbum fecit.*

LXXV.

1. Huc est mens deducta tua, mea Lesbia, culpa. eo peruenit meus in te animus; nota est locutio 'huc rem deducere, ut' (ex. gr. Cic. Cat. II 2, 4, Caes. b. g. I 70, Iustin. XI 4, 11); 'adducta' olim praeplacuit nonnullis ('perducta', si opus esset mutatione, ego mallem). ex consuetudine uetere retenta est adlocutio amoris plena 'm. L.' (nam 'mea' non cum 'mens' coire, quod tali addito non eget, ultro apparet), quam habes ex. gr. V 1. XI 22 *illius culpa.* — **2. se officio perdidit ipsa suo.** dum mens officio stat, h. e. dum fidem ex mea parte semper seruo; subest imago foederis icti, quod utrique parti officium inponit. quomodo hanc fidem seruando ipsa se pessumdederit mens poetae de amasia insane certantis, ex LXXVI 20 sqq. discimus. — **3. bene uelle.** ut LXXII 8. — **optuma.** pudicissima (LXXVI 24). — **4. amare.** itidem ut LXXII 8. — **omnia.** cum ui pronuntia, unde accipit significationem 'turpissima quaeque', ex oppositione etiam; similiter XXI 6.

Poemation nostrum mira cum pertinacia pro fragmento est habitum, ex quo Scaliger, qui in codice Cuiaciano interpolatissimo u. 1 'Nunc est mens' inuenerat, ante illud posuit c. LXXXVII (cui itidem nihil ad perfectum in se poemation deest) et Lachmannus emendationem carminum sic coniunctorum perfecit pro 'deducta' reponens 'diducta'. at diuidua est mens fluctuansque inter amorem odiumque iam in c. LXXXV paulo ante scripto, ubi de causis affectuum repugnantium adhuc dubitat poeta; iam cum progressu quodam idem de odii et amoris sui natura melius edoctus eo usque uesano suo amore se peruenisse innuit, ut, quamquam et cur oderit et cur amet intellegat, tamen ab amasia desistere nequeat. iustam igitur causam desidero, cur uiolentissima traiectione copulentur duo carmina, quorum utrumque per se bene stat; et si 'nunc' scribitur, male abesse sentio a u. 1 uoculam aliquam, quae illi 'ita' in u. 2 respondeat, cum contra 'huc' traditum optime cum 'ita' copulatum ad 'ut' u. 3 spectet (male etiam 'nunc' in u. 3 sequitur 'iam').

LXXVI.

1. benefacta interdum aequant beneficia, ut Enn. trag. 389 R. *benefacta male locata malefacta arbitror*; cf. u. 7, 8. — **priora.** prioris uitae. — **2. cum se cogitat esse pium.** uoluptas oritur eo quod (de 'cum' cf. LXVIII[a] 8) in memoriam sibi uocat (Quint. VII 10, 10 *cogitemusque, homines ante inuenisse artem quam docuisse*), se probum bonumque stare semper (praes. 'esse') officiis. nam 'pius' non sine respectu dictum est religionis, sub qua foedus feritur fidesque datur, testibus uu. sqq., qui rem magis inlustrant. — **3. nec sanctam uiolasse fidem.** Cic. d. off. III 29, 104 *qui ius igitur iurandum uiolat, is fidem uiolat*; et utpote iureiurando adligata fides est 'sancta' siue inuiolabilis (Cic. p. leg. Man. 14, 42 *fidem .. sanctissimam*). — **3, 4. nec foedere in ullo diuum ad fallendos numine abusum homines.** ut 'pium' inlustrant uerba 'nec . . fidem', sic nunc 'foedere' explicat 'fidem' tamquam utrimque sub certae pactionis legibus datam. et quamquam poeta in uniuersum ('ullo') loquitur, maxime tamen de amoris foedere cogitat, cuius seueram stipulationem (praesertim post discidium) inlustrat Prop. III 20. bene Vulpius cp. Cic. p. dom. 48, 125 *ementiri, fallere, abuti deorum inmortalium numine*: inuocabant foederi pacto numen sanctum deorum ut testium ultorumque, ut, qui animo ad conuentionem non obseruandam inclinante et ad fallendum prono iurabat, periurio facto abuteretur deorum numine. male IVossius ex interpolatis libris 'nomine' reponi uoluit. — **5, 6. multa parata manent cum longa aetate, Catulle, ex hoc ingrato gaudia amore tibi.** soliloquium habes, ut c. VIII, usque ad u. 17, ubi mutata ratione deos adloquens iam abhinc C. de se per primam personam uerba facit. 'parata manent tibi', tibi prompta et certa sunt (ad VIII 15). 'cum' restitui secundum aperta codicum indicia, h. e. 'una cum'; ita nimirum recte loquitur adulescens, cui spatium adhuc longum quodque ante se positum uidet est percurrendum; 'in' (quod uulgo scribunt) melius de tempore siue praesenti siue perfecto usurpat homo grandaeuus ('in longam aetatem' fere hic expectatur). 'longa aetas' de tempore futuro dixerunt Hor. sat. I 4, 132, paneg. Messal. 210 (*longi anni* Aen. X 549). quamquam fortasse ingemiscens C. ponit 'longa': Publil. Syr. O 3 *o uitam misero longam, felici breuem.* 'ingrato' passiue ut LXXIII 3, qui gratiam non inuenit; nam 'hoc' fere ualet 'tuo' (cui tu tota mente indulsisti). 'gaudia', recordationis (u. 1). — **7. bene cuiquam aut dicere possunt aut facere.** 'cuiquam', quicumque is est; cf. de hac uoce etiam in enuntiatis adfirmatiuis adhibita Maduigius ad Cic. d. fin. p. 836[3], Draegerus synt. hist. I § 48. 'bene alicui dicere' ualet 'aliquem laudare, praedicare' (Ouid. trist. V 9, 9) uideturque intellegendum maxime de morum defensione a poeta contra Lesbiae reprehensores suscepta. quomodo autem idem benefecerit puellae, plane nescitur (ut restant nonnulla in amore illo obscura); fortasse tum, cum Clodia ueneni Q. Metello dati suspicione premebatur, C. cum ea

reconciliatus laboranti succurrit. nisi forte nil aliud uoluit poeta quam hoc, bonis et dictis et factis se Lesbiae ipsi amorem suum ostendisse. Plaut. Pers. IV 3, 24 *benedictis tuis benefacta aures meae auxilium expostulant.* — **9. omnia quae ingratae perierunt credita menti.** recte sic initium restituerunt Itali, synaloephen duriorem a Catullo non abhorrere iure arbitrati; traditum ʻomniaqueʼ, quod respuit sententiarum conexus, non defenditur fortuita apud Prop. I 3, 25 similitudine. ʻcreditaʼ, commissa; ut semina coloni credunt terrae laboris mercedem sibi promittentes, sic beneficia in aliquem conferimus sperantes redditum iri nobis gratiam. Plaut. Poen. III 3, 22 *malo siquid bene facias, id beneficium interit,* Lucr. III 937 *ingrata interiere* et 940 *periere profusa.* — **10. quare cur te iam amplius excrucies?** ʻquare curʼ copulatum ne mireris, reminiscendum est, semper fere ʻquareʼ apud nostrum consecutiue (ʻquae cum ita sintʼ), rarius interrogatiue (cf. XXIII 15, LXIX 1, LXXX 1) poni. lacunam intolerabilem (ad LXVII 44) olim ita remouerunt, ut aut cum Italis ʻiam te curʼ aut auctore Mureto ʻte iam curʼ reponerent, male dirimentes cohaerens illud ʻiam ampliusʼ (cf. ex. gr. Cic. Catil. I 3, 6 *quod iam amplius expectes*). quare praetuli ʻiam iamʼ scribere, quod notum est haud raro sic pro simplici ʻiamʼ poni, ut grauius praesentis temporis notio efferatur (nunc, ubi omnia uana atque inrita uides); cf. Handius Tursell. III p. 155 sqq. quamquam siquis hoc auersatus propter caesuram, qua non bene discindatur illud, malit ʻteteʼ reponere, equidem nunc non uehementer refragabor; ʻteteʼ pro simplici ʻteʼ adhibetur CI 5 (Neuius d. f. l. II p. 182). ʻexcruciesʼ, LXXXV 2. — **11. qui tui animo offirmas atque instincteque reducis.** ex his corruptelis quod solum fere aliquid fundamenti praebet disputationi ʻoffirmasʼ, id duplici modo construitur, et transitiue (Attius trag. 371 R. *modo tute ipse tete offirma,* Plaut. merc. prol. 82 *utut animum offirmo meum*) et absolute (ut Ter. Eun. II 1, 11 *censen posse me offirmare*); sed in hoc usu absoluto accedere posse ʻanimoʼ, nec exemplo constat nec per se probabile est. itaque Italis et AStatio auctoribus uulgo legunt ʻquin tu animumʼ. erat cum mihi adrideret ʻquituiʼ mutatum in ʻquitniʼ siue ʻquidniʼ (de forma ʻquitʼ cf. Corssenus de pronunt. I p. 194[2]); sed quod ad usum uocis attinet (de quo cf. Kuehnerus gr. l. II p. 996), deceptus sum exemplis male fallacibus. accedit quod ʻquinʼ (de quo cf. Kuehn. l. l.) confirmari uidetur loco Ouidiano non sine recordatione nostri scripto, met. IX 745 *quin animum firmas teque ipsa recolligis, Iphi, consiliique inopes et stultos excutis ignes?* (nam insuetius iam ʻoffirmareʼ Ouid. non potuit non mutare). ita igitur retinendam puto lectionem uulgarem, ut tamen eliminetur ʻtuʼ duce Ouidio: in ʻtuiʼ ductus priores ʻnʼ, posteriores ʻuʼ olim supra ʻaīoʼ scriptam continere uidentur. idem exemplum Ouidii uiam monstrat in illo ʻinstinctequeʼ (G ʻinstinctoqueʼ). et ʻistincʼ obuium iam olim Itali latere uiderunt, h. e. siue ʻab ista ingrataʼ (ut saepe aduerbia loci uice personarum ponuntur, cf. ʻundeʼ pro ʻa quoʼ) siue ʻab isto ingrato amoreʼ (cf. Hor. sat. I 4, 131). iam cum ʻse redu-

cere' ualeat 'se remouere' (Ouid. trist. V 7, 65 *meque ipse reduco a contemplatu demoueoque mali*), Heinsio duce nonnulli 'teque' ita retinuerunt, ut 'que .. et' artius inter se iungerent (cf. ad I 6). quos tamen refellit 'istinc' minime ad utrumque colon spectans; nec potest sic quidem 'que' traici apud nostrum (nam LVII 2 nil ad rem). iam cum alii 'usque' uel 'te usque' subesse opinarentur, quin etiam praecedens 'atque' male attemptarent, Ellisius temptauit 'te ipse', quod commendat Ouidius. sed 'ipse' paulo uiolentius ex 'que' elici intellegens malui equidem 'tepte'. nam ut Romani 'sepsĕ (= se ipse)' a 'sesē (= se ipsum)', porro 'meptĕ (= me ipse)' a 'memē (= me ipsum)' distinxerunt, sic etiam praeter 'tetē (= te ipsum)' eos dixisse 'teptĕ (= te ipse)' siue 'tetĕ' conlegi ratione; nam huius usus exemplum sane non indulsit nobis casus. quam formam insolitam corruptioni maxime obnoxiam fuisse par est. — **12. et deis inuitis desinis esse miser?** quoniam di amori tuo non fauent; cf. LXVIII^b 38 et Lambin. ad Hor. sat. II 3, 8. AStatius cp. Ouid. rem. 657 *odio qui finit amorem aut amat aut aegre desinit esse miser.* — **13. difficile est longum subito deponere amorem.** obicit haec ipse sibi poeta quasi interlocutor; quales obiectiones plerumque per 'at' introduci notum est. de sententia cf. Lucr. IV 1146 sqq.; Menander fragm. inc. 193 Mein. ἔργον ἐστί, Φανία, μακρὰν συνήθειαν βραχεῖ λῦσαι χρόνῳ. 'longum', tantum per tempus qui tenuit animum, nimirum quattuor uel quinque fere per annos (62/1—58/7); Ouid. rem. 268 *longus et inuito pectore sedit amor*, Ciris 383. Vulpius cp. Cic. ad Q. fr. I 1, 38 *iam in nostra aetate difficile est, mutare animum et, siquid est penitus insitum moribus, id subito euellere.* Ciris 11 *deponere amorem*, Ouid. rem. 259 *deponent pectora curas.* — **14. difficile est, uerum hoc qua lubet efficias.** repetitione hic conceditur: recte quidem dicis esse difficile. Hor. od. I 24, 19 *durum; sed leuius fit patientia.* 'qualubet' (scil. ratione), quocumque modo, ut XL 6. 'efficias', et mox u. 16 'facias', adhortatiuus, ut VIII 1. — **15. una salus haec est, hoc est tibi peruincendum.** Verg. Aen. II 354 *una salus uictis nullam sperare salutem* (ibid. 710), Liu. VII 35 *ergo una est salus, erumpere hinc et abire* (= una uia salutis); ex Vergilio fluxit in Anth. lat. 355, 1 [PLM. IV p. 312]. 'peru.', optinendum; Tac. a. XII 59 *quod patres odio delatoris .. peruicere.* constantiam infractam poetae obseruandam belle pingit uersus spondiacus. attende et ad gratam pronominis repetitionem, qua illud 'deponere amorem' tamquam unum solumque remedium effertur. — **16. siue id non pote siue pote.** ad utrumque 'pote' supple 'es' (siue potes siue non potes); cf. ad XVII 24; non 'est' (siue id licet fieri siue non licet), cum in hac significatione noster quidem 'potis' adhibeat, ut statim u. 24. Sen. Med. 567 *incipe quidquid potes, Medea, quidquid non potes.* hic membrum negatiuum praeponitur, ut illo 'siue (= siue potius) pote' indicetur, facere sane eum posse. — **17. o dei, si uestrum est misereri.** 'si' non designat loquentis dubitationem aliquam (ex. gr. Epicureorum placitis ortam), sed fere ualet 'siquidem uerum est quod

perhibent, uos misereri', ut ap. Verg. Aen. II 536 *di, siqua est caelo pietas, quae talia curet, persoluant grates dignas,* ibid. I 603 et V 687: pium se esse deorum cultorem, qui maiorum de dis opinioni inhaereat, simulque ipsa sua fiducia certo se expectare praesens auxilium, ostendit qui ita loquitur. sic obtestationi quidem inseruit 'si', ut tamen bene sit distinguendus hic uoculae usus ab eo, qui mox u. 19 occurrit in eadem obtestatione modo paulum diuerso: externa, ut ita dicam, obtestandi causa hic designatur (nam uestrum esse misereri sanxit prisca persuasio). — **18. aut si quibus umquam extrema iam ipsa in morte tulistis opem.** aliter iam adhibetur 'si umquam', cui subiciendum erat in apodosi 'nunc'; quod omissum est u. 19 (ut ex. gr. Liu. XXIII 22, 9), cum praesertim apodosis non tantum ad hoc colon spectet. 'ipsa in' optime Itali elicuere ex tradito 'ipsam' secundum Verg. Aen. II 448 et XI 846 *extrema iam in morte* (cf. et Lucr. II 960 *leti iam limine ab ipso reuerti*, Apul. met. VII 7 *mediis Orci faucibus euasi*); est sane necessaria omnino praepositio (alii Itali simpliciter 'ipsa'), ut mortis undique circum uersantis imago exhibeatur. dicitur autem mors cum nota dicendi abundantia 'extrema'; cf. Bentleius et Schmidius ad Hor. epist. II 2, 173. nonnulli Itali 'extremam' (nam V corrupte 'extremo' habet) uoluere; sed 'extremam opem' uix licet accipere aliter quam eam quae uere morienti praebetur. — **19. me miserum aspicite et, si uitam puriter egi.** in me conuertite oculos beniuolos; Aen. II 689 *Iuppiter omnipotens, precibus si flecteris ullis, aspice nos.* 'si' nunc ita usurpatur, ut internae quodammodo causae adferantur, quibus iure deos (siue homines) se obtestari obtineat supplex; cuius usus exempla congessit Bentleius ad Hor. od. I 32, 1 (coniunctnm hunc usum cum priore habes ap. Verg. l. l.). 'puriter' (XXXIX 14), caste et sine labe: Hor. od. I 22, 1 *scelerisque purus,* sat. II 3, 213 *purum uitio cor* et absolute sat. II 6, 69 *purus et insons*, consol. Liuiae 41 *quid tibi nunc mores prosunt et puriter actum omne aeuum,* Plaut. Rud. prol. 29 *aetatem agitis cum pietate et cum fide,* Laber. prol. 13 *tricenis annis actis sine nota,* Prop. II 9, 47 *si forte pios eduximus annos* (Tib. I 3, 51 sq). — **20. hanc pestem perniciemque.** hunc, qui nunc me tenet occupatum, morbum taetrum et perniciosum. male enim uulgo mihi uidentur interpretari de ipso amore (Aen. IV 90); rem inlustrat u. sq. saepius uoces illas allitteratione alliciente iungebant, ut Lucil. II 19 M., Cic. Catil. I 13, 33 *cum tua peste ac pernicie,* id. de diu. I 23, 47, alibi. — **21. seu mihi subrepens imos ut corpore in artus.** quod loco corrupti illius 'seu' Meleager restituit 'heu', etsi omnium lenissima correctura uidetur, tamen propterea est reiculum, quod 'heu mihi' non est formula latina; nec potest interpungendo 'heu, mihi subrepens' succurri, cum male hoc modo 'mihi' efferatur. Itali 'quae', AStatius 'haec' uiolentius uoluerunt, hic praeterea 'in corporis artus' proponens. sed 'corpore' dubitari nequit quin recte in 'torpor' mutauerint Itali; qua uoce designatur defectus omnium animi corporisque uirium, ex ipsa ille profluens desperatione, quae post uanos labores

in retinenda sibi Lesbia positos tandem occupauit poetam; est haec desidia plumbea membrorum mentisque alacritatem opprimens illa ipsa pestis u. 20 conmemorata: Claud. gigant. 99 *qui torpor inertem marmorea me peste ligat?* initium autem uerissime correxit Lachmannus 'hei' siue potius 'ei' exhibens ('hei' in 'heu', hoc porro in 'seu' abiit); et est 'ei mihi' notissima formula poetica, cuius exempla passim sunt obuia (ut Aen. II 274, XI 57, XII 620; cf. et Ciris 237) cuiusque gemella est 'ei misero mihi' (cf. ad LXXVII 4); nam nudum illud 'ei' post comicos nemo scripsit debeturque tantum peruersis coniecturis (ut Verg. epigr. 6, 3). iam 'ut' exclamationis esse puto (Lachm. ipse haec prioribus adiunxit): Attius trag. 351 R. *ei mihi, ut etiam aerumna haec mihi luctum addit luctibus!* 'subrepit', sensim inuadit, ut Sen. epist. 104, 1 *febrem subrepentem.* — **22. ex omni pectore laetitias.** sensus gaudii atque hilaritatis (germanice 'Regungen der Freude': Naegelsbachii stil. lat. p. 144[7]); sic plurali utitur Lucr. III 141 *haec loca* (pectoris) *circum laetitiae mulcent* (minus huc faciunt Cic. de fin. II 4, 13 et ad fam. II 9, 2 a Vulpio cp.). 'ex omni', quod male in 'exsomni' mutabat Passeratius, positum est pro uulgari 'plane ex pectore', ut Lygdam. 1, 20 *ex toto pectore deciderim.* — **23. non iam illud quaero, contra ut me diligat illa.** ad totam uu. 23—26 structuram comparari possunt Aen. IV 431 *non iam coniugium anticum, quod prodidit, oro nec pulcro ut Latio careat regnumque relinquat: tempus inane peto* et V 194 *non iam prima peto..: extremos pudeat rediisse.* quibus locis (plane ut nostro u. 25 'ipse') oppositio ita denotatur, ut per asyndeton aduersatiuum notio principalis in apodosi praeponatur; ex oppositione autem in protasi 'non' tantam uim accipit, ut solita formularum 'non iam' (= nondum) et 'iam non' (= non amplius) differentia tollatur et 'non iam' adaequet talibus locis 'non nunc'. 'contra', ex sua parte, uicissim, ut Plaut. Cist. I 1, 97 *coepi amare contra ego illum* (plura dat Lorenzius ad Plaut. m. gl. 101). 'ut me' ex tradito 'me ut me' rectius Itali elicuere quam 'me ut', cum neque 'me' ictum quendam habeat et de uitii genere constet (praef. paneg. lat. p. XIV). 'diligat', LXXII 3. 'illa', VIII 9. — **24. non potis est.** fieri nequit, ut LXXII 7. — **25. taetrum hunc deponere morbum.** hanc pestem, torporem; nam ad hunc utique referas, non ad amorem, quem per se apparet prius deponendum esse (u. 15) quam deponi potest torpor. Sen. epist. 82, 3 *utraque res detestabilis est, contractio et torpor.* 'taeter' uoce, quam adhuc adamat Lucretius, postea cultissimus quisque poetarum abstinuit; cf. LMuellerus ad Hor. od. III 11, 19. Hor. epist. I 1, 35 *magnam morbi deponere partem.* — **26. reddite mi hoc pro pietate mea.** inuicem date ut praemium uitae pie actae (cf. ad LXIV 157, LXVIII^{b} 110); Verg. Aen. II 537 (di) *praemia reddant debita* et III 26 *et placidi seruate pios*; Ciris 524.

Lesbia cum plane sese abiciens persona uilissima esset facta (qualem depingit c. LVIII), Catullus post pugnas cum riualibus uiolentissimas inritasque spe reuocandae in meliorem uiam puellae funditus amissa

desperationi summae iam ipsum magis magisque consumenti traditus tandem fecit quod uirum bonum firmumque facere decuit: in omne tempus abrupit indignum iam se amorem. hoc quam aegre a se inpetrauerit quantoque cum dolore carae mulieris imaginem ex animo extirpauerit, testes sunt hi uersus, quibus deos ut ex uulnere accepto possit sanari precatur. qui uersus eo ipso, quod sine arte longe quaesita profluxerunt ex poetae pectore intima sede conmoto, et nos legentes penitus conmouent tam ob affectuum uehementiam grandem quam ob sentiendi cogitandique rationem uere honestam: dum admiramur summi poetae in sensis dictisque magnitudinem, simul flemus cum homine et diligimus uirum probum fortemque.

LXXVII.

1. Rufe, mihi frustra ac nequicquam credite amice. quem 'frustra', spe deceptus et sine effectu, ac 'nequicquam', spe ab initio cassa et rationis egente, credidi mihi esse amicum (cum ui pronuntia: amicum certum uerumque). similiter coniunxit synonyma illa Apul. met. VIII 16 *sed nequicquam frustra timorem illum satis inanem perfuncti.* **O** 'amice', G 'amico' praebent. hoc si amplecteris, sententia erit haece: cui ego amicus f. ac n. fidem habui (cf. de constructione ex Verg. Aen. II 247 notissima Kuehnerus gr. l. II p. 75). prius si praefers, multo fortius dicit poeta: quem ego f. ac n. putaui amicum (Kuehnerus l. l. p. 11). et huic rationi accedit maior fides a palaeographia quoque, siquidem exquisita lectio 'amice' facillime in tritam uulgaremque 'amico' corrumpebatur, difficillime uersa uice haec in illam. nam adest hic subtilis quidam sermonis latini usus, ex quo praedicatum sequitur participium per attributum accedens uocatiuo, ut Prop. II 15, 2 *lectule deliciis facte beate meis*, ubi uide Hertzbergium (Kuehnerus l. l. p. 191). — **2. frustra? immo magno cum pretio atque malo.** in parenthesi se corrigit poeta: sed quid dico ego 'sine effectu'? immo potius hic erat effectus, ut id quod te amicum putaui magno mihi constaret magnamque afferret calamitatem. de hac figura, *ἐπιδιόρθωσιν* uel *ἐπανόρθωσιν* quam uocant rhetorici (RVolkmannus libri 'Rhetorik d. Gr. u. R.' p. 423), cf. ex. gr. Cic. Cat. I 1, 2 *hic tamen uiuit. uiuit? immo uero etiam in senatum uenit.* Ter. Andr. III 5, 4 *ego pretium* (= poenam) *ob stultitiam fero*, ibid. I 1, 116 *quid facias illi qui dederit damnum aut malum*; Tib. I 6, 52 *ne pigeat magno post didicisse malo.* AStatius cp. dictionem *magna mercede* (= pretio) saepius obuiam. 'cum', una cum, sub, ut Ter. Andr. V 3, 10 *habere cupiat cum summo probro*, XL 8. — **3. siccine subrepsti mei.** cum magno affectu: reuera igitur fieri potuit, ut tamquam uipera uenenata mihi in sinum subreperes? cf. LXIV 132. 'mei' prisce pro 'mi'. de syncope 'subrepsti' cf. Neuius d. f. l. II p. 536. ad imaginem apte Ellisius cp. Theogn. 602, ubi de falso amico *ψυχρὸν ὃς ἐν κόλπῳ ποικίλον εἶχες ὄφιν*, Sen. ad Marc. 1 *uide quam non subrepam tibi* (me tibi insinuem latenter). — **atque intestina perurens.**

incendio saeuo (febri ardenti), ut uipera morsu, intimas medullas mihi inficiens; similiter Val. Flacc. I 76 *sola animos mentesque peruris, gloria.* — **4. ei misero eripuisti omnia nostra bona?** amorem Lesbiae siue potius Lesbiam ipsam; ut similiter LXVIII^b 118. locutio explicanda secundum Ter. Heaut. V 1, 69 *me mea omnia bona* (omnia quae possideo) *dixisse illi* et Andr. I 5, 61 *bona nostra haec* (sororem) *tibi permitto*: Lesbia poetae erat possessionum suarum summa maximaque, omnem illius felicitatem complectebatur. 'ei misero' debetur Lachmanno: in V ex initio prioris uersus ('siccine') mala repetitione 'si misero' legitur. praeter formulam 'ei mihi' (ad LXXVI 21) interiectio 'ei' et in hac altera 'ei misero mihi' adhibebatur; cf. LXVIII^b 53 et infra CI 6. — **5, 6. eripuisti, eheu nostrae crudele uenenum uitae, eheu nostrae pestis amicitiae.** interrogationem summae ut in re paene incredibili dubitationis plenam sequitur responsio plane affirmans (cf. ad IX 5) iamque ob ipsam dubitationem priorem efficacissima: sane eripuisti, sane uiperae instar uenenatae egisti, qui eheu uitam meam ueneno infecisti (Heinius nostras: 'und hast mir Gift gegossen ins bluehende Leben hinein'), qui eheu amicitiam inter nos quondam pulcherrime copulatam pestilenti adflatu necuisti. quo modo eo facilius loqui licuit poetae, quod metonymice et 'uenenum' perniciem (Liu. III 67 *discordia ordinum est uenenum urbis*) et 'pestis' interitum (Cic. p. Rab. perd. 1, 2 *contra pestem ac perniciem ciuitatis* de hominibus turbulentis) indicat. male nonnulli 'amicitia' de amore (XCVI 4) Lesbiae intellegunt: hic quidem et amissum amicum olim carum queritur poeta. ceterum 'pestis' Italis debetur: V 'pectus' praebet. quod si IVossius cp. Mart. IX 4, 2 *fidae pectus amicitiae* et Stat. silu. IV 4, 103 *neque enim tibi iunctius almae pectus amicitiae* ita defendit, ut aut ironice intellegendum aut potius 'olim' supplendum mente diceret, et hic et qui eum secuti sunt neglexerunt, nec ironiae esse in carmine hoc acerbissimo locum nec bonos quidem poetas notiones principales reliquisse lectoribus subintellegendas nec denique alterius 'eheu' sic ullam esse rationem; quod repetitum conuenientem priori colo uocem flagitat, quae est 'pestis' (S et C saepius confusae). 'eheu' quod bis restitui codicum aperta uestigia secutus, obseruatione feci illa, qua 'heuheu' formam iam Peerlkampio ad Hor. od. I 15, 9 suspectam latinitati abrogandam censeo, quippe quae solius medii aeui sit inuentio; nam antiqua forma 'eheu' saepissime corrupta (sic V XXX 6 *oheu*, LXIV 61 *heue*) effecit ut medio aeuo certam regulam sequentes correctores ubique 'heuheu' reponerent; quamquam quo integriores codd. adsunt, eo plura pristinae formae uestigia deprehendimus adhuc, modo eis prudentius utamur quam ex. gr. Kellerus in Horatio. — ceterum hoc carmen, in quo Catullus non solum Lesbiam ab amico ereptam sed etiam huius ipsius perfidiam sibi cognitam dolet, tam in se consummatum est, ut omne quod accedat de grauissimae incusationis pondere aliquid detrahere uideatur. quo magis mirandum est, Scaligerum (quem incaute Lachmannus est secutus) post u. 6 conlocare uoluisse

c. LXXVIII[b]; quod (ut alia taceam omnia) iam a palaeographica ratione neutiquam commendatur.

Rufum, in quem hi uersus sunt facti, esse M. Caelium Rufum olim AStatius et Muretus diuinauerunt (cf. supra p. 33); sunt autem scripti illi paulo post c. LXVIII[b], ut et illud 'omnia nostra bona' probabile reddit et euincitur eripiendi uerbo u. 4 obuio, quippe quod non potuerit adhiberi nisi de eo qui primus Lesbiae erga poetam fidem temptauerit. quo enim iure, amabo, si Rufum secundum uel tertium uel quartum post Catullum habuit Lesbia lectuli socium, uocabulo isto noster utebatur? Rufum igitur eum fuisse censeamus oportet, qui absente illo Lesbiae sibi conciliaret amorem. et si in c. VIII Catullus adhuc se ignarum esse ostendit, curnam Lesbia a se alienata sit, carmen nostrum proximo post hoc c. VIII tempore factum esse apparet tum, cum de causa perfidiae certior fieret.

LXXVIII.

1. Gallus habet fratres. Gallus quis sit ignorare se fatentur omnes; ego non uereor ne nouarum rerum cupidus uidear, si libere promam quam concepi suspicionem. etenim dum recordor, quantopere amet Catullus eosdem homines ob eadem uitia uariis modis inpugnare, u. 6 illud 'patruus patrui' legens inuito animo non agnosco patruum ex c. LXXIV nobis bene notum. in quo carmine non solum Gellius iunior, sed ipse quoque patruus aliqua ex parte perstringitur, ut intellegamus, in nostro carmine peculiarem in Gallum patruum inuehendi materiam sibi sumpsisse poetam. cuius fratres duo (cf. u. 2) possunt fuisse L. Gellius pater ex Valerio Maximo (ad LXXIV) et Gellius Poplicola ex Sestiana noti. cognomen 'Gallus' notum est complurium familiarum fuisse proprium. — **1, 2. lepidissima — lepidus.** haec uox plane ut u. 4 'bellus' (cuius est synonymum: Plaut. Capt. V 2, 3 *fui ego bellus, lepidus*) tam ad formae quam ad ingenii cultusque amabilem gratiam spectat, ut Ter. Heaut. V 5, 16 *dabo illam lepidam quam tu facile ames* (cf. et ad Corn. 1); et plane ut u. 4 'bellus' uenuste uox illa repetitur: append. Tib. IV 1, 10 *cum digno digna fuisse ferar.* — **3. Gallus homo est bellus.** uox ultima non ad XXII 9 aut XXIV 7 accipienda est, sed magis in malam partem et cum respectu u. 4: secundum Plaut. merc. IV 1, 22 *illam esse amicam tui uiri bellissumi* et IV 5, 10 *tuus pater bellissumus amicam adduxit* est homo bellus etiam is qui bellas feminas amat; cf. gallicum 'un galanthomme'. haec patrui illius descriptio eo est iocosior, quo minus cum moribus eius seueris austerisque (LXXIV 1 sq.) congruit: fortasse res illa u. 4 enarrata Gallo ignaro in domo eius accidit, sed a poeta maligne ita describitur, quasi rigido illo uirtutis adsertore conscio atque conciliante sit facta. — **dulces iungit amores.** cf. ad LXIV 372 et passim obuium illud 'dulcia furta'. — **4. cum puero ut bello bella puella cubet.** uide ad LXIX 8; uariandi gratia hic pro 'lepidus' est positum 'bellus'; Plaut. Bacch. I 1, 48 *lepidus cum lepida accubet.* nimirum

'puella' est coniunx alterius fratris (res est notissima, late patere apud poetas uocis huius significationem; iam Doeringius cp. Hor. od. III 22, 2 et Ouid. epist. 1, 115), 'puer' siue adulescens filius alterius fratris. — **5. Gallus homo est stultus.** simul tamen G. inepte agit. admiranda est ars epigrammatis ob egregium acumen, quo tres partes, nempe descriptio et expositio et conclusio ridicule ἀπροσδοκήτως facta, repetito illo 'Gallus' dilucide indicantur duaeque partes ultimae iterum illo 'homo est..' inter se ligantur. — **nec se uidet esse maritum.** nec cogitat (XCI 5) se quoque esse coniugis formosulae uirum. — **6. qui patruus patrui monstret adulterium.** qui (cum 'se' iunge), cum ut patruus meliora debeat docere, hoc exemplo doceat aduersus patruum (se quoque ipsum: et in hoc stultitia est posita) adulterium (doceat fratris filium cum sua ipsius coniuge furtim cubare). Aen. IX 44 *conferre manum pudor iraque monstrat.* ceterum si recte suspicatus sum, Gallum esse Gellii iunioris patruum, apparet Catullum solito poetis epigrammatariis artificio adscribere tempori praesenti ea quae olim sunt facta. porro et hoc credibile est, 'puerum' illum (u. 4) esse Gellium filium, qui a patruo patrui adulterium doctus hac doctrina in magistrum sit usus (cf. LXXXIX 3).

LXXVIII^b.

1. Sed nunc id doleo. uersus quattuor sequentes cum nullo pacto cohaereant cum carmine priore et in se absoluto nec adlocutionem ullam continente, alii alio traicere uoluerunt, Scaliger post LXXVII, CdeAllio post XCI, Bergkius post LXXX. sed fatendum est carmina, quibus docti addidere fragmentum nostrum, utpote eo non indigentia respuere hoc additamentum. praestat igitur, ut iam idem Bergkius antea et Westphalius intellexere, ante uerba lemmatis lacunam (duorum fortasse distichorum) agnoscere. neque ego dubito quin poema olim integrum spectauerit ad eundem Lesbium, quem perstringit c. LXXIX. uocis 'nunc' explicatio ex eis quae perierunt pendet; cf. XXI 10. — **1, 2. quod purae pura puellae sauia conminxit spurca saliua tua.** cf. ad III 13 et IX 11 de hac traductione siue adnominatione: 'purae' (id est probae et pudicae) Lesbiae (haec enim intellegenda est aperte) 'sauia' siue labella (cf. Brixius ad Plaut. mil. II 1, 16, Gell. XIX 11, 4 *dum semhiulco sauio meam puellam sauior*) 'pura', propter hanc ipsam probitatem nihil polluta. similiter XCIX 10 *comictae spurca saliua lupae* de fellatrice; ad quem locum quod Scaliger pro tradito 'connuxit' restituit 'comminxit' (potuit etiam aut 'cominxit' aut 'conmixit', ut uoluit Ellisius cp. Neuium II p. 494), hoc uerbum commaculandi notione cum contemptu acerrimo utitur (Plaut. Pers. III 3, 3 *conmictum caeno sterculinum*). quae inquinatio oris et saliuae hinc spurcae cum sit duplex in uiro utpote aut fellatore aut cunnilingo, hoc alterum uitium hic notari mox uidebimus. — **3. non impune feres.** haud sine poena auferes (reportabis), non inultus discedes; Ter. Andr. III 5, 4 *inultum numquam id auferes,*

heaut. IV 1, 45 *illud haud inultum .. ferent*; cf. XIV 16, XCIX 3 *uerum id non impune tuli.* — **te omnia saecla noscent.** Ouid. met. XV 878 *perque omnia saecula fama .. uiuam.* ad 'noscet' iam mente supple illud 'qui sis' ἀπὸ κοινοῦ positum. — **4. et qui sis fama loquetur anus.** qualis homo sis (scil. cunnilingus) seris temporibus (cf. ad LXVIII^b 6 *carta anus*) fama narrabit; cf. l. modo l., porro Anth. lat. Mey. 1412, 14 *me fama loquetur,* Mart. I 39, 2 *famaque nouit anus* et spect. 1, 8 *fama loquetur opus*, Caton. dist III 8, 2 *ne sis quem fama loquatur.* cf. et similes minae XL 6.

LXXIX.

1, 2. Lesbius est pulcer. quid ni? quem Lesbia malit quam te cum tota gente, Catulle, tua. 'quidni', scil. ita censeam, cum eum Lesbia praeferat mihi meisque; cf. Kuehnerus gr. l. II p. 996, nec non LXXXIX 1. uerissime omnino conclusit Muretus, si Lesbia sit Clodia (supra p. 35), Lesbium esse Clodium. et ipse quidem cogitauit de P. Clodio tribuno plebis, hac usus argumentatione: 'id magis ut suspicer facit additum pulcri nomen (hoc enim cognomine fuisse Clodium omnes sciunt), ut poeta in ambiguitate uocis iocari uoluisse uideatur. ita enim et Cicero [ad Att. I 16, 10] iocans eum *pulcellum puerum* uocat. re uera autem pulcrum fuisse tradit Plutarchus'. sed quod Lipsius uar. lectt. I 5 opposuit, Ciceronem quantumuis P. Clodium inpugnantem tamen numquam uitium in u. 4 tactum ei obicere, hoc Schwabius q. C. p. 89 sqq. non eo refellit, quod paucis locis P. Clodium omnibus corporis partibus infamem audire ostendit (p. 91). ut hoc non sit dictio rhetorica fueritque Clodius etiam fellator: turpissimo et omnium maxime contempto uitio, quod Graeci uocant γλωσσοποιεῖν, si Clodium illum laborasse Cicero sciuisset, non omisisset hercle hoc quoque obicere inimico suo sic ut obiecit Sexto Clodio, Publii gentili, ueluti de dom. 10, 25 *qui sua lingua etiam sororem tuam a te abalienauit* (ibid. 18, 47 et 31, 83, d. har. resp. 6, 11, p. Cael. 32, 78, alibi). Catullus autem, quidquid rem auxit exaggerauitque, nullo pacto de P. Clodio, deliciis tam uirorum quam feminarum, contendere potuit, eum nec tria sauia notorum repperisse, nisi perinepte. ad has duas causas grauissimas accedit aliud quiddam leuius. Schwabius p. 101 hoc inesse acumen carmini censet: 'quamquam et nomine et facie pulcer est et hac de causa a Clodia Catullo praeponitur, tamen praeter Clodiam nemo natus [immo: notus] osculatur, omnes enim eius os impurum fugiunt'. si re uera P. Clodius fuit pulcher, se ipsum ut deformem quamnam ob causam opponit poeta? intellegimus oppositionem gentis: insito Claudiorum genti fastu Clodiam despexisse Catulli familiam prouincialem, ἐξ ἐναντίου igitur hanc et nobiles illos Pulchros conlocari, potest statui. his fortasse causis adductus Lipsius uar. lectt. I 5 de Sex. Clodio iam conmemorato cogitare maluit. contra quem si Schwabius pressit ambiguitatem illam a Mureto detectam in uoce 'pulcher', cum Sextus iste neque pulcher fuerit neque uero ad

Pulchrorum familiam pertinuerit, nimirum Lipsii suspicio obiter iacta accuratiore carminis adhuc parum perspecti interpretatione est fulcienda. uerum est, Sex. Clodium fuisse deformem (Schwabius p. 92); sed acerba hinc nascitur inrisio eadem, qua etiam Cic. p. Sest. 64, 134 Vatinium foedissimum uocat *pulcherrimum.* deinde si idem non minus erat despectus ab origine, suo iure se isti opponit poeta. nam etsi Sex. Clodio plebeio (ortum eum a liberto quodam uetere gentis Claudiae sumunt: Drumannus HR. II p. 386) non fuit Pulchri cognomen, tamen iterum acerba cum inrisione hoc ponit poeta, eum ad Pulchrorum familiam nobilem pertinere. dolendum est, propter pauca testimonia oppido obscuram esse rationem, quae inter P. Clodium Pulcrum et hunc Sex. Clodium intercesserit. quem uidemus quidem per omnia illius socium et administrum fuisse, sed unde haec tam arta familiaritas sit nata nescimus; ut nec hoc constat, cur tribunus plebis cum suis ex Claudio sit factus Clodius. nam ne uulgarem illius 'au' et 'o' mutationem arcessamus, uetant fratres eius Appius et Gaius Claudii Pulcri, in quibus uetus nominis forma, ut par est, intacta mansit. nam licet a plebe illud saepius per 'o' sit pronuntiatum, non perspicitur quomodo tam uetusta nobilisque familia nomen suum celebre adeo passa sit mutilari, ut iam haec mutilatio communi usu reciperetur. quodsi P. Claudius Pulcer subito est factus P. Clodius, certo cum consilio nomen inmutasse est censendus. frustra ille olim, ut tribunus plebis crearetur, plebeius fieri studuerat, cum ineunte a. 60 ex Sicilia reuersus in contione publice eiurato patriciatu ad plebem transiret (cf. ex. gr. LLangius antiqq. Rom. III 1 p. 268). cum hac re equidem et nominis mutationem (cf. supra p. 31 not.) et intimam illam cum Sex. Clodio plebeio amicitiam coniungo: transiit ex mea sententia Claudius Pulcher ad familiam Sex. Clodii, huius et nomen adsciscens sibi. frustra quidem illud factum erat ob ipsam transitus formam inlegitimam, siquidem et obsistente Q. Metello Celere consule (unde huic cum coniuge Clodia a fratris partibus stante rixae) a. 60 tribunus ille non est creatus et noua adrogatione (Langius l. l. p. 277) opus erat, ut tandem uoti fieret compos; sed coniunctio semel inita cum Sex. Clodio in omne tempus mansit (acerbe Cic. p. dom. 10, 25 *socio tui sanguinis*) et, ut mihi uidetur, transiit in P. Clodii sororem Clodiam. quam a. 59 uiro priuatam par erat, si in fratris dilecti domum migrauit, et ipsam aut transiisse ad familiam eam, ad quam iam frater pertinuit, aut certe Sex. Clodium sibi optasse tutorem. quidquid id est, ultro intellegitur hinc omnium facillume prouenisse illos de Clodiae cum homine isto amore turpissimo rumores: transferebatur infamia Sex. Clodii in feminam, quae ob solum fratrem in eius tutelam se contulerat. peruenerant hi rumores ad aures Catulli; qui, ut non potuit non contemnere Sex. Clodium, ita defendere studuit puellam ut puram (huc refero fragm. LXXVIII[b]), quamquam indigne tulit in spurci hominis tutelam se contulisse amatam, quam ut ab isto desisteret his carminibus admonuit. potuit Lesbia, si uoluit, fieri uxor Catulli (hoc clare indicant

uerba 'te cum tota gente tua'): Catullo huiusque familiae praetulisse illa dicitur Sex. Clodium cum sua familia (re uera, ut suspicari licet, liberam uiuendi rationem secutura). unde hoc euadit epigrammatis acumen aculeatum: Sex. Clodius sine dubio homo formosissimus est et ex nobili Pulchrorum familia, cum eum Clodia malit quam te, Catulle foede, tuamque gentem rusticam! hoc cum acerrima εἰρωνείᾳ positum iam diluitur: sed ecce formosus iste nobilisque Sextus est cunnilingus! — **3, 4. sed tamen hic pulcher uendat cum gente Catullum, si tria notorum sauia reppererit.** 'uendat', scil. in seruitutem sub hasta: libertatem suam suorumque pignori est daturus Catullus, Sextum istum nec tres notos esse sauiaturos. nimirum cur refugiantur istius oscula (in salutatione maxime), multi ueterum loci ostendunt: Sueton. d. gramm. 23 *maxime flagrabat libidinibus in mulieres, usque ad infamiam oris; dictoque non infaceto notatum ferunt cuiusdam, qui, cum in turba osculum sibi ingerentem quamquam refugiens deuitare non posset, 'uis tu', inquit, 'magister, quotiens aestuantem* ('festinantem' codd.) *aliquem uides, abligurire?'*; et saepius eius rei mentionem facit Martialis (cf. ex. gr. XII 59, 10 et 85; II 21, 22); unde nullius magis quam cunnilingi oscula in hororre fuisse intellegitur. 'tres' adaequat et id quod est 'complures' (cf. 'trinoctium' et illud 'tres faciunt collegium') et 'pauci', ut Plaut. trin. IV 2, 122 *te tribus uerbis uolo* et alibi; quo sensu hic accipe. in multis editionibus optinuit lectio libri G 'natorum', cuius sana quidem interpretatio frustra requiritur; 'notorum', quod antea coniectura adsecutus erat Scaliger receperuntque simpliciter iudicantes, id plane nunc confirmauit O. saepius 'noti' et 'amici' (cf. Liu. I 34, 12) distinguuntur, ut Plaut. Pseud. 125, Ter Eun. II 2, 7, epitaph. Protes 15 *ameiceis noteisque omnibus*, epitaph. Pupii (Acr. ad Hor. epist. I 1, 67) *flebunt amici et noti bene* ('bene noti' codd.) *mortem meam*, Caton. dist. I 40 *notis et carus amicis*; et ut nil dicam de Ciri uirgine (Cir. 260), plane ut auarus ille Horatianus (sat. I 1, 85) hic Lesbius non habet amicos, habet tantum notos. — scriptum puto hoc carmen a. fere 59 paulo post amantium reconciliationem.

LXXX.

1. Quid dicam, Gelli, quare rosea ista labella. idem Gellius iunior, qui in c. LXXIV; hic ut fellator notatur. 'quare' pendet ab eo quod ut in formula trita abest 'esse'; cf. de hoc 'quid esse dicam' XXII 12. 'rosea' utpote teneri adulescentis, ut LXIII 74, etiam ob oppositum 'niue' adicitur. 'ista' cum contemptu: a feminis tam adpetita (nisi praefers intellegere 'haec tua'). — **2. fiant.** sint, ut LXXIII 2. — **candidiora niue.** Zingerleius libri de Ouidio I p. 54 cp. Ouid. met. VIII 373 et ex. P. II 5, 38; cf. et eleg. in Maec. 1, 62, Hom. Il. X 437 λευκότεροι χιόνος. — **3, 4. mane domo cum exis et cum te octaua quiete e molli longo suscitat hora die.** siue post nocturnum somnum sole orto cubiculum relinquens (LXIII 67) siue a meridiatione (ad

XXXII 3) ad balneum uocatus. post prandium enim ubi septima hora est data meridiationi, iam octaua cum corporis exercitationibus tum uero lauando consumebatur (Marquardtus antiqq. priu. p. 262). 'molli' (LXIII 44) habet respectum mollitiae luxuriosae, cui per somnum meridianum se dat Gellius. 'longo die', cum dies iam longe prouectus est, ob solam illius 'mane' oppositionem additum est. Cic. Tusc. IV 19, 44 *se e somno suscitari.* — **5. nescio quid certe est.** habet res mira certe suam causam, quamquam nondum scio, quam habeat; Verg. ecl. 8, 106. — **an uere fama susurrat.** Amm. Marc. XXVI 6, 2 *ut susurrauit obscurior fama* (cf. et Susurri Famam comitantes Ouid. met. XII 61.) Ellisius cp. Ouid. ex. P. I 5, 31 *an populus uere sanos negat esse poetas?* — **6. grandia te medii tenta uorare uiri?** te cupide haurire ore (Mart. VII 67, 15; ad XXXIII 4) mentulas magnas ex inguinibus porrectas. 'medii' (LXVII 22), ut Priap. 43, 2 et 74, 1 *per medios ibit pueros . . mentula,* Mart. II 61, 2 *lambebat medios inproba lingua uiros* (unde adsumpserunt posteriores, ut Min. Fel. 28, 10, Auson. epigr. 74, 2 ab AStatio cp.). Priap. 20, 6 *mentula tenta* (cf. ad XXVIII 10); sed notandus est usus substantiui illius 'tentum', cf. LXIV 316 *morsa* (Naegelsb. stil. lat. p. 95[7]); Plaut. Cas. V 3, 35 de eadem re *ita, quidquid erat, grande erat.* — **7. sic certe est.** LXII 8, Naegelsbachius stil. lat. p. 629; confirmat poeta rumorem, quippe cum hoc iam mirum factum, quod in mentem subito uenit, coniungens. unde sequitur per asyndeton explicatiuum: — **8. clamant Victoris rupta miselli ilia et emulso labra notata sero.** manifesto testatur euincitque (VI 7) exhaustus plane fractusque (XI 20) tua uoracitate miserandus Victor (puer ignotus, quocum cubauit Gellius). sed quidnam testatur? num 'te fellatorem esse' (6)? ita statuendum esset, si recte se haberet in u. 8 correctio Pierii Valeriani 'ilia et emulso' (traditur in V 'ille te mulso'). quae emendatio potest uideri certior? sed ea tantummodo librariorum uitium quoddam secundarium corrigi, carmen accurate perpensitatum ostendit. etenim in uu. 1—4 quaestio proponitur, cur Gellii labra sint tam candida; ad cuius λύσιν arcessitur suspicio quaedam ex uulgi rumoribus; quae suspicio ad Victoris miserum statum examinata sane ostendit, ueros esse rumores illos, sed simul (et in hac turpitudine ars epigrammatis est posita) qualis sit candor ille labrorum patefacit. inepte haec iunguntur 'clamant Victoris corpus exinanitum et tua labra notata sero'. nam hoc alterum colon aenigmatis λύσιν continens aut Catullus epigrammata condere nesciit aut pro summo carminis acumine erat ponendum. itaque postquam id quod u. 5 sq. adlatum erat confirmauit poeta, argumentum ex Victore petitum ita in rem conuertere debuit, ut hinc solueret quaestionem in exordio propositam: 'clamant Victoris . . ilia, ab emulso labra notata (scil. esse) sero', grauiter ea uoce, in qua est omnis uis, in fine conlocata. nimirum 'serum' ex simili hic singulariter dicitur de semine genitali (Ellisius cum PPetito [Misc. Obss. III 2] cp. Plut. de plac. philos. 24 σπερματικός ὀῤῥός); cf. Colum. VII 3, 17 *emulgendum est exiguum lactis* (LXVIII[b] 70).

'notata', tamquam stigmate imbuta esse albo sero labella rosea (ex. gr. Colum. VIII 11, 12 *pars ouorum notanda est atramento*). de 'ab' quod haud raro cum 'et' confudere librarii, cf. Draegerus synt. I § 230.

LXXXI.

1. Nemone in tanto potuit populo esse, Iuuenti, bellus homo. pertinet hoc poemation ad cyclum carminum ad Iuuentium spectantium (supra p. 38) scriptumque est eodem fere cum c. XXIV tempore. 'i. t. pop.' confirmat id quod iam ex c. XI conclusimus, hunc Iuuentii amorem Romae habuisse locum. 'b. h.' secundum Iuuentii Furium sic saepius fortasse appellantis uerba XXIV 7; est autem hic una notio, ut non sit necesse comparare ad 'nemo homo' ex. gr. Ter. Eun. III 5, 1. 'pot. esse', hic fere 'reperiri'. Cic. p. Rab. 17, 45 *ecquis est ex tanto populo qui* eqs. — **2. quem tu diligere inciperes.** prisca cum abundantia pro simplici 'diligeres' (VI 4); Ellisius cp. Enn. trag. 231 R. *quod iter incipiam ingredi?* — **3, 4. praeterquam iste tuus moribunda ab sede Pisauri hospes inaurata pallidior statua.** nisi iste (contemptim, ut XXIV 5) a te tantopere dilectus, qui a Pisauro patria misella uictus quaeritandi causa Romam profectus nunc hic hospitatur, famem iam facie monstrans. 'tuus', quod cum 'iste' iunge (XVII 21), ne uelis artius copulare cum 'hospes': nam aeque Iuuentius quam Furius hospes erat Romae (Aurelii, ut uidetur). nam Furium hic dici, extra dubitationem est positum ei, qui carmina huc pertinentia omnia perpendit; nec dubitauere olim interpretes. huius autem patria in Umbria ad oram Adriae inter Fanum Fortunae et Ariminum sita quod 'moribunda' dicitur, uarias doctorum interpretationes excitauit. IVossius ad situm ob aeris intemperiem parum salubrem rettulit; sed actiua significatio quomodo uoci illi inesse potest? rectius quidem alii id quod incolarum ob eandem causam facile morientium est ad oppidum transferri putauere, quod simul utpote portu mercaturaque carens parum floruisse monent. utrumque amplexus ego 'moribunda' et 'pallidior' inuicem sese explicare debere intellego; et cum de Furio famelico agatur, mihi hoc sibi uelle Catullus uidetur, in oppidulo illo paupere et misello fame nimirum homines enecari (Verg. Aen. III 217 *et pallida semper ora fame*); nimirum post ea quae antecesserunt carmina de fame hic agi Furii, ultro intellexit Iuuentius. 'ab sede' ex **V** restitui; nam ut 'a sedibus' (ex. gr. Aen. I 84, II 6, 11), ita 'ab sede' (ut Aen. I 270, III 687) est sollemne. ceterum hoc 'ab s. Pisauri' ita est dictum, quasi fuerit Pisaurus quidam nobis ignotus oppidi conditor (de flumine enim nequit cogitari; et sedes est incolarum, non urbis); cf. Verg. Aen. VII 209 *Corythi* (conditoris) *Tyrrhena ab sede*; quamquam **O** 'pisanum' praebens facile suppeditat 'Pisaurum', h. e. Pisaurorum, quae potest fuisse nominis forma altera (hodie tantum 'Pisaurenses' occurunt in titulis), ut Tolentini oppidi incolae tam Tolentini quam Tolentinenses et Tolentinates dicuntur. de more statuas aeneas inaurandi (ex. gr. Cic. Verr. II 51, 150 *statuae equestres inauratae*) cf. JJWinkel-

mannus historiae artis antiquae p. 173 (ed. ILessing); naturalem auri colorem esse consimilem pallori uidimus ad LXIV 100. ceterum in hac Furii cum statua comparatione praeterea aliquid reprehensionis inest, scil. eum esse inmobilis rigiditatis stupidaeque taciturnitatis hominem, ut Plaut. Pseud. IV 1, 7, Hor. epist. II 2, 83 (Ellisius cp. etiam Eurip. El. 383, Dio Cass. LVIII 2). — **5. cordi est.** quo delectaris quemque amas, ut Plaut. Cist. I 1, 111. — **quem tu praeponere nobis audes.** grauiter repetitum 'qui tibi . . quem tu': Iuuentio plane indignum esse talem amasium innuit; indignum etiam esse semet, quod tali aemulo postponatur, simul admonet poeta illo 'nobis'. 'audes', post omnes preces meas monitaque. — **6. et nescis quod facinus facias.** quale (h. e. quam stultum) factum; de 'fac. fac.' cf. Lorenzius ad Plaut. mil. 308 et 618. quamquam habet hoc sane aliquid obscuri; nam de facto Nemesin lacessente (L 20) non esse cogitandum, cum neutiquam de fastu agatur, per se patet. unde cum in V legatur 'quid', pronum est coniectare 'quid fatuus facias', scil. ut isti famelico te addicas iamque ipse esurire discas; cf. Pompon. com. 108 R. *mirum facies, fatue*, Mart. VI 8, 6. ceterum per 'et' liberrima et uix defendenda constructione haec uerba accedunt ad 'audes'; unde non mirandum est, quod pro 'et' Fruterius 'ah', Muretus 'at' maluerunt post 'audes' fortius interpungentes. nobis praeplacet 'en nescis'; cf. de hoc 'en' interrogatiuo ad LV 14 adnotata.

LXXXII.

1. Quinti, si tibi uis oculos debere Catullum. de hoc Quintio non ambigua res est. ex c. C uidemus, eum deperiisse Aufilenam, quam et Catullus amauit (supra p. 37); unde iam Vulpius conclusit hanc feminam in nostro carmine tangi. quamquam is esse horum uersuum ardor uidetur, ut non mirandum sit alios cogitare maluisse de Lesbia. sed de ardore illo multum detrahitur, quod certam formulam 'carior oculis' noster adhibet sat breuiter frigideque: Quintio amico ab Aufilena desistendi auctor exstiturus flagrantem quidem in feminam illam amorem prae se fert, sed ut facile intellegamus, uerba haec sollemnia non ex animo intime commoto profluxisse. 'oculos', rem carissimam (ad III 5), cui saluos integrosque debemus, ei summas gratias et habeamus et referamus oportet. — **2. aut aliud siquid carius est oculis.** cf. omnino ad XXII 13. est autem carior quam oculi sola uita atque anima; cf. LXVIII^{b} 66 et 109, Cic. Cat. I 11, 27 *quae mihi uita mea multo est carior*, alia. — **3. eripere ei noli.** translate (de amasia abstrahenda) adhibetur hic sermonis cottidiani formula: Plaut. Men. V 7, 22 *eripe oculum isti* et Rud. III 4, 54 *oculos eripiam tibi*, Ter. Ad. III 2, 20, Hor. sat. II 5, 35. 'ei' in hoc carmine rudiore esset putandum monosyllabon (Lachm. ad Lucr. p. 152, LMuellerus d. r. m. p. 271; cf. contra XXIX 20), nisi 'erpere' praestaret pronuntiare (cf. 'surpere', sim.). — **4. seu quid.** mirum est, pro 'seu' AStatium maluisse 'si' (Bergkium 'sei') nanctumque esse sectatores, siquidem 'seu quid' plane respondet illi 'aut siquid' u. 2, cum 'seu' ualeat 'uel si' (CXIII 10). cf. et CIV 2.

LXXXIII.

1. Lesbia mi praesente uiro mala plurima dicit. tam pro consueto 'plurimum maledicit' siue 'conuiciatur' quam pro 'mala imprecatur' (ut Tib. I 2, 11); nam 'mala interdum sunt etiam 'conuicia', ut in illo 'mala ingerere' (Plaut. Bacch. IV 8, 34 et saepius, Ter. Andr. IV 1, 16 ibique Donatus); Cic. ad fam. VIII 5, 11 *multa, inquam, eum mala dixisse.* coram marito (cf. ad LXXI 1) quod hoc factum dicit poeta, qui scil. ab aliis (ex. gr. famulis) audiuerat, hinc uidemus carmen nostrum, ut et ipsum testatur, adscribendum esse ineunti Catulli et Lesbiae amori (h. e. anno 62 uel 61): reluctantem adhuc pugnantemque secum puellam omnia demonstrant (supra p. 27). — **2. illi fatuo.** homini illi stulto et insipido; cf. XCVIII 2. — **3. mule, nihil sentis.** conuicium tam stultitiae a cogitandi tarditate ductum (Iuuen. 16, 23 *mulino corde Vagelli*; Plaut. Cist. IV 2, 12 *mulo inscitior* ex coniectura ortum, nec Most. 878 satis huc quadrat) quam sterilitatis (Fest. p. 148 M.); et constat Metelli et Clodiae nuptias caruisse liberis; fortasse opprobrium in Metellum ab inimicis ingestum hic adhibet poeta. 'mulle', quod G habet uitio non raro (XVII 26 XCVII 8), non recte retinuit Umpfenbachius [Philologus 1874 p. 234]. 'sentis', ad XVII 20. — **4. sana esset.** mentis compos, amoris tabe intacta (contra: amore insana, furibunda), ut Sulpiciae 5 17 *uritur . . nec, liceat quamuis, sana fuisse uelit,* Iuuen. 6, 652. — **nunc quod gannit et obloquitur.** 'nunc', in hoc contra rerum statu, ut XXI 10. 'g.', rauca uoce blaterat: uocabulum 'garrire' a canibus, qui ringuntur, traductum ad homines (Varr. d. l. l. VII 103, Non. p. 450, 5) denotat querulam uel iratam murmurationem (Ter. Ad. IV 2, 17). 'obloqui', contra aliquem dicere, facile ualet 'uituperare, maledicere'; Seru. ad Aen. VI 646, Plaut. Curc. I 1, 41, Curt. X 2, 30. — **5. q. m. acrior est res.** id quod multo magis me excitat exstimulatque; Lucr. III 323 *acres stimulos.* — **6. irata est, hoc est, uritur et coquitur.** succensuit Lesbia fortasse, cum Catullus c. LI misisset, et hinc ei maledixit. iam solita explicandi formula 'hoc est' usus C. hinc facit conclusionem obuiam: Lesbia, si non solum mei amorem declarantis meminit (h. e. non tacet oblita), sed etiam (nam memoria simplex cum animo lento potest coniuncta esse) mihi irata est, huius irae necesse est causas habeat altiores, scil. amorem, quem sibi ipsa non uult fateri. Prop. III 8, 11 sqq. *quae mulier rabida iactat conuicia lingua . . . has certas didici saepe in amore notas.* scit femina, non concessam esse hanc facem, reluctatur, repugnat; et hinc ira in adulescentem iura pudicitiae sollicitantem. uir stultus non potest agnoscere abdita cordis femineae sensa; agnoscit optime poeta, qui gaudibundus ouansque sic finit: Lesbia 'uritur', amore me deperit et ita ('loquitur' pergunt codices pessime, quasi quod iam in protasi est positum, nunc in conclusione posset effici; bene Lipsius correxit:) 'coquitur', id est, intimo pectore a n g i t u r (Verg. Aen. VII 345 *femineae ardentem curaeque iraeque coquebant*); amat me, sed hic amor ei molestus

est et res anxia, et hinc studet illa effugere ardorem et ex animo extirpare, dum mihi maledicit. frustra esse hunc conatum facile sentit poeta.

LXXXIV.

1, 2. Chommoda dicebat, siquando commoda uellet dicere et insidias Arrius hinsidias. de hoc Arrio probabilissima debetur coniectura AStatio et Schwabio q. C. p. 325, qui agnouere Q. Arrium oratorem, de quo cf. Cic. Brut. 69, 242 *quod idem faciebat Q. Arrius, qui fuit M. Crassi quasi secundarum. is omnibus exemplo debet esse, quantum in hac urbe polleat [multorum] obedire tempori multorumque uel honori uel periculo seruire. his enim rebus infimo loco natus et honores et pecuniam et gratiam consecutus etiam sine doctrina, sine ingenio in patronorum* ['in p.' ante 'sine doctr.' codd.] *aliquem numerum peruenerat*; cf. EHerzogius in Paulyi Encycl. real. I p. 1757 sq. (ubi uide praeter alia etiam coniecturam de Rossii malam aspirationem ex origine Arrii Etrusca repetentis). ceterum Quintilianus (cf. testim. uol. I) hoc carmen non recte rettulit ad nimium aspirationis usum, qui Caesaris tempore increbuerit et de quo cf. Corssenus de pronunt. I p. 103 sqq., Brambachius libri 'Neugestaltung d. lat. Orthographie' p. 282 sqq.; nam hoc uitium ubique aspirandi a Catullo quidem uni solique Arrio eiusque origini rusticae inputari, ex u. 3 sq. apparet. ceterum uocabula a poeta speciminis causa posita 'commoda' (lucra; cf. ex. gr. Maxim. eleg. 1, 130) et 'insidias' (scil. forenses siue fraudes astutiasque) non sine consilio electa esse uidentur: quadrant in hominem, qualem depingit Cicero. 'si uellet' de repetita actione; Kuehnerus gr. l. II p. 926, Draegerus synt. II p. 733. — **7. mirifice.** LIII 2. — **sperabat.** Cic. ad. Att. I 1, 4 *spero tibi me causam probasse*; est germanicum 'sich schmeicheln'. — **8. quantum poterat.** pulmonibus omni cum ui aspirationem efferentibus. — **3, 4. credo, sic mater, sic Liber auunculus eius, sic maternus auus dixerat atque auia.** de inrisione, quae illi 'credo' inest, et de 'sic' subiecto cf. ad I 8. cognatos maternos, non patrem agnatosque Arrii quod conmemorat poeta, ita est explicandum, quod ex hac origine uitium hominis deriuatur. non quia feminae incorruptam antiquitatem conseruant (Cic. d. or. III 12, 45, ubi cum l. n. cf. *ex quo sic locutum esse eius patrem iudico, sic maiores*), quae fuit Parthenii opinio — nam quid ceteris cognatis cum hoc feminarum more? —, sed quia Arrius teste Cicerone infimo loco natus ex familia materna traxerat malam illam consuetudinem; multi attulere P. Nigidii Figuli (Gell. XIII 6, 3) uerba *rusticus fit sermo, si aspires perperam.* similiter autem ut Hor. sat. I 6, 131 poeta hoc genus maternum persequitur usque ad auum, qui fortasse ipse cum coniuge sua erat seruili condicione. quae ratio fauet coniecturae Passeratii, qui pro 'Liber' (quod nomen proprium sane est inauditum nec probabilitate nititur ulla) reposuit 'liber' adiectiuum, quo auunculus primus ex familia ista ad libertatis statum emersisse dicitur. quod magis utique placet quam coniecturae ThMarcilii 'iber'

(Schwabius q. C. p. 329) aut NHeinsii 'Cimber' proponentium. de 'eius' cf. Bentleius ad Hor. od. III 11, 18 (LXIV 122). ceterum quod V 'eius est' praebet, tam in hoc 'est' quam in illo ('insidias) he' u. 2 latent notae, quibus omissos ob eundem exitum 'hinsidias' uu. 7 et 8 inter 2 et 3 esse reponendos indicabatur. — **5. hoc misso in Syrias requierant omnibus aures.** reipublicae causa siue ipse magistratus siue magistratui additus Arrius abierat in prouinciam, ut 'misso' indicat; una cum M. Crasso familiari sub finem a. 55 eum in Syriam esse profectum, Schwabius p. 331 coniecit. 'Syrias' dedi pro tradito 'syria', cum 's' ante sequentem 'r' facilius interciderit quam 'm' (uulgo 'Syriam'), pluralem de magna terra ex diuersis partibus constante intellegens (aliter XLV 22), ut habent pluralem 'Syriae' Mela II 7, 102, paneg. lat. p. 139, 9, alii (Kuehnerus gr. l. II p. 51). Liu. XXVI 22, 8 *uixdum requiesse auris a strepitu et tumultu hostili*: aures populi Romani in foro audientis horribili illa pronuntiatione male affectae paululum sese recrearant Arrio absente. — **6. audibant eadem haec.** scil. uocabula 'commoda' et 'insidias' similiaque; de forma inperfecti Neuius II p. 445. — **leniter et leuiter.** nimirum 'pronuntiata'. blandiente et allitteratione et assonantia haec sunt iuncta, ut amat sermo familiaris (cf. XCVII 2), ut Cic. ad Att. XIII 21, 6 *de Attica optime, quod leuius ac lenius et quod fert εὐκόλως.* remissa ui pulmonum non tam grauiter urbani quidem oratores uerba illa loquebantur. — **9. sibi postilla metuebant.** aduerbium in prisco scribendi genere (inde ab Ennio et Catone usque ad Terentium) pro 'postea' adhibitum ex sermone cottidiano retinuisse uidetur noster. iam non uerebantur, ne abhinc uoces tam atrociter pronuntiatas audire deberent, propterea quod longa erat Arrii absentia futura. — **10. cum subito affertur nuntius horribilis.** ecce rupta est ingratissime quies optata. Ellisius cp. Cic. Phil. XIII 9, 19 *parata sententia consularis, cum repente ei affertur nuntius.* in 'horr.' aspirationem fortiter effer. ceterum uix opus est, ut disquiramus, quomodo (num forte per Arrii comitum una in Syriam proficiscentium litteras ex portu aliquo Italico Romam missas) et quando hic nuntius in urbem uenerit: iocus aperte a Catullo est fictus (quod, si amplectimur Schwabii rationem, utique oportet statuamus). — **11. illuc.** in Syrias, per mare Ionium Italiam nempe relinquens. — **12. iam non Ionios esse, sed Hionios.** non amplius esse notum gratumque omnium auribus ob sonum suauem dulcemque mare Ionium, sed nouum ab Arrio accepisse nomen Hionii. quae deprauatio facile hiandi uerbum in memoriam reuocauit.

LXXXV.

1. Odi et amo. auersatur C. in Lesbia (nam ad hanc recte plerique omnes rettulerunt hos uu.) morum deprauationem et tamen eam amare pergit ipsa iniuria instimulatus, quam perfida amasia intulit ei (cf. LXXII 5 sq., LXXV 3 sq.). 'odisse' et 'amare' saepius siue coniuncta siue opposita habes: Publilius Syr. 6 *aut amat aut odit mulier,*

nil est tertium, Ouid. am. III 11, 33 *luctantur pectusque leue in contraria tendunt hac amor, hac odium; sed puto uicit amor* et ibid. 35 *odero, si potero, si non, inuitus amabo,* Sen. d. benef. VI 6, 2 *alioqui iubes me eodem tempore et amare et odisse.* — **id faciam.** cf. ad XXI 9. — **fortasse requiris.** formula haud rara, cuius gemella est 'forsitan requiras' (ex. gr. Aen. II 506). — **2. nescio, sed fieri sentio et excrucior.** affectuum inter se contrariorum causam nondum inuenit, ex ipsa repugnantia multum doloris suscipit. Vulpius cp. Cic. Brut. 46, 171 *qui est, inquit, iste tandem urbanitatis color? nescio, inquam, tantum esse quendam scio*; adde Mart. I 32 *non amo te, Sabidi, nec possum dicere, quare: hoc tantum possum dicere, non amo te.* 'excrucior', LXXVI 10, Plaut. Cist. I 1, 61 *excrucior, male mihi est, male maceror, doleo ab animo.* — scriptum est hoc carmen paulo ante LXXII et LXXV.

LXXXVI.

1. Quintia formosa est multis, mihi candida, longa, recta est. de Quintia nil scimus, non de Quintii Veronensis sorore posse cogitari temporum ratio docet (u. 5 'est' ostendit, tum cum C. Lesbiam amauit hos uu. esse scriptos); sed quaecumque erat, eam conlatam cum Lesbia poetae ad corrigendam hanc comparationem ansam dedisse probabile est. Quintia igitur 'formosa', h. e. et pulcra et uenusta (5 sq.), ualet apud multos (τοὺς πολλούς). saepius enim datiuus pronominis personalis cum uerbo auxiliari coniungitur, ut iudicium siue aestimatio indicetur: Enn. ann. 284 V. *hostem qui feriet, mihi erit Carthaginiensis* (= habebo pro C.), Lucil. XXX 115 M. *omnes formosi, fortes tibi* (= ex tuo iudicio sunt), Hor. epist. I 16, 66 *liber mihi non erit umquam* (ibid. I, 19, 45, a. p. 357), Prop. I 8, 2 et 11, 21, Verg. Aen. XI 416 (ibique interpp.). at ex C. sententia Quintia est tantummodo 'candida' (ad XIII 4), 'longa' siue magna (Ouid. am. II 4, 33 *tu quia tam longa es, ueteres heroidas aequas*), 'recta' siue procera (X 20), h. e. tantum corporis bonis excellit; Hor. sat. I 2, 123 *candida rectaque sit,* Dracont. rapt. Hel. 520 *sic longior artus et procera regens in poplite membra* (Rohdius libri 'd. griech. Roman' p. 154 not.). — **2. haec ego sic singula confiteor.** haec 'c., l., r.' ita ut feci particulatim concedo; Seneca Anth. lat. 56, 2 *formosa es .. confitear, si uis, omnia.* — **3. totum illud 'formosa' nego.** sed ex tribus illis partibus effici attributum 'formosa', non concedo; cf. Quint. VIII 6, 38 *illud 'canto',* Mart. V 58, 2 *'iras' istud*; Naegelsb. stil. p. 135[7], Usenerus Fleckeis. ann. 1878 p. 80. — **3, 4. nam nulla uenustas, nulla in tam magno corpore mica salis.** nam desunt, quae ad corporis bona oportet accedant, lepor ille suauitasque (χάρις) et facetiae iocique, si qua uere 'formosa' uult dici; similiter Petron. Anth. lat. 89 [PLM. IV p. 95] *non est forma satis, nec quae uult bella uideri debet uulgari more placere uiro: dicta, sales, lusus, sermonis gratia, risus fingunt naturae candidioris opus.* cf. XVI 7 *salem ac leporem,* L 7 sq., Cic. d. n. d. I 28, 79 *si hoc ipsum salsum illi et uenustum uidetur*; Afran. com. 30 R. *ut, quidquid loquitur, sal merum*

est; AStatius cp. et Lucr. IV 1162 *chariton mia, tota merum sal*; nam 'n. mica s.' (proprie ex. gr. Ouid. f. I 338) hic translate adhibetur (= nil quidquam facetiarum), ut Mart. VII 25, 3 *nullaque mica salis* (de epigrammatis) ex nostro loco. — **5, 6. Lesbia formosa est; quae cum pulcherrima tota est, tum omnibus una omnis subripuit ueneres.** Lesbia fortiter praeposita eoque Quintiae opposita uere 'formosa' esse dicitur a poeta suam uocis definitionem exhibente, utpote et corporis bonis (pulch.) enitens et uenustatis dotes possidens una (ad V 3) omnes omnium, scil. feminarum (quod ex ipso opposito subintellegimus, ut Sen. Med. 94, Stat. silu. III 4, 44), h. e. eis ad se solam translatis omnes puellas superans; cf. et ad LXI 156. de plurali 'ueneres' cf. Plaut. Stich. II 1, 5 *amoenitates omnium uenerum atque uenustatum affero.* Schwabius cp. Nonn. Dion. XVI 45 *παρθενικὴ γὰρ Κάλλος ὅλον σύλησεν Ὀλύμπιον.*

LXXXVII.

1. amatam uere. ex animo nec tantum sensuum titillantium cupiditate uaga. ad 'tantum quantum' cf. XXXVII 12. — **2. Lesbia amata mea est.** male et ipsa uerborum conlocatione uetante uulgo auctore Scaligero legunt 'es'. hinc enim factum est, ut hoc carmen utpote ad Lesbiam missum iusto fine carere opinati ad transpositiones inprobabiles delaberentur. — **3. nulla fides ullo fuit umquam foedere tanta.** ex codice interpolato quodam Lachm. recepit 'nullo', recordatus duas negationes interdum non tam adfirmare quam fortius negare (Kuehnerus gr. l. II p. 627 et Draegerus synt. hist. II p. 68). sed dum huius usus exempla perscrutamur, eum in sola uoce 'nemo' certo regnasse reperimus (cf. Plaut. mil. 1411 *non nociturum nemini* et Brixius ad Men. II 3, 20, Enn. trag. 130 *quos non miseret neminis,* Lucil. XVII 14 M. *nil neminem,* Sulpiciae epist. 1, 8 et Prop. II 19, 32 *ne nemo*, Q. Cicero de pet. cons. 5, 20 *nemini illorum molestus nulla* [sic codd.] *in re umquam fuisti,* Petron. 42 et 76 *nemini nil*; unde in loco Varronis ap. Non. p. 530, quem attulit LMuellerus comm. Lucil. p. 241, scribendum est *omnis heroas negat me scisse*). sed qui 'ullo' retinendum censeo, idem nunc amplector lenem Doeringii correcturam, qui litterula 'm' geminata reposuit 'in foedere'. nudus enim ablatiuus hic quidem uix admitti potest; cf. omnino LXXVI 3. 'foedus', amoris, cf. LXIV 335 et CIX 6. — **4. quanta in amore tuo ex parte reperta mea est.** Itali olim 'suo', Froehlichius 'meo' coniecerunt, recte illi offensi. nam si uulgo explicant 'amore tui (= in te)' cp. LXIV 253, propterea notus hic loquendi usus a nostro loco alienus est, quod inepte et contra cogitandi normas dicitur 'ex mea parte in amore aduersus te': quasi uero in amore sui etiam Lesbiae fuisset pars aliqua. facile flagitat sensus communis 'in hoc foedere (in communi amore) ex parte mea'; cf. LXXVI 6 *ex hoc amore,* XCI 2, CIX 1 sq. in hoc igitur uersu potius quam in u. 2 uitium inest; et nisi forte ipsum illud 'hoc' latet corruptione paulo inprobabiliore, ex TUO eliciendum est ILLO, ut proposui Fleckeis. ann. 1878

p. 770. ita autem si ratione iubente scribimus, dilabitur offensio omnis in abrupto carminis statu posita, quae Scaligerum ceterosque editores plerosque inpulit, ut hos uersus ante c. LXXV, quocum in unum iunxerunt, traicerent nulla cum probabilitatis specie. adest breuis sententiola a poeta tristibus cogitationibus tradito in cartas coniecta, quales habemus etiam in cc. LXX et LXXXV.

LXXXVIII.

1, 2. **Quid facit is, Gelli, qui cum matre atque sorore prorit et abiectis peruigilat tunicis?** ex Gellio, quem ex c. LXXIV nosti, tamquam alieno ab his rebus omnibus poeta quaerit, quale facinus faciat qui in matre (sic enim ad augendum scelus Gellii nouerca uocatur) et in sorore (LXXXIX 2, XCI 5) turpiter libidinem exerceat. Mart. IX 73, 6 *et pruris domini cum Ganymede tui* (Plaut. Stich. V 5, 15 *quin ego ibi pruriam,* scorter); priscum 'prorire' a V commendatum restituere non dubitaui. de abiectis tunicis (tam maris quam feminarum) cf. ad LXVI 81, nisi quod hic 'abi.' summam inpudentiam denotat; Apul. met. III 20 *omnibus abiectis amiculis . . nudati bacchamur in Venerem*; et 'peruig.', sumptum de sacris nocturnis in uariorum deorum cultu, hic de sacris Veneri factis intellege; Ellisius cp. Aristoph. fr. 116 D. et nub. 1069, Lucian. d. mer. 16. — 3. **patruum qui non sinit esse maritum?** qui disturbat iura coniugalia patrui amando eius uxorem; intellege non tam Gallum (LXXIV) quam eum, cuius cum femina Gallo fauente fecit adulterium Gellius (LXXVIII). — 4. **ecquid scis quantum suscipiat sceleris?** ne quid dubii restet de interrogationis 'quid facit?' significatione, repetitur sententia derectius apertiusque. 'ecquid', num forte, ut XXVIII 6; cf. et Brixius ad Plaut. mil. 993 (sine causa Lachm. 'ecqui'). genetiuus partitiuus, ut alibi, hic quoque non caret plane ui propria (germanice 'welch' grosses Bubenstueck'); cf. XCI 10. 'susc.', scil in se; AStatius cp. Cic. Phil. XI 4, 9 *miserior igitur qui suscipit in se scelus quam si qui alterius facinus subire cogitur.* — 5, 6. **suscipit, o Gelli, quantum non ultima Tethys nec genitor Nympharum abluit Oceanus.** de 'susc.' in responsione repetito cf. ad IX 5; et uehementiori affectui, qui iam regnat, conuenit 'o' additum (cf. contra u. 1). Tethys (LXIV 29 et LXVI 70, ubi uide) cum Oceano suo in mari extremo habitans ('ult.') hic fingitur secundum Hom. Il. XIV 200 εἶμι γὰρ ὀψομένη πολυφόρβου πείρατα γαίης, Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθύν. quae numina copulata ut totum mare inmensum innuunt, ita sine iusta ratione Oceanus hic quidem pater Nympharum audit, siquidem non tam eius descriptio exornans requiritur quam causa totius conmemorationis addita. per medium autem aeuum semper librarii indifferenter habebant uoculas 'nympha' et 'lympha': recte restituit LMuellerus 'lympharum', cum Oceanus sit pater amnium aquarumque omnium. et aquarum notione hic quam maxime est opus, quippe quibus sordes lues scelera tam Graeci quam Romani persuasum habuerint elui (ablui) purgari ex-

piari: Hom. Il. I 314 *καὶ εἰς ἅλα λύματ' ἔβαλλον*, Soph. Oed. tyr. 1227 sq., Eurip. Iph. Taur. 1193 *θάλασσα κλύζει πάντα τἀνθρώπων κακά*, Cic. p. Rosc. Am. 26, 71 sq., Lucr. VI 1077 *non mare si totum uelit eluere omnibus undis,* Ouid. f. II 45 et met. III 26, Sen. Phaedr. 715 *quis eluet me Tanais . . non ipse toto magnus oceano pater tantum expiarit sceleris* (id. Herc. fur. 1323 sqq.), Claudian. Eutr. II 22; Vulpio debeo Lactant. V 19, 33 *tamquam ulli amnes abluant, ulla maria purificent.* 'abluit' (omnino non purgat) multo fortius est quam quod olim edebant 'abluat'. — 7. **nam nihil est quicquam sceleris quo prodeat ultra.** 'n. q.' (plane nihil) saepius apud comicos obuium (interpp. ad Ter. Andr. I 1, 63, Plaut. Bacch. IV 9, 113 *nil . . consilii quicquam dabo*) iterum postea apud Gellium (I 3, 3) reperitur. 'ultra', scil. quam quo iam prodiit (scelestior fieri nequit quam iam est); Hor. epist. I 1, 32 *est quadam prodire tenus, si non datur ultra.* sine causa 'quod' olim maluere. — 8. **non si demisso se ipse uoret capite.** non si (XLVIII 5) fellandi actus libidine (LXXX) uel semet ipse fellare (ibid. 6) uelit. monstruosissimum et inauditum scelus poeta fingit, masturbationem (si ita loqui fas est) per os capite deorsum inclinato factam. sed hoc tamen foret in se solum, non in aliorum iura sacrata exercere turpitudinem extremam. iam AStatius cp. Cic. d. dom. 31, 83 *latitat omnino* (Sex. Clodius cunnilingus), *sed si requiri iusseris, inuenient hominem apud sororem tuam occultantem se capite demisso.*

LXXXIX.

1, 2. **Gellius est tenuis. quid ni? cui tam bona mater tamque ualens uiuat tamque uenusta soror.** idem initium atque in c. LXXIX 1 (ad 'quid ni' hic tamen supple 'sit', h. e. iure est tenuis). 'tenuis' et quod ut huius synonymum u. 4 et 6 adhibetur 'macer', h. e. exilis, semper in malam partem ualent: ut gracilitas laudis, sic tenuitas uitii est (ex. gr. Cic. Brut. § 64, Maxim. eleg. 1, 85 *quaerebam gracilem, sed quae non macra fuisset*). hic unde macelli (LVII 6) corporis habitus extenuatus prouenerit, ipsa res ostendit: ut deus salax Priap. 26, 8 Gellius quoque est *ecfututus . . confectusque macerque.* 'bona' ambigue, et pulcra (XXXVII 19) pelliciensque et benigna, utpote filio tam facile sui copiam praebens (CX 1). 'ualens' autem soror (LXXXVIII 1) dicitur, quae ob aetatis florem uiridem corpusque uegetum concubitum patitur indefatigata; Priap. 26, 10 *fures caedere quamlibet ualentes* (Vulpius cp. Plaut. Cas. IV 4, 26 *obsecro ut ualentula est!*). 'uiuat', sit, ut X 32. — 3. **bonus patruus.** iterum ambigue: adeo et beniuolus facilisque, ut Gellium cum fratris uxore apud se cubare patiatur, et ineptus stultusque (XXXIX 9), ut sui ipsius adulterium eundem doceat (LXXVIII 3—6). — **omnia plena puellis cognatis.** intellege maxime duorum patruorum, et Galli et alterius, uxores; quas etsi adfines tamen cognatas Gellii uocat poeta eodem modo, quo illius nouercam fecit matrem. 'o. pl.' sollemnis est dictio; Vulpius cp. Cic. ad Att. II 24, 4 *ita sunt omnia*

omnium miseriarum plenissima, ad fam. IX 22, 4 *stultorum plena sunt omnia,* Tib. I 8, 54, Ouid. epist. 8, 76. — **4. quare is desinat esse macer?** XXIII 15. nulla ei tam bene beateque uiuenti est causa, cur studeat, ut abstinenter agendo aliquando perueniat ad opimiorem corporis habitum. — **5, 6. qui ut nihil attingat, nisi quod fas tangere non est, quantumuis quare sit macer inuenies.** Scaliger maluit 'attingit'; quem erant qui sequerentur, nimirum 'ut' pro 'quemadmodum' accipientes. sed salsius uulgo 'ut' accipiunt pro 'quamuis', omisso postea 'tamen' (Drakenb. ad Liu. XXII 20, 1), hoc modo: licet pro more suo (XCI 7 sqq) futuat tantummodo cognatas supra enumeratas (non alias), iam ex harum et numero et natura intelleges, cur G. sit oppido macer. Lucan. II 81 *fas haec contingere non est.* 'quantumuis' pro 'ualde' adhibitum nunc quidem apud Senecam demum recurrit Suetoniumque (Calig. 53 *quantumuis facundus et promptus*).

XC.

1, 2. Nascatur magus ex Gelli matrisque nefando coniugio et discat Persicum aruspicium. memoriae est traditum, magos, Persarum sacerdotes (Apul. apol. 25) sapientesque, licitam putauisse incestam cum matribus et sororibus filiabusque coniunctionem: cf. Strabo XV p. 735 *τούτοις (μάγοις) δὲ καὶ μητράσι συνέρχεσθαι πάτριον νενόμισται,* Clem. Alex. strom. III 515 *μίγνυνται δέ, φησίν, οἱ μάγοι μητράσι καὶ θυγατράσι· καὶ ἀδελφαῖς μίγνυσθαι θεμιτὸν εἶναι,* Diog. Laert. I 7, Eurip. Andr. 173 cum scholiis et alii (Pauly, Enc. real. IV p. 1375). igitur poeta, qui ita illud in usum suum conuertit ut certum quoddam religionis praeceptum ea de re fuisse fingat, optat ut turpis illius inter G. matremque concubitus (nam 'coniugium' honeste de nuptiis innuptis adhibetur, ut Ouid. met. X 295, Lygd. 4, 73) fructus sit filius isque magorum diuinandi ex uictimarum extis disciplina inbuatur, h. e. fiat ipse magus. substantiuum 'aruspicium' primus uidetur noster adhibuisse (inde a Suetonio plures). — **3. gignatur oportet.** hoc certum praeceptum, ut iam dixi, ex re finxisse uidetur poeta. — **4. impia religio.** superstitio ob tales leges ius fasque apud ceteras gentes cultum uiolantes horrenda (XXIII 10); quibus illud 'si (= siquidem) uera est' quomodo accipi uelit non in dubio relinquit poeta. — **5, 6. gnatus ut accepto ueneretur carmine diuos, omentum in flamma pingue liquefaciens.** 'gratus' correxit LMuellerus (etiam 'gnauus' minus bene proponens), cum traditum 'gnatus' post u. 3 stare sane nequeat: secundum Persarum religionem magus oportet oriatur ex matris gnatique concubitu, ut possit gratus dis acceptusque horum sacra obire. hanc uulgarem formulam (XCVI 1) paululum inuertere potuit noster, carmen ipsum a magis cantatum 'acceptum' siue iucundum exauditumque dicens. Apul. apol. 26 *auditisne magiam .. artem esse dis immortalibus acceptam, colendi eos ac uenerandi pergnaram, piam scilicet et diuini scientem.* sed dubito, num uoce 'acceptus' ad carmen deflexa iterum addi potuerit 'gratus';

certe formulae sic disruptae exemplum desidero, desidero etiam aliam notionem longe grauiorem, scilicet 'postquam disciplinam didicit', ut respiciatur ad u. 2. et hoc Apuleius ut illo 'pergnaram' ita aliis uerbis l. l. c. 25 urguet premitque hisce (magum) *rite nosse atque scire atque callere leges cerimoniarum, fas sacrorum, ius religionum.* praefero igitur 'gnarus'. de cantaminibus autem magorum Strabo p. 733 *εἶτ' ἐπὶ μυῤῥίνην διαθέντες τὰ κρέα ῥάβδοις λεπτοῖς ἐφάπτονται οἱ μάγοι καὶ ἐπᾴδουσιν ... τὰς δὲ ἐπῳδὰς ποιοῦνται πολὺν χρόνον ῥάβδων μυρικίνων λεπτῶν δέσμην κατέχοντες ... καὶ καθ' ἡμέραν δὲ εἰσιόντες ἐπᾴδουσιν ὥραν σχεδόν τι,* Plato Charmid. p. 157[a] *τὰς δὲ ἐπῳδὰς εἶναι τοὺς λόγους τοὺς καλούς.* idem Strabo p. 732 magos Iouem Solem Lunam Venerem una cum terra igni aqua aere ueneratos esse testatur (Pauly l. l. p. 1370 sqq.); ibidemque de omento siue membrana pingui ac tenui intestina integente (Plin. h. n. XI 204) legimus *ὅμως δὲ τοῦ ἐπίπλου τι μικρὸν τιθέασιν, ὡς λέγουσί τινες, ἐπὶ τὸ πῦρ.* igitur non carnem uictimarum igni sacro inponebant magi. ceterum iam Scaliger cp. imitationem Persii 2, 47 *tot tibi cum in flammas iunicum omenta liquescant*; alios locos dat Marquardtus antiq. rom. VI 3 p. 176. ad 'liquēf.' cf. LXIV 360.

XCI.

1 sqq. **non ideo, Gelli, sperabam .. quod te non nossem bene .. sed quia .. uidebam.** aperit hoc carmen causam inuectiuarum in Gellium, qui olim poetae amicus tamen et ipse corruperat Lesbiam; nam hanc designari cum u. 2, tum u. 6 'magnus' ostendit. de constructione cf. Prop. II 16, 25 *non* (ideo) *quia peccaris testor te, sed quia uulgo .. fuit,* Cic. Tusc. II 23, 56 *pugiles in iactandis caestibus ingemescunt, non quod doleant .., sed quia .. corpus intenditur*; plura ap. Kuehnerum gr. l. II p. 917. — **2. in misero hoc nostro, hoc perdito amore.** 'mis.', qui infelix est, ut XCIX 15; 'perd.', qui omni spe est destitutus (LXXVI 9). 'hoc nostro', ut CIX 2; nisi quod hic 'nostro' ualet 'meo', sequente nihilo setius 'nossem' (Kuehnerus l. l. p. 64). — **3. quod te non nossem bene constantemue putarem aut posse ab turpi mentem inhibere probro.** recepi uerissimam coniecturam a nuperrimis editoribus ne conmemoratam quidem Auantii, qui sic ut dedi traditum in V 'te cognossem' inmutauit. nam hoc 'bene aliquem nosse' (LXI 180 nil ad rem) ualet 'accurate alicuius indolem moresque habere perspectos'; unde ipsa sententia patefacit, plane contrarium hic adserendum esse. reuera enim poeta Gellium et bene cognitum habuit nec putauit, eum aut constantem siue stabilem persistentemque in amicitia semel coepta (ex. gr. Nep. Lys. 2, 2) fore aut a flagitio foedo (ad LXI 99 *probra turpia*) procul retinere animum ualere. 'inhibere' etsi alibi similem constructionem non habet, dubitari tamen nequit quin 'a' recte Itali ex tradito in V 'aut' elicuerint (Liu. XXII 3, 9 *ab effusa praedandi licentia hostem cohibendum*), nisi quod 'ab' in 'aut' (sequitur 't') abiisse

est probabilius. — **5. sed** (ideo illud sperabam) **quod nec matrem nec germanam esse uidebam hanc tibi.** acerbe, quasi Gellium cognatas tantum puellas tangere persuasum habuisset poeta; LXXXVIII 1. 'quod nec' optime dedere Itali, pessime et sine iusto talis quidem traiectionis exemplo 'neque quod' V praebet. — **6. edebat.** XXXV 5. inperfectum ostendit, poetam de restituenda sibi amasia a Gellio erepta desperare; ceterum ultro apparet, hoc carmen una cum CXVI in initio poematum ad Gellium pertinentium esse conlocandum. — **7. multo coniungerer usu.** crebra ut inter amicos consuetudine (cf. CXVI); Cic. ad fam. XIII 52 *hospes meus et praeterea coniunctus magno usu familiaritatis.* — **8. non satis id causae.** 'id', amicitiam nostram; te tam leue crimen, quale est prae tactis cognatis corrupta tantummodo amici amasia, spreturum esse confidebam. Ellisius cp. Cic. de inu. II 20, 60 *atrocitas iniuriarum satisne causae sit quare praeiudicetur?* — **9. tu satis id duxti.** at tu iam amicitiam nostram abunde sufficere ad patrandum flagitium censuisti. Vulpius cp. Sen. d. ira 28 *qui nullius non uxorem concupiscit et satis iustam causam putat amandi, quod aliena est.* — **in omni culpa.** 'omni' effer, h. e. siue magno siue paruo in delicto. est enim 'culpa' uox media simpliciter peccatum indicans; apte comparant Ouid. tr. I 3, 37 *quis me deceperit error dicite, pro culpa ne scelus esse putet.* — **10. in quacumque est aliquid sceleris.** XI 13, Liu. XXX 31 *omnia, quaecumque agimus.* de genetiuo partitiuo cf. LXXXVIII 4. scelus nimirum etiam in uiolata amicitia est. modo paruulum flagitium adsit, uel tale minus delictum Gellius amat.

XCII.

1. Lesbia mi semper dicit male nec tacet umquam de me. tam sententia eadem quam idem initium ostendit, carmen nostrum uno cum LXXXIII tempore (etsi fortasse paulo ante hoc) esse compositum (cf. ad XIII 12). ad 'male' cf. paulo infra. 'dicit nec tacet', cf. VI 3; negatiue repetita sententia id quod iam adfirmatiue dictum est plane conroborat. ex his positis per asyndeton summatiuum fit conclusio: — **2. Lesbia me dispeream nisi amat.** sollemnis est formula 'peream nisi (hoc ita ut dico est)', quam augere solebant addito 'male'; et hoc 'male' exprimit etiam uerbum compositum 'disperire', h. e. funditus perire; cf. Hor. sat. I 9, 47, Prop. II 21, 9, Verg. epigr. 7 (9), 2 *dispeream, nisi me perdidit iste nothus* et 4 (13), 3. — **3. quo signo?** breue est sermonis familiaris genus loquendi: at quaeret quispiam 'ex quo signo siue argumento tu hoc concludis?' Cic. Cael. 16, 38 *quid signi? nulli sumptus, nulla iactura, nulla uersura,* Plaut. mil. 1001 *quo argumento? quia enim loquitur laute,* ubi ut nostro loco 'quia' ualet 'propterea sic statuo, quod'. — **quia sunt totidem mea.** difficillima haec uerba neque comparato duodecim scriptorum ludo (Ouid. a. a. III 363 sqq.) auctore Ellisio expediuntur neque uero, si 'totidem' adaequare statuimus 'itidem'; nam ut Ouid. a. a. III 46 *totidem promittite uerbis* hunc

usum non stabilit, ita Hor. sat. II 3, 298 *dixerit insanum qui me, totidem audiet* sine dubio corruptus est. et codices nil subsidii praebent; nam quod uitio peruetusto et Gellii libri et **O** habent 'ea', nimirum 'm' per haplographiam est omissa. coniecturae autem propositae, ueluti a Scaligero 'quasi non totidem mox deprecor illi', a Froehlichio 'quia sentio idem. nam deprecor illam', nimis recedunt a consentienti Gellii et Oxoniensis memoria. lenissima autem mutatione in u. 1 Itali nonnulli 'mala' reposuere approbantibus cum aliis tum Westphalio [p. 56]; quod non solum ex LXXXIII 1 conmendatur, sed etiam ex luce egregia, quae subito nostro uersui adfulget: quia nimirum totidem quam Lesbia in me ingerit conuicia atque imprecationes in eam ingero et ipse. — **deprecor illam assidue.** nam semper mala ei dicens detestor et execror, respuo et recuso illam; sic enim Gellius (cf. testim. uol. I) recte uerbum illud explicat cp. Enn. trag. 121, 129 R. — iniuriam quam facturus sit bene sentit poeta, sentit etiam Lesbia: nolunt alter alterius esse, sed tamen inuicem amant.

XCIII.

1. **Nil nimium studeo, Caesar, tibi uelle placere.** uide supra p. 39, ubi de loco, quem in cyclo carminum in Caesarem factorum hi uersus optineant, coniecturam proposui. insolite est dictum illud 'nil nimium', cum aut 'nil (= plane non, ut ex. gr. XXX 2) studeo' fortiter aut leni cum inrisione 'non nimium' (= non ita ualde, Priap. 2, 3 et 49, 2, Mart. IX 81, 3) positum sufficeret: coniunctum 'nil nimium' inrisionem reddit acriorem (germanice 'durchaus nicht sonderlich'), ut et illud itidem cumulatum 'studeo uelle'. quod dicendi genus, hic cum consilio adhibitum, non alienum est a uitae cottidianae loquella; cf. Buechelerus ad Sen. apocol. 14 *incipit patronus uelle respondere*; quamquam nec lectae dictionis auctores ab illa abhorruerunt, ut Verg. Aen. VI 751 *incipiant in corpora uelle reuerti*, Ouid. met. X 132 *uelle mori statuit* et f. II 661 *audes .. fallere uelle deum.* praepropere olim recepi ingeniosam HUseneri [mus. Rhen. XXI p. 426] coniecturam 'tibi, belle, placere'. — 2. **nec scire, utrum sis albus an ater homo.** nota est summae despicientiae formula, qua plane se incuriosos esse alicuius significabant, ex Apul. apol. 16 *etiam libenter te nuper usque albus an ater esses ignoraui et adhuc hercle non satis noui,* Cic. Phil. II 16, 41, Phaedr. III 15, 10 *unde illa sciuit niger an albus nascerer?* (ad longe aliud prouerbium spectat Hor. epist. II 2, 189 et Porphyrionis explicatio); et consimilia sunt Plaut. Pseud. IV 7, 99 *quem ego hominem nullius coloris noui* (h. e. omnino mihi ignotus est) et Sen. apocol. 3 *nemo enim umquam illum natum putauit,* ubi cf. Buechelerus. ceterum cf. Quintiliani iudicium (testim. uol. I).

XCIV.

1, 2. **Mentula moechatur, moechatur mentula: certe hoc est quod dicunt 'ipsa olera olla legit'.** est hoc poemation primum eorum,

quibus Catullus adoritur Mentulam (cf. CV, CXIV, CXV), h. e. Mamurram, ut inde a Mureto plerique omnes recte sumpserunt. nam neque 'Mentula' umquam uerum erat nomen proprium (non recte arcessiuere 'Bestia, Beta, Bibulus, Buca', similiaque) neque dispicimus, in quem melius haec carmina conueniant quam in Mamurram, cuius 'diffututa mentula' (XXIX 13) celebri dicto diffamata ultro se optulit poetae nouam inimici appellationem anquirenti. nam anquirenda ea erat sane tum, cum Catullus cum Caesare reconciliatus iam huic pepercit: Mamurrae nomen cum nomine Caesaris artissime in carminibus superioribus XXIX et LVII coniunctum non adhibere potuit poeta aliter nisi ut Caesaris quoque inuectiuarum memoriam resuscitaret nimis aperte. facta autem erat reconciliatio cum uno Iulio, non simul cum Mamurra: hunc quominus etiam post eam insequeretur nihil prohibuit, modo solus ita incesseretur, ut Caesar non denuo lacesseretur; cf. Schwabius q. C. p. 226—239. ceterum interpretatio est difficillima propterea quod de sententia prouerbii (quod introducebant illo 'quod dicunt' similiterue, ut XCVIII 2, C 3, Plaut. Poen. I 1, 8, Ter. Phorm. III 2, 21, Prop. II 16, 35, Hor. epist. I 7, 49) non constat. 'aula' postquam in 'ōla' (ad XXV 2) et 'ŏlla' abiit, populus facile 'olus' cum 'olla', in qua coquitur, consociauit (Varr. d. l. l. V 108 *ab olla olera dicta, quorum * a genere * cruda olera*). sed si olla ipsa dicitur eligere (Verg. Aen. XI 632 *legitque uirum uir*) olera, obscura huius dicti sententia manet, cum quaesitum uideatur ex. gr. de uariis ollis quae uaria olerum genera recipiant cogitare et hinc explicare: unusquisque id quod sibi conueniens aptumque est eligit (nec graecum *εὗρεν ἡ λοπὰς τὸ πῶμα* huc pertinet). AStatius ita explicat, Mamurram se excusare, non se moechari, sed mentulam ipsam; et in hanc sic culpam conferri, ut uulgo etiam dici soleat, non olera aliquem furatum, sed ollam ipsam; at eius furtum fuisse constare, cuius etiam sit olla, ut adulterum etiam esse eum dubitandum non sit, cuius illae sint partes obscenae ('legere' pro 'furari' saepius occurrere, unde 'sacrilegium'; cf. etiam Priap. 24, 4). additque Vulpius, uerba 'Mentula moechatur' esse adulteri *μιμητικῶς* prolata, 'moechatur mentula certe' Catulli responsum concedentis id uerum esse, at nihil eius causam iuuare. quae omnia ut incerta sunt (uelut de furis excusatione ex olla petita), ita a uerborum conformatione uix quidquam accipiunt praesidii. Scaliger cp. Hom. Od. XVI 294 *αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος*. Muretus hoc uulgare dictum fuisse putat in eos, qui cum ad aliorum libidinem antea prostitissent prostarentue, quaererent ipsi quoque, ubi libidinem exercerent suam (cp. Ter. Eun. III 1, 36). denique IVossius notari putauit hominem se ipsum uorantem (LXXXVIII 8). ab his similibusque explicandi conaminibus, quae nisi operose ex uerbis poematii eliciuntur, propterea abhorret animus, quod perquam frigidus est lusus 'Mamurra moechatur, moechatur eius penis', quocumque modo intellegimus, idque eo magis quod ob penem Mamurrae dedit cognomen Mentulae Catullus ipse. hinc cum **O** praebeat 'metula', suspicatus sum latere 'mecula' siue 'Moechula',

intellegens Pompei uxorem Muciam, de qua plura ad CXIII dabimus. huius e uulgari pronuntiatione (cf. ad XVII 1) dictae 'Moecia' nomen par erat plebem secundum feminae uitam probrosam deriuasse a moechandi uerbo, simili cum etymologia qua ab 'olla' deriuauit 'olera', et hinc illam appellasse 'Moechula'. haec 'Mentula' et 'Moechula' iuxta ponens poeta acerbissimum iocum omnibus et allitterationis et deriuationis salibus commendatum iocatur: Mentula moechatur (et quid aliud ab 'ista diffututa mentula' potest expectari?), moechatur etiam Moecia (nec in hanc, ut ipsum nomen indicat, aliud quidquam conuenit); quodsi reputatur a Mentula moechante didicisse Moeciam moechari (CXIII), apparet aut nusquam aut hic ualere illud 'i. o. o. l.' sed, ut dixi, certius de hac re iudicare liceret, si de sensu prouerbii omnes essent exemptae dubitationes. ceterum 'certe' (LXXX 5) traxi ad sequentia auctore HAKochio [symb. philol. Bonn. p. 320]; minus bene ad priora referunt uulgo.

XCV.

1. Zmyrna mei Cinnae. carmen cari sui sodalis (de 'mei' cf. supra p. 9 not.) C. Heluii Cinnae, de quo cf. Teuffelius HLR. § 213, Catullus celebrat more tum uulgato apud τοὺς νεωτέρους (hoc quoque ad exemplum Alexandrinorum, cf. Callim. epigr. 29, 3 Schn. χαίρετε λεπταὶ ῥήσιες, Ἀρήτου σύγγονοι ἀγρυπνίῃ); cf. apud Suet. d. gr. 11 Ticidae et Cinnae de Catonis carminibus praedicationes, Prop. II 34, 65 et infra ad u. 6. erat autem hoc opusculum, cui inscriptum erat 'Zmyrna' (sic melius scribitur quam 'Smyrna'; cf. I. R. N. 1798), epyllion hexametris conscriptum, quod ab ambitu cum Catulli c. LXIV comparari potest; 'libellum' uocat Seru. ad ecl. 9, 35 (cf. ex. gr. 'Culicis liber' et 'libellus' PLM. II p. 46 et 72 in adn. crit.). Myrrhae cum patre Cinyra amorem incestum tractauit hoc poema doctum et per omnia prae se ferens artificia Alexandrinorum, quod operam limamque inpensam adeo ubique prodidit, ut obscuritate laboraret: Philarg. ad Verg. ecl. 9, 35 *fuit autem liber obscurus adeo, ut et nonnulli eius aetatis grammatici in eum scripserint magnamque ex eius enarratione sint gloriam consecuti* (cf. Suet. d. gr. 8). paucos uersus seruatos uide in LMuelleri Catullo p. 88. — **1, 2. nonam post denique messem quam coepta est nonamque edita post hiemem.** Quint. X 4, 4 *Cinnae Smyrnam nouem annis accepimus scriptam,* Philarg. l. l. (cf. testim. uol. I) . . *unde etiam Horatium in arte poetica* [388] *dicunt ad eum allusisse, cum dicat 'nonumque prematur in annum'.* 'denique' cum 'edita' participio iungendum longam operis tandem emissi expectationem innuit (Plaut. mil. 1030). et 'messis' (h. e. aestas) et 'hiems' cum ad significandum annum a poetis adhibeatur, utrumque iunctum longum anni uoluentis ambitum designat, ut Sen. Troad. 547 *bella post hiemes decem totidemque messes iam senex miles timet.* de constructione (= nono anno postquam coepta est) cf. Kuehnerus gr. l. II p. 296 sq., 901. — **3. milia cum interea quingenta**

Hortensius uno. de hoc uersu iudicare aleae est plenum, cum perierit pentameter. in uniuersum quidem sententia sine dubio est haece: cum interea (LXIV 305) unus ex his *πολυγράφοις* D milia uersuum emiserit. opponitur quippe una eaque parua Zmyrna (400—500 fere uersuum) longis extentisque feracissimi alicuius scriptoris uoluminibus multis. licet enim 'D milia' generaliter inmensum numerum designet (IX 2, XLVIII 3, Petron. 53), tamen aliquam in hac quidem comparatione apparet esse habitam rationem eorum, quae fieri possunt. et hoc non minus quam 'interea' ad totum illud nouorum annorum spatium pertinens prohibet, quominus ad 'uno' suppleamus 'anno' (ut taceam de 'mense' et 'die' subhorridis): essent enim per singulos dies fere 1500 uersus siue uolumen integrum. et uoluminum certum uersuum numerum maximum non egredientium habeatur respectus: D milia uersuum siue 350—360 uolumina si *πολυγράφος* per nouem illos annos edidisse dicitur, exaggeratio nimia et iocosa satis apparet. unde redarguuntur supplementa, qualia sunt Froehlichii 'uersiculorum anno quolibet ediderit'. Parthenius recordatus Hor. I 4, 10 suppleuit 'in pede stans fixo carmina ructat hians', bene quid fere ad 'uno' possit adiectum fuisse indicans, sed cetera ineptus. et restat difficultas in ipsa Hortensii mentione. fuerit enim Q. Hortensius Ortalus, orator celeberrimus, et scriptor mediocris (Cic. or. 38, 132, Quint. XI 3, 8) et poeta non bonus (Gell. XIX 19 *Hortensius inuenusta et Cinna inlepida et Memmius dura .. fecerunt*), tamen Catulli et amicus (LXV) et sodalis fuit, quippe quem inter cantores Euphorionis omnes numerent. quodsi post c. LXV rixas inter eos qui antea fuere amici nasci potuisse praefracte negari nequit, tamen hoc dubitandum est, num Catullus tam acerba castigatione perstringere animum induxerit uirum et eiusdem scholae sectatorem et qui non tam poeticen professus erat quam horis subseciuis (ut multi tum alii: supra p. 19) carmina minuta lasciuaque ludebat: D milia uersuum Hortensium edidisse et ab homine et ab oratore et a sectatore *τῶν νεωτέρων* abhorret. denique ita demum hoc carmen bene currit, si per totum Cinnae cum uno soloque Volusio fit comparatio, non Cinnae cum Hortensio Volusio Antimacho. cf. Schwabius q. C. p. 268—288. igitur 'Hortensium' non posse stare inde a Froehlichio plerique intellexere, quamquam malis coniecturis uocem inportunam remouentes (Froehl. 'ter quinque Tanusius', Pleitnerus 'horrentius', Munro 'Hatrianus'); neque operae pretium tulit Peiperus hoc commento 'Hortensius uno miretur Volusi carmine facta die'. manum nimirum ab inextricabilibus abstinere decet, decet agnoscere corruptelam illius 'Hortensius', cui medelam adferre ob pentametri defectum omnino non liceat. — **5. Zmyrna cauas Satrachi penitus mittetur ad undas.** 'Zm.' subiectum huius uerborum ambitus uu. 1—6 complectentis et ad perspicuitatem (post enuntiatum secundarium) et ad efferendam rem fortiter est repetitum. Satrachus (olim infaustis coniecturis remotus) est fluuius Cypri; cf. Weichertus rel. poet. lat. p. 179, Hauptius opusc. I p. 71, Meinekius anal. Alex. p. 279 sq.; Tzetzes ad

Lycoph. 448 *Σάτραχος πόλις καὶ ποταμὸς Κύπρου· τινες δὲ διὰ τοῦ ε γράφουσι Σέτραχον*, Nonn. Dion. XIII 458 *νυμφήϊον ὕδωρ Σέτραχος ἱμερόεις, ὅθι πολλάκις οἶδμα λαβοῦσα Κύπρις ἀνεχλαίνωσε λελουμένον υἱέα Μύρρης*, Etymol. M. p. 117, 37 *Ἀῷος ποταμὸς τῆς Κύπρου· Ἀῷ γὰρ ὁ Ἄδωνις ὠνομάζετο, καὶ ἀπ' αὐτοῦ οἱ Κύπρου βασιλεύσαντες· Ζωΐλος δὲ ὁ Κεδρασεὺς καὶ αὐτὸν ἀπὸ τῆς ἑαυτοῦ μητρὸς κληθῆναι· τὴν γὰρ Θείαντος θυγατέρα οὐ Σμύρναν ἀλλὰ Ἀῷαν καλοῦσι. Φιλέας δὲ πρῶτον βασιλέα Ἀῷον Ἠοῦς ὄντα καὶ Κεφάλου, ἀφ' οὗ καὶ ὄρος τι ὠνομάσθη Ἀῷϊον, ἐξ οὗ β' ποταμῶν φερομένων Σεράχου καὶ Πλιέως, τὸν ἕνα τούτων ὁ Παρθένιος Ἀῷον κέκληκε.* quae uerba propterea sunt memorabilia, quod Parthenium cum Cinnarum familia coniunctum (Suidas s. u. *Παρθένιος*) facile nobis persuademus Heluio Cinnae facem praetulisse in reconditis his fabulis. recte autem Hauptius perspexit, Satrachi fluuii hic mentionem fieri ob artam eius cum Zmyrnae siue Myrrhae fabula coniunctionem, quem loci adlati indicant:. fortasse pars carminis ad Satrachum et lauantem in eo uirginem pertinens pulcherrima maximeque celebrata erat. iam cum laus fuerit scriptoribus, si opera eorum etiam in terras peregrinas mitterentur a bibliopolis (Weichertus cp. Hor. a. p. 343, Mart. XII 3, 1 *ad populos mitti qui nuper ab urbe solebas*, alia), Catullus non Gallos aut Hispanos aliosque, a quibus Hor. od. II 20, 17 sqq. olim carmina sua lectum iri auguratur, in medium profert, sed scite sane uenusteque adcolas eius fluuii, cui Cinnani carminis descriptio nobilitatem attulit, Zmyrnae poematis cognoscendi cupiditate exarsuros auguratur. 'penitus' si cum 'mittetur' iungendum est, ualet 'longe' (Cicero ap. Seru. ad ecl. 1, 58 *penitusque palumbes relliquit*) uel 'in intimam Cypri partem'; sed malim cum 'cauas' copulans explicare 'in imo fundo'. nam 'caua unda' est ea quae concitatius fluit alteque emittitur: Ouid. Ib. 224 *Eumenides lauere palustribus uluis, qua caua de Stygiis fluxerat unda uadis* (XVII 4, Verg. G. I 326 et IV 427 non arcessendi). — **6. Zmyrnam cana diu saecula peruoluent.** tempora remotissima pertractabunt cum cura studiisque seriis. 'peruoluere', quod plus est quam 'euoluere', nunc sic adhibitum non extat; similiter Cic. ad Att. V 12, 2 *meos .. peruolutas libros* (de dialysi ad II 6). 'canus', ut est senii proprium, seris aetatibus hic attribuitur (aliter Mart. VIII 80, 2), ut similiter LXVIII^b 6 *carta anus* et Ciris 41 *senibus saeclis*, Sil. Ital. III 328 *cum pigra incanuit aetas*; fuisse hoc tum non infrequens loquendi genus docet Cic. d. legg. I 1, 1 *ut ait Scaeuola de fratris mei Mario 'canescet saeclis innumerabilibus'*. — **7. at Volusi annales Paduam morientur ad ipsam.** idem est Volusius, qui in c. XXXVI occurrit; eius nomen fictum esse et uerum fuisse Tanusii, noster locus quam maxime reddit inprobabile, siquidem Cinnae non potest nomen fictum oppositum esse, cum praesertim Volusii opus accuratius describatur. de Padua Robertus Titius cp. Polyb. II 16, 11, qui de Pado flumine *σχίζεται δ' εἰς δύο μέρη κατὰ τοὺς προσαγορευομένους Τριγαβόλους· τούτων δὲ τὸ μὲν ἕτερον στόμα προσονομάζεται Παδόα, τὸ δ' ἕτερον*

Ὄλανα, Vib. Sequest. p. 13 B. *Padua Galliae a Pado dicta* (male 'Capuam' Passeratius, 'Aduam' IVossius maluerunt). hanc autem Paduam fuisse patriam Volusii, perperam uulgo statuunt. nam si Padua, ignobilis fere magni patris Padi filia, cum consilio opponitur nobilitato ex fabulis Satracho, fluuius fluuio, oppositionis aequabilitas in ea quoque re seruata sit oportet, quod aeque ac Satrachus ex Cinnae Zmyrna Paduae memoria ex Volusii annalibus petita est: ut cum Satracho nobilis aliqua Cinnani poematis descriptio, ita cum Padua insignes Volusii ineptiae uidentur fuisse coniunctae. et latius patet comparatio: non transgredientur annales Volusii Italiae fines, bibliopolae Romani emptores non reperientes mittent illos ad Paduam, si forte ueneant apud homines rusticos earum regionum, quae cum rebus enarratis cohaerent; sed ibi quoque ('ipsam') cito interibunt neglecti. simul autem discimus, quidnam fere continuerint saltim ex parte annales isti: opus Ennianum ut Hostius bellum Istricum, alii alia bella postea gesta addendo continuauerunt, sic Volusius noster res a Romanis in Gallia cisalpina gestas materiam poematis ex multis uoluminibus constantis sibi sumpsit. — **8. et laxas scombris saepe dabunt tunicas.** a nemine lecti annales isti deferentur in tabernas, ubi a uenditoribus adhibentur ad amiciendas siue inuoluendas merces, praesertim pisces marinos: Hor. epist. II 1, 269 *deferar in uicum uendentem tus et odores et piper et quidquid cartis amicitur ineptis*, Pers. 1, 43 *nec scombros metuentia carmina nec tus* de bonis libris, Stat. silu. IV 9, 12, Mart. III 2, 3 sqq. et III 50, 9 *scombris scelerata poemata donas* et IV 86, 8 *nec scombris tunicas dabis molestas* et XIII 1, Sidon. Apoll. X 317 (carta) *quae scombros merito piperque portet*; cf. et Athenaeus p. 374, Marquardtus antiqq. priu. p. 792. 'laxa' inuolucra audiunt, quia annales isti ex cartis constabant formae maximae, ut quam plurimum in eis scribi posset; 'saepe' ob inexhaustam cartarum in uoluminibus spissis copiam. — **9. parua mei mihi sint cordi monumenta.** parui (et cum cura elaborati) libelli, qualis est Zmyrna, quibus Cinna sibi ponit monumentum (XI 10), mihi quidem sint in amore deliciisque (LXXXI 5). uersum lacunosum uarie supplebant, Auantius 'sodalis' (X 29), BGuarinus 'poetae' addendo (ut mittam alia, ut 'Philetae' et 'Phanoclis'; nam erant qui hoc distichon a prioribus seiungerent, cf. Schwabius q. C. p. 282); mihi et fortius et gratius est uisum repeti nomen Cinnae, ut in primo ultimoque disticho 'mei Cinnae' legatur; nec ita difficile 'cĩne' post 'sint' intercidit. — **10. at populus tumido gaudeat Antimacho.** at uulgus profanum (Hor. od. I 1, 32 *secernunt populo*) in deliciis habeat Volusium instar Antimachi (Colophonii, circa a. 400 uigentis) inprobe inmodiceque longum. nam hoc apertum est designari Volusium ipsum nomine Antimachi (XXII 19), qui infamis erat ob carminum (Thebaidis maxime, epici carminis) ambitum inmensum tam ex degressionum sine fine factarum multitudine (Plut. d. garr. 21) quam ex causis rerum longissime repetitis profluentem; cf. Cic. Brut. 51, 191, Porph. ad Hor. a. p. 146 *Antimachus fuit*

cyclicus poeta; hic adgressus est materiam illam, quam sic extendit, ut uiginti quattuor uolumina impleuerit, antequam septem duces usque ad Thebas perduceret (cf. et Acro et comm. Cruq.), Lucian. d. hist. conscr. 57. ceterum Thebaida hic exagitat, non Lyden, carmen elegiacum, de quo Callim. fr. 74ᵇ *Λύδη καὶ παχὺ γράμμα καὶ οὐ τορόν.* nam 'tumidus' etsi ad dictionem turgidam et narrationis inpeditum longumque tenorem, tamen etiam ad multa spissaque uolumina spectat, unde illi 'parua' opponitur. supra p. 11 exposui de Callimachi praecepto ad breuitatem spectante.

XCVI.

1. Si quicquam muteis gratum acceptumque sepulcris accidere a nostro, Calue, dolore potest. si modo aliquid, quantulumcumque id est, cari iucundique contingit mortuis sensu apud inferos fruentibus ex nostro superstitum luctu atque maerore. 'si' est formula modeste pieque iudicandi de rebus, quas certo scire negatum est: Ouid. am. III 9, 59 *si tamen e nobis aliquid nisi nomen et umbra restat*, consol. Liu. 469 *haec sentit Drusus, siquid modo sentit in umbris,* Anth. lat. Mey. 1399, 1 *post mortem si uiuit amor, si gratia prisca durat .. accipe carmen,* Tac. Agric. 46 (AStatius cp. Soph. El. 355 *τῷ τεθνηκότι τιμὰς προσάπτειν, εἴ τις ἔστ' ἐκεῖ χάρις*, Ellisius Anth. Pal. VII 23, 5). 'sepulcra', utpote cadauera sepulta, de mortuis ipsis Ouid. f. II 33 *placatis sepulcris,* Stat. silu. II 7, 103 *grandibus sepulcris* adhibent; Prop. II 13, 57 *muti manes* et II 1, 77 *mutae iace uerba fauillae* (CI 4; et 'silentes' dici inferos notum est). 'gratus acceptusque' constans est dictio (Nep. Hann. 7, 3, Cic. Tusc. V 14, 45), in qua 'ue' a V hic male traditum (IX 11) locum nullum habet. Cic. ad fam. VI 7, 3 *tibi gratius .. acciderit,* ad Q. fr. I 3, 1 *a te mihi omnia semper honesta et iucunda ceciderunt* ('a' germanice 'von Seiten'). — **3, 4. quei desiderio ueteres renouamus amores atque olim missas flemus amicitias.** 'quo' in initio habet G, quod uulgo est receptum. sed si 'quo desid.' iungimus, hoc absonum est, cum 'desiderium' hic quidem non sit 'dolor' (qui potius et 'desiderium' et 'flemus' comprehendit); sin 'quo' ad solum 'dolore' spectare dicimus, insolenter durissimeque iuxta est positus ablatiuus alter. itaque Guarinus adsentientibus nonnullis scribi uoluit 'quom' (LXXVI 2); interpolatum esse in G, nunc docet O, ex cuius lectione 'que' elicui 'quei' siue 'qui'; Kuehnerus gr. l. II p. 845. Tib. II 4, 47 *aliquis senior ueteres ueneratus amores,* h. e. affectus amoris prioris (LXIV 295); quorum memoriam uegetam semper recentemque facit ipsum desiderium non intermoriens (Hor. od. I 24, 1). quod ad 'missas' traditum, rectissime Hauptius in memoriam reuocauit dubitationem Italorum (opusc. I p. 215): adhibetur uox ea de eis quae sponte nostra dimittimus (LXI 174, LXVI 29 nemo prudens contra comparabit), non de eis quae inexorabili necessitate rumpuntur. deinde 'olim' non bene coit cum 'missas' (caue Liuineium sequare 'olim' a 'missas' iuxta

posito diuellentem iungentemque cum 'amicitias', ut IV 10): non ita pridem rapta erat Quintilia; unde etiam Italorum 'amissas', Schwabii 'olim scissas' coniecturae concidunt. sed Hauptius audacissime restituens 'Orco mersas' merito adsensum non est nanctus. nec mihi 'olim' sic amolienti, ut u. 4 ad amicos maximeque Catullum referens scriberem 'et quei discissas', res successit; nam u. 6 'amore tuo' (nisi forte et ipsum in 'amore suo' mutare malis) demonstrat de uno Caluo agi. etenim si u. 2 et 3 et 4 prima persona pluralis utitur poeta, nimirum in uniuersum loquitur superstites uiuosque opponens mortuis, contra in ultimo disticho de Quintilia et Caluo solis. iam cum huius distichi medii haec sit sententia generalis 'qui mortuos et desideramus et flemus', artis concinnitas nil requirit nisi quod illi 'ueteres' respondeat, ex. gr. 'olim iunctas' uel 'nexas' uel 'mixtas'. quippe 'amicitia' etiam de amore inter marem et feminam inito dicitur, ut CIX 6, ubi itidem 'amor' praecedit. — **5. certe non tanto mors inmatura dolorist Quintiliae, quantum gaudet amore tuo.** tum profecto Quintilia (quae uidetur uxor fuisse Calui) non tam dolorem inde, quod ante suum diem e uiuis excessit, quam ex fida uiuacique sui apud te memoria per desiderium fletumque declarata laetitiam capiet. 'tantum . . quantum' haud raro pro 'tam .. quam' positum (ut Hor. sat. II 5, 80) hic paululum inmutatum est, ut Lucan. I 259 *sed quantum .. rura silent .., tanta quies.* 'dolorist' cum Italis an auctore Ellisio prisca forma 'doloreist' ex tradito 'dolor est' eruendum sit, in dubio manet.

Non inepte Muretus statuit, hos uersus tenerrimos esse scriptos a Catullo, cum acciperet a Caluo amico libellum, quo hic *caneret miserae funera Quintiliae* (Prop. II 34, 90); et addidit Lachmannus (ad Prop. p. 141), uideri adludi ad spem a Caluo expressam in una aliqua elegia, ex qua seruatum sit fragmentum hoce (17 LM.) *forsitan hoc etiam gaudeat ipsa cinis.* nescimus autem, quonam modo cecinerit Caluus Quintiliae mortem praeproperam; suspicionem de hac re prompsit Merkelius ad Ouid. Ib. 362; sed certum est, eundem non edidisse librum epistularum prosa oratione ad uxorem olim datarum: uerissime omnino locum Diomedis p. 376, 1 Keilius correxit in adnotatione. quodsi iam eripitur locus unicus, unde Quintiliam Calui uxorem fuisse sumpserunt, nihilominus haec sententia manet perprobabilis propter causam a Schwabio q. C. p. 265 recte adsertam: 'Quintilia' nomen uerum, non fictum esse; et nomen uerum etiam Lucanum in Argentaria uxore retinuisse.

XCVII.

1. Non (ita me dei ament) quicquam referre putaui. est solita adfirmationis formula (cf. ad LXI 189), ut Ter. heaut. III 1, 54 et IV 3, 8, Plaut. Amph. II 1, 50 *neque ita me di ament, credebam* (de 'di' correpto in hiatu ad LV 4). 'non quicq.', nil omnino, ut Plaut. Poen. V 2, 68 *non . . quicquam scio.* — **2. utrumne os an culum olfacerem Aemilio.** de homine, cui poeta hoc contemptus summi testimonium exhibet, nil scitur; sed

uidetur ille nescioquos eius amores turbare uoluisse, siquidem hoc carminis consilium puto, ut ab Aemilio deterreatur certa aliqua femina. Scaliger cp. Anth. Pal. XI 241 *τὸ στόμα χὠ πρωκτὸς ταὐτόν, Θεόδωρέ, σου ὄζει κτλ.* (ibid. 415); cf. et Anth. lat. 384, 10 *qua te cumque moues, os culum porrigis ultro* eqs. Phaedr. IV 19, 36 de canibus *culum olfacit.* in V uulgare illud 'utrum' extat; recte Muretus hiatum molestum (ad LXVII 44) remouit reponendo rariorem formam 'utrumne', quam saepius habet Horatius, epod. 1, 7, sat. II 3, 251 *nec quicquam differre, utrumne . . an* et 6, 73. — **3. nilo mundius hoc nihiloque inmundius illud.** nam paria sunt ab impuritate os et culus. quae sententia generalis ex traditis uerbis aegre efficitur. nam si 'illud', os, 'nihilo' (quod priore loco ob metrum in 'nilo' est contractum; cf. Lachm. ad Lucr. p. 27 sq.) mundius uel inmundius 'hoc', quam culus, esse dicitur, perit uis omnis salis, siquidem os solet plerumque mundius esse quam culus. unde olim dedi e coniectura 'nilo mundior hic', cum praesertim 'hic' ad magis propinquom (culus), 'illud' ad magis remotum (os) referendum putarem in hac stili Catulliani simplicitate. uerum 'hic — ille' etiam in sermone non artificioso haud raro ita adhiberi, ut 'hic' ad prius et 'ille' ad alterum membrum pertineat, postea didici (cf. ex. gr. Macrob. VII 4, 21; Periz. ad Sanctii Min. II 9, 7, Ruhnk. ad Rutil. Lup. p. 126, Draegerus synt. I § 43); nec aliter ipse noster C 3. hinc Lachmanni correctionem 'inmundior ille' (uel potius 'illest') nunc praefero quia melius os nihilo mundius quam culus, culus nihilo inmundius quam os dicitur et per se et ob uersum sequentem. — **4. uerum etiam.** immo potius. — **mundior et melior.** cf. ad LXXXIV 8. 'melior', non tam foedus atque atrox. — **5. os dentis sesquipedalis.** 'os' cum ui praepositum uere restituit Froehlichius pro tradito in V 'hic', quod sensu caret: contra os habet dentes praelongos. 'sesquipes' (Plaut. trin. 903, Pers. 1, 57) et 'sesquipedalis' (Mart. VII 13, 10, Hor. a. p. 97) de eis quae mensuram iustam excedunt ridicule dicitur. — **6. gingiuas uero ploxeni habet ueteris.** XXXIX 19; pluralis 'gingiuae' amplitudinem dentibus enormibus conuenientem denotat; cf. et Neuius I p. 450 sq. 'ploxenum' — nam haec forma a Quintiliano exhibetur, cui V, in quo 'ploxoni' uidetur fuisse, in tanto elementorum 'e' et 'o' similitudine accedit, 'ploxinum' contra a Festo — est uox gallica (testim. uol. I) significans capsum (Vitr. X 9, 2) coriis tectum, in quo sedebat uector cisii siue rhaedae regioni Padanae propriae, cuius imaginem uide apud Richium (s. u. 'plox.'); quod dicitur 'uetus' (X 22) utpote usu multo detritum coriis pertunsis foedatisque; comparationem inde explicat IVossius, quod 'Aemilius *οὔλων ἀποστάσει* laborauit et *παρουλίδας* et *ἐπουλίδας* habuit, quando nempe gingiuae a dentibus recedunt et purulentas agunt fissuras, unde dirus et pestifer oritur halitus'. — **7. rictum.** aperturam, ut Hor. sat. I 10, 7. — **7, 8. qualem deffessus in aestu meientis mulae cunnus habere solet.** 'defessus' (G) uulgo scribunt, quod Scaliger sic defendit 'fessi muli strigare solent, h. e. interquiescere, ut meiant, idque aut in aestu aut in difficili uia'. unde minime sequitur,

aut ipsum cunnum recte dici 'defessum' aut hanc uocem aptam esse comparationi, quae potius flagitat 'late diductus distractusque'. quam notionem cum usus quidem procul arceat a 'defessus' (neque 'fatiscere' siue 'hiare' iuuat contulisse), manus danda esset AStatio 'diffissus' restituenti, ut olim et alii et ego fecimus, nisi hoc nimium plane esset; recte ex. gr. Horatius de statua 'diffissa nate'. mihi nunc aptissimum uidetur quod ex 'deffessus' (O) non difficilius eruitur, 'dispessus': Lucr. VI 599 *neu distracta suum late dispandat hiatum*; cf. de forma participii Brixius ad Plaut. mil. 361. 'in aestum' (V) erant qui retinerent; sed huius 'archaismi' (Scaliger) quae Ellisius cp. Handii Turs. III p. 344 attulit exempla Cat. d. r. r. 39 *in uillam fieri* et 52 *in arborem relinquito*, nuperrima Keilii editio non agnoscit; nec sane talia uitia aperta sunt defendenda; ceterum non de libidine, ut olim fecere, sed de aestatis ardore feruido cogita. de forma 'connus' (O) pro 'cunnus' (G) dixi Fleckeis. ann. 1882 p. 478 et 1883 p. 783. — **9. se facit esse uenustum.** cf. ad X 17 et III 2; uertas 'er spielt sich auf als Dandy'. — **10. et non pristrino traditur atque asino?** 'et non' pro 'nec', cum 'non' efferendum ualeat 'non potius'; Cic. Tusc. I 7, 13, Draegerus synt. II p. 7. 'pistrinum' (de forma uulgari 'pristr.' Ritschelius opusc. II p. 459) est locus, ubi frumentum pinsitur per molas siue manuarias siue asinarias; cf. Richius s. u. 'pistr.', Beckerus Galli II[3] p. 234, Guhl et Koner p. 288. et loco asinorum equorumue serui graui poena afficiendi molebant, quod 'seruum in pistrinum dare, dedere, tradere' uocabant (interpp. ad. Plaut. Most. I 1, 17); Cic. d. or. I 46 et II 144, Apul. met. IX 12. hic 'asinus' dictum uidetur siue ex usu uulgari, ut mihi uidetur, pro munere asini inplendo siue (ut Scaliger putauit) pro seruo punito ipso; non opus erat, ut 'atque asinus' (ita ut a.) male conicerent Itali; neque recte nonnulli, ut AStatius ad Xenoph. Anab. I 5, 5 prouocans, de lapide molari aut de seruo animalia molentia custodiente cogitauere. sed quid de tota sententia esset statuendum, nemodum exposuit. apparet non posse de uera poena turpissimis in seruis usitata hic agi, cum fuerit Aemilius liber sine dubio; unde puto aut adesse formulam quandam despectus summi, qua feminae abire a se iusserunt cum contemptu minisque amatores inpudicos aut adludi ad nescioquam fabulam, in qua mulier casta sic eluserit sollicitatorem pudicitiae, ut in pistrino eum includeret, ubi nolentem uolentem expectaret asinus aliterque quam sperauerat molendi dira necessitas. — **11. quem siqua attingit.** hoc uerbum alibi de uiris coitum patrantibus adhibetur; de femina si hic usitatum esset, 'ore osculisque' similiaue ad intellectum necessaria omnino abesse nequirent. Catulli esse puto 'admittit'; cf. Plaut. Asin. I 3, 83, Ouid. am. I 6, 72 et a. a. III 605. — **putemus.** XXII 12. cf. et Tib. I 9, 75 sq. — **12. aegroti culum lingere carnificis?** 'cul. l. posse' (XCVIII 4) obicitur abiectissimis hominibus quidlubet pati et facere paratis; et augetur dictionis contemptus ex persona adiecta: despectissimos fuisse carnufices uidemus ex Mart. II 61, 4 et Iuuen. 8, 175. morbo aliquo

taetro affectus quod talis homo hic audit, perficit imaginis foeditatem atrocem.

XCVIII.

1. si in quemquam. si omnino in aliquem, quicumque is est. — **pote.** potest, ut LXVII 11. — **putide.** taedii odiique plene, ut XLII 11. — **Victi.** de hoc quoque homine nil scitur. nomen ipsum alibi non occurrit; quamquam similia, ut CIL. VIII 10475 *Viccius*, non desunt. AStatius bis 'Vetti' restituit; accepitque Scaliger de L. Vettio, eq. R., iudice infamia cooperto, quem Ciceronis ex Sestiana et Vatiniana nouimus (cf. Pauly, Encycl. real. VI p. 2530). sed re accurate perpensitata uix persuadeas tibi hunc hominem perstringi. quodsi 'Vetti' uelis retinere (nulla enim uox facilius abire potuit in 'Victi'), possis agnoscere Vettium illum, qui Clodiam offendit quam maxime (Cic. Cael. 30, 71); quamquam et haec res tota adeo est inuoluta tenebris, ut praeter inimicitias ipsas nihil constet. possis quoque cogitare, si 'Vecti' cum priscis editionibus scribas, de Vectio Philocomo grammatico (supra p. 9). uerum enim uero incerta suapte natura hic sunt omnia. — **2. uerbosis dicitur et fatuis.** in eos, qui usque blaterant insipida. Donatus ad Ter. Eun. V 9, 49 *fatuus, inepta loquens . . . fatui sunt [qui] uerbis et dictis [fatui sunt], insulsi uere corde et animo.* prouerbium iam in disticho sq. adlatum aliunde non est notum. — **3. ista cum lingua.** scil. tam forti (semper) et foeda (inepte blaterante). Ruhnkenius ad Ter. Andr. V 4, 38 'sic indignantes adhibent *cum*: Eun. I 2, 73, Phorm. III 1, 1, Hec. I 2, 59 *di te perdant cum istoc odio*'. — **si usus ueniat tibi, possis.** si forte non domi sit spongia siue peniculus (Paul. Festi p. 208) ad mundandum aut πρωκτόν (Mart. XII 48, 7) aut calceamentum, pro necessitate hinc oborta (Ter. Heaut. III 2, 43 *si usus ueniat*, Ad. V 6, 7, Phorm. I 2, 23) lingua tua in rem tibi esse possit. — **culos et crepidas lingere carpatinas.** 'culi' pluralis ostendit non ipsius Victi dici monstruosa cum hyberbole (LXXXVIII 8) πρωκτόν, sed quorumuis in domo eius uersantium. ceterum etiam in illum ipsum subest conuicium (XCVII 12). 'carpatinae' (quas praeterea graeci scriptores conmemorant, qui inter π et β fluctuant) erant calceamenta rustica ex crudo corio bubulo confecta et totam plantam contegentia ac per amenta cruribus adnexa (Richius s. u. 'carb.'); ob quam cum crepidis similitudinem poeta hic 'crep. carp.' ita coniungit, ut 'carp.' uice adiectiui fungatur; Pollux VII 188 καρπατίνη ἀγροικῶν ὑπόδημα κληθὲν ἀπὸ τῶν Καρῶν, Hesychius et Suidas s. u., Xenoph. An. V 5, 14, Lucian. Alex. 39 et Philops. 13 cum scholiis. has carpatinas unusquisque lector ultro sibi finxit obductas, ut in rusticis, multo caeno et stercore. et fortasse hoc de lingua omnia effutiente dictum et ipsum erat rusticorum. — **5. si nos omnino uis omnes perdere.** enecare blaterando, ut Hor. sat. I 9, 32, epod. 14, 5, a. p. 475. 'omnino' (= plane) non solum cum 'omnes' (ad LXI 156, Cic. d. inu. I 86 *omnino omnis argumentatio,* alibi), sed etiam cum 'per-

dere' iungas, ut iubet uox eadem in u. sq. fortiter iterata. — **6. hiscas.** est haec egregia correctio ('discas' V, unde Auantius fecerat 'dicas') IVossii: sufficit ut solum os tuum aperias: iam omnes exitium ex loquacitate tua sibi inminere sciunt (ne cogites de pestilenti fetoris afflatu similibusue). ad ultima uerba cf. LXXIV 5 *quod uoluit fecit.*

XCIX.

1. Surripui tibi, dum ludis, mellite Iuuenti. sauium diu desideratum (XLVIII) diuque ob aemulos pueri custodes negatum cum tandem oblata opporturnitate usus poeta feruentior rapuisset, se in amore non potentem esse tristis agnouit. 'ludis', scil. ludos pueriles (non de campi Martii exercitationibus cogitauerim): quod antea in c. XXI Furio obiecerat inuidus, hoc nunc ipse C. fecit, scil. cum puero iocatus ludensque una. 'mellitus' (III 6), ut Cic. ad Att. I 18, 1 *cum uxore et filiola et mellito Cicerone.* de forma 'surrupui', quam hic indicat O, cf. Corssenus de de pron. I p. 134 sqq. (Mus. Rhen. XXX p. 68). — **2. sauiolum dulci dulcius ambrosia.** adamata erat poetis osculorum cum melle (Apul. met. II 10 et IV 26) et nectare comparatio, ut Hor. od. I 13, 15 *dulcia .. oscula, quae Venus quinta parte sui nectaris inbuit,* ubi plura dat Mitscherlichius (cf. et Hertzb. ad Prop. p. 195); ambrosiam si hic comparat Catullus, nisi forte usum uulgi ambrosiam et nectar perinde habentis (Apul. met. VI 23 *ambrosiae poculum*) secutus est, recordatus fecisse uidetur Ibyci dictum (Athen. p. 29), ambrosiam *τοῦ μέλιτος ἐννεαπλασίαν ἔχειν γλυκύτητα.* 'ambrosio' forma (V) nullo modo sustentanda (Lachm. ad Lucr. p. 408). de traductione (cf. u. 14) ad IX 10; Plaut. Truc. II 4, 20 de amplexu *hoc est melle dulci dulcius.* — **3. id non inpune tuli.** non inultus discessi; ad LXXVIII^b 3. — **amplius horam.** Draegerus synt. I § 246,5. — **4. suffixum in summa me memini esse cruce.** extremum animi cruciatum sustinere. miscet poeta propriam locutionem (Hor. sat. I 3, 80 *seruum ... in cruce suffigat*, Cic. in Pis. 18, 42) cum translata, ex qua 'crux' aequat cruciatum; unde 'summa' explicandum; Colum. I 7, 2 *summum ius antiqui summam putabant crucem.* — **5. tibi me purgo.** excuso et factum meum uolo infectum, ut ex. gr. Cic. ad fam. XII 25, 3 *quod te mihi de Sempronio purgas.* — **nec.** nec tamen. — **6. tantillum.** uel minimum, ut Plaut. Rud. IV 4, 106 *si hercle tantillum pecassis.* — **uestrae demere saeuitiae.** in uobis pueris bellis solitae; Ter. Ad. II 1, 11 *noui ego uestra haec,* Ouid. ep. 1, 75 *quae uestra* (uirorum) *libido est,* Prop. III 15, 44 *nescit uestra* (puellarum) *ruens ira referre pedem.* non recte AStatius accepit pro 'tuae'. saeuitiam non naturalem (Prop. I 1, 10) intellege, sed ex facto natam, h. e. iram (ibid. I 3, 18). — **7. simul id factum est.** simul ac (LI 6) surripui. — **7, 8. multis diluta labella guttis abstersisti omnibus articulis.** multam per aquam guttatim adspersam labra tua, tamquam a me polluta, purgasti et simul omnibus digitis (Prop. II 34, 80, Ouid. am. II 15, 4) detriuisti. nam recte Muretus (qui ad totum cp. Theocr. 27, 5) de labris aqua proluendis

'diluta' accepit; sed hoc ut adsequamur, oportet confusorum perpetuo 'de' et 'di' memores scribamus 'deluta' secundum Agroecium p. 115, 11 K. *deluit purgat, diluit temperat* (GL. Keilii VII 269, 25 et 300, 9); quam distinctionem non ubique respexerunt editores. Plaut. Asin. IV 1, 52 *tu labellum abstergeas.* ceterum hiatus in uerbis traditis 'guttis abstersti' molestissimus tam facile remouetur auctore Auantio ita ut supra legitur quam cum aliis traiciendo 'abstersti guttis' (XIV 14). — **9, 10. nei quicquam nostro contractum ex ore maneret, tamquam comictae spurca saliua lupae.** 'nei', ne (supra p. 51). in uerbis nondum expeditis inutiliter arcessunt sollemnem formulam 'contrahere morbum' (ex. gr. pituitam). nam ut hoc, aliquid luis manare ex saliua hominis, bene stat, ita uerba ipsa refragantur propterea quod nec ipsum hoc 'luis' uel 'mali' abesse potest nec unde pendeat habet 'saliua'; quae tamquam in scorto pessimo foedatissimoque, scil. fellatrice, dicitur esse 'spurca' (cf. ad LXXVIII[b] 2). 'saliua' igitur cum deleto commate debeat esse enuntiati subiectum, 'quicquam' hic quoque uice aduerbii (= omnino, uel minimum) fungi apparet. quod non intellegens librarius ad 'quicquam' adsimilauit genuinum 'contracta' siue potius (nam nec 'saliuam contrahere ex alterius ore' placet) 'contacta'. quo modo si scribimus, iam 'ex ore nostro' et a 'maneret' et a 'saliua', porro 't. c. l.' et a 'nostro' et a 'sp. s.' pendent. — **11, 12. praeterea infesto miserum me tradere Amori non cessasti omnique excruciare modo.** et dum totus miser (u. 4) me excuso, tu insuper execrationibus in me cumulatis deum illum alatum mihi inimicum reddere (ex. gr. Prop. I 14, 15 *aduerso Amore*) eiusque ultionem in me arcessere non desiisti omnibusque tormentis me uexare; Sen. Thyest. 1110 *uindices aderunt dei: his puniendum uota te tradunt mea.* ♯ *te puniendum liberis trado meis.* — **13, 14. ut mi ex ambrosio mutatum iam foret illud sauiolum tristi tristius elleboro.** hic nulla est causa inmutandi traditum 'ambrosio' in uulgatum 'ambrosia', quod uix recte defenditur. est enim illud adiectiuum, ut iam olim AStatius intellexit cp. Verg. Aen. I 403 *ambrosiae comae.* nam quod dicunt 'mutatum' ualere 'mutatione factum', uelim scire quonam modo hoc statuere liceat. immo quoniam sic latine dicitur 'aliquid ex aliqua re mutare in aliquid' (Ouid. met. XV 46 *e nigro color est mutatus in album*), post 'sauiolum' inserendum puto 'in': ut basium illud mihi esset inmutatum ex eo, quod ambrosium uidebatur (2), in id quod amara illa herba esset amarius. AStatius cp. Anth. Pal. V 29, 2 πικρότερον γίγνεται ἐλλεβόρου, Verg. G. II 126 *Media fert tristes sucos.* — **15. poenam misero proponis amori.** infelici (XCI 2) meo in te ardori hanc poenam (scil. ab Amore sumendam) minaris; Cic. d. fin. II 17, 57 *cum inprobis poenam proponitis.* — uersu ultimo certum suum desistendi a puero ingrato consilium manifestare mihi uidetur, idque firmius quam VIII 13 sq.; neque dubito quin hoc carmen in cyclo poematum ad Iuuentium pertinentium fuerit postremum.

C.

1, 2. Caelius Aufilenum et Quintius Aufilenam, flos Veronensum, depereunt, iuuenum, hic fratrem, ille sororem. M. Caelium Rufum significari affirmant alii, alii negant. et hi quidem in medium proferunt, non Veronae illum natum esse; cuius de patria quamquam nil possit certi erui ex loco corrupto Cic. p. Cael. 2, 5, tamen omnibus numeris subductis eum in Italia inferiore in lucem esse editum uideri (cf. Wegehauptius l. supra p. 33 l. p. 4). sed si Quintius, qui est sine dubio idem qui in c. LXXXII (cf. et CIV) nominatur, et Caelius uocantur flos (ad XXIV 1) iuuenum Veronensum (de genetiuo cf. Neuius II p. 37), minime gentium hinc sequitur, Caelium natum fuisse Veronae, siquidem 'Veronensis' audit etiam is qui maius minusue per spatium Veronae degit. et nil obstat, quominus hieme anni 56/55, cui nos hoc poemation attribuimus, Rufum per aliquod tempus Veronae conmoratum esse aiamus. ceterum hoc quod inter omnes qui Veronae sunt iuuenes Caelius et Quintius eminere dicuntur, sat documento est, uersus nostros Veronae esse scriptos et hic Aufilenam cum fratre uixisse. quid enim, si Romae hoc poemation composuit Catullus, illa conmemoratio sibi uult (etiam si Caelium Veronae natum statuis)? nam peculiaris plane est ratio, ut uidimus, locorum XII 1 et LIX 1. quo inpedimento remoto ob causas mox ad u. 7 disceptandas ab eorum parte, qui M. Caelium Rufum hic dici affirmant, firmiter stamus. Aufilenus aliunde non est notus, soror eius Aufilena eadem, quam mox in c. CX et CXI cognoscemus. cf. ad XXXV 12 *illam deperit*; V 'depereret' habet; nimirum scriba 're' pro 'ū' legit. 'hic' (Caelius') . . 'ille' (Quintius), ut XCVII 3. — **3, 4. hoc est quod dicitur illud fraternum uere dulce sodalicium.** prouerbialiter (XCIV 2) dictum 'frat. sod.' (h. e. familiaris amicitia uere iucunda, quales inter fratres unanimos esse solet) ideo poeta uenusta cum ambiguitate adhibet, quod qui inter se plurimo usu coniuncti erant etiam in amando non suam sibi uterque semitam triuere, sed fratrem atque sororem deperierunt. nam 'frater' et 'fraternus' ad amicitiam transferri constat. — **5. cui faueam potius? Caeli, tibi.** ad Corn. 1 *cui dono . .? Corneli, tibi.* quamquam hic magis dubitans utpote in amicis aeque caris ponit coniunctiuum. 'faueam', omnia fausta optem. — **5, 6. nam tua nobis perfecta est igitur est unica amicitia.** sic O (nisi quod 'igitur' per compendium), G 'est exigitur est' tradunt. quippe tua summa singularisque amicitia etiam mihi olim in amore laboranti patefacta est: hanc sententiam apertam uarie eliciebant ex deprauatis funditus litteris istis. quod nonnulli scripsere 'perfecta exigitur', cum ob u. 7 'cum torreret' sic accipere 'perfecta' debeamus, ut sit 'quae tum perfecta est cum . .' (Kuehnerus gr. l. II p. 890), hanc rationem (ut cetera omnia mittam) iam id inprobat quod 'amicitiam perficere' latine non dicitur. Lachmannus proposuit 'per facta exhibita est', in quibus factorum mentio displicet. rectissime Itali uiderunt, in 'perfecta' latere 'perspecta', h. e.

probata, spectata, ut ex. gr. Prop. I 11, 17; quo accepto Colucius 'exigit hoc', Fruterus 'est igitur', Froehlichius 'est signis', HAKochius 'eximie est', ego 'egregie est' coniecimus. ut multa nuperrime inepta, sic hoc loco praeplacuit cuidam 'perfecta ex igne est', cum tamen latine dicatur 'igni spectatus'. nec nunc quod propius accedat ad litteras traditas habeo quam quod olim proposui. ceterum Muretus 'erat et alia ratio' inquit, 'cur Quintio fauere non posset. amabat enim ipse quoque Aufilenam'. — **7. cum uesana meas torreret flamma medullas.** quo tempore indignae feminae aestuabam amore. VII 10 *uesano Catullo*; cf. ad LXVIII^b 12 et XXXV 15. spectare haec uerba ad Lesbiae amorem, ultro patet poesis Catullianae gnaris; neque quidquam omni a parte falsius extat Schwabii q. C. p. 142 sq. opinione, qui adulescentulo poetae (nondum cognita Lesbia) Aufilenae amorem et hunc carminum cyclum attribuit. ad LVIII dixi, Caelium Rufum Clodiae inimicum factum redintegrasse cum pristino amico Catullo familiaritatem: illius et de Lesbiae moribus naturaque amicum docentis et adlocutionibus consolantis opera effectum puto, ut Catullus omnem mulieris istius amorem tandem ex animo extirparet. — **8. sis felix, Caeli, sis in amore potens.** tu igitur ut cursu in amore tuo utaris secundo, iure opto. 'potens', scil. uoti (ut Ouid. met. VIII 409), quod interdum omitti solet, ut Ouid. met. III 292 et IV 325, Prop. II 26, 22 *et tota dicar in urbe potens* (cf. et Tib. I 9, 39 p. 27 edit. nostrae).

CI.

1, 2. Multas per gentes et multa per aequora uectus aduenio has miseras, frater, ad inferias. ad fratris carissimi olim circa a. 60 in Troadis promunturio Rhoeteo mortui conditique (LXV 7) sepulcrum cum uenisset poeta a. 57 cum Memmio in Bithyniam profectus (supra p. 36), iusta illi persoluens nomine familiae hoc carmen tamquam epitaphium dedicauit. uenisse modo ex Italia poetam, aperte indicat multorum aequorum mentio (quae, si ex Bithynia rediens in patriam a. 56 hos uersus scripsisset, multo minus esset adcommodata): itinere igitur terrestri per Graeciae partem aliquam facto ('m. p. gentes') hinc Memmius cum cohorte plane ut Attis *super alta uectus* . . *maria* uenit in Phrygiam, cui Bithynia erat proxima. et gaudium eius, qui tot laboribus superatis tandem eo quo mens animusque tetendit peruenit, exprimit illud 'multa' in utriusque hemistichii capite positum (cf. XCVII 3 *nilo* . . *nihiloque*, LXIV 96 *quaeque* . . *quaeque*, ad quae CPSchulzius 'de C. Gr. imit.' p. 38 cp. Theocr. 1, 65; 5, 60; 11, 63; 15, 82; 24, 9). Seruius ad Aen. X 519 *inferiae sunt sacra mortuorum ab inferis dictae*; alii rectius ab 'inferre' (cf. Verg. Aen. III 66) deriuant. quae cur hic 'miserae' uocentur, non ita apparet, siquidem 'miser' non est idem atque 'tristis', sed in ea re ponitur quae ob suam ipsius condicionem misericordiam mouet. rectissimo igitur sensu Marklandus [Hermathenae uol. VII p. 154] 'seras' coniecit. sed alio ducere uidetur alterius difficultatis contemplatio. non minus enim recte AStatius flagitauit 'adueni'. licet illud 'ut te

donarem' aliquo modo possit pendere ex notione perfecti, quae illi 'aduenio' simul inest (= ueni et adsum; cf. Kuehnerus gr. l. II p. 775 sq., Verg. Aen. VI 533), tamen hoc alterum 'adsum' est fortasse eius qui loco sepulturae uixdum tacto in querelas erumpit, non eius qui tumulo titulum inponit: in hoc elogio uix aliud quam 'adueni' bene se habet. uidendum est igitur, num forte 'o' correcturae causa supra uersum adscriptum falso loco se insinuauerit in textum, cum pertineret ad uocem 'miseras' ex adsimilatione prioris 'has' ortam: 'adueni has, miser o frater, ad inferias'. nam in hac adlocutione affectus plena legitima est interiectio. — **3. ut te postremo donarem munere mortis.** accuratius definiuntur inferiae. iusto sepulcro sine dubio non caruit frater; sed quod poeta iam olim questus est LXVIII^b 57 sq., non propinquorum inter cineres illum esse compositum, id nunc aliqua ex parte sarcitur damnum: a manu carorum rite sepultum esse iucundum putabatur manibus, iucundum etiam, si cognati alicuius uox ultimum illud 'aue atque uale' adclamasset mortuo. itaque quoniam singulari 'munere' prohibemur quominus de uino odoribus sertis in sepulcrum infusis cogitemus (huc spectat pluralis Aen. XI 25 *supremis muneribus*, Ouid. am. III 9, 50), supremum illud munus a familia exhibitum aptissime explicabimus de tumulo tituloque; multi iam cp. Hom. Il. XVI 675 *τύμβῳ τε στήλῃ τε· τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων.* hunc tumulum Troiani Polydori funus instaurantes erigunt Aen. III 63; et *munus supremum* siue titulus siue totum monumentum audit in inscriptionibus (ut CIL. II 1753). — **4. et mutam nequicquam alloquerer cinerem.** Tib. II 6, 34 *et mea cum muto fata querar cinere* (XCVI 1); de feminino 'cinis' singularis usu (ut LXVIII^b 50) cf. Non. p. 198, Neuius I p. 657. 'alloqui' non secundum Aen. II 644 aut Lygdam. 2, 15 explices, sed secundum Aen. V 98, ubi Aeneas annua sacra Anchisae peragens *uinaque fundebat pateris animamque uocabat Anchisae magni manisque Acheronte remissos,* scil. ut adessent sacris sollemnibus audirentque dulcia uerba superstitum gauderentque horum pietate; nam, ut ait Auson. parent. 2, 10, *uoce ciere animas, muneris* ('funeris' codd.) *instar habet: gaudent compositi cineres sua nomina dici.* et uiuis etiam hoc fuit solatium, ad praesentes quas putabant animas facere uerba pia ac tenera; AStatius cp. Eurip. Troad. 1184 *φίλα διδοὺς προσφθέγματα.* 'nequicquam' (propter mutum nec responsurum cinerem) doloris notionem continet (eheu frustra), ut Verg. Aen. V 81 *saluete recepti nequiquam cineres*; Hor. od. I 24, 11. cum hoc uersu artissime cohaeret u. sq.: — **5. quandoquidem fortuna mihi tete abstulit ipsum.** mutam umbram, siquidem te ipsum (uerte 'dich persoenlich' et uoce effer) fatum eripuit. 'tete', plane ut 'sese; Neuius II p. 182. ceterum cf. LXIV 218. — **6. heu miser indigne frater adempte mihi.** haec querelarum olim fusarum LXVIII^a 20 et LXVIII^b 52 *o (ei) misero frater adempte mihi* dicta sunt cum recordatione; iterum Ouid. fast. IV 852 haec expressit. sed haec non esse debuit causa cuidam apud AStatium, ut coniceret 'heu misero' (debuit saltim 'ei misero'), siquidem quominus

'heu' cum nominatiuo 'miser' iungatur nihil obstat; et apte poeta iterum (cf. u. 2) fratrem uocat miserum, de se ipso suaque iactura iam non tam acerbe ('ei misero mihi') quam antea dolens utpote tempore sedatiorem quietioremque animum gerens. Ellisius cp. CIL. I 1422 *parentibus praesidium, amicis gaudium pollicita pueri uirtus indigne occidit*: indigne moritur qui longiore uita dignus acerba et praematura morte est raptus. — 7, 8. **nunc tamen interea haec, prisco quae more parentum tradita sunt tristi munere ad inferias.** magnas difficultates mouet 'interea'. qua uoce quoniam significatur id quod usu uenit interim donec alia res fiat, obscurum est quo ea spectet hic, ubi alia res expectata adest nulla. nam certum esse illum quem dixi uocis usum fallique eos qui aduersatiue eam simpliciter 'tamen' hic illio ualere putant, attentiore cum cura exempla rimanti facile apparet. fuit haec causa cur FHaasius post carminis nostri u. 6 inseri uellet LXV 9—14 (cf. Schwabius q. C. p. 272 sqq.). uerum dolorem olim saeuientem temporis inter carmina Veronensia et nostrum intercedentis longinquitate iam sedatum quietumque carmen nostrum in ceteris ubique prae se fert, ut nullo pacto liceat ei interponere uersus nonnullos animum funditus conmotum spirantes. nec a ratione diplomatica ullam traiectio illa habet probabilitatem. quid ergo? noua nimirum uia est ingredienda. 'nunc', oppositum illi 'adueni', progressum quendam designat, quo ad ea transitur, quae agenda sunt proposita, ut XXXVI 11; et 'tamen' respicit ad 'nequicquam': si mea adlocutione frui non potes, at saltim donis his postremis fruere (cf. interpp. ad Verg. Aen. IV 329, ecl. 10, 31). iam post 'tamen' posuerim comma sic pergens 'interea ec prisco quae'. semper fere forma 'ec' in codicibus aut in 'et' aut in 'haec' abiit (LXVIII^{a} 2); diciturque tam bene 'e (ex) more' quam 'more' (Hor. sat. II 3, 280); nunc autem 'interea' ualet: inter aduentum meum et hunc quo titulum tibi consecro et nouissima uerba dico diem. at, inquies, obstat locus Ciris 42 *sed quoniam ad tantas nunc primum nascimur artes . . . haec tamen interea, quae possumus, . . . accipe dona meo multum uigilata labore.* ego uero iam intellego tuque, lector acute, lubenter mihi concedes, hic quoque multo melius post 'tamen' interpungi; quo agnito sine negotio fit palam, Ciris auctorem cetera inmutauisse pro suo consilio neque 'haec' in Catulli textu inuenisse necessario. nisi forte secundum Cirin in Catulli textu 'haec' in initium uelis reicere correcturam illius 'nunc' falso scripti dicens. instituta autem maiorum ut in tota Romanorum uita, ita et in rebus ad sepulturam pertinentibus anxie obseruata; Aen. VI 223 *et subiectam more parentum auersi tenuere facem.* cum hoc autem 'more' non artius cohaeret 'tradita', ut uulgo putant (Vulpius cp. Tib. II 1, 2 *ritus ut a prisco traditus extat auo*): nec in hanc significationem quadrat 'ad inferias' (expectes 'in inferiis') et necesse est porro cum Italis corrigatur 'tristes munera' (quamquam 'tristes' ob priorem causam falsum est). ego Catullum hic tamquam ex mandatu familiae agere recordatus, cum 'tradere' uerbum proxime accedat ad id quod est 'dare', suppleo

'tibi': tumulus ex caespite aggereus extructus circaque saepibus inclusus et multo florum uariorum ac suaueolentium decore ornatus et titulo elogioque insignitus 'ad inferias', ut sic iusta rite soluantur, tibi est datus et consecratus. iam uero recte se habet ablatiuus 't. m.', cf. LXV 19, Mart. IX 59, 2 *et mansura pio munere templa dedit* ('triste' sollemne in his rebus, ut Verg. Aen. III 301 et VI 223). — **9. accipe fraterno multum manantia fletu.** cf. *fraterna mors* LXVIII[a] 19. ne mireris tumulum titulumque dici manare lacrimis a poeta dolente profusis, simili cum hyperbole Ouid. epist. 10, 55 *lacrimisque* inquit *toro manante profusis*; 'manare' igitur 'continuo lacrimarum imbre madefactum esse' ualet. alii minus bene de sertis cogitant cp. Tib. II 6, 31 et Ouid. tr. III 3, 81; cui interpretationi ut rei ipsius paruitas obstat, ita manandi uerbum illi, qua 'munus' siue 'munera' accipiunt lac uinum mel flores similiaque (Verg. Aen. VI 225 sqq.). — **10. atque in perpetuum, frater, aue atque uale.** ut rogo incenso et ossilegio facto redituri de exequiis domum ultimum 'salue et uale' uel '(h)aue et uale' exclamabant (Aen. XI 97 *salue aeternum mihi, maxime Palla, aeternumque uale*, ubi plura interpp.), ita hic Catullus, qui numquam ad fratris tumulum se rediturum esse scit (quippe ex Bithynia longe alio itinere in patriam reuersurus) plane ut Troiani in tumulo Polydori (Aen. III 68 *et magna supremum uoce ciemus*) fratri dixit *nouissima* illa *uerba* (Aen. VI 231), quae par est saepe reperiri in titulis sepulcralibus; collegit Ellisius CIL. II 3490 *haue uale*, 3506 et 3512 et 3519 et 3686 (*h*)*aue et uale.* Cic. p. Planc. 37, 90 *in perpetuum resp. .. perdidisset* et saepius.

CII.

1. Si quicquam tacito commissum est fido ab amico, cuius sit penitus nota fides animi. Cornelius (Nepos fortasse, Catulli familiaris, quam sententiam uiles ob causas damnauit Schwabius q. C. p. 296) a poeta rogauerat, ut commissum forte a se secretum alto tegeret silentio; securum esse amicum de taciturnitate sua ille iubet. male se habet traditum 'quicquam', siquidem non res efferenda est (ut XCVI 1), sed persona ('si quoi .. me', ut similiter LXXI); male porro absolute est positum 'tacito' (h. e. ex noto usu, ei qui tacere callet), cum aegre careas addito quodam, quale intulit IMaehly coniciendo 'siquoi quid'. quamquam et ab arte et ab usu (ad CVII 1) praestat 'siquid quoi': siquid umquam alicui tamquam qui silere sciat creditum est (LV 16), me quoque ... nam aliae coniecturae, quales sunt AStatii 'quoiquam tacitum' uel 'quidquid taciti' et Aldinae 'tacite', nihil adiuuant: eum qui secretum credit efferri ob notam fidem (Ouid. f. III 386 *si mea nota fides*, Hor. epist. I 18, 80 *penitus notum*), quid attinet? praedicandum hoc est aperte in tacito illo. sed manet hoc quoque in uulgari lectione durissimum, quod 'cuius' grammatica ad 'f. ab amico', contra sententia ad 'tacito' referre iubet. quibus in tenebris uiam monstrat V, qui non 'amico' illud in codd. deterioribus obuium, sed 'antiquo' habet: exaratum olim erat 'ab

amico' ita ut suprascriptum esset 'ut', quod ubi insereret librarius nesciens turbas effecit. tu me auctore reponas id quod aperta ueritate se commendat 'tacito c. e. fido ut amico'. ceterum 'fido — fides' non est repetitio otiosa, cum 'fidus', h. e. spectatus, profluat ex fide animi nota, ut pentameter ad definitionem accuratiorem faciat. — **3, 4. meque esse inuenies illorum iure sacratum, Corneli, et factum me esse puta Harpocratem.** 'meque', me quoque (ad LXI 36); nec enim 'que — et' sibi repondere possunt, cum desit uinculum internum et duo diuersa exempla adferantur. sed quod 'i. i. s.' accipiunt 'obligatum institutis (initiatum praeceptis, receptum in ordinem) eorum, qui taciturni (fidi amici) sunt', totum est fictum arbitrarie et contra latinitatem peccat omnino. possunt ius et iura uocari 'sacrata' siue sacra; nec tamen homo 'sacratus' est nisi aut a deis sacer factus aut deis deuotus (se deuouens), qualis est ex. gr. sacerdos; et sic apud scriptores christianos 'sacrare' interdum adaequare uidetur 'initiare'. neque quidquam huc pertinet militum sacramentum. et ut habeat tacitus et fidus amicus ius quoddam (rectius de amicitiae iure loqueris): quis hoc 'iure alicuius sacratus' umquam fando uel legendo audiuit? itaque quod 'illorum' per orationem *ἀνακόλουθον* ad priora respicere aiunt, nil prodest. ego Catullum, qui multum est uersatus in exterarum gentium moribus ritibusque (XXXIX, XC), hic adludere puto ad dei nesciocuius sacerdotes, qui ex certi alicuius populi legibus institutisque silentes colebant numen. unde uidendum est, num pro 'illorum' reponendum sit 'Indorum'; cf. Lucian. d. saltat. 17. de deo silentii, in quem ipsum Cornelius amicum iam mutatum esse iubetur putare, cf. ad LXXIV 4.

CIII.

1. Aut sodes mihi redde decem sestertia, Silo. hic homo ignotus, teste u. 4 leno, a poeta eam summam acceperat, quam Ameana quoque (XLI 2) pretium concubitus poposcit; unde de puella quadam a lenone illo adducenda agi uidetur. non stetit officio accepta pecunia contracto Silo, qui praeterea in Catullum fortasse ob illud non praestitum increpantem et sestertia decem reposcentem regessit atrocia duraque uerba. uicem igitur reddidit poeta publice, ut uidetur, proponens hoc epigramma, quo lenonem de comitate necessaria edocet simul et pecuniam reflagitat. 'sodes' (si audes, auidus es, Cic. or. 45, 154), h. e. si placet, sis, sollemne est comicis (interpp. ad Ter. Andr. I 1, 58) eisque qui sermone familiari utuntur in precibus iussisque, unde cum imperatiuo fere semper iungitur. — **2. deinde esto quamuis saeuus et indomitus.** tum, si reddideris, per me licet sis quantumuis (ad XII 5) ferox et inmoderatus (Plaut. trin. III 3, 23 *indom. adulescens*, Ouid. ex P. II 2, 3). — **3. si te nummi delectant.** si amplius ex quaestu lenonio uis sacculum replere. Mart. XI 70, 7 *si te delectat numerata pecunia.* — **4. leno esse atque idem s. et ind.** simul (de 'idem' cf. supra ad XXII 3) et lenonis quaestum exercere et toruum minacem-

que esse; utrumque enim coniungi nequit; primum lenonis officium est comitas submissa humilisque. more sibi familiari (LXXXII, XCII) utrumque distichon poeta eisdem uerbis finit.

CIV.

1. **Credis me potuisse meae maledicere uitae.** agitur hic de publico quodam conuicio (coram aliis facto), quod Catullum in amasiam iecisse incertum quo iure arguerat aemulus quidam, non de eis maledictis, quibus intra semet poeta amori reluctans deprecatur Lesbiam (XCII). nam haec utique dicitur in u. 2, 3. qui fuerit aemulus ille, latet; nam miro modo nomen eius, quem refutat adgrediturque hoc epigrammation, tacetur. hoc ex c. LX et LXXI utpote lacunosis corruptisque non posse defendi, et iam uidimus et ultro elucet, siquidem uis inuectiuae funditus perit omisso eius qui inpugnatur nomine et persuasum habeo, 'uitae', etsi est usitatum etiam Catullo (LXVIII^b 115), tamen repositum esse a librario subtiliorem illius 'meae' usum (cf. ad LXVIII^b 78) neglegente. quodsi comparato c. LXXXII 2 cum u. 2 certo concludere liceret, hoc quoque carmen ad Quintium pertinere, proponerem 'meae maledicere, Quinti'; nunc quoduis aliud nomen (uelut 'Victi', XCVIII) latere non minore cum iure statueris. nam sentimus facile, ob u. 3 hos uersus non ad Aufilenam posse spectare (cf. contra LXXXII); nec parua illa in u. 2 similitudo ut de Quintio cogitemus cogit. — 2. **ambobus .. oculis.** Apul. apol. 9 *hoc mihi uos eritis, quod duo sunt oculi.* cf. ad III 5. — 3. **non potui; nec, si possem, tam perdite amarem.** Ellisius cp. Ter. Ad. III 4, 13, Plin. epist. IX 31, 2 *neutrum possum satis; et si possem, timerem.* 'nec', nec uero. cf. XLV 3. — 4. **sed tu cum Tappone omnia monstra facis.** Tapponis cognomen saepius obuium tam in titulis (CIL. I 1458, Orell. 3827) quam apud Liuium (ut XXXV 10); quis hic dicatur, nescitur. Quintius igitur siue quicumque alius et (ad LXII 61) hic Tappo ex dicto fortasse iocoso poetae summum in amatam conuicium fecerant; recte enim Scaliger uerba 'o. m. f.' accepit *πάντα τερατολογεῖς* (-*ποιεῖς*); Doeringius cp. Cic. ad Att. IV 7, 1 *mera monstra nuntiarat* (Tusc. IV 24, 54 *monstra dicere*); cf. et Lucil. XXVII 42 M. *summa omnia fecerim ima.* simul tamen sane subest notatio obscenae inter homines istos consuetudinis: libidinem monstruosam extremam exercere dicuntur; sic in carmine de Sodoma 21 *pulsabant caelum inuidia communia monstra* ex LMuelleri emendatione.

CV.

1. **Mentula conatur Pipleium scandere montem.** Mamurra (ad XCIV) inuitis Musis poemata faciens (LVII 7) castigatur. schol. Callim. Del. 7 *Πίμπλειαν, ὄρος Θρᾴκης ἱερὸν Μουσῶν*, schol. Apoll. Rh. I 25 *Πιμπλειὰς χωρίον κατὰ Πιερίαν· οἱ δὲ ὄρος Θρᾴκης· οἱ δὲ κρήνην καὶ κώμην Πιερίας* (Strabo p. 330, 410, 471; HDeitersius libelli de Musis p. 8). ceterum Romani hoc nomen extrita 'm' littera adsumpserunt:

Varr. d. l. l. VII 20 'piplaeides' habet Florentinus, Paul. Festi p. 212 'peptaeides' boni codd., 'Piplea' eidem Hor. od. I 26, 9 (cf. et Stat. silu. I 4, 26, Mart. XI 3, 1); et hinc apud Hesychium s. u. legitur forma breuior, in qua Catullus praeterea 'ei' siue 'i' pro 'e' adhibuit (unde explicandum quod V habet 'pipileium': est 'pipleium' suprascripta 'i' in 'piplium' correctum). Enn. ann. 223 V. *neque Musarum scopulos quisquam superarat*, Prop. III 1, 17 *opus hoc de monte sororum.* — **2. Musae furcillis praecipitem eiciunt.** dictio prouerbialis: Hor. epist. I 10, 24 *naturam expellas furca,* ubi Lambinus cp. Cic. ad Att. XVI 2, 4 *quoniam furcilla extrudimur* et Arist. pacis 638 et Lucian. Tim. 12; cf. et Colum. II 10, 13 *baculis furcillisue contundant*: indignatae Pierides ignominiose uisitatorem inportunum quam celerrime abigunt de sacris locis (Cic. p. Caec. 21, 60 *praecipitem agere de fundo,* Liu. XLIV 56 *praecipites castris agere*).

CVI.

1. Cum puero bello praeconem qui uidet esse. praeconis uoce in auctionibus maxime (cf. et Pauly, Encycl. real. VI p. 3) utebantur Romani tam publice quam priuatim; Cic. d. n. d. III 34, 84 *per praeconem uendidisse,* Hor. a. p. 419. 'cum aliquo esse' (et 'esse' nunc constat lectum fuisse in V, unde coniecturae omnes fiunt superfluae) ualet 'una cum aliquo uersari, simul esse', ut ex. gr. Tib. I 1, 57. iam si poeta per uias ambulans forte uidisset uenustum quendam puerum cum homine praeconis munus exercente familiariter uersari, uix rem non nimis mirificam esset persecutus: proprias carminum causas semper esse Catullo recte perspiciens Westphalius [p. 203] bene cogitauit de Iuuentio, quocum Furium simul esse et iocari doluit in c. XXI 5 poeta. quamquam in ceteris a Westphalio dissentio. nimirum Furius gloriandi causa pulchellum comitem amicis notisque obuiis praedicauerat uoce alta (Cic. p. Arch. 10, 24 *praeco uirtutis*). — **2. quid credat nisi se uendere discupere.** Caluus fr. 18 M. *quid credas hunc sibi uelle?* uulgo supplent 'puerum'; sed grammatica unum agnoscit subiectum: praeco nimirum optat se uendere, h. e. ut equidem interpretor, se iactare et praedicare (gloriari); cf. Hor. epist. II 1, 75 *uenditque poema* (ibique interpp.). 'se' praepositum igitur ualet 'se ipsum'. quamquam potest simul hoc ambiguitatis subesse, ut puer se per praeconem illum uendere uelle dicatur, tecta cum Iuuentii reprehensione. 'discup.', ualde cupere (cf. 'disperire, dispudet, distaedet'), ut Plaut. trin. IV 2, 87 et Cic. ad fam. VIII 15, 2. bilem mouerat poetae Furius pueri amorem ostentans iactansque.

CVII.

1, 2. Si quid quid cupido optantique obtigit umquam insperanti, hoc est gratum animo proprie. uulgo hic pro 'quidquid', quod nihili est, scribunt 'quicquam' secundum CII 1, ubi uide. hic cum solummodo 'si quid .. hoc' habet locum, iam olim Itali 'si quis quid .. obtulit'

proposuere; melius ORibbeckius [Iahnii ann. uol. 85 p. 378] dedit 'si quoi quid', utpote in sententia generali 'quoi' optime adici intellegens; nisi quod nec subiectum ubique praecedens postponi (cf. ex. gr. Caes. b. g. V 58, 4 *neu quis quem uulneret,* Nepos Paus. 4, 4 *si quis quid loqueretur*) nec 'quoi' a suo 'cupido' diuelli debuit. et eadem cum mutationis lenitate elicitur 'si quid quoi'. recte autem Itali hiatum utique intolerabilem remouerunt scribendo 'cupidoq. optantique' (Q ante O periit): egregie synonymis cumulatis accedentes per polysyndeton copulae ardentissimum animi uotum exprimunt. ceterum non dubium est, quin adlitteratio magis etiam perspicua fuerit olim, ipsum Catullum 'optantique optigit' scripsisse cum oppido sit probabile. facillime autem ex 'quid' praecedente obiectum illorum 'cup. opt.' mente subintellegimus. 'insperati' uoluit Heinsius. sed notus est usus participii 'insperans' (= non sperans, quocum cf. ex. gr. 'indicens' et 'inficiens': FHaasii praelectt. I p. 125) cum aliis ex locis, tum ex Cic. de or. I 21, 96 *insperanti mihi et Cottae, sed ualde optanti utrique nostrum cecidit.* postponitur autem haec uox, ut quae omnem enuntiati uim habeat; Ter. Phorm. II 1, 16 *quidquid praeter spem eueniat, omne id deputare esse in lucro.* 'hoc', quod ad totum colon prius respicit, iterum cum ui pronuntia. 'gratum proprie', prae ceteris (praecipue) iucundum, quasi haec laetitia nil commune cum uulgari aliquo gaudio habens proprii et peculiaris sit generis; Quintil. XI 1, 114 *mira sermonis, cuius proprie studiosus erat, elegantia,* Kritzius ad Vell. Pat. II 9, 2; sine dubio erat dictio sermonis familiaris. — **3. quare hoc est gratum nobis quoque carius auro.** ex sententia generali quod ad suas res redundat C. profert cum apta gradatione: ergo non solum gratum est, sed etiam auro non redimendum, quod eqs. Tib. I 8, 31 *carior est auro iuuenis,* Ouid. met. VIII 79 *illa mihi est auro pretiosior* (Ellisius cp. Aesch. Choeph. 372). sed obscura est media uersus pars, cum nuda uox 'quoque' nusquam contineat gradationem (= sed etiam), sed id uerbum, cui postponitur, efferat. unde, siue post 'gratum' siue post 'nobis' comma ponis, quod latinum sit et iustam sententiam praebeat non lucraris. quod AStatius proposuit 'nobisque hoc carius', quem Hauptius op. I p. 63 cum suo 'nobisque est c.' secutus est, id reiectaneum est propterea quod figurae ἀπὸ κοινοῦ usum hunc artificiosum non nouit Catullus. simplicius 'nobis, quin' Doeringius, 'nobis, hoc' Froehlichius, 'est nobis gratumque et carius' GHermannus coniecere, sed magno omnes molimine, ut taceam Ellisianum 'Lydo quoque' et figmenta recentiora. ego in 'nobis', quod ante id quod sequitur 'mi', etsi non uitiose, at superflue tamen languideque addi uidetur, ut olim ita nunc sedem uitii latere puto; et apte ad 'auro' attributum accedere ratus comparansque Tib. I 9, 31 *nullo te diuitis auri pondere* et Ouid. ex P. II 8, 5 *omnique beatius auro* scripsi 'quouis quoque carius auro'. nam ut 'quoque' recte ad 'quouis' pertinet, sic totum hoc membrum per asyndeton gradationis accedit priori. 'quiuis' autem pro loci conexu adaequare posse id quod est

'quantusuis', cum ratio facile euincit, tum usus demonstrat, siquidem apud Caes. b. g. IV 2, 5 *ad quemuis numerum ephippiatorum equitum quamuis pauci adire* quid uox ualeat ostendit 'quamuis' oppositum. — **4. quod te restituis, Lesbia, mi cupido.** te reconcilias mecum; cf. ad XXXVI 4. — et laetitiae plenus haec repetit u. 5 iterum cum gradatione, non solum adiecto 'atque insperanti' (facile autem ex hoc uersu ibi supplemus 'mi'), quo ad posita in u. 2 respicit, sed etiam his additis: — **5, 6. ipsa refers te nobis: o lucem candidiore nota.** uox ponderis plena 'ipsa' ualet 'tua sponte', ut LXIII 56, LXIV 81, Aen. VI 146; recte ante 'ipsa' interpunxerunt, alioquin cum male 'cupido atque insperanti', scil. mihi, et 'nobis' coeant, quod non recte alienis defendit Hertzbergius quaestt. Prop. p. 121. 'te' tam ad 'restituis' spectat quam ad 'refers', quocum cf. Prop. I 18, 11 *sic mihi te referas leuis* (te mihi reddas, restituas). in exclamatione per asyndeton consecutiuum adiecta 'o. l. c. n.' (de 'o' accusatiuom regente cf. supra ad III 16) non subintellegendum est 'insigniendum', quod nullo pacto licet. omninoque cauendum est ne fraudem tibi faciat comparatus locus LXVIII[b] 108, ubi sententia tantummodo in uniuersum eadem, sed uerba ualde discrepantia a nostro habentur loco, in quo duae locutiones sunt confusae. diem felicem uocabant 'candidum' (VIII 3); porro quidquid praecellit aliquantulum uulgaribus, 'melioris notae' esse dicebatur (cf. ad LXVIII[a] 28). sed in hac locutione utique non est locus nudo ablatiuo; sed res aliqua aut 'melioris notae' aut 'e (ex, de) meliore nota' est. unde cum **V** habeat 'luce', hoc ex 'lucē e' corruptum puto: 'o lucem e candidiore nota'. cf. ad u. sq. — **7. quis me uno uiuit felicior.** Plaut. Curc. 141 *qui me in terra aeque fortunatus erit?*, Ter. Eun. V 9, 1 *ecquis me uiuit hodie fortunatior?* noto autem usu ad 'me' efferendum adicitur 'uno': Hor. epist. II 2, 157 *uiueret in terris te siquis auarior uno*, Verg. epigr. 4, 9 *quis te .. loquitur iucundior uno.* — **7, 8. aut magis hac ē optandus uita dicere quis poterit?** ita **O**, contra **G** 'magis me est': in **V** nimirum scriptum erat 'magis hac ē' (me suprascriptum). quid autem sibi uult 'me' suprascriptum? estne glossa truncata 'mea'? ego potius putauerim, litterulas illas in fine uersus praecedentis una cum signo quodam fuisse adscriptas, ad 'luce' esse addendum 'm e' significantes: supra 'hac est' positas ad hunc uersum pertinere putauit is qui **G** exarauit. a libri igitur **O**, qui hic ut alias neglexit ea quae non in textu exemplaris legebantur, scriptura 'hac ē' proficiscendum est in emendatione loci nube coniecturarum obruti. interpungendo prisci editores succurrere se posse putabant: 'magis hac est (est me) optandus uita? dicere quis poterit?' (quibus ex parte IVossius 'magis esse optandus uita' et Heysius 'magi me esse o. u.' conicientes accessere); sed nemo umquam 'aliquis optatur uita' fando audiuit. uolucrunt porro Auantius 'magis esse optandum uita d. q. p.?', BGuarinus 'magis hac quid optandum uita d. q. p.', AStatius 'magi me esse optandum in u. d. q. p.': commenta desperantium potius quam quid latinitas et sana

constructio postulet obseruantium sunt (ueluti male 'magis' pro 'plus' positum est). Casaubonus 'mage nostra ('magis hace' Ribbeckius) optandam uita', Dousa pater 'm. ista hac optandam uitam', editor Cantabrigiensius a. 1702 'mage nostra hac optandam uitam ducere', denique Lachmannus (ut iam alia commenta adferre parcam) 'magis hac res optandas uita' coniecere. in quibus omnibus, quod simplicem Catulli stilum deceat et artificiis careat, non reperies; nisi quod editori Cantabrigiensi aliquid subolebat. etenim haec temporis praesentis ('uiuit') et futuri ('poterit') oppositio hanc sententiam reddit necessariam: nemo me est beatior, nemo umquam se beatiorem praedicabit (ego omnium qui sunt et qui erunt felicissimus sum). itaque misellum uerbum 'dicere', quod quidquid temptas ludit te nugas spernentem, cedat aut in 'ducere' aut in 'degere'. et hoc uitio inlato librarius pro sua latinitatis scientia transmutauit cetera. digna igitur restituamus manu fortiore poetae nostro sic: 'aut magis hace optandam uitam degere quis poterit?', quae magis quam haec mea expetenda sit. Ter. Phorm. I 3, 12 *nam tua quidem hercle certe uita haec expetenda optandaque.*

CVIII.

1. Si, Comini, populi arbitrio. sic egregie restituerunt Guarinus et AStatius id quod in V legitur 'Sic homini populari arbitrio' (syllaba 'ar' per dittographiam est repetita). Cominium Lipsius [uar. lectt. III 5] intellexit dici eum, quem ex Ciceronis Corneliana nouimus. Asconius p. 52, 13 edit. Berol. *reum Cornelium duo fratres Cominii lege Cornelia de maiestate fecerunt: detulit nomen Publius, subscripsit Gaius. et cum P. Cassius praetor decimo die, ut mos est, adesse iussisset eoque die ipse non adfuisset . . ., circumuenti sunt ante tribunal eius accusatores a notis operarum ducibus, ita ut mors intentaretur,* si *mox* [?] *non desisterent; quam perniciem uix effugerunt interuentu consulum, qui aduocati reo descenderant. et cum in scalas quasdam Cominii fugissent, clausi in noctem ibi se occultauerunt, deinde per tecta uicinarum aedium profugerunt ex urbe. postero die cum P. Cassius adsedisset et citati accusatores non adessent, exemptum nomen est de reis Corneli; Cominii autem magna infamia flagrauerunt uendidisse silentium magna pecunia.* uidetur autem P. Cominius, qui mox ibidem (p. 53, 5; cf. et Cic. Brut. 78, 270) solus nominatur, fratre tantum administro usus maxime inuidia flagrasse, ut hunc oppido probabile sit inpugnari a Catullo. qui sine dubio in propria causa ab homine isto lacessitus est, quamquam ea latet. nam inprobabili plane ratione Cornelium c. CII conmemoratum eum esse, quem P. Cominius reum fecerit, sumpsit Schwabius q. C. p. 320: temporis ratio (annis quippe 66 et 65 causa Corneliana locum habuit) quam maxime repugnat. sed commendat Lipsii opinionem odium in Cominium populi, qui, si ad suam lubidinem agere possit, inuisum accusatorem cupiat ad plures abire sub poena iam in sqq. descripta. —

tua cana senectus. LXI 155 *cana anilitas*; eodem modo abstractum pro concreto habet etiam Lygdam. 3, 8. cani crines, alias honorati, hic ad augendam turpitudinem faciunt, cuius causam aperit: — **2. spurcata impuris moribus.** uerba translate adhibita putes, maxime de auaritia et uenalitate. — **3, 4. non equidem dubito, quin primum inimica bonorum lingua execta auido sit data uulturio.** Aen. VII 311 *dubitem haud equidem.* ante omnia ('primum') accusatoris perosi, cui Cicero amicus l. l. *acre dicendi genus* tribuit, lingua execabitur utpote noxia et periculosa probis hominibus (Dirae 83 *inimica boni semper discordia ciuis*) et proicietur uolturi praedam captanti (LXVIII^b 84, Ouid. tr. I 6, 11 *edax uoltur*) eo poenae genere, de quo cf. Lambinus ad Hor. epod. 5, 99. neque enim dubitari potest quin uere Itali 'exercta' in O obuium, h. e. 'exerta' (ut habet G) cum suprascripta 'c' littera, correxerint in 'execta'; iam Vulpius cp. Cic. p. Cluent. 66, 187 *Stratonem .. in crucem esse actum execta scitote lingua.* 'sit data', quam celerrime detur; Ellisius cp. Sen. de ira II 21, 10 *non dubito quin citius patrem imitatus sit quam Platonem.* — **5. effossos oculos uoret atro gutture coruus.** tum populus cadauer relinquat dilaniandum uolucribus ferisque. notum est (cf. ex. gr. Salomon. prouerb. 30, 17) proprium esse coruorum (quibus ipsis conueniens attributum hic ad augendam atrocitatem transfertur ad guttur), effodere oculos. Plaut. Aul. I 1, 14 *oculos hercle ego istos, inproba, ecfodiam tibi* et saepius. — **6. intestina canes, cetera membra lupi.** cf. Hor. epod. 17, 12; AStatius cp. Ouid. Ib. 167 sqq. (qui locus fortasse Catulli recordationem continet) *unguibus et rostro tardus trahet ilia uultur, et scindent auidi perfida corda canes; deque tuo fiet, licet hac sis laude superbus, insatiabilibus corpore rixa lupis.*

CIX.

1, 2. Iocundum, mea uita, mihi proponis amorem hunc nostrum inter nos perpetuumque fore. 'proponis', promittis, ut Vell. Pat. II 6, 5 *pretium se daturum idque auro repensurum proposuit*; quocum artius coniunge 'iocundum' (= rem gratam acceptamque); ad haec autem epexegetice accedunt reliqua: scilicet fore 'inter nos', hoc est, mutuum (Kuehnerus gr. l. II p. 449) et in omne tempus duraturum hunc amorem. simul illi 'inter nos' inest haec notio 'exclusis aliis amatoribus'. suffecit deinde aut 'hunc amorem' (Hor. epod. 15, 10 *fore hunc amorem mutuum*) aut 'nostrum amorem'; sed inuenitur aliquando demonstratiuum 'hic' coniunctum cum pronomine aliquo possessiuo, ut Ter. Eun. II 3, 50 *in hanc nostram plateam* et Andr. III 2, 30 *opinionem hanc tuam* (Bentl. ad Hor. ep. II 1, 18, Hessius ad Tac. dial. 4); uidetur poeta hic respicere Lesbiae se restituentis ultro (c. CVII) epistulam, ut 'hunc' fere ualeat 'quem mihi offers'. — **3. dei magni, facite ut u. p. possit.** de exclamatione 'd. m.' hic ueram inuocationem continente cf. ad XIV 12, de 'facite (= date) ut' LXIV 231. 'possit', ualeat; a nemine temptata abhinc fidem seruet. — **4. atque id sincere dicat et ex animo.** 'sincere',

simpliciter et sine fallacia, ut Ter. Eun. I 2, 97 *si istuc crederem sincere dici*; 'ex animo', ingenue (oppos. 'simulate', Cic. d. n. d. II 67, 168), ut Ter. Eun. I 2, 95 *utinam istuc uerbum ex animo ac uere diceres.* — **5. tota perducere uita.** respectu illius 'perpetuum', per omne uitae tempus continuare. quamquam uerum est, alibi semper addi terminum, ad quem res continuando ducatur (Liuius XXXVI 23 *oppugnatio ad noctem perducta*); et dubium sane est, num hic terminus illi 'tota uita' inesse possit. unde Lachmannus ad Lucr. p. 367 adsentiebatur Italis unius cum uirgulae mutatione reponentibus 'producere'; quod uerbum 'in longum trahere' indicans et ipsum parum aptum est. lubentius credo, Catulli esse 'traducere' (cf. Tib. I 1, 5) uel 'totam per ducere uitam'. — **6. aeternum hoc sanctae foedus amicitiae.** ut Ouid. trist. III 6, 1 *foedus amicitiae . . nostrae;* et similiter 'foedus amoris, lecti, patrocinii, scelerum'. dicitur hic 'amicitia' nomine honesto quidem pro eo quod est 'amor' (XCVI 4), sed eadem inepto omnino epitheto audit 'sancta' siue pura castaque, qualem praedicare eam nec Catullo licuit. nam inuiolati status significatio huic quidem locutioni minime inest, quemadmodum in illo 'sanctam fidem' LXXVI 3. V habet 'sancte', quod recipiendum duco: 'cum fide probeque continuare', ut habet Cic. ad fam. V 8, 5 *meque ea quae tibi promitto .. sanctissime esse obseruaturum.* uulgatam lectionem 'aeternum' etsi interpretaris 'perpetuum' (Ter. Eun. V 2, 33 *aeternam inter nos gratiam fore*), tamen hoc ipsum nimium est, perpetuitatis notione iam in priore uersu expressa; et si in hoc fine poeta iusiurandum a Lesbia sibi datum respicit, eum nunc alterum summique momenti promissum, mutuom nimirum hunc amorem fore, eo magis oportet tangere, quod ex sua parte numquam hoc foedus ruptum iri bene ille sentit. unde suo iure Itali restituerunt 'alternum' (semper hae uoculae fluctuant in libris mss.); nisi quod optimus codex **O** 'eterne' praebens nobis est auctor reponendi 'alternae', siquidem rectius fortiusque 'alterna' dicitur amicitia quam foedus. — scriptum est hoc carmen paulo post CVII.

CX.

1. Aufilena, bonae semper laudantur amicae. de Aufilena, puella Veronensi, cf. ad C, unde eam fuisse Quintii amores discimus; cf. supra p. 37. 'b. a.', ἑταῖραι probae, ingenuae, ad pretium constitutum prompte prostantes nec praeterea quidquam molestiae parantes; similiter Tib. II 4, 45 *at bona quae nec auara fuit,* ubi 'nec auara' explicat 'bona' (rapax ibid. 31 'mala' audit). falsum est, quod uulgo dicunt, significari eam quae non aere amet et uiro contenta uiuat solo; nam 'amica' semper concubinae notione in his rebus utitur. — **2. accipiunt pretium, quae facere instituunt.** certa enim pecunia eis, quae ex corpore quaestum faciunt, exsoluitur. habet 'acc.' praemissum fortiter hanc uim, ut praeterea nil eas incommodi parare amatoribus significet. 'pretium' etiam ad 'facere' spectat (Plaut. Pers. IV 4, 37 *fac pretium*), nisi forte

hoc uerbum ita ut u. 5 est intellegendum; cf. et Ter. Andr. I 1, 49 et 52; 'instituere' (incipere, de meretricula quaestum occipiente) dicitur similiter ut 'uitam (genus uitae), rationem, artem, sim. instituere'; Ter. Eun. prol. 19 *ita ut facere instituit.* — **3, 4. tu, quod promisti mihi quod mentita inimica es; quod nec das et fers, turpe facis facinus.** tu uero non es bona amica, sed potius et inimica et foede rapax. in uerbis hexametri difficilibus duplex interpungendi ratio inita est. aut enim ante 'inimica' comma ponunt sic explicantes 'quod id quod mihi promisisti mentita es' (qua in ratione praeter contortam conlocationem displicet, quod 'es' ex altera 'inimica es' etiam ad 'mentita' suppletur durissime et contra Catulli usum) aut 'promisti, mihi quod mentita inimica es' coniungunt ita ut iam notio principalis 'tu inimica es' plane delitescat prae illo iam elato 'tu mihi mentita es'. nam, ut oppositus u. 4 aperte ostendit, requiritur hoce 'tu contra, quod animo mendaci mihi noctem es pollicita, propterea es inimica'. quodsi intellexeris, 'mentita' esse participium (et mentiendi uerbum sollemne de amicabus promisso non stantibus: Prop. II 17, 1 *mentiri noctem, promisso ducere amantem, hoc erit infectas sanguine habere manus,* Hor. epist. I 1, 20), iam hoc ultro perspicis, tam ob perspicuitatem totius uersus quam ob concinnitatem (u. 4) melius abesse alterum 'quod'. unde V 'promisisti' praebentem sequi placet scribendo 'tu, promisisti mihi quod mentita, inimica es': in quibus uerbis 'quod' traiectum esse significaturus librarius quidam alterum 'quod' ante 'promisisti' supra uersum adscripsit. pergitur: porro quia nec promissam noctem praebes et tamen pecuniam acceptam aufers, scelesta es. 'dare' tam in uiris quam in feminis absolute positum (unde u. 6 aliter accipe 'data') peculiari utitur significatione: Ouid. a. a. III 462 *si dederint* (uiri pretium), *et uos gaudia pacta date,* Priap. 50, 2 *fucosissima me puella ludit et nec dat mihi nec negat daturam.* 'ferre' autem cum et 'rapere' ualere nesciret librarius, in V scriptum est sine sensu 'nec fers'. nec minus male pro 'turpe', quod Froehlichius inuenit, ibi extat 'saepe': agitur tantummodo de Aufilenae unico in Catullum scelere; et illud 'fac. fac.' (cf. ad LXXXI 6) requirit attributum, ut Plaut. Bacch. IV 4, 31 *facinus facere tam malum.* — **5. aut facere ingenuae est aut non promisse pudicae, Aufilena, fuit.** nam aut, si matrona honesta esse uoluisti nec omnino inter amicas numerari, polliceri non debuisti aut, si bona probaque amica esse uis, a pollicito stare debes. nam 'ing.' est fere synonymum illius 'bonae', designans eam quae fidem seruat facitque id quod facere in se recepit (germanice 'anstaendig'). 'facere' autem sensu obsceno non solum de uiro et de duobus amantibus (Petron. 86), sed etiam de muliere coitum patiente dicitur, ut Ouid. am. III 4, 4. 'promisse', ad XIV 14. — **6, 7. sed data corripere fraudando officium, plus quam meretricis auarae est.** sed acceptum munus (Plaut. Pseud. I 3, 72, Prop. III 15, 6 *heu nullis capta Lycinna datis* et saepius) rapaciter auferre, dum decipis amantem re pro nummis in te recepta, id uero conuenit scorto

supra fas auaro (non bono). ad 'plus quam' cf. Liu. XXI 2, 4 *opes plus quam modicae,* plura apud Woelfflinum 'lat. u. rom. Compar.' p. 31. V 'efficit' habet, unde elicuerunt Marcilius 'officium' (et dicitur 'fraudare aliquid') et Bergkius 'officiis'. et certe haec uox aptissima (minus placent alia commenta, ut Heysianum 'effectum', cf. Prop. I 10, 28); singularem autem nunc plurali praefero utpote et meliorem in notione abstracta et facilius eruendum; nam ut 'o' et 'e' in V semper fluctuant, ita 'τ' lenius mutabis in 'ū' quam in 'is'. in fine 'est' omittit V: uoculam necessariam (supra p. 49) recte Calpurnius adiecit. — 8. **quae sese toto corpore prostituit.** scorto, quod ob auaritiam omnia libidinum genera exercet; cf. Auson. epigr. 67 (71), unde apparet quam male Westphalius traditum in V 'tota' (nota elementorum 'a' et 'o' confusio) mutare uoluerit in 'totam'. ceterum ad totum locum apte Vulpius cp. Ouid. a. a. III 463 *illa potest uigiles flammas extinguere Vestae et rapere e templis, Inachi, sacra tuis et dare mixta uiro tritis aconita cicutis, accepto Venerem munere siqua negat.*

CXI.

1. **Aufilena, uiro contentam uiuere solo, nuptarum laus est laudibus eximiis.** non contentus, in carmine superiore Aufilenam docuisse discrimen inter bonam et rapacem amicam, ulterius irae in feminam istam indulget poeta similia praecepta acerba ad uitam honestam spectantia addens: esse quidem primam gloriam nuptarum, in uno facere delicias uiro (cf. ad LXVIIIᵇ 95); sed, etsi huius laudis compos non sit Aufilena (quam certo hinc sequitur nuptam fuisse), tamen uxorem iura pudicitiae uita lasciuissima insuper habentem esse meliorem quam iura sanguinis incesto proculcantem. 'contentam' unamquamque nuptarum singillatim respiciens dixit poeta; superflue Scaliger correxit 'contentas'; Ellisius cp. Lucil. inc. fr. 18 M. *uni se atque eidem studio omnes dedere .. bonum simulare uirum se.* in uersu minore non posse abesse 'e' uel 'ex', pridem intellexere, sed quod arti responderet nemo dedit. male Scaliger 'est', quod abesse nullo pacto potest (cf. ad CX 7), in 'ex' mutauit; peius etiam, quippe cum duplici correctione, AStatius 'est laus e' scripsit. praestat igitur cum minima licentia 'eximiis' corrigere in 'e nimiis', h. e. magnis (cf. ad LXIV 22). Plaut. Capt. III 1, 22 *dictum de dictis melioribus*; perquam familiarem nostro esse hanc adnominationem iam scis. — 3. **sed cuiuis quamuis potius succumbere par est.** se substernere ad coitum (Varro d. r. r. II 10, 9 *ante nuptias ut succumberent, quibus uellent*) cuilibet amatori uel abiectissimo magis conuenit (LXII 9). nam 'par est' facillime ex tradito 'pars est' elicuere Itali; 'fas est' Parthenius maluit. male autem, siquid sentio, se habet 'quamuis', quod utpote in sententia generali multo rectius abest; nec omnes feminas ita melius agere efferendum est. longe fortius scripsit, ni fallor, poeta 'quauis', h. e. quouis concubitus genere (etiam illud *toto corpore* CX 8 possis comparare). — 4. **quam matrem fratres ex patruo**

parere. 'ex patruo' a 'matrem' pendet: Aufilena ab ipso patris sui fratre erat mater facta, hinc filios sibi pepererat, qui simul eius fratres (scil. patrueles) essent. ex iure naturali haec cum patruo commixtio (ut ex iure ciuili conubium: cf. Suet. Claud. 26, Reinius libri 'Privatrecht' p. 405) erat incestum. inepte Ellisius putat, Aufilenam cum fratre suo (C 1) rem habuisse; at hic non 'patruus' sed 'auunculus' prolis ex hoc incesto natae esset factus. sine dubio poeta hic sequitur rumores incertos, quibus qui erant Aufilenae liberi non a uiro, sed ab ipsius patruo geniti dicebantur. 'parere' omittit V; rectius hoc in fine addi quam cum aliis Italis scribi 'fr. efficere ex patruo' similiaue, docet CXII 1 itidem in fine lacunosus: margo archetypi hic erat abscissus.

CXII.

1, 2. **Multus homo es, Naso, neque tecum multus homo .. descendit: Naso multus es et pathicus.** hoc epigrammation difficillimum est propterea quod nescimus quis fuerit Naso (de hoc cognomine sat frequenti cf. Pauly, Encycl. real. V p. 421). adlocutionem fieri ad Nasonem, clausula aperit (unde traditum u. 1 'est' recte Itali in 'es' mutauere). sed obscurius est illud 'multus', in quo lusus uertitur. procul arcenda est dictio 'multum esse in aliqua re', h. e. multam operam ei dare (Kuehnerus gr. l. II p. 177), quoniam hic de qualitate quadam agitur; unde etiam AStatius frustra cp. Ouid. am. II 4, 34 *in toto multa iacere toro*, ubi 'multa' inlustratur per 'iacet'. neque locutio 'esse multorum hominum' quidquam prodest. unica defendendi ratio patet a locis Afran. com. 202 R. *multa ac molesta*, Plaut. Men. II 2, 41 *hominem multum et odiosum*, Cic. d. or. II 4, 17 et II 87, 358 *in re nota multus et insolens*, Vopisc. Aurel. 8, 3: 'loquax, garrulus' in his ualet uox illa. lusus igitur hic: multa semper narras, Naso, nec tamen multi homines (Hor. od. I 15, 6 *multo milite*) tecum ...: garrulus es enim et pathicus (nolunt homines, se a te tamquam amasios tuos circumferri). hoc qualecumque acumen fortasse ferendum est, cum praesertim pleniorem lucem ex accuratiore de Nasone scientia his affusum iri credibile sit. ex coniecturis prolatis duas afferam: Munro 'mutus', ego 'mundus' ter scripsimus; et hoc quidem eo uolui pertinere, ut externi ornatus et internae deprauationis oppositio efferretur. post 'homo' quae desunt (de origine uitii ad CXI 4) bene Scaliger suppleuit addendo 'est qui' (tecum uersatur, qui: CVI 1). 'descendere' sensu obsceno hic ualere 'pedicare', male concludunt ex Iuuen. 11, 164; unde Hauptius 'te scindit', uerbum in pedicatione usitatum (Priap. 77, 9), restituit. nec tamen ineptum est cogitare de descensu in forum (cf. Gronouius obss. III 12, Bentleius ad Hor. epist. I 20, 5): non multi te forum uisentem honoris causa comitantur.

CXIII.

1. **Consule Pompeio primum duo, Cinna, solebant Mecilia(m).** consulatum primum Pompeius gessit una cum M. Licinio Crasso anno 70:

hoc igitur duo tantummodo amatores erant 'Meciliae'. dicunt latine de commixtione uenerea 'solere cum aliquo (-qua)': Plaut. Cist. I 1, 38 *uiris cum suis praedicant nos solere*; nudus ablatiuus fortasse secundum Ter. Ad. IV 5, 32 defendi potest, ubi Bembinus *qui illa consueuit prior,* (ceteri codd. ἀμέτρως 'qui cum illa', Donatus uariam lectionem 'illam' adfert male monens *et dicebant ueteres 'hanc rem consueuit'*): nimirum 'uti' uel 'frui' supplendum est mente tam hic quam apud nostrum (Hor. epod. 12, 15 *Inachiam ter nocte potes* supple 'futuere'). sine dubio autem 'Mecilia' legebatur in V; in qua lectione O cum codd. iunioribus consentit, ut in G, qui 'Meciliā' scribit, uirgula inlata esse uideatur, postquam codd. iuniorum exemplar inde est descriptum. feminam ipsam primus Pleitnerus rara insolitaque alias felicitate intellexit dici Muciam, Pompei uxorem tertiam, uita lasciuissima infamem et propterea a Pompeio a. 62 dimissam, quam cum Caesare quoque rem habuisse testatur Sueton. Caes. 50; ceterum cf. Schwabius q. C. p. 215 sq. nam etsi 'Maecilius' nomen non est inauditum (Pauly, Enc. real. IV p. 1355, CIL. II 1277), tamen ultro apparet quantum Pompei mentioni accedat acumen, si de ipsa eius uxore agitur. 'Mucillam' Pleitnerus ipse restituit (ut a 'Terentia' fit 'Terentilla': Schwabius q. C. p. 214); nos forma plebeia 'Moecilla', quae unius litterulae 'i' in 'l' mutatione recuperatur, usum esse poetam statuimus; cf. ad XCIV 1. iam duos illos Muciae moechos Scaliger uoluit designari Caesarem et Mamurram; et licet hoc Mamurrae cum femina illa adulterium non sit compertum, tamen probabile est admodum, ad hoc maxime respicientem poetam duos illos uocasse 'riuales socios puellularum' LVII 9; cf. et ad XCIV. — **2. facto consule nunc iterum manserunt duo.** alter Pompei consulatus, in quo idem Crassus ei erat conlega, cadit in annum 55. 'manserunt' malim accipere 'duo illi moechi priores adhuc uiuunt' quam de continuatis eorum cum Mucia amoribus. ceterum persisto in ea sententia, qua pronomen demonstratiuum ad Pompeium respiciens male abesse olim significaui; et facili opera restituitur 'facto hoc consule'. — **3, 4. sed creuerunt milia in unum singula: fecundum semen adulterio.** haec bene quadrant in Pompei Muciam, quippe quae teste Val. Max. IX 1, 8 a. 52 publice se prostituerit (cf. et Schwabius q. C. p. 217 sqq.). uniuersa quidem sententia aperte est haece 'in locum utriusque illorum duorum uenerunt singula milia moechorum', sed uerba ipsa uix respondent huic sententiae, cum 'crescere in unum' fere sit 'coalescere, coire, confluere', quod ineptum est. nec uero 'crescere' pro eo quod est 'succrescere (alicui)' adhibetur, ut taceam hoc pacto requiri 'in utrumque'. ut mittam Froehlichianum 'milia numum', EBrunerus 'in annum' proposuit, quo et nimium quoddam infertur et locus obscurus manet. nec iuuamur quidquam inde, quod V 'singulum' exhibet; quod Scaliger cp. Non. p. 171 seruari posse putauit extrita 'u' media, Lachm. ad Lucr. p. 412 recte abiudicauit Catullo, cum praesertim 'unus singulus' non bene coeat: adest adsimilatio ad praecedens 'unum' iam antiquitus

corruptum. nimirum ad uerum eruendum proficiscendum est ab ultimis uerbis, in quibus miror neminem animaduertisse datiuum 'adulterio' insolentem. eone usum esse poetam putabimus solius metri causa, cum genetiuum necessarium in uersum redigere non posset (cf. LXVI 35)? initium adulterii erat ferax, ex hoc primordio larga subnata est seges; Vulpius cp. Plaut. trin. I 1, 8 *mores mali quasi herba inrigua subcreuere uberrime*, Hor. od. III 6, 17. hinc ortis facile licet restituere, quod et obscuritate careat et recta uerba praebeat 'sed creuerunt milia in horum singula (fecundum semen!) adulterio'; iam autem ad 'milia' recte supplebimus 'adulteriorum'. — ceterum cur poeta hoc epigrammation, quod Muciae exemplo communem tum Romae deprauationem morum uidetur perstringere, ad Cinnam potissimum dederit nescitur.

CXIV.

1. Firmanus saltus non falso, Mentula, diues fertur. sic Auantius pro tradito in V 'saluis' scripsit, 'tu' pro 'ui' reponens nulla fere cum mutatione. quod qui spreuere 'saltu' cum Italis legentes, ei praeterea 'Firmano' cum Aldina a. 1502 corrigunt contra artem. mitto alia commenta, ut Mureti 'Formiano saltu' (Scaligeri 'Formianus saltus'). apparet enim, 'Mentula' uocatiuum in nominatiuum inmutandi nullam adesse causam: ut alibi, ipsum aduersarium suum (ad XCIV) adloquitur poeta. et quod 'Formianus' correxerunt Mamurram ut decoctorem Formianum (XLI 4) notari opinantes: neque metrum hoc permittit (Schwabius q. C. p. 229) neque uero satis idonea adest causa. nam nec eis accedo, qui ut Mamurram in Mentulam, sic Formianum in Firmanum leniter transformatum esse a poeta putant. quod propterea est incredibile, quod 'Firmanus' uerum erat nomen, unde idem nomen fictum esse nequit. Scaligero autem sic disputanti 'cum constet Formiis natum Mamurram, cur aliud illi praedium aut saltum dabimus et suum illi auferemus' hoc est respondendum, paucissima nos scire de Mamurrae rebus, unde tutius sit insistere firmiter eis quae codices suppeditant, cum praesertim ratione non careant. secundum quos Mentula Firmi, quod est oppidum Piceni non procul ab Ancona meridiem uersus, possedit saltum eumque ditissimum; sed ne huius quidem reditus satis erant insanae Mentulae luxuriae. est enim 'saltus' inmensae quam possessio illa habuit mensurae designatio: Varr. d. r. r. I 10 *quattuor centuriae coniunctae, ut sint in utramque partem binae, appellantur in agris diuisis uiritim publice 'saltus'* (cf. HNissenus libri 'das Templum' p. 17): DCCC iugera qui solus possedit tamquam alter erat Croesus. bene Munro cp. gromat. uet. I p. 226 L. *ager Firmo Piceno limitibus triumuiralibus in centuriis est per iugera ducena adsignatus*: fortasse Caesaris nimia indulgentia Mamurra possessionem illam paene regiam acceperat. cf. et Plin. pan. 50 *non enim exturbatis prioribus dominis omne stagnum, omnem lacum, omnem etiam saltum inmensa possessione circumuenis*; saltum pro magna possessione posuit etiam Iuuen. 7, 189. hoc notatum

tum sermonibus poeta ita adripuit, ut prodigam hominis uitam hinc perstringeret. solam igitur ingentem magnitudinem 'saltus' indicat; nam altera explicatio, qua a qualitate agrorum *saltus est, ubi siluae et pastiones sunt* (Fest. p. 302; cf. et Varr. d. l. l. V 36 et Mommsenus Hermae XV p. 392), a sequenti saltus Firmani descriptione hic redarguitur: nec agri culti prataque nec siluarum conmemoratio diserta admittunt explicationem illam. 'diues' non solum ad fertilitatem (Ouid. a. a. II 263 *dum bene diues ager*) soli Picentini (Varr. d. r. r. I 2, 7, Colum. III 3, 2), sed etiam ad largos qui ex saltu illo redundant fructus spectat; CXV 3. — **2. qui tot res in se habet egregias.** complectitur *tot bona*, CXV 4; conmiscet iam poeta et partes singulas saltus et ea quae in his gignuntur ac lucrosa sunt: — **3. aucupia, omne genus piscis, prata, arua ferasque.** intellege aues edules captas, quas praebent cum paludes tum uero siluae (Cels. II 26, Sen. d. prou. 3, 6 *peregrina aucupia*); 'aucupiā' habet V, melius illud uirgula dempta inmutandum quam in 'aucupium'. 'omne genus' indeclinabiliter pro aduerbio positum (Kuehnerus gr. l. II p. 188) sunt qui cum 'auc.', sunt qui cum accusatiuo nimirum 'piscis' iungant: nobis, qui tractus illius in antiquitate naturam et gignentia nescimus, litem discernere uix licet. de pratis, quorum reditus maxime respicit poeta, cf. Colum. II 16 (17); cum quibus arua siue agros cultos coniungere amabant, ut Cic. d. n. d. I 44, 122: haec Mentulam nummo locasse probabile est. 'feras' intellege sues feras aprosque ceteraque, quae siluae saltusque subministrabant (uenationem, germanice 'Wildpret'). ingentes pecunias sic ex saltu redundare possessori perspicitur. — **4. neiquicquam: fructus sumptibus exuperat.** cf. XXI 7 (LXIV 164). 'fructus' sunt reditus: Ter. Phorm. IV 3, 75, Cic. Cat. II 8, 18; Plaut. Poen. I 2, 74 *non enim potest quaestus consistere, si eum sumptus superat,* Varr. d. r. r. I 53 *ne in ea re sumptus fructum superet* aliter sunt dicta; hic enim non inpensae in saltum factae (quae quales tandem sunt in locis naturales diuitias iam possidentibus?) dicuntur; sed fructus ex saltu redeuntes inpares sunt inpensis uitae luxuriosae a Mentula Romae uel alibi gestae; quo sensu uocem 'sumptus' saepe adhibet ex. gr. Terentius. itaque cum nullo pacto saltus, sed solus Mentula huius membri sit subiectum, rectissime Scaliger correxit 'exuperas'. — **5. quare concedo sit diues, dum omnia desint.** sensu carent haec uerba. referunt uulgo ad Mentulam; cui tamen, etsi plus quam redit consumit, non ilico omnia desunt (non propterea pauper est); neque tum iam 'diues' est idem. nimirum seuerus interpres 'diues' secundum u. 1 ad saltum tot bona lucrosa continentem spectare intellegit idemque refugit illud 'concedo sit': latinum est 'concedo eum diuitem esse', cum Cic. Verr. II 32, 78 similiaque aliena sint. uerum igitur etiamnunc puto quod olim adscripsi 'q. c. si diues, domnia desint': si attributum illud 'diues' (ad LXXXVI 3) saltui do, hoc requiro ut dominii ius procul ab eo sit (non in potestate sit possessoris priuati). et simul aliquid ambigui subest: tollantur (Mentulae) conuiuia

cum insana luxuria instituta; nam hoc quoque 'dominium' designat. quod iudicium uersus minor amplificat. nam ut 'domnus' pro 'dominus', ita 'domnium' pro 'dominium' dictum esse in hexametris, docet Lucil. XIII 12 M., ubi 'domnja' solum in metrum quadrat. — **6. saltum laudemus, dum modo ipse egeat.** in his sanandis explicandisque in diuersa omnia abeunt. neque Auantii illud 'dum tamen ipse egeas' neque Froehlichianum 'dum modo tu ipse egeas' similiaque satisfaciunt: inepte ut abhinc Mentula pauper sit optatur. et absonum est quod Munro excogitauit, 'modo' non aduerbium esse, sed ablatiuum (= mensura), cum hiatus tam parum in hac explicatione defendi possit quam in Lachmanni illo 'domo' (ad Lucr. p. 196): tam mensuram quam domum et sententia (de neutra aliquid conmemoratur) et metrum damnat; 'certe hoc unicum in litteris Latinis esset exemplum hiatus in altero pentametri hemistichio admissi' uere monuit LMuellerus, qui ipse 'eo' inserens, ut saepe, metro soli consuluit. nos cum insigni sententiae sic demum suum acumen nanctae emolumento scripsisse nobis uidemur 'dum modo te ipso egeat': laudare saltum non recusamus sub hac condicione, ut tu non possessor sis, modo ne ille te dominum habeat, quippe qui sumptibus effusis inmoderataque conuiuiorum magnificentia mox plane illum sis exhausturus populaturusque. nam 'ipse' est 'dominus', ut I 9, LXIV 43, CXV 7. sic in uersu minore accuratius exponitur id quod in hexametro generaliter magis est dictum ('egere' pro 'carere', ut saepius).

CXV.

1, 2. Mentula habet noster triginta iugera prati, quadraginta arui: cetera sunt maria. idem quod in c. CXIV argumentum. V 'habet instar (istar)' praebet, sed 'instar', cum necessario genetiuum requirat (qui Cic. ad Att. XVI 5, 5 facile suppletur), recte est uocatum in dubitationem, quam intendit 'habēt' a more Catulli alienum. melius autem AStatio 'iusti' et Scaligero 'iusta' proponentibus (nam Lachmannianum 'habes' nil iuuat) Muretus correxit 'noster', quod cum inrisione est dictum: quem omnes nouimus (germanice 'Freund Mentula'). nec minus corruptum est 'maria'. ad quod defendendum frustra conmemoratas u. 5 'paludes' attulerunt aut cogitauere auctore Passeratio de lacubus artificiosis (Plin. h. n. IX 170 *Lucullus euripum et maria admisit*); quasi uero his opus fuisset in paludibus illis a natura suppeditatis. nimirum 'cetera' illa tam ex paludibus quam ex ingentibus siluis saltibusque constant (quod non respiciens male Munro uoluit 'c. sunt nemoris'). sed Froehlichium 'paria' conicientem ratio propterea fefellit, quod siluae saltus paludes magnitudine longe superant arua prataque (ad 5). 'uaria' ego olim scripsi non melius. etenim certo definitoque numero apparet opponi numerum indefinitum, contra ea quae constitutam mensuram habent collocari ea quae utpote uasta atque ingentia mensuram respuunt. quantitatem nimirum saltus in uniuersum adumbrat distichon primum. hinc probabilius puto 'cetera fine carent'; nam 'fine' semel in 'sunt'

uitio obuio corruptum prouocauit interpolationem. recordatus est autem qui 'maria' reposuit bonus monachus locos, quales leguntur apud Ieremiam *magna est sicut mare tribulatio tua.* nec haec imago, qua infinitum cum mari confertur, a Romanis aliena; multi cp. Sall. Cat. 23 *maria et montes polliceri.* sed huius imaginis usus (propterea quoque quod reuera cetera ex parte saltim erant 'maria' siue lacus et paludes) aliis uerbis fieri debuit, ueluti his: 'cetera sunt instar maris inmensa'. — **3. cur non diuitiis Croesum superare potis sit.** possit (LXV 3) siue ualeat uincere; Cic. ad Att. I 4, 3 *quod si assequor, supero Crassum diuitiis atque omnium uicos et prata contemno.* Croesi opes in prouerbium abiisse notum est; cf. ex. gr. Prop. III 5, 17 et 18, 28. — **4. uno qui in saltu tot bona possideat.** tot res egregias (CXIV 2), quae tam largos praebent reditus; cf. Prop. II 14, 2 et 18, 16. sic enim uere correxit Auantius pro tradito in V 'tot moda'. etsi enim uulgatum 'totmoda' non cum Lachmanno ad Lucr. p. 187 damnauerim ob formationem (certe 'multimodus' haud pauci postremae aetatis scriptores agnoscunt, 'omnimodus' praeter hos Varro, 'totiugus' Apuleius, unde talia composita et priscae et plebeiae latinitatis fuisse conligitur), tamen a sententia hic pessime se habet 'totmoda': quantumuis diuersae sunt res quas saltus in se habet, diuitiae non efficiuntur ex diuersitate, sed ex quantitate atque qualitate. hac autem (utpote in diuitiarum mentione) elata mox iterum redit ad illam, utpote in qua uersetur maxime huius carminis consilium, enumerans singula bona: — **5, 6. prata, arua, ingentis siluas saltusque paludesque usque ad Hyperboreos et mare ad Oceanum.** iugera DCCXXX, quae detractis aruis pratisque u. 1 definitis restant, continent ingentes s. s. p. (ad quae tria uerba simul pertinet 'ingentis). hoc autem 'Mentula in uno saltu (complures) saltus possidet' incredibile est uisum ei qui librum Datanum exarauit hinc conicienti 'altasque paludes'; quo minus ridicule Rossbachius 'latasque', Bergkius 'salsasque', ego olim 'tractusque paludesque' uoluimus. uerum enim uero omnis difficultas dilabitur, si pluralis 'saltus' diuersam plane a singulari significationem habet; et iure agnoscere mihi nunc uideor ferarum sedes; cf. XXXIV 11 (CXIV 3). ceterum hac per polysyndeton concatenatione non minus quam uersu hypermetro in distichis insolentiore (nam praeter LXVI 77 hoc est unicum exemplum) egregie ingens ambitus describitur: ut uersus fines naturales egreditur, sic possessio in infinitum euagatur. iamque ipse poeta extra ueritatis probabilitatisque fines se abripi patiens cum hyperbole aperta addit: tam latissime patent siluae saltus paludes, ut uersus septentrionem regiones extremas fabulosasque (de Hyp. cf. Pauly, Enc. real. III p. 1550, hym. Hom. 7, 29 *ἐς Ὑπερβορέους*) et orientem uersus ipsum Oceanum *πάντα κυκλοῦντα* attingant. nam 'ad' repetitum prohibere uidetur, quominus de Hyperboreorum oceano septentrionali cogitemus. 'mare Oceanus (-num)' inde a Caesare b. g. III 7, 2 complures dixere. — **7. omnia magna haec sunt, tamen ipsest maximus ultor.** haec solitam magnitudinem uastitate sua excedentia tamen excedit dominus

(CXIV 6). 'ultor', quod AStatius non explicauit ex Aen. VIII 201, uarie est inmutatum, ex parte contra artem Catulli (Scaliger 'maximu lustro', Meleager 'uultur', EBrunerus 'multo'); nec quod Itali dederunt 'ultro' recte se habet, siquidem loci ab Ellisio adlati Varr. d. r. r. III 17, 6 *neque satis erat eum non pasci piscinis nisi eos ipse pasceret ultro* (= insuper) et Plaut. Men. V 2, 90, ubi posito post 'ultro' commate eadem subest significatio, nihil comprobant neque ulla hic subest oppositio idonea. etiam nunc placet, quod ipse olim et (ut nunc uideo) iam Auantius proposuimus 'maximus horum'; uitium ex 'hor^{um}' ortum puta. Mart. I 100 *mammas atque tatas habet Afra, sed ipsa tatarum dici et mammarum maxima mamma potest.* — **8. non homo, sed uero mentula magna minax.** ita nimirum pene enormi et terribili (Priap. 8, 4 *magnam mentulam,* ib. 30, 1 *minax parte tui maiore Priape*; minandi uerbum statum erectum indicare reminiscendum est; de asyndeto ad XLVI 11), ut ipse iam mentula potius quam homo uocari possit. ualde erat adamatum hoc ioci genus: Petron. 38 *phantasia, non homo* et 43 *discordia, non homo* et 44 *piper, non homo* et 58 *mufrius, non magister* et 74 *codex, non mulier* et 134 *lorum in aqua, non inguina*; Plaut. Stich. I 2, 7 *non homines, sed sues,* Ter. Hec. II 1, 17, Nouius 88 R. *abi, deturba te saxo, non homo, quisquiliae* (sic enim lege), Cic. ad Att. I 18, 1 et VII 13, 6 et in Pis. fr. 6, Mart. XII 49, 13, Amm. Marc. XVII 11, 1 *capella, non homo,* Anth. lat. 465, 5 sq., schol. Iuuen. 4, 77 *Pegasus . . iuris studio gloriam memoriae meruit, ut liber uulgo, non homo diceretur.* sed omnium maxime ad nostrum accedit siue Bibaculus siue Caluus, qui in Pompeium fecit uersum hunce *quem non pudet et rubet, est non homo sed ropio* (= penis); cf. Keilii Gr. L. VI p. 462, Buechelerus mus Rhen. 35 p. 399. de 'sed uero' rariore cf. Kehnerus gr. l. II p. 685; sine iusta causa priscae edd. 'uere', ut ad nomen 'Mentula' adludatur; quod tunc crederem, si uerum esset Mentulae nomen.

CXVI.

1, 2. Saepe tibi studioso animo uenante requirens carmina uti possem mittere Battiadae. carmen ad eundem Gellium est missum, de quo dixi ad LXXIV 1. hunc hominem ut abstraheret a Lesbiae amore sibique redderet amicum, Catullus circumspexit officiosi in illum animi documentum idque in dedicata (LXV 15) opusculi alicuius Callimachei (cf. ad LXV 16) uersione latina reperisse sibi uisus saepe deliberauit, quo modo siue quonam sub titulo illud dedicaret (praemissa nempe epistula, qualem habes in c. LXV); sic enim 'uti' accipe, ut ad causam praefandi referas (Cic. p. Quint. 29, 84 *requisiui, qua ratione fecerit*). nimirum consilium quominus exequeretur poeta, prohibuit perdurans Gellii inimicitia; uersionem autem iam paratam aut noster ipse non recepit in collectionem nostram aut huius editores non habuere praesto. 'animus uenatur' dici putant de mente rei alicui summopere intenta.

nota sunt 'laudem, puellam, suffragia, sim. uenari'; sed hic, ut nimia est per se talis sententia, ita obiectum deest necessarium. nam Ellisium de uerborum cura atque electione agi censentem (cp. graecum λεξιϑηρία et ϑηρεύειν ὀνόματα, porro Front. p. 253 N.) fugit ratio, cum non de ipso opusculo Callimacheo digne uertendo deliberauerit poeta, sed de modo mittendi (ut maxime illud 'possem' ostendit). plane autem taedium mouet inuestigandi notio tertio repetita in illo 'studioso', pro quo Auantius coniecit 'studiose' conprobante Schwabio. et licet adiectiuum et participium praesentis iungi ostendat Verg. Aen. III 70 *lenis crepitans auster* (ubi plura Ladewigius), tamen hic facile sentimus nil aliud requiri quam 'studioso animo requirens'; cf. ex. gr. Plin. epist. VI 16, 9 *et quod studioso animo incohauerat obit maximo.* hoc sentiens Scaliger 'uenanda' dedit; sed credi nequit tum temporis Romae multa cum opera inuestiganda fuisse Callimachi exemplaria (Froeblichius non melius 'uenata', inepte 'ueneranda' Hertzbergius). miror neminem cp. LXV 16 uidisse, 'expressa' dici debere carmina (nec enim de graecis exemplaribus mittendis cogitauit poeta) indeque 'uenante' mutandum esse in 'conuersa'. ceterum attende ad artificiosam illius 'tibi' conlocationem, quod cum 'mittere' iunge. 'requirens nunc uideo', ut Aen. I 305: non habet lingua latina part. perf. act. — **3. qui te lenirem nobis neu conarere.** unicum (quantum memini) post Ennium exemplum uersus ex meris spondeis constantis; quo num sedatum animum depingere uoluerit poeta, dubito; immo huic neglegentiori uidetur excidisse (nisi forte idem imitatur inpeditos Gellii uersus). 'qui', ut ita, ὅπως (ex. gr. Ter. Andr. II 1, 34). 'len.' ferocem saeuumque leniorem aduersus me redderem; 'nobis' post 'lenirem', cf. ad LXVIII[a] 37. ut conandi uerbum ostendit, adorturum (nondum adorientem) minantemque praeuenire uoluit poeta. — **4. telis infesta mitteremusque caput.** ad has corruptelas sanandas uiam muniuit Muretus rectissime 'mittere in usque' corrigens, h. e. uel in ipsum caput; Stat. Theb. I 439 *neque enim meus audeat istas ciuis in usque manus* (= sic uel manus conserere). nondum a praelusione minarum ad uerum praelium transierat Gellius, nondum *ferro iaculatus acuto . . inuisum caput petierat hasta* (Ouid. Ib. 50). ad quam emendationem (male alii alia uoluere, ut AStatius 'mi icere musca') iam derigitur reliqui uersus correctio. et hic quoque Muretus egregie correxit 'tela infesta', sed praeterea 'meum' addens ad recessum corruptelae non penetrauit. addidi potius 'mihi'; quod ubi ante 'mittere' periit, uersui hianti consulebant librarii 'tela' in 'telis' mutantes. neque probabilius alii 'telis infestum' uel 'infestans'; arma uaria quam saepe dicantur 'infesta' notum est. Seneca epigr. 20, 4 *stringis in extinctum tela cruenta caput,* ubi (ut hic) dubites sintne carmina uenenata intellegenda (et deditus fuisse poesi Gellius uidetur) an uerba maligna; Prop. II 8, 16 *in nostrum iacies uerba superba caput,* Ouid. ex P. IV 6, 36 *linguae tela subire tuae* (met. XII 495 *telaque in hunc mittunt*). — **5. hunc uideo mihi nunc frustra sumptum esse laborem.** itaque ultro ad praelium

transiens Gellius coeperat tela (fortasse carmen more prisco factum) uibrare in poetae caput. Caes. b. g. III 14, 1 *intellexit frustra tantum laborem sumi.* — **6. nec nostras hic ualuisse preces.** et in hac re caruisse effectu beniuolas admonitiones, quibus praeterea Gellium inimice se gerentem sibi lenire studuerat poeta. V 'hinc' habet, unde aliae edd. priscae 'huc' (ad hanc rem efficiendam) fecere minus bene. — **7. contra nos tela ista tua euitabimus amicta.** ecce nec ultimum distichon a spinis criticis uacuom! Itali scripsere 'tela i. t. euitamus amictu' ad Senecam epist. 53, 12 *nullum telum in corpore eius* (philosophiae) *sedet: munita est, solida: quaedam defatigat tela et uelut leuia* ['tela' post 'leuia' codd.] *laxo sinu eludit* et de const. 7 *non minus latro est, cuius telum opposita ueste elusum est,* Petron. 80 *intorto circa brachium pallio composui ad praeliandum gradum* (ib. 63, Pacuu. 186 R.). quibus locis quod uerborum copia apta dilucide est expressum, id hic uno illo 'amictu' obscurius adumbratur. praeterea sic contra artem remouere coguntur futurum 'euitabimus', cui cum altero 'dabis' unice conuenit. denique 'contra nos' quo uere pertineat (nam nugas mitto) plane latet. potest autem 'euitare' absolute poni, ut Ouid. met. XII 123 fraxinus *humero sonuit non euitata sinistro.* hinc omnes difficultates tollo remedio simplicissimo, pro 'amicta' scribendo 'acta': tela ista tua (cum contemptu dictum puta: nihil metuenda, inbellia et infirma), quaecumque in me missa (sunt et) erunt, facile effugiam. Auian. fab. 39, 9 *petierunt tela lacertos, uiribus . . acta meis.* abiit 'acta' in 'amicta' eo quod glossam 'mi' supra 'dabis supplicium' scriptam pro litteris τῷ 'acta' subscriptis habuit librarius. — **8. at fixus nostris tu dabis supplicium.** nostris telis (intellege carmina maledicentissima in Gellium postea re uera facta) ictus tu potius poenas mihi lues. 'affixus' in V traditum retineri nequit, cum uerbum illud sine aliquo addito (ut 'terrae cuspide') non intellegatur. in 'dabis' more prisco, quem Cicero Lucretius Varro adhuc habent, 's' abicitur. quod unicum apud Catullum exemplum (supra p. 16) dubitari nequit quin peculiari sese defendat excusatione: uidetur mihi poeta Gellii ipsius ex carmine aliquo uerba adferre.

FRAGMENTA.

Paucos qui a grammaticis adferuntur uersus in Catulli carminibus a V praebitis non extantes iam saepius declaraui mihi uideri in fine libri primi (post c. LX) olim sedem suam habuisse.

I. at non effugies meos iambos. iam qui adfert Porphyrio intellexit dici uersus maledicos: cf. XXXVI 5, XL 2, LIV 6. idemque addit poetam haec dixisse minantem: in quem haec minae sint factae, sine ariolatione diuinare non licet in tot Catulli inimicitiis. Plaut. Asin. II 4, 9 *malam rem effugies numquam.* male nonnulli Porphyrionem, cuius fides in adferendis scriptorum uerbis constat, hunc uel illum locum carminum nobis seruatorum ob oculos habuisse putabant.

II. hoc fragmentum, quod erui ex Plinii uerbis, nec nunc abicio, immo rationes in adnotatione uol. I expositas etiamnunc conprobo. Plinius in Catulli hendecasyllabis, de quibus loquitur, hoc uituperat, quod habeant 'primores syllabas' permutatas. sic enim codicum lectionem 'prioribus syllabis' correxi in testimonio c. ad Corn. 3 (Suessius Cat. p. 18 falsa innititur lectione). nam ut taceam ineptias Ellisii (edit. Cat. p. 305[2]), syllabis uersus Phalaecius non utitur prioribus (quales habet uersus ex quattuor syllabis, si dis placet, constans); nec accersas uelim 'priores pedes', ut optineas 'priores' id quod est 'primores' adaequare: quod constat ex duabus partibus, habet partem priorem. respicit Plinius solummodo initium uersus Phalaecii; cuius duae syllabae primae uariae et permutabiles sunt, cum modo iambum modo trochaeum possint inplere pro spondeo ipsius Plinii temporibus usitato; et hinc ille conterraneum suum duriusculum uocat (quocum cf. Plin. iunior epist. I 16, 5). sed hoc, nolle se duriusculum uideri Veraniolis suis et Fabullis, cum poeta nusquam declarauerit, cur non hinc concludemus, quod et obuium est et omnia interpretandi artificia excludit, scil. respici uersum amissum?

III. hoc fragmentum una cum sequenti IV ad nobile quoddam Priapeum pertinuit; qualia compluria scripsisse Catullum adfirmans Terentianus Maurus c. XVII respicit, quod metro tantum Priapeo est scriptum; unde hoc carmen a conlocatione prius non mirum est neglectum esse a grammaticis prae eo, quod etsi in fine uoluminis positum tamen et metro et argumento Priapeum esset omninoque maiore floreret fama.

— **1. hunc lucum tibi dedico consecroque, Priape.** cum siue ipse poeta in suo aliquo fundo siue eius amicus hospesue (ut similiter in c. IV) Priapo sollemniter dicaret lucum (Marquardtus antiqq. rom. VI 3, p. 148), hoc carmen fortasse sacello adfigendum compositum est. eadem autem uerba hic adhibentur, quibus Romae publice in templis numini cuidam tradendis uti solebant; magistratus nomine reip. dedicabant, pontifices dei nomine consecrabant aedem, quae iam ex iure humano diuinoque in possessionem cessit numinis sacraque est facta; cf. Marquardtus l. l. p. 259 sqq. — **2. qua domus tua Lampsaci est quaque Priape.** haec in fine aperte lacunosa non ita feliciter olim supplebant. ueluti Scaliger sic scribens 'quaque silua, Priape' dici putauit non nimis apte lucum Lampsaci a Catullo siue suo siue hospitis nomine dicari. qua in ratione quid sibi uelit 'qua' non perspicitur. rem acu tetigit Buechelerus (ind. lectt. Bonn. 1878/79 p. 26) uere emendans 'quaque lege Priapi': eadem sub lege, qua Lampsaci (quod Mysiae oppidum ob dei salacis cultum nobile: Athen. I 23, Paus. IX 31, 2, Ouid. f. VI 345 et tr. I 10, 27, Priap. 55, 6) et qua Priapi (quod et ipsum est Mysiae oppidum ad Propontida situm: Strabo p. 587 *ἐπώνυμος δ' ἐστὶ τοῦ Πριάπου τιμωμένου παρ' αὐτοῖς*) dedicatum consecratumque tibi est templum. saepius conmemorantur hae templorum dedicationisque leges, quibus constituebantur fines fanorum et iura ac reditus ritusque: CIL. III 1933 *ceterae leges huic arae eaedem sunto, quae arae Dianae sunt in Auentino monte dictae*: *hisce legibus hisce regionibus sic uti dixi hanc tibi aram, Iuppiter optime maxime, do dico dedicoque*; Marquardtus l. l. p. 261. — **3, 4. nam te praecipue in suis urbibus colit ora Hellespontia ceteris ostriosior oris.** haec puta in integro carmine per parenthesin esse adiecta (cf XLIV 2 sqq.), qua exponitur cur sint conmemoratae Lampsacus et Priapus. ceterum pluralis 'urbibus' plane confirmat additam a Buechelero Priapum urbem. et cum totam per oram Hellesponti deus hinc *Hellespontiacus* uocatus (Ouid. f. I 440 et VI 343, Verg. G. IV 111, Petron. 139, Arnob. III 10), tum uero Lampsaci et Priapi colebatur. quae ora quod exornatur epitheto 'ostriosior', recte se habet, siquidem complures Hellesponti urbes propter ostrea plurima erant nobiles, maxime Abydus (Archestr. ap. Athen. III 92 d, Ennius hedyph. 2, Verg. G. I 207) et Cyzicos, quae *ostreosa* audit Priap. 76, 13 (Plin. h. n. XXXII 62). ceterum casu ortum uidetur, quod et uu. 1, 2 et 3, 4 in eisdem desinunt uocabulis; ad 'ora ceteris oris o.' cf. CXI 2.

IV. de meo ligurrire libido est. hoc fragmentum Nonio debitum in eodem quo fr. III Priapeo lectum fuit (uere Lachm. in Nonii uerbis 'Catullus priapeo' correxit: saepe sic grammatici poetae nostri carmina adferunt secundum metrum). is qui lucum dedicauit in fine huius poematis apte inuocasse uidetur agris hortisue suis tutelam dei. unde fere suppleo: '⟨arce | fures, quis male⟩ d. m. l. l. est'. nam hoc fures a frugibus defendendi officium quam maxime deo salaci fuisse impositum, omnes sciunt. Ter. Ad. I 2, 37 *obsonat, potat, olit unguenta*: *de meo*,

Plaut. Pers. IV 3, 4 *nil gustabit de meo* (et sic 'de suo, uestro, alieno' dicebant).

V. de loco Pliniano nil potest decerni. nam quia de Vergilii ecloga octaua aperte cogitauit Plinius, carmen Vergiliani illius uel Theocritei exemplaris simile composuisse censendus esset Catullus, nisi in parte media (LXI—LXVIII) integrum poema longius sine ullis sui uestigiis intercidisse plane inprobabile foret (supra p. 60). qua de re nugas uendidit Birtius libri 'das antike Buchwesen' p. 404. sed uix est quod conmemorem, falli eos qui aut carminis LXIV uersum intercalarem aut alios nescioquos nostri locos huc traxerunt: nihil eorum cum Plinii uerbis conciliari potest. quamquam nec eis accedo, qui Calui aut Catuli nomen pro Catulliano restituendum putant; nam nec de his quidquam constat. equidem in re plane incerta lubentius crediderim, errasse Plinium et ex. gr. exemplaria describentem confudisse inter se Valerium Catonem et Valerium Catullum.

VI. VII. maximam mouerunt uiris doctis offensionem, quod Catullo poetae attribui librum quendam prosa oratione de uino conscriptum. sed qui Seruii testimonium sobrio cum iudicio perleget, mihi adsentiatur oportet statuenti*), in carmine quodam uix mirari potuisse Catullum, cur Cato laudasset unam Rhaeticam. erat autem Valerius noster sine dubio optimus de patriae suae uinis iudex (VHehnius libri 'Kulturpflanzen' p. 72; Plinius h. n. III 23 *Rhaetorum et Euganeorum Verona*); neque idem is erat, qui patriae caeco amore malam rem dissimularet. ceterum in uinis notum est diuersa esse hominum palata, ut de ipso iudicio poetae nostri non sit certandum: aliis uina Rhaetica non displicuisse testantur loci non pauci a RUngero de Valgio p. 290 congesti, Strabonis p. 206, Verg. G. II 95, Plin. h. n. XIV 25 et 67, Sueton. Aug. 77. iam hoc certa ratiocinatione inuentum plane firmatur Martialis loco adscripto in uol. I: uix ille de uinis Rhaeticis disserens de 'terra Catulli' locutus esset, nisi huius nomen cum illis aliquo modo cohaereret, h. e. nisi hic de eis scripsisset opusculum. ad quod etiam Varronis d. l. l. VI 6 locum referre pronum est, quippe cui nulla omnino similitudo intercedat cum altero Varronis d. r. r. I 2, 5 loco: ex temeraria coniectura ex hoc in illo Pacuuium restituerunt docti. putaui me laudem meruisse, quod simplici interpretatione usus procul arcui arbitrarias opiniones, quibus praeterea priori Seruii loco nil lucis affunditur. uerum enim uero Petero similibusque nihil in his rebus est certum, nisi quod certo est traditum. et Catullum librum prosarium scripsisse! ignorare

---

*) ecce uaria doctorum in re ad sensum redeunte iudicia. Suessius Cat. p. 19 'und darin hat er entschieden Recht, dass die Polemik gegen Cato nur einem Prosaiker angehoeren kann'; at contra uir doctissimus HPeterus Fleckeis. ann. 115 p. 749 'nun sehe ich aber gar nicht ein, wesshalb Cato .. nicht auch in einem Gedichte von Catullus zurueckgewiesen sein soll'.

uidentur isti, etiam Caluum illius amicum composuisse 'de aquae frigidae usu' librum quendam prosarium ualde celebratum (Mart. XIV 196). nam peruerse MHertzius hoc quoque opus habuisse formam metricam statuit: redarguit eum Charisius p. 81, 24 K. Calui uerba adferens haece *quorum praedulcem cibum stomachus ferre non potest*: quae uerba solutam orationem prae se ferentia unusquisque semel monitus mihi concedet suum habuisse locum in illo 'de aquae frigidae usu' libro, qui ut iam titulo ita materia omnino abhorret a uersibus. cf. et supra p. 13.

De fragmentis iniuria ad Catullum relatis satis est dictum in uol. I.

INDICES.

[numeri ad paginas spectant.]

I. INDEX LATINITATIS.

A *interiectio* 141
ab sede, a sedibus 562
abire 84, 517. abire quolubet 176
adlocutio inanimatorum 17, 91
adloqui, adlocutio 220
Adonis (-eus) 182 sq.
adsiduus 480
aequor 410
aer, aether 460, 461
aerius 430, 507
Africana seges 250
aliquid esse 68
alius *pro* alter 421
alius atque alius 533
alpha priuatiuum 389
amare 95. amabo 196
amare amari 244
amica 544
amici notique 560
amicitia 581
amores 103 (221)
an 466
an, aut 214
anastrophe 539
anime 351
animus, anima 190 sq.
antiqui 105, 534
anus *adiect.* 112, 558
anxius 414
aptus 177
arae 402
aranea, -neus 131
arbor infelix 209
asyndeton 247, 450
atque ille 367. atque ita 434
at qui 164
aut . . aut 156

Basium 96
bellus 159, 167, 539, 556
bene, *honeste* 317
bonus, *honestus* 296, 306
bonus, *peritus* 198, 370
bonus *de mortuo* 543
bonus et magnus 130

Caedere *c. compos.* 281
caeca caligo 415
candida puella 130 sq.
canus, candens 365
caput carum *et* canum 526
carmina, *uersus* 456
carta 69
carum corpus 466
castus 331, 445
cauus 146, 578
centum 96
cernere, *decernere* 405
certe ego 405
certus 523
cinaedus 168, 283
cītus, cĭtus 202
classis, *nauis* 380
cognitus 317
colonus 332
colores 391
columbae 527
coniux, coniugium 524
conscius 458
Cortynius 387
credo 77
crusare, crisare 281
cum *in contemptu* 584
cum *pro copula* 335
cupis quod cupis 318
currus, *nauis* 363
Cybe(l)le 340
Cyrenae, Cyrene 104

Dare 600
datiui duo iuncti 301
datiuus pro genetiuo 424

defectus, confectus 453
defututus, diffututus 185
degressus 399
dei magni 137
dei parentes 450
delutus, dilutus 586
deminutiua 18, 48, 86
dens Indus 377
desertus 493, 505
desiderium 75
desse 405
deuotus 402
dic 190, 484
dicere 540
diligere 99
doctus *de poetis* 14, *de Musis* 453
dolor 77
dominus (-na) *a domo* 298 sq., *de deis* 359
domna 359. domnium 606
dum .. dum 330
duplex 505

Ebrius, ebriosus 175
egregius 488
eheu 555
ei *datiuus* 187
ei mihi 553
em 120, 273
en 313
eo 473
er(i)pere 563
erus, era *de deis* 359
esse *c. datiuo pronom. person.* 567
esse aliquid 510
est *omissum* 49, 323
exaequatio 251
ex illo 392
expatrare 186

Facere 97. *obscene* 600. *omisso* id 154. se aliquid 118. f. opus 505
felix sis, uiue 534
fĕmur *et* fēmina 538
ferrugo 418
-ficus 424, 450
figura etymologica 105, 308
flagrare, fragrare 101
flaua coma 383
fluctus 393
foret 501
fugit te 128
fulgens 511
fuluor 394

Genus 505
gnatus, natus 50
gratus, ingratus *passiue* 545
gremium 528

Hesperus, Lucifer 328
hic *adu.* 424 sq., 490
hic — ille 582
hic noster 598

Iactare caput 344
iam — iam 510
idem 156
ilia 126. ilium 339
illĭus *sim.* 487
illud, *penis* 487
imbuere 91, 364
imperatiuus uniuersalis 179
impia facta 163
in aliquo uri *sim.* 306 sq., 393
in, *una cum* 399
in *c. accus.* 420
incidere 118
incidit sermo 115
incolae dei 418
incitare 75
inducere 191
ineptiae 68, 80
inprobus 527
inquit 356
insidias struere, instruere 154
integer 199 sq.
inuersio 379
in uita 497
inuolare 170
io 309, 342
iocari 76
iocus 230
irrumare 117 (*praef. p. XV*)
ipsa, issa 78, 83
ipse 376, 606
ita *in uoto* 146, 243
ite *adhortatiue* 309
iugum 524
Iupiter 70
iura 480
iuuenis 381

Laboriosus 70
lactens 384
lapis 507, 539
latus limes 510
lepor 254
leuis, *uilis* 544
limen aetatis 519
litus, *auxilium* 535
longa aetas 549
loqui 504 (558)

lucellum 116
ludere 253, 319, 496

Magis 546
magis, *sed* 499
magis magis 220
magnus, *commotus* 172
māla aurea 79
mala dicere 564
mala puella 122
male 121
malus, *infamis* 306
malus *substant.* 97, 183, 409
manare 591
mane 120
manere *c. dat. et acc.* 109 sq.
manus 247. manus iniectio 204 sq.
maritare 332
medius uir 561
mel 71. mellitus 83
messor metit 441
miles 517
milia *c. genet.* 319
mille 96
mingere 488
minutus 172
mirus 532
misellus 85
moechus 126
monstra facere 593
morbus 223
mortalis 408
mulier 539
multus 602
mulus 564
mutare 128

Nec mirum 163
negare se 277
negatio duplex 568
nei, ni, ne 51
nimis, nimius 368 sq.
nomen proprium pro pronom. person. 98 sq.
non, nonne 167
non homo, sed .. 608
non iam *pro* iam non 553
nosse 83, 544
nouissimus 93
nouus coniunx, *sim.* 299
nox mortis 96
nubere 540
nugae 68
nullus *pro* non 109
nunc 155
nuntium 355
nusquam esse 150

O *c. genet.* 112. *c. accus.* 85. *in altiore affectu* 72
obscenus 520
oculi 83. oculos sauiari 113
oliuum 110
omnes omnia 314
omnia experiri 154
optatus 372
optimum *c. genet.* 187
ora 468
os oculique 113 (*cf. praef. p. XIV*)
oscitans 169 sq.

Participia praes. act. cum notione passiua 396
passer 74
pater 151
pathicus 282
patruus 547
pax 515
peda 276
pedicare 142
pendere 385
per 147 sq.
perculsus, percussus 442
peremnis 74
pes nauis 92 sq.
petere 540
pipiare 83 sq.
Piplius mons 593 sq.
pluralis et singularis uariant 81, 50
poenas poscere *sim.* 256
Pollux 94 sq.
porrectus 484
posse 326
praepositio ad alterum colon addita 198
preces deorum 510
primum 486
primus digitus 74
prior *de mortuo* 486
prognatus 361
pronomen demonstr. honeste uelat 165. *person. repetitum* 371, 497. *possess. in adlocutione omissum* 71. *relatiuum postpositum* 72
pro quo 406
pupula 350

Qua tempestate 462
qualiscumque *relat.* 72
que — et 77
qui? 406
quid? 167, 490
quid commemorem, commemoro 398 sq., 407

quidquam *aduerb.* 100, 581 (586)
quidquid *aduerb.* 280. *c. genet.* 82
quidquid est 223
quine 411
quis tantus 465 sq.
quiuis 595 sq.
quod potui, quo potui 533
quo tempore 205 (387, 495)

R *littera repetita* 357
rarus 538
recolere 347
reddere 467
reicere uestem 479
Remus 180, 286
reuocatio 382
risus 230
rogare 109
ros(c)idus, roridus 297
rubentes oculi 85
rumpere 469
rursus *abundat* 348
ru(s)sus 226

S *littera repetita* 150
s *finalis abiecta* 16 sq.
Sagae 123
saltus 200, 604
salue 369
sanctus 208, 210
Sa(p)pho 206
scire 186
scribere 171 sq.
sed *breuiter* 155
senes seueri 95
sequi 500
si *in obtestatione* 552. *in religione* 551 sq., 580
si dis placet 281
si sapis 204
sic *in uoto* 146, 243
sicine 402
silua, *arbor* 90
singularis cum plurali sociatus 81, 500
sol 95
soliloquia 106
solum relinquere 414
solus 381
soror 470 sq.
succisus, summissus 443
Syrius, Assyrius 100 sq.

Talentum 128
tamen 395
tamenetsi 528
tangere 127, 533
tempe 373
temptare 125
tempus, *caput* 314
tendere oculos 401
tener poeta 16
tenere 371 sq.
tepte 551
terra, *auxilium* 535
texere 363
tibi habe 70
totus 132, 392
traductio 113
traiectio 18
tres 560
turbo 405
turpe mihi est 498
tuus, tua 525
Thy(i)as 446 sq.

Vacuum, uanum 398
uae 413. uae te 109
uelle *abundat* 98, 574. *de dis* 125. *fortiter* 103. *lasciue* (*ut et* nolle) 108
Veneres 82
uenustus 82
uer 496
uerbum simplex pro composito 207
uerpus 248
uerus 413, 477
uester 585
uiden ut 304
uir 532. *pro uirilitate* 339
uissere 267
uitium pro uitiosis 150, 152, 185, 248
uiuere 95. *esse* 122
uix tandem 323
ultro 501
umbrae 473
unanimus 189, 479
ungues *in auaris* 171
unus, *unus de* 160
unus et unicus 546
unus (et) perpetuus 96
uocat uentus 92
uoltur 526
uorare 204
uox, *sonitus* 343. uocem mittere reddere 408
ut, *ubi* 123. *postpositum* 110
uterque torus 101. uterque Neptunus 192
utinam 78
utpote 381
ὑφ' ἕν 90

Zonam soluere 301

II. INDEX SCRIPTORUM.

Aedituus 5
Africanus minor 313
Ammianus Marcell. 262
Apuleius 202, 382, 394
Athenaeus 464
Atta 5
Attius 362, 363, 431
auctor ad Herennium 233
Ausonius 589
Callimachus 470
Calpurnius 289
Caluus 264 sq., 581, 614
Q. Catulus 5
Charisius 304
Cicero 32, 228, 385, 386, 532, 565
Q. Cicero 568
Ciris 590
Claudianus 250, 341
Claudius Quadrigarius 85
comicus incertus 441
Cornelius Nepos 317
Diomedes 1
Donatus 584
Egnatius 219
Ennius 18, 94, 124, 362
Euripides *praef. p. XVI.*
Festus (Paul.) 224, 301, 310, 457, 594
Furius Bibaculus 13, 21
Gellius 2, 5, 85, 226, 313, 476, 528
C. Gracchus 304
Grammatici latini 170
Hageni gradus 398
Horatius 113, 124, 212, 247, 339, 361, 406
Hyginus 405
incertus poeta 244
Iustinus 465
Iuuenalis 86, 249
Laeuius 6 sq., 14
Lucilius 116, 117, 234, 267, 289, 405, 411, 418, 504, 535 (*praef. p. XV et XVI*)
Lucretius 226, 290, 363, 377
Macrobius 14
Manilius 474
Martialis 60, 217, 309
Naeuius 2, 14, 273
Nonius 5, 87, 385, 568
Nouius 608
Ouidius 85, 86, 417, 496, 538
Paconius 482
Pacuuii epigr. 528
Palladius 357
Petronius 215, 244, 322, 504
Phaedrus 280
Placidus 169 (*praef. p. VI not.*)
Plautus 70, 231, 486
Plinius *iun.* 63 sq. *maior* 428, 611
Pompilius 4 sq.
Porcius Licinus 5
Priapea 423
Propertius 434
Prudentius 365
Pupius 560
Publilius Syrus 258
Quintilianus 32 *not.,* 399
Sallustius 261
Seneca philos. 27, 115, 510, 610
Seneca rhet. 285
Seneca trag. 124, 357, 393
Sentius Augurinus 63 sq.
Silius Italicus 365
Sisenna 87
Statius 307, 308, 343
Stephanus Byz. 471
Suetonius 73, 101, 265, 560
Terentius 603
Tibullus 232, 289
tituli 1, 289. titulorum carmina 64 *not.,* 267
tragicus incertus 362
Valerius Cato 9 (*praef. p. XIV*)
Varro d. l. l. 4 sq., 220, 547, 594. sat. Men. 20, 568
Velleius Paterculus 62

PA
6274
A2
1893a

Catullus, C. Valerius
Catulli Veronensis liber

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY